De morbis veneris libri sex / [Jean Astruc].

Contributors

Astruc, Jean, 1684-1766.

Publication/Creation

Paris : [Widow of P. du Mesnil for G. Cavelier], 1736.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/r47t2w7y

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



11418/B


Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30504648

DE MORBIS VENEREIS

LIBRI SEX.

DE MORBIS VENEREIS

LIBRI SEX.

DE MORBIS VENEREIS LIBRI SEX.

IN QUIBUS DISSERITUR TUM DE ORIGINE, Propagatione & Contagione horumce affectuum in genere : tùm de ſingulorum Naturâ, Ætiologiâ & Therapeiâ, cum brevi Analyſi & Epicriſi Operum plerorumque quæ de eodem argumento ſcripta ſunt.

Auctore JOANNE ASTRUC *Regi à Conſiliis Medicis; Archiatro Auguſti II. glorioſæ memoriæ, Poloniarum Regis, S. R. I. Electoris, & Ducis Saxoniæ; Medico Ordinario Seren. Principis Ducis Aurelianenſis; & in Regio Franciæ Collegio Profeſſore Medico.*

Author: Datbis Jan.

Ex libris. P. P. Chapornicæ

LUTETIÆ PARISIORUM,

Apud GUILLELMUM CAVELIER, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Lilii Aurei.

M. DCC. XXXVI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

305812

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Ted 82
736a

PRÆFATIO.

CONSTARE passim video plerisque in Libris, qui de Morbis venereis scripti exstant, vitia occurrere non pauca; (venia sit dicto, à quo omnis invidia abest longissimè,) sed quæ nec eadem, nec ejusdem generis sint in singulis. In Antiquioribus, quo nomine eos intelligo, qui ante annum 1600. editi sunt, desiderari videntur diligentior symptomatum venereorum tractatio, sanioris Physicæ ac Medicinæ notitia, uberior causarum expositio, & quod est multò majoris momenti, certior morbi diagnosis prognosisque, & efficacior therapeia, in quâ Guaiaco, Chinæ, Sarsæ-parillæ cæterisque id genus hidroticis remediis minùs deferatur, plùs efficaciæ attribuatur Mercurio, sua asseratur hydrargyrosi excellentia, ac demùm recta adhibendi Mercurii methodus enucleatè proponatur. Sed hæc omnia non tam Auctorum, quàm ipsorum ætatis vitia fuisse videntur, eò quidem ignoscenda faciliùs, quòd tunc temporis nondum satis perspecta erat morbi medicina, quòd crimini dabatur Veterum exempla deserere, quòd horror Mercurii ceu venenati pharmaci in omnium animis altè insidebat, quòd Guaiaci effectus magnificis præconiis certatim efferebantur quasi totidem miracula.

Peccatum est aliter sed graviùs in recentioribus Scriptis, quæ nostro & superiore seculo publici juris facta sunt. In illis frustrà requiras Librum unum aut alterum justæ amplitudinis, quo morborum omnium tractatio pro argumenti gravitate exponatur. Multæ quidem occurrunt Dissertatiunculæ, de uno

tantùm aut altero morbo venereo, ſed leves, jejunæ, tumultuariæ, in quibus vix ſumma rerum capita obiter perſtringuntur. In pleriſque opinionum commenta reperire eſt antè inaudita, *Hypotheſes* dicunt, quibus palàm eſt ſuperiore ſeculo poſt excuſſum Antiquorum jugum plùs æquo capta & delinita fuiſſe Medicorum ingenia, cùm auctoritati parerent minùs, necdùm rationi & experientiæ noſſent parere ſatis. Demùm è tot Scriptoribus ne quidem unus therapeiam mercurialem accuratè deſcribere, varioſque ſcopulos per quos medios regenda eſt, diligenter detegere curavit; ſed ſuum ſinguli arcanum remedium magnificè venditant, quod tanquam certum, indubium, efficaciſſimum ita enixè collaudant, ut ipſi occultam in laudibus fraudem aperiant, ac planiſſimè deſignent (*a*) *ſe ſui quæſtûs causâ falſas ſuſcitare ſententias*, nec alio fine ſuas Diatribas ſcriptitaſſe, niſi ut arcano ſuo lucriferam celebritatem compararent.

(*a*) Ennius, *in fragment.*

Utantur tam præpoſteris artibus Agyrtæ & Circulatores, (*b*) *quorum ſtultitiæ quæſtus impudentia eſt.* Sed ab iiſdem ſedulò ſeſe abſtineant velim, quicumque gloriæ cupidi famæ conſulunt, quicumque veritatis cultores & fraudis inimici concivium incolumitati ſtudent ex animo. Quapropter ægrè fero à Chirurgis non paucis, à Medicis nonnullis exteris, à Medicorum noſtratium uno aut altero, arcana proponi remedia, quorum præparationem de induſtriâ celant, ut inefficaciam non prodant, ſed quibus amant credulos vulgi animos ludificare, non ſine lucri turpiter quæſiti infamiâ.

(*b*) Phædrus, *L. b 1. Fab.* 14.

Abundè indicant, quæ hactenus præfatus ſum, quanto jure à Medicis artis ſuæ ſtudioſis deſideretur Opus novum, de eodem argumento diligentiùs, fuſiùs, meliore fide conſcriptum: At verò indicant eadem ſimul quanta ſit Operis illius magnitudo atque difficultas, & quot adſint quantaque à quibus Scriptori cavendum ſit, ſi curaverit peritorum votis facere ſatis.

Profuit mihi hæc omnia priùs *percepiſſe atque animo mecum antè peregiſſe*, quàm ad ſcribendum animum appuli. Inde enim probè intellexi partes meas eſſe, ut quæcumque ad morbi originem, ingreſſum, propagationem; quæcumque ad contagionem, contagionis genera, varioſque modos quibus ſuſceptum virus modò ſilet, modò ſævit furore vario in ſingulos; quæcumque ad morborum venereorum tùm localium tùm univerſalium cauſas, ſymptomata, ſigna, therapeiam

pertinent, ita diligenter expedirem, enuclearem, definirem, ut (*a*) *vetuſtis novitatem, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia darem*, uno verbo, quod à Plinio Domitio Piſoni dictum tribuitur, ut *Theſaurum* facerem *potiùs quàm Librum.*

(*a*) Plinius, *in Præfat. Hiſtor. Naturał.*

Haud equidem confido quæ deſtinaveram à me præſtita fuiſſe, quæ ſanè nec eâ deſtinaveram fiduciâ, ut à me præſtanda ſperarem; *mecum enim habito*, neque neſcius ſum *quid ferre recuſent, quid valeant humeri.* Sed animum facilè induxi licere mihi laborioſam, difficilem & perobſcuram diſputationem meditanti magna & egregia ſpe concipere, quæ mentem excitarent, erigerent, acuerent, vireſque Operi pares poſſent ſufficere, tantò quidem magis quòd rationem illam conſuetudinemque noveram laudi plerumque, vitio numquam datam eſſe, cùm (*b*) *etiam non aſſecutis voluiſſe abundè pulchrum atque magnificum ſit.*

(*b*) Plinius, *ubi ſuprà.*

Hac ergo mente non dubitavi ad uberrimam propoſiti argumenti materiam aggredi, totamque quantacumque eſt, ſex Libris tractandam comprehendere, in quos Opus ordinis gratiâ partiri viſum eſt.

I. Agitur in *Primo* de morbi naſcentis, adulti, ſeneſcentis hiſtoriâ, probaturque illius originem ad Inſulas Antillas referendam eſſe, unde in orbem noſtrum malis avibus devectus ſit: De Americâ proinde meritò dici poſſe ob graviſſimam peſtem, quæ in Europam inde dimanavit, quod à Romanis olim de Aſiâ dicebatur ob vitia quæ in Rempublicam illinc confluxerant, nimirùm (*c*) *devictam victores ſuos corrupiſſe:* Demùm id teterrimum mali genus hactenùs diverſas vices ſive periodos expertum eſſe, quæ variâ ſymptomatum acceſſione vel deceſſione inſignes fuerint; ac nunc tandem videri paulatim miteſcere, & niſi vana fides, in ſenium tendere in dies, ſed tamen adhuc *pede claudo.*

(*c*) Florus, *Lib.* 3. *Cap.* 12.

Locus hic erat de multis ſciſcitandi, quæ in quæſtionem venire non ignoro. Scilicet annon Lepra, quæ à Moſe deſcribitur *Levitic. Cap.* 14. eadem fuerit cum hodiernâ lue venereâ? Annon de lue venereâ eâdem intelligi debeat (*d*) *ulcus illud peſſimum à plantâ pedis uſque ad verticem ejus*, quo Jobus à Satana percuſſus fuit permiſſu Dei? Annon David ipſe lue eâdem laboraverit, cujus videtur ſymptomata

(*d*) Job. *Lib. Cap.* 2.

graphicè depinxiſſe in nonnullis Pſalmis? Tandem annon ad luem veneream alludat Auctor Eccleſiaſtici *Cap.* 19. *verſ.* 2. & 3. cùm ait *qui ſe jungit fornicariis fore nequam, putredinem & vermes illum hæreditaturos eſſe?* Sed cùm diligentiùs ſtudeo diſſolvendis aut explicandis nodis aliis gravioribus, & qui ad quæſtionem magis pertinerent, factum eſt neſcio quo fato ut hæc interciderint.

Omiſſionis tamen culpam ſi fortè culpa eſt, elevat manifeſta objectorum argumentorum vanitas, quæ confutare tanti non erat. Nam 1°. Unus eſt (*a*) Doctorum omnium ſenſus Lepram Judaïcam, quam à Moſe deſcriptam legimus in Levitico, fuiſſe illam ipſam Arabum Lepram, de quâ tam multa in Opere noſtro diximus. Quocirca cùm abundè probatum fuerit Lepram illam Arabum à Lue venereâ omnino diverſam fuiſſe naturâ, causâ, contagionis modo, ſymptomatis, curatoriâ methodo &c. conſequens eſt unâ eâdemque operâ quæſtionem illam de Leprâ Judæorum, quæ omnium potiſſima eſt, ac veluti cæterarum caput, planiſſimè reſolutam fuiſſe.

2°. Fatendum eſt quidem *ulcus*, quo Jobus *percuſſus* dicitur, pro lue venereâ habitum fuiſſe à Franciſco (*b*) Vatablo, quem (*c*) Cyprianus Ciſtercienſis ſequutus eſt: Videri eidem opinioni ſuffragatos eſſe & Joannem (*d*) de Pineda è Societate Jeſu, & Jacobum (*e*) Bolducium è religiosâ Capucinorum familiâ, & Domnum (*f*) Calmet Benedictinum è Congregatione SS. Vitoni & Hidulfi: Non defuiſſe etiam teſte (*g*) Ulrico Hutteno, qui luis *originem à Jobi ſcabie olim repeterent*: Quin imò ſolenne fuiſſe (*h*) Jobi præſidium à ſyphiliticis olim implorari, quaſi ſpecialis Patroni, qui nec ipſe mali ejuſdem ignarus fuiſſet. Sed mirum hucuſque provectam eſſe credulitatem Antiquorum, nec facilè video quo nomine potuerit ea opinio tantùm invaleſcere apud cordatos viros. Nam præter-

(*a*) Vid. Thomam Bartholinum, *De morbis Biblicis*, *cap.* 8.
Et Joannem Clericum, *in ſpeciali Diatribâ de Leprâ Judæorum*, quæ exſtat ad calcem *Tom. III. Comment. in Biblia.*
(*b*) In Adnotationibus *in Jobi Lib. Cap.* 2. *verſ.* 7. margini Biblior. appoſitis.
(*c*) Comment. *in Job. Cap.* 2.
(*d*) Comment. *in Job. Cap.* 2. *verſ.* 7. & 8.
(*e*) Comment *in Libr. Jobi*, *cap.* XXX. *verſ.* 30. *Tom.* 1.
(*f*) Diſſertation *ſur la Maladie de Job.*
(*g*) De Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci, *Cap.* 1.
(*h*) Vid. infrà *Lib. V.* ad annum 1520. ubi de *Joanne le Maire*, *Belgâ*.
Molanus *in Diario Medicor. eccleſiaſtico* ad diem 10 Maii, quæ Jobo ſacra eſt.
Baillet, *Vies des Saints de l'ancien Teſtament*, 10. Mai.

quàm quòd luce meridianâ clarius eſt luem veneream exeunte tantùm ſeculo XV. in orbem noſtrum irrupiſſe, nulla certè intercedit affinitas inter morbum Jobi, qualis deſcribitur *Capp.* 6. 16. 19. & præſertim 20. luemque veneream, quâ poſſit opinio illa niti. Quamobrem multò ſatius eſt de naturâ Ulceris, quo Jobus mulctatus eſt, ſilere cum Joanne (*a*) Mercero, vel cum (*b*) Origene, S. Joanne (*c*) Chryſoſtomo, (*c*) Polychronio & (*c*) Apolinario, Ulcus illud ad Elephantiaſim referre, quæ in Arabiâ ad Euphratem, ubi degebat (*d*) Jobus, frequens erat, quàm commenta iſtiuſmodi temerè effutire nullo auctore & auctoritate planè nullâ.

3°. Neque potiori jure licet colligere (*e*) Davidem lue eâdem venereâ infectum fuiſſe, quòd *Pſalm.* VI. *verſ.* 2. *&* 3. *Pſalm.* XXXI. *verſ.* 3. & præſertim *Pſalm.* XXXVII. *verſ.* 4. 6. *&* 8. referat *ſe infirmum eſſe, conturbata eſſe oſſa ſua, putruiſſe & corruptas eſſe ſuas cicatrices, lumbos ſuos impletos eſſe illuſionibus, & non eſſe ſanitatem in carne ſuâ.* Inde quidem liquet Davidem, dum ea ſcriberet, gravi morbo tentatum fuiſſe, at non ideò ſequitur ut morbus ille lues venerea fuerit: Quod ſanè etiamſi certò conſtaret luem veneream Davidis ævo graſſatam fuiſſe, ut hodierno tempore, temerè & inconſultè diceretur, cùm ſymptomata quæ à Davide referuntur, notis luis ſymptomatis ſatis vicina non ſint, ut ſuſpicioni locum facere poſſint: Quod inſuper contra apertam rei veritatem crederetur, etiamſi ſymptomata à Davide recenſita à ſymptomatis luis venereæ minùs abhorrerent, cùm certiſſimis rationum momentis comprobetur luem veneream priſcis ſeculis in orbe noſtro omnino ignoratam fuiſſe.

4°. Denique hallucinantur quoque & oſcitantes quidem, quicumque luem veneream locis ex Eccleſiaſtico ſuprà adductis argui contendunt, cùm nihil appareat manifeſtiùs quàm hic agi de ignominiâ, probro, paupertate, ægritudine, cæteriſque malis, quæ *fornicarios* & ſcortatores meretriciis amoribus turpiter deditos manere ſolent. Similis exſtat in Proverbiis locus *Cap.* 5. *verſ.* 8. *& ſeq.* ubi Sapientia alumnum monens, *Longè fac*, inquit, *fili mi, à Meretrice viam tuam, & ne*

(*a*) Comment. *in Job. Cap.* 2. *verſ.* 7.
(*b*) Contra Celſum, *Lib. VI. pag.* 503.
(*c*) In Catenâ Græcorum Patrum in B. Jobum, collectore Nicetâ.
(*d*) Friderici Spanhemii, Hiſtoria Jobi, *Cap.* 3.
(*e*) Gui Patin, *Lettre* 368.

appropinques foribus domûs ejus, ne des honorem tuum alienis & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo alienâ, & gemas in noviſſimis quando conſumpſeris carnes tuas & corpus tuum. Neque rara ſunt apud Auctores etiam * profanos monitoria conſilia de re eâdem. Sed de his ἐν παρέργῳ. Nunc redeundum eſt in viam.

II. Explicantur in *Secundo* Libro veneni venerei natura, indoles, propagatio, & efficacitas; ac deinde hiſtoricè quæritur quo tempore & quo auctore remedia ſingula quæ in Luem faciunt, ut Hydrargyros, Guaiacum, radix Chinæ, Sarſæ parillæ, lignum Saſſafras, & præparata Mercurialia in uſum inducta fuerint, & quantâ animorum contentione de ſingulorum præſtantiâ diù decertatum ſit, donec tandem victoria hydrargyroſi ceſſerit.

III. Sic expeditis ſemel nodis omnibus hiſtoricis, diſcuſſiſque phyſiologicis & pathologicis tricis, quaſi gradus quidam atque aditus jactus eſſe videtur ad rem ipſam, cujus Medicorum eſt potiſſimùm ſatagere, nempe ad tractationem morborum venereorum omnium, tùm localium, quæ ſunt veluti proluſiones invadentis luis, & de quibus Libro *Tertio*; tùm univerſalium, quæ ſunt confirmatæ luis indicia, & de quibus Libro *Quarto* fusè diſſeritur. Quocirca expoſitis in utroque ſingulorum affectuum naturâ, causâ, ſymptomatis, ſigniſque tùm diagnoſticis tùm prognoſticis, ſpeciales afferuntur curationis methodi, quæ ſingulis morborum generibus ac diverſis ſingulorum gradibus adhibendæ ſunt.

Id autem egi omni meo ſtudio, ut hæc univerſa ordine digeſta breviter ac dilucidè explicarentur. Sed de his judicium æquis Lectoribus facilè permitto. At certè, quam laudem propriam peto, quam præcipuam ambio, cuncta propoſui fide quâ potui optimâ, ſuppreſſi nihil quod utile, nihil omiſi quod neceſſarium eſſe videretur; remedia protuli omnia, quæcumque certa, egregia, uſu maximè comprobata novi; de dubiis, incertis, infidis, ſi qua fortè attulerim, cautè monui; ut nihil omnino reticui dolo malo, ſic nihil jactantiùs prædicavi vaniloquentiâ. Sed omnia tractavi ubique ingenus, ubique de ægrotantium

* Sic apud Plautum *in Truculento, Act. II. Scen. 7.*

Meretrix meum herum miſerum ſuâ blanditiâ impulit in
Pauperiem; privavit bonis, luce, honore atque amicis.

(ut Medicum & concivem decet) incolumitate verè ſollicitus. Quamobrem ſpes eſt Librum huncce noſtrum, ſi minùs diligenter elucubratus, atque adeò laude parùm dignus eſſe videatur, tamen quia benevolenti animo conſcriptus, nobis apponendum eſſe gratiæ.

Remediorum formulas protuli, quotcumque uſu vulgò receptæ ſunt, & in multos ex æquo quadrare poſſunt. Cæteras, quas pro morbi naturâ & gradu, aut pro ægrotantium viribus & ætate variare neceſſum eſt, prudens omiſi, ne junioribus Medicis eſſent offendiculo, à quibus in obviis quibuſcumque ægris nullo diſcrimine plerumque adhiberentur. Sed præcipua & præſentiſſima remedia diligenter recenſui, quæ ad ſingula morborum genera valent, ab infirmioribus ad vehementiora progrediendo appoſitâ ſingulorum doſi; unde nihil negotii futurum eſt formulas, ſi uſus fuerit, ex re & ex tempore conficere: At monitos velim juniores Medicos, ut *mixturæ & compoſitiones ex paucis* ſemper conflentur (*a*) *remediis ex causâ non ex conjecturâ aſſumptis.* Indigeſta enim & promiſcua remediorum farrago, quâ nonnulli formulas (*b*) *inexplicabiles* offerciunt, non modò, ut Plinius (*c*) ait, *oſtentatio artis & portentoſæ ſcientiæ venditatio eſt*, quin etiam, ut idem alibi dicit, (*d*) *impudentia*, (*e*) *fraus*, (*f*) *perfidia eſt*, quæ ægrotantibus ferè numquam non nocet, cùm ſemper nimia & inutilia, ſæpiſſimè propoſito ſcopo contraria remedia eâ ratione inculcentur & oggerantur.

(*a*) Plin. *Hiſtor. natur. Lib.* 22. *cap.* 24.

(*b*) Ibid. *Lib.* 29. *cap.* 1.

(*c*) Ibid. *Lib.* 24. *cap.* 1.

(*d*) Ibid. *Lib.* 22. *cap.* 24.

(*e*) Ibid. *Lib.* 4 *cap.* 1.

(*f*) Ibid. *Lib.* 29 *cap.* 1.

V. & VI. Videbatur manus extrema Operi jam impoſita, cùm optimum fore judicavi, & Chronologicam Auctorum omnium, qui de eodem argumento ſcripſere, Bibliothecam ſubjungi, ut uno quaſi intuitu cognoſcere liceret, quid de luis venereæ origine, naturâ, remediis varii variè ſenſerint diverſis temporibus; quid in promovendâ illius curatione à ſingulis præſtitum ſit; uno verbo ex quibus ambagibus & quorum potiſſimùm ſtudio morborum illorum therapeia qualis nunc uſu viget, ad eum perfectionis apicem pervenerit, quo nunc ſtare videtur?

Eo itaque conſilio Auctores iſtiuſmodi, quotquot nanciſci datum eſt, diligenter evolvi, legi, perlegi; quæcumque nova, ſingularia, rara, notatione digna viſa ſunt, ſedulò è ſingulis excerpſi; cuncta membratim digeſſi, ſuis quæque temporibus reddidi, ac in duos alios Libros diſtribui, *quintùm ſextum-*

que, quorum alter quidem de Auctoribus omnibus agit, quī ab ingreſſu morbi ad annum uſque 1600. alter verò de cæteris, qui abhinc ad hanc uſque diem ſpeciales de morbis venereis Libros edidere. Hinc panditur ſeries & ordo curarum, quæ Medicos anxios habuere ſollicitoſque; hinc intelligitur quantâ conſternatione ſub ingreſſum luis obſtupuerint, rei novitate mirè perculſi; quàm diffidenter & infeliciter attentaverint initio morbi curationem; quantâ trepidatione exploraverint uſum remediorum; per quotuplices *mortes egerint experimenta;* quo progreſſu tandem, quibuſve periculis cognitionem ceperint ſequentium Theorematum, Dogmatumve, quæ improviſa & inexpectata experientibus adfuere, quæ diù multis dubia viſa ſunt quia nova, quæ dudùm apud omnes in confeſſum venerunt quia compertiſſima.

1°. *Luem veneream morbi ſpeciem eſſe, quæ nec errore dietæ, nec ullo rerum non-naturalium vitio poſſit unquam ſponte generari in orbe noſtro, ſed ibi vigeat fomite quodam alienigenâ ſed perenni, ſeu potiùs ſemper redivivo*; quod ante notam luem veneream de nullo alio morbi genere unquam affirmatum, imò nec excogitatum priùs fuerat; quod de lue ipsâ venereâ nondùm certò liquebat anno ab ingreſſu morbi ſexageſimo; quod jàm pridem compertum eſt certiſſimâ experientiâ; quod tandem nunc opinantur nonnulli & cum Leprâ Arabum quandiù in Europâ graſſata eſt, olim commune fuiſſe, & etiamnùm commune eſſe cum Peſte Aſiaticâ, quæ Europam identidem depopulatur.

2°. *Seminium illud morbificum ſive morbi fomitem, quem* virus venereum *dicunt, licet in orbe noſtro nullâ unquam ratione generari poſſit, attamen ſi quocumque modo, minimis etiam & inconſpicuis guttulis in ſanguinem transfundatur, ibidem facilè plerumque augeri, multiplicari, invaleſcere;* quod de veneno venereo exploratiſſimum eſt; quod videtur & de ſeminio Elephantiaco ſive Leproſo verum olim fuiſſe; quod de contagio quoque peſtifero haud ineptè conjicitur, quamvis non deſint qui non aſſentiantur.

3°. *Contrà verò virus idem clam aliquando latere ad multos annos in ipſo ſanguine ſine noxâ, quæ manifeſta ſit, atque adeò ſine ullo ſui indicio: Verùmtamen integrum & illibatum ibidem permanere, ita ut ex occaſione facilè poſſit confeſtim*

erumpere

erumpere & eâ quidem plerumque vehementiâ, quæ datas inducias fœnerari videatur; quod ſanè de hydrophobico contagio Antiquiores jam ſubodorati fuerant, ſed quod de veneno venereo certiùs compertum eſt exemplis frequentiſſimis.

4°. *Uſum Mercurii & præparatorum mercurialium ad extirpandum luis venereæ ſeminium unicè valere, & modò cautè adhibeatur, ſemper tutum, innocuum & efficacem eſſe:* quem tamen cuiquam adhibere nefas olim fuiſſet ante natam luem veneream; contrà quem primo ſeculo ab ingreſſu luis Medicos nonnullos non puduit temerè niti ex vanâ erga Antiquos credulitate, à quibus Mercurius veneni falsò damnatus fuerat; quem demùm experientia rerum magiſtra monſtravit præſentiſſimum eſſe morbi remedium.

5°. *Illito mercuriali unguento, aut exhibitis præparatis mercurialibus ptyaliſmum perinde moveri*, quod novum purgationis genus ab antiquioribus Medicis plenè ignorabatur; quod nunc certiſſima eſt luis venereæ medicina; quod & ad alios morbos non paucos egregiè facere compertum fuit.

6°. *Tandem hæc omnia ut plurimùm præſtari ſolo ſupra cutem illitu unguenti mercurialis, unde patet ſumma utilitas & efficacitas Iatraliptices*, Medicationis genere novæ, quam mirari ſubit ad alias remediorum ſpecies præter Mercurium, & ad alia morborum genera præter veneream luem nondùm traductam fuiſſe.

Liquet ergo lue venereâ in orbem noſtrum irrepente humanum quidem genus *magno atque ſolido mulctatum* fuiſſe *infortunio*, at ſimul artem Medicam novis Theorematis auctam, noviſque remediis amplificatam fuiſſe; quaſi verò noſtris tantùm periculis diſcere datum eſſet. Sic ut exemplis rem illuſtrem, numquam magis promovetur militaris ſcientia quàm bellis internecinis, quæ ſunt communis populorum pernicies. Sic numquam reperiuntur feliciùs, aut diligentiùs adhibentur novæ munitionum formæ, quæ ſint ad defenſionem urbium opportuniores, niſi cùm uſus invexit arma nova & ad oppugnandum efficaciora.

Cæterùm ne Tirones Auctorum nomine vel famâ deluſi commentis fidem adjungerent, lubuit de plerorumque Operum pretio, ac opinionum quæ in iiſdem referuntur valore judicium interponere, non æquum modò, ſed modeſtum ut me de-

cebat, imò etiam verecundum, niſi fortè de Circulatoribus & Agyrtis quæſtio inciderit, quorum impudentiam & imperitiam retegi, ac fraudes proferri tùm Reipublicæ, tùm rei Medicæ perinde intereſſe cenſeo.

Reſtabat quo ſermone Librum conſcriberem an latino, an patrio? Placebat aliis quidem iſto, ut à Chirurgis noſtratibus intelligeretur, quorum plerique latinè neſciunt : Aliis verò illo ſcribi, ut & exteris quoque prodeſſe poſſet, quibuſcum latini ſermonis communio eſt. Sed vicit latini ſermonis virtus, ac dubitationem omnem ſuſtulit honeſtatis ratio, quippe puduit de morbis, de partibus, de rebus obſcœnis Gallicè dicere. Apud Latinos, ut de Græcis referebat (a) olim Celſus, horum omnium *vocabula & tolerabiliùs ſe habent & accepta jam uſu ſunt, cùm in omni ferè Medicorum volumine atque ſermone jactentur. Apud nos* verò *fœdiora verba ne conſuetudine quidem aliquâ verecundiùs loquentium commendata ſunt, ut difficilis hæc explanatio* futura fuiſſet, *ſimul & pudorem & artis præcepta ſervantibus.*

(a) *Lib. 6. cap. 18.*

ADDENDA.

Paginæ 9. poſt artic. 4. Domnus Auguſtinus Calmet Benedictinus è Congregatione SS. Vitoni & Hidulfi in eruditis ſuis Commentariis in Biblia, dùm (*a*) inquirit in morbum Jobi, occaſione datâ diſſerit ibidem de venereâ lue, quam cum Jobi morbo eamdem eſſe opinatur. Quapropter contendit luem illam antiquitùs graſſatam fuiſſe, cui opinioni ut fidem faciat, præter loca aliquot antiquorum Scriptorum ex iis quæ ipſi recenſuimus, tria adducit alia à nobis prætermiſſa, nempe 1°. Locum ex Luciano *in Pſeudo-logiſtâ, de morbo Leſbio:* 2°. Locum ex Auſonio *in Epigrammate* 71. in Criſpam, *de Nolano Luxu:* 3°. Locum ex Suetonio *in vitâ Auguſti Cap.* 22. ubi de *inunctionibus*, quas Auguſtus *ad ignem adhibebat.*

(*a*) Diſſertation *ſur la Maladie de Job*, au commẽcement du Livre de Job.

Me quidem piget ſeu potiùs pudet primum & alterum locum ex Luciano & Auſonio exſcribere, quia uterque turpiſſimæ obſcœnitatis. In tertio verò ſic legitur, *Verùm tantam infirmitatem* corporis *magnâ curâ tuebatur* Auguſtus, *in primis lavandi raritate. Ungebatur etiam ſæpiùs, ſudabat ad flammam, deinde perfundebatur egelidâ aquâ vel ſole multo calefactâ.*

Putat autem Domnus Calmet *morbum quidem Leſbium* apud Lucianum, & *Nolanum Luxum* apud Auſonium, de Lue ipsâ venereâ; *inunctiones* verò *& ſudationes*, quibus Auguſtus utebatur ad ignem teſte Suetonio, de curatione Iatralipticâ luis venereæ accipienda eſſe.

Veniam equidem facilè dandam puto Viro erudito, qui à rebus Medicis planè alienus erat. Sed næ ille in errore verſatur maximo. Nam 1°. Conſtat à Luciano *morbo Leſbio*, & ab Auſonio *Nolano Luxu*, animi vitia, non corporis; impuriſſimas libidines, non morboſas affectiones intelligi, ut liquet tùm ex ipſis locis, tùm ex unanimi Interpretum ſenſu. 2°. Tantùm abeſt ut *inunctiones ſudationeſque* ab Auguſto adhibitæ ad Iatralipticam luis venereæ curationem pertinuerint, quam nemo tantæ antiquitatis eſſe dixerit, ut ne quidem ad curationem ullam medicam, ſed ad diæteticam vivendi normam ſpectaverint. Nempe Imperator Auguſtus cùm per valetudinem naturâ *infirmiorem* non poſſet pro more ætate ſuâ recepto balneis & balneariis delitiis quotidie uti, ut horum vicem ſuppleret, *ungebatur & ſudabat ad flammam*, ac deinde *perfundebatur egelidâ* id eſt ſubtepidâ *aquâ*; quâ de re *Vid.* Lævinum Torrentium in hunc Suetonii locum.

Paginæ 85. artic. 1. & paginæ 506. artic. 2. Hìc non quæritur utrùm mater lue venereâ infecta prolem morbo eodem actu infectam poſſit parere: Nam extra dubium eſt ab infectâ matre partus edi ſquallidos, ſemi-putres, ulceroſos, verè ſyphiliticos, quod ipſi paſſim docemus, præſertim *Pagin.* 321. *art.* 12. & 345. *artic.* 4. Sed quæritur utrùm à parentum alterutro infecto poſſit embryoni virus infundi venereum, quod

totâ quidem pueritiâ tacitum ſileat ſine noxâ, quod deinde verò in adultis ſponte reviviſcat, & ſine novâ ullâ contagione veram & legitimam luem veneream producat, de quo jure dubitatur.

Paginæ 419. *nº. IX.* Methodus conficiendæ aquæ Rabelii, ſeu potiùs methodus edulcandi olei vitrioli addito ſpiritu vini, jam pridem deſcripta fuerat à Petro Mariâ Canepario, Cremenſi, *Libro de Atramentis cujuſcumque generis, Deſcrip. VI. Capp.* 18. & 42.

Paginæ 464. *artic.* 2. Dionyſius Fontanonus, Monſpelienſis, inter Medicos ætatis ſuæ haud incelebris & tùm *Practicâ* ſuâ *Medicâ*, quæ ſæpiùs typis excuſa eſt, tum Bibliographorum fermè omnium teſtimonio notiſſimus, dicitur per errorem in Editione Lugduno-Batavâ Collectionis Aloyſii Luiſini *Dionyſius Fontaninus, Monſpudienſis.* Sanè confiteor mihi non liquere quid cauſæ fuerit cur ab Italicis Editionibus recedere viſum ſit in nomine tùm Auctoris, tùm patriæ illius.

Paginæ 488. *artic.* 3. Reperi nuper fortuitò nec à Liebautio Borgarutium, nec à Borgarutio Liebautium, ſed ab utroque Jacobum Sylvium expilatum fuiſſe ſuppreſſo Sylvii nomine. Hæc enim eadem, quæ ab utroque narrantur *de Nebulonibus ſe Medicos mentientibus & in aſinum ſtrigoſum raptis, ut ex urbe cum ſcommatis educantur*, proſtant verbis totidem in Præfatione Sylvii præmiſsâ *Methodo ſex Librorum Galeni in differentiis & cauſis morborum & ſymptomatum*, quæ Lutetiæ prodiit anno 1539. *in fol.* Sed à Sylvio, ſicut à Liebautio, qui Galli erant, narrantur ea *de Montepeſſulano clariſſimâ & antiquiſſimâ Medicinæ Academiâ, cùm* à Borgarutio, qui Italus erat, dicantur in genere de *quibuſdam optimis civitatibus.*

Paginæ 498. *Capiti de Hieronymo Mercuriali.* Scripſit reapſe Hieronymus Mercurialis Tractatum *de Morbo Gallico*, qui conſtituit Librum IV. *Practicæ Medicæ*, quæ illius nomine prodiit *in fol.* Francofurti ad Mœnum ann. 1602. ſive *Prælectionum Patavinarum*, quæ Venetiis *in fol.* editæ ſunt apud Juntas. ann. 1606.

Conſtat Tractatus ille ſex Capitibus. I. *De definitione & ſubjecto.* II. *De cauſis.* III. *De differentiis & ſignis.* IV. *De curatione.* V. *De antidotis.* VI. *De accidentibus Morbi Gallici.*

Huc autem redit ſumma Doctrinæ, quæ ab Auctore proponitur.

I. *Morbum* (*a*) *novum eſſe noſtro orbi, neque poſſe jure adnumerari inter genera morborum Veteribus cognita.*

(*a*) Cap. 1.

II. Contagione (*b*) ſolùm, & præſertim uſu veneris cum infectis propagari..... *Laudem* (*b*) *eſſe Italorum, ut abundent hoc morbo, quia indulgent veneri & utuntur paſſim mulieribus infectis, ut non mirum ſit eſſe quaſi peculiarem morbum* ſuarum *plagarum.*

(*b*) Cap. 2.

III. » Procul (*c*) dubio futurum eſſe, ut quandoque peſtis hæc prorſus

(*c*) Ibid.

finiatur : Ad hoc exiſtimandum multis conjecturis ſe impelli : Unam « eſſe quia cæteri morbi qui tempore majorum apparuerunt, novi omnes « ſunt tandem penitus extincti : Alteram, quoniam à principio, quo morbus « hic cœpit, uſque ad noſtra tempora valdè imminutus eſt, unde ſi præ- « terita præſentibus comparemus, exiſtimandum eſt in dies eſſe minuen- « dum, ita ut tandem prorsùs aboleatur. »

IV. Antidota (*a*) Morbi Gallici eſſe Lignum ſanctum ſive Guaiacum, Salſam-parigliam & Chinam, quorum decoquendorum & exhibendorum Methodum multis deſcribit. Silet verò de Saſſafras. (*a*) *Cap.* 5.

V. Inter (*b*) efficaciſſima morbi remedia recenſenda eſſe linimenta & ſuffumigia Mercurialia, quorum componendorum & adminiſtrandorum rationem proponit. De interno verò Mercurialium præparatorum uſu ne verbum quidem facit. (*b*) *Cap.* 6.

VI. Quantitatem (*c*) linimenti variam eſſe debere pro varietate ho- « minùm, ſed animadvertendum eſſe ut numquam utamini unâ vice lini- « mento, quod contineat plus duabus drachmis argenti vivi ; quod ſi non « proficiat, poterit augeri argentum : Melius tamen eſſe ſemper augere « quàm detrahere ; hanc enim tutiorem eſſe viam. » (*c*) *Ibid.*

VII. *Numerum* (*d*) *dierum, quibus utimur* linimento, *ipſum etiam incertum eſſe : Alios ungere novem diebus, alios duodecim, alios etiam quindecim, ſed ſemper interpolatè. Inungimus*, pergit ille, *tribus primis diebus, deinde deſiſtimus uno vel altero die ; iterùm inungimus tribus diebus, deinde deſiſtimus unâ vel alterâ die.* (*d*) *Ibid.*

Paginæ 542. *Capiti de Gervaſio Ucay.* Tractatus de Morbo venereo Gervaſii Ucay Toloſæ primùm editus fuit anno 1693. *in* 12. Auctor ſibi in fronte titulum adſcribit Magiſtri Artium liberalium & Doctoris Medici Toloſani.

Paginæ 552. *lin.* 37. Quibus addi velim & ipſum Domnum Auguſtinum Calmet Benedictum è Congregatione Sancti Vitoni & Sancti Hidulfi, qui in Diſſertatione *de Leprâ* Gallicè ſcriptâ, ſuo in Leviticum Commentario præfixâ & Lutetiæ Pariſiorum editâ anno 1708. contendit Lepram, quam cum lue venereâ, quæ nunc graſſatur, eamdem fuiſſe putat, ab inconſpicuis vermiculis cutem depaſcentibus produci, quod multis rationum vel obſervationum momentis conatur confirmare, ſed tamen incaſſùm meo quidem judicio.

INDEX CAPITUM.

LIBER I. De Origine, Propagatione, & Periodis Morborum Venereorum.

CAPUT I. *Luem veneream nec Græcis, nec Romanis olim notam fuisse.* pag. 1
CAPUT II. *Explicantur aliquot Veterum loca, quæ detorqueri solent, ut de lue venereâ intelligantur.* 4
CAPUT III. *Diluuntur argumenta cætera, quæ pro stabiliendâ luis venereæ antiquitate proferuntur.* 9
CAPUT IV. *Luem veneream ab anno* 1494. *ad annum* 1496. *Europæ primùm innotuisse.* 15
CAPUT V. *Expenduntur loca aliquot Medicorum Chirurgorumve anno* 1494. *antiquiorum, quæ allatæ epochæ videntur contradicere.* 20
CAPUT VI. *Explicantur testimonia à Guillelmo Becketto pro luis venereæ antiquitate nuper productæ.* 25
CAPUT VII. *Confutantur argumenta reliqua, quibus nonnulli antiquitati luis venereæ patrocinari conantur.* 33
CAPUT VIII. *Fabulæ de origine luis venereæ referuntur & refelluntur.* 41
CAPUT IX. *Luem veneream in Insulis Antillis à Christophoro Columbo detectis, ac præsertim in Insulâ Hispaniolâ, quæ nunc Insula Sancti Dominici appellatur, endemiam antiquitùs fuisse, & inde in Europam transmissam esse.* 47
CAPUT X. *Luem veneream, quæ ex Hispaniolâ oriunda est, ab Hispanis ad Neapolitanos, ab utrisque ad Gallos, demùm ab his tribus ad cæteros Europæ, imò plerosque Asiæ & Africæ populos quasi ex traduce propagatam fuisse. Reperiri tamen sub Zonâ Torridâ regiones alias, quibus lues eadem vernacula & endemia fuisse videatur.* 52
CAPUT XI. *Conjectura de causis cur in Hispaniolâ, cæterisque Insulis Antillis lues venerea olim familiaris & endemia fuerit.* 59
CAPUT XII. *De periodis, quas lues venerea in Europâ in hunc diem habuit.* 65
CAPUT XIII. *De periodis, quas præsagire licet luem veneream in posterum habituram esse.* 70
CAPUT XIV. *De Legibus olim sancitis in eos, qui lue venereâ laborabant.* 74

LIBER II. De Contagione, Naturâ & Therapeiâ Morborum Venereorum.

CAPUT I. *Quâ ratione lues venerea contrahatur.* 84

CAPUT II. *Quid ſit virus venereum & quale ſit?* pag. 89
CAPUT III. *Quibus viis virus venereum introducatur & quâ normâ æſtimanda ſit ſuſcepti quantitas?* 94
CAPUT IV. *Quâ causâ virus venereum intrò admiſſum multiplicetur, & quænam ſit multiplicationis ratio?* 98
CAPUT V. *Quo pacto virus venereum tam diù aliquando lateat in ſanguine ſine noxâ?* 101
CAPUT VI. *De diverſis methodis therapeuticis, quæ in curandâ lue venereâ à primo morbi ingreſſu in hanc uſque diem adhibitæ ſunt.* 104
CAPUT VII. *De diverſo Mercurii & Mercurialium uſu ad luis venereæ curationem ab ipſo morbi ingreſſu ad hæc uſque tempora.* 118
CAPUT VIII. *Qualis ſit Mercurii & Mercurialium vis & efficacia, & quæ illius efficaciæ cauſa?* 130
CAPUT IX. *De eligendâ facillimâ, tutiſſimâ, efficaciſſimâ medendi Methodo.* 139

LIBER III. De Ætiologiâ, Diagnoſi, Prognoſi & Therapeiâ Morborum Venereorum localium, ſive de Lue venereâ incipiente.

CAPUT I. *De Gonorrhœâ virulentâ.* 151
§. I. *Deſcriptio.* 151
§. II. *Sedes, Differentiæ, Cauſæ.* 152
§. III. *Symptomata.* 158
§. IV. *Diagnoſis & Prognoſis.* 162
§. V. *Curatio.* 167
CAPUT II. *De Empiricis gonorrhœæ curandæ Methodis, ac de commentitiâ ejuſdem prophylaxi.* 174
§. I. *De Empiricis Gonorrhœæ curandæ Methodis.* 174
§. II. *De Commentitiâ Gonorrhœæ Prophylaxi.* 181
CAPUT III. *De duabus aliis gonorrhœæ ſpeciebus, quæ rariùs occurrunt.* 185
§. I. *De gonorrhœâ virulentâ ſiccâ, ſive Dyſuriâ venereâ ſiccâ.* 185
§. II. *De gonorrhœâ ſpuriâ, ſive de venereo ſtillicidio è balano.* 190
CAPUT IV. *De morbis, qui gonorrhœæ virulentæ ſolent ſuccedere.* 192
§. I. *De tumore Teſtium venereo, ſive Herniâ venereâ.* 192
§. II. *De venereo Perinæi abſceſſu.* 196
§. III. *De ſeminis ſtillicidio, ſive de gonorrhœâ, quam habitualem dicunt.* 201
§. IV. *De ſtrangurià contumaci frequentioris gonorrhœæ pediſequâ.* 205
CAPUT V. *De Bubonibus venereis, vulgò* Poulains. 218
§. I. *Definitio, Deſcriptio & Differentiæ.* 218
§. II. *Cauſæ.* 218
§. III. *Symptomata.* 220
§. IV. *Diagnoſis & Prognoſis.* 222
§. V. *Curatio.* 224

CAPUT VI. *De Morbis, qui Buboni malè curato superveniunt.* pag. 230
§. I. *De Bubone fistuloso.* 230
§. II. *De Bubone Skirrhode.* 234
§. III. *De Bubone Carcinomatode.* 237
CAPUT VII. *De Ulcusculis cancrosis sive carie pudendorum, vulgò* Chancres. 242
§. I. *Descriptio & differentiæ.* 242
§. II. *Causæ.* 243
§. III. *Symptomata.* 246
§. IV. *Diagnosis & Prognosis.* 248
§. V. *Curatio.* 250
CAPUT VIII. *De Affectibus variis, qui ab Ulcusculis venereis genitalium dependent, vel iisdem superveniunt.* 254
§. I. *De Tumoribus Præputii & Balani, ubi de Phimosi, Paraphimosi & Crystallinis.* 254
§. II. *De Phymatis & Tuberculis callosis, Chordisve skirrhoidibus Balani & Præputii.* 264
§. III. *De gangrænâ & sphacelo genitalium.* 271
CAPUT IX. *De Porris, Verrucis & Condylomatis genitalium.* 279
§. I. *Descriptio.* 279
§. II. *Causæ.* 279
§. III. *Symptomata.* 281
§. IV. *Diagnosis.* 281
§. V. *Prognosis.* 282
§. VI. *Curatio.* 282
CAPUT X. *De Cristis, Moris, Ficis, Marisci & Rhagadiis Ani.* 284
§. I. *Descriptio.* 284
§. II. *Causæ.* 285
§. III. *Symptomata.* 286
§. IV. *Diagnosis.* 287
§. V. *Prognosis.* 288
§. VI. *Curatio.* 288

LIBER IV. De Ætiologiâ, Diagnosi, Prognosi & Therapeiâ Morbi Venerei universalis, sive de Lue Venereâ confirmatâ.

CAPUT I. *Descriptio Luis venereæ confirmatæ.* 292
CAPUT II. *Causæ Luis venereæ confirmatæ.* 297
CAPUT III. *Symptomata Luis venereæ confirmatæ.* 301
§. I. *Morbi genitalium.* 301
§. II. *Vitia Cutis.* 303
§. III. *Morbi oris & narium.* 305
§. IV. *Dolores venerei.* 306
§. V. *Morbi ossium.* 307
§. VI. *Tumores glanduloſi & limphatici.* 312
§. VII. *Oculorum morbi.* 313

§. VIII.

§. VIII. *Morbi aurium.* pag. 315
§. IX. *De læsionibus functionum.* 316
Animalium. 316
Vitalium. 318
Naturalium. 318
Universalium. 319
Mulieribus propriarum. 320
CAPUT IV. *Diagnosis Luis venereæ confirmatæ.* 321
§. I. *An æger Lue venereâ verè laboret?* 322
§. II. *Quali Lue venereâ æger laboret, & an laboret solâ lue?* 334
CAPUT V. *Prognosis Luis venereæ confirmatæ.* 337
§. I. *Quæ gravior, & quæ gravissima?* 337
§. II. *Quæ curatu facilior, aut difficilior?* 341
CAPUT VI. *De Præparatione ad hydrargyrosim.* 346
§. I. *An præsens ægri status ferendo remedio par sit?* 346
§. II. *Quæ anni tempestas eligenda sit?* 347
§. III. *Qualis præparatio ad hydrargyrosim adhibenda sit?* 348
§. IV. *Quæ sit compositio unguenti mercurialis seu Neapolitani?* 353
CAPUT VII. *De Administratione unguenti seu potiùs linimenti Mercurialis, sive de hydrargyrosi.* 354
§. I. *De hydrargyrosi pleniore.* 354
§. II. *De parciore hydrargyrosi.* 359
CAPUT VIII. *De Infortuniis, quæ in hydrargyrosi pleniore quandoque eveniunt, & de eorumdem remediis.* 363
§. I. *Infortunia primi stadii.* 364
§. II. *Infortunia secundi stadii.* 368
§. III. *Infortunia tertii stadii.* 372
CAPUT IX. *De Infortuniis, quæ in parciore hydrargyrosi interdùm accidunt, & de eorumdem medicinâ.* 375
§. I. *De infortuniis huic methodo cum præcedente communibus.* 375
§. II. *De infortuniis huic methodo quasi propriis.* 378
CAPUT X. *De Affectibus, qui post hydrargyrosim reliqui sunt, sed quibus medicina reperiri potest.* 383
§. I. Quales sunt *Gonorrhœa.* 385
§. II. *Porri venerei.* 387
§. III. *Phimosis & paraphimosis habitualis.* 388
§. IV. *Condylomata & cristæ.* 389
§. V. *Fistula ani, aut fistula lacrymalis.* 390
§. VI. *Dolores Rheumatici & arthritici.* 390
§. VII. *Herpetes & Lichenes.* 391
§. VIII. *Rhagades manuum.* 392
§. IX. *Ulcera contumacia.* 392
§. X. *Caries ossium.* 394
§. XI. *Scorbutus.* 396
§. XII. *Strumæ, sive scrofulæ* 397
CAPUT XI. *De Affectibus penè desperatis, qui post hydrargyrosim aliquando supersunt.* 398
§. I. *Tumores testium.* 398

§. II. *Penis distorsio.* pag. 400
§. III. *Impotentia ad venerem.* 401
§. IV. *Nodi, ganglia, tubercula, gummata.* 402
§. V. *Exostoses.* 402
§. VI. *Dolor osteocopus.* 403
§. VII. *Carcinomata.* 404
§. VIII. *Ulcus uteri.* 405
§. IX. *Paralysis.* 407
§. X. *Tremor artuum.* 408
§. XI. *Alopecia.* 408
§. XII. *Depressio nasi.* 409

CAPUT XII. *Appendix de rarioribus aliquot remediis, quæ ad morbos venereos præclarè faciunt, vel creduntur facere.* 410

I. *Panacea* de la Vigne, *seu potiùs Mercurius præcipitatus ruber, Solaris, & Lunaris.* 411
II. *Præcipitatus Solaris* Gervasii Ucay. 412
III. *Æthiopes Minerales varii.* 412
IV. *Panacea* de la Brune. 413
V. *Modus saturandi præparatis Mercurialibus ptisanam sudorificam.* 414
VI. *Mercurius violaceus diaphoreticus.* 415
VIII. *Solutio Mercurii per deliquium.* 415
VIII. *Medicamina Anti-chœradica* de Rotrou. 416
Tinctura aurifica. 416
Elixirium aurificum. 416
Pulvis liquans. 416
Pilulæ Alexiteriæ, seu potiùs purgantes. 417
Præcedentium remediorum administratio. 418
IX. *Aqua* Rabelii. 419
X. *Tinctura Ambræ griseæ cum aquâ Rabelii.* 419
XI. *Aqua Menthæ Quercetani.* 420
XII. *Lapis medicamentosus* Crollii. 420
XIII. *Pilulæ de Cretâ* Palmarii. 420
XIV. *Pulvis astringens* de Verny. 421
XV. *Balsamum, quod* Chalybis *dicitur.* 421
XVI. *Unguentum ad Strumas.* 421
XVII. *Opiata ad dentes firmandos, ac gingivas detergendas.* 422

LIBER V. Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venereâ scripserunt ab ingressu morbi ad exitum usque seculi decimi sexti, cum brevi plerorumque Operum Analysi & Epicrisi.

SECULUM DECIMUM QUINTUM.

1495.

Marcellus Cumanus. pag. 425

1497.

Nicolaus Leonicenus, Vicentinus. 426

Coradinus Gilinus. pag. 428
Joannes Widman sive *Weidman*, dictus etiam *Salicetus* & *Meichinger.* 429

1498.

Natalis Monteſaurus, Veronenſis. 430
Antonius Scanarolus, Mutinenſis. 431
Simon Piſtor, Lipſienſis. 431
Sebaſtianus Aquilanus. 432
Gaſpar Torella, Valentinus apud Hiſpanos. 432

SECULUM DECIMUM SEXTUM.

1500.

Conradus Schelling, Heidelbergenſis. 437

1501.

Martinus Polichius, Merleſtadius. 437

1503.

Joſephus Grundbeckius. 437
Joannes de Vigo, Genuenſis. 438

1507.

Antonius Benivenius, Florentinus. 439

1514.

Wendelinus Hock de Brackenau. 439

1516.

Jacobus Cataneus de Lacu-Marcino, Genuenſis. 440
Joannes Almenar, Hiſpanus. 441
Collectio Papienſis, ſive omnium prima. 442
Georgius Vella, Brixienſis. 442

1518.

Petrus Maynardus, Veronenſis. 442
Leonardus Schmai, Salisburgenſis. 443

1519.

Ulrichus de Hutten, Germanus. 443

1520.

Joannes Manardus, Ferrarienſis. 445
Benedictus Rinius, Venetus. 447
Joannes le Maire, Belga. 447

1524.

Deſiderius Eraſmus, Roterodamus. 448

1525.

Bartholomæus Sileber. 450

1527.

Jacobus à Bethencourt, Rothomagenſis. 450

1530.

Hieronymus Fracaſtorius, Veronenſis. 451

1532.

Laurentius Friſius vel *Phriſius.* 452

1534.

Joannes Paſchalis, Sueſſanus. 453
Auguſtinus Niphus, dictus *Eutichus Philotheus*, Sueſſanus. 453

1535.

Gundiſalvus Hernandez de Oviedo, Matritenſis. pag. 453
Collectio prima *Veneta*, quæ numero ſecunda. 454

1536.

Nicolaus Poll. 455
Nicolaus Maſſa, Venetus. 455
Petrus Andreas Matthiolus, Senenſis. 456
Collectio Baſileenſis, ſive tertia. 557
Aureolus Philippus Theophraſtus Paracelſus Bombaſt ab Hohenheim. 458

1537.

Joannes Vochs, Colonienſis. 462
Joannes Antonius Roverellus, Bologninus. 462

1538.

Alfonſus Ferrus vel *Ferrius*, Neapolitanus. 462
Thomas Rangonus, dictus *Philologus*, Ravennas. 463

1540.

Joſephus Struthius, Polonus Poſnanienſis. 464
Dionyſius Fontanonus, Profeſſor Monſpeſſulanus. 464
Antonius Gallus, vulgò *le Coq*, Pariſienſis. 464

1541.

Remaclus Fuchſius, Limburgus. 465

1542.

Andreas Veſalius, Bruxellenſis. 465
Bartholomæus Montagnana Junior, Patavinus. 466
Leonardus Fuchſius, Rhætus. 468
Michael Angelus Blondus, Italus. 468

1544.

Aloyſius Lobera, Abulanus. 469

1548.

Hieronymus Cardanus, Mediolanenſis. 470

1550.

Joannes Rodriguez de Caſtello-Bianco, ſive *Albo*, aliàs *Amatus*, Luſitanus. 470
Joannes Baptiſta Montanus, Veronenſis. 471
Bartholomæus Maggius, Bononienſis. 471
Joannes Benedictus, Germanus. 472

1551.

Antonius Muſa Braſſavolus, Ferrarienſis. 473
Benedictus Victorius, Faventinus. 474

1552.

Theodericus de Hery, Pariſinus. 475

1554.

Joannes Langius, Lembergius. 476
Petrus Haſchardus vel *Haſſardus*, Inſulanus *vel* Armenterius Flander. 477

1555.

Nicolaus Macchellus, Mutinenſis 477
Rodericus Diaz de Iſla. 478

1556.

Joannes Fernelius, Ambianus. 478

1557.
Petrus de Bayro, Taurinenſis. pag. 479
Joannes Sylvius, Inſulanus in Flandriâ. 479
1558.
Petrus Laurus, Italus. 479
Franciſcus Frizimelica vel *Frigimelica*, Patavinus. 479
Hieronymus Montuus. 480
1560.
Gabriel Fallopius, Mutinenſis. 480
Guillelmus Rondeletius, Monſpeſſulanus. 482
1562.
Dominicus Leo, Lunenſis. 483
1564.
Antonius Fracantianus, Vicentinus. 483
Antonius Chalmeteus, Vergeſacus apud Anicienſes. 483
Augerius Ferrerius, Toloſas. 484
1565.
Leonardus Botallus, Aſtenſis. 484
Alexander Trajanus Petronius, Cittacaſtellanus. 484
1566.
Petrus Trapolinus, Patavinus. 485
Marinus Brocardus, Venetus. 485
Bernardinus Tomitanus, Patavinus. 486
Michael Joannes Paſchalis, Valentinus Caſtellonenſis. 487
Proſper Borgarutius. 487
1567.
Collectio quarta, ſive *Veneta* ſecunda. 488
1568.
Victor Trincavellius, Venetus. 490
Georgius Dordonus, Placentinus. 490
1570.
Antonius Saporta, Monſpelienſis. 491
Ludovicus de Iſla, Luſitanus. 492
1575.
Andreas Alcaçar vel *Alcazar*, Guadalaxarenſis. 492
Ambroſius Paræus, Lavallenſis. 494
1577.
Laurentius Joubertus, Valentinus apud Delphinates. 495
1578.
Julius Palmarius, Conſtantienſis apud Normannos. 495
1580.
Joannes Schenkius à Graffenberg, Friburgenſis apud Briſgoios. 497
Joannes Crato à Graffiheim, Vratiſlavienſis. 497
1586.
Joannes Zecchius, Bononienſis. 497
1587.
Hieronymus Mercurialis, Forolivienſis. 498
1589.
Lucas Ghinus, Bononienſis. 499

1590.
Hieronymus Capivaccius vel *Capo di Vacca*, Patavinus. pag. 500
1591.
Felicianus Betera, Brixianus. 501
1596.
Petrus Foreſtus, Alcmarianus. 501
Willelmus Clowes, Anglus. 501
Aurelius Minadoüs, Rhodiginus. 502
1597.
Hercules Saxonia, Patavinus. 503
1598.
Franciſcus de Villalobos, Hiſpanus. 505
1599.
Editio altera *Collectionis Venetæ* ſecundæ. 505

LIBER VI. Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venereâ ſcripſerunt ab ineunte ſeculo decimo ſeptimo ad hanc uſque diem, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

SECULUM DECIMUM SEPTIMUM.

1600.
Joannes Saporta, Monſpelienſis. 507
Petrus de Torrez, Darocenſis in Aragoniâ. 508
1601.
Alexander Maſſarias, Vicentinus. 509
1602.
Andreas Laurentius, Arelatenſis. 509
1603.
Joſephus Quercetanus, Armeniacus. 509
1604.
Euſtachius Rudius, Bellunenſis. 510
Fabius Pacius, Vicentinus. 510
1605.
Ludovicus Mercatus, Valliſoletanus. 512
Andreas de Leon, Hiſpanus. 513
Bartholomæus Perdulcis, Helvius *ſeu* Vivarienſis. 513
1610.
Joannes Varandæus, Nemauſenſis. 513
Henningus Arniſæus, Halberſtadienſis. 514
1611.
Tanequinus Guillaumet, Nemauſenſis. 514
1613.
Horatius Guarguantus, Soncinenſis. 515
1616.
Joannes Macollo, Scotus. 515
Eitel Joachimus Kruppelius. 515
1620.
Franciſcus Ranchinus, Monſpelienſis. 515

Daniel Sennertus, Vratiſlavienſis. pag. 517
Victor Manggus, Schattencalenſis. 517
Matthias Untzerus, Hallenſis. 517

1621.

Joannes Colle, Bellunenſis. 518

1623.

David de Planis Campy. 518
Petrus Roſtinius. 519

1624.

Tobias Knoblochius, Marcobrettanus. 519

1629.

Zacutus, Luſitanus Olyſipponenſis. 520

1630.

Joannes Antonides Vander Linden, Enchuſanus. 521
Joannes Hartmannus, Ambergenſis. 521

1641.

Cyprianus Maroxa, Hiſpanus. 522

1644.

Joannes Baptiſta Van-Helmont, Bruxellenſis. 522

1650.

Theodorus Turquetus de Mayerne, Genevenſis. 527

1661.

Antonius Everhardus, Medioburgenſis. 529

1670.

Joannes Winell, Anglus. 529

1672.

Franciſcus de le Boë Sylvius, Hanovienſis. 530

1673.

Eduardus Maynwaringe, Anglus. 531
Nicolaus de Blegny, Pariſinus. 531
Joannes Caſparus Sparr. 533

1676.

Richardus Wiſeman, Anglus. 533
Bernardinus Chriſtinus à Juvellina, Cyrnæus. 533

1677.

Antonius Menjotius, Pariſinus. 534

1679.

Theophilus Bonetus, Genevenſis. 535
Stephanus Blanchardus, Batavus. 535

1680.

Thomas Sydenham, Anglus. 536
Paulus de Sorbait, Hiſpano-Belga. 536

1682.

Joannes Michaut. 537

1684.

David Abercrombyus, Anglus. 538
Carolus Thuillier, Rothomagenſis. 539

1689.

L. . . . le Monnier. 540

1690.

G. B. de Saint Romain. pag. 540

1694.

Martinus Liſter, Eboracenſis. 540

1698.

Carolus Muſitanus, Calaber. 541

1699.

Gervaſius Ucay, Toloſanus. 542
Petrus Garnier, Lugdunenſis. 543

SECULUM DECIMUM OCTAVUM.

1702.

N. . . . Boirel. 544

1710.

Adrianus Helvetius, Batavus. 544

1711.

Joannes Devaux, Pariſinus. 544

1714.

Richardus Boulton, Anglus. 547
Gualterus Harris, Anglus. 547

1716.

Jacobus Vercellonus, Pedemontanus. 548

1717.

Guillelmus Cockburne, Anglus. 549
Gherardus Goris. 550

1722.

N. . . . Bouez de Sigogne. 551

1724.

Rogerus Dibon. 551
Antonius Deidier, Monſpeſſulanus. 552
Antonius Benevolus, Florentinus. 552

1725.

Petrus Violette du Bois. 553
. . . . . *Pointet.* 553

1728.

Editio Lugduno-Batava Collectionis Venetæ ſecundæ. 554
Hermannus Boerhaave, Vianenſis Batavus. 555

1731.

Carolus Barbeirac, Cæſariſtenſis. 558

1732.

Daniel Turner, Anglus. 559

1733.

Petrus Deſault, Burdigalenſis. 560

1734.

Henricus Haguenot, Monſpeſſulanus. 561

1735.

. . . . . *de la Mettrie.* 564

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER PRIMUS.

De Origine, Propagatione & Periodis Morborum Venereorum.

CAPUT PRIMUM.

Luem veneream nec Græcis, nec Romanis olim notam fuisse.

RECTÆ rationi consentaneam esse censemus eorum sententiam, qui luem veneream orbi nostro Deo providente eo fine inductam fuisse existimant, ut tanquam fræno vaga hominum libido coerceretur, vel vindicaretur tanquam flagello. *Neque* enim, quod de re aliâ dicit (*a*) Tullius, *sine magnâ utilitate constitutum esse videtur, ut homines castigationibus affici se in delictis dolerent.* Noluerimus tamen inde concludi hunc morbum, qualis nunc viget, antiquitùs viguisse, quoniam impurissima hominum flagitia vindice pœnâ, quæ coæva esset, semper indiguêre. Pium quidem est Dei consilia, cùm manifesta sunt & certa, suspicere & reverenter adorare; sed nefas est eadem, cùm latent, scrutari curiosiùs, aut, quod pejus est, Dei providentiam arctis rationis nostræ cancellis definire, & infinitam ejusdem sapientiam pro sapientiæ nostræ modulo metiri. Semotâ igitur tam vanâ temeritate, non quid Deus olim facere debuerit, sed quid olim fecerit; non utrùm pravas hominum libidines lue venereâ

(*a*) *Tusculanarum Quæstion. Lib.* 4.

punire quondam debuerit, ſed utrùm quondam punierit inquirere opus eſt.

Luem veneream nec Græcis nec Romanis olim cognitam fuiſſe probatur:

Poſitam ſub eo conſpectu quæſtionem dirimere facile eſt, non conjecturis aut indiciis longè quæſitis, ſed ex hiſtoriarum fide, quâ manifeſtiſſimè liquere arbitramur veneream luem Græcis Romaniſque nec re, nec nomine unquam innotuiſſe, ſed ab utriſque pleniſſimè & perfectiſſimè ignoratam fuiſſe.

Porro tamen haud æquum foret à nobis, qui negantium partes ſuſtinemus, argumenta affirmantia, aut teſtimonia diſerta expeti, quæ nodum apertè reſecent, & veneream luem Veteribus ignotam fuiſſe directè comprobent. Sufficit negantibus rationibus, quas ſolas fert quæſtionis conditio, rem evinci, ut nos præſtituros eſſe confidimus ſequentibus, quæ ſanè potentiſſimæ & omni exceptione majores eſſe videntur.

II. Silentio Medicorum omnium.

Prima petitur à ſilentio Medicorum, qui ab Hippocratis ævo, hoc eſt à primis Medicinæ incunabulis apud Græcos Romanoſque floruêre, & in quorum Scriptis ne verbum quidem legere eſt, quod ad luem veneream poſſit ullâ ratione accommodari. Vix ab ortâ juxta nos in Europâ lue venereâ numerantur anni 240. & abhinc tamen editas novimus ultra 200 Diatribas de morbo venereo datâ operâ ſcriptas; quin imò abhinc vix ullum Opus eſt de Medicina conſcriptum, in quo expreſſa morbi ejuſdem mentio non habeatur. Sanè tam contraria agendi ratio abundè probat veteres Medicos, quorum cæteroquin diligentia comperta eſt in enumerandis ſingulis tumorum ſpeciebus; in diſtinguendis vel leviſſimis oculorum morbis; uno verbo in explicandis morbis omnibus, quos cognovêre, de lue venereâ, affectu ſcilicet ita gravi, ita communi, ita ſingulari tam conſtanter omnes tacere non potuiſſe per annos bis mille, ſi affectus ille ipſorum ætate quondam ſæviiſſet, qualis jam ſævit altero abhinc ſæculo.

II. Silentio Hiſtoricorum veterum.

Altera ducitur ex ſilentio Hiſtoricorum veterum, qui neminem morbo ex venere contracto affectum fuiſſe memorant, licet vaga ſtupra & flagitia plurima Imperatorum, Regum & aliorum paſſim referant. Certè vivitur jam caſtiùs, nec tam effrænatè in venerem effuſa ætas noſtra. Nihilominus tamen conſtat aperto Hiſtoricorum teſtimonio à primo luis venereæ ingreſſu, haud longo ſcilicet temporis intervallo, Principes viros non paucos eo morbo jam laboraſſe, nempe Carolum V. Imperatorem, qui idcirco decocto tum Guaiaci, tum Radicis Chinæ ſæpiùs uſus eſt, teſtibus Andrea Veſalio Medico Cæſareo, *in Epiſtolâ de Radice Chinæ*, Gabriele Fallopio, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 60. Antonio Fracantiano, *Lib. de Morbo Gallico:* Franciſcum I. Gallorum Regem, qui luem ab uxore Mercatoris ferrarii contraxit, unde diu malè habitus ſupremum diem tandem obiit. Mezerai, *Abrégé Chronolog. ad ann.* 1538. Bayle, *Dictionnaire Critique*, in verbo *François I. ad notam D:* Carolum IX. qui carunculâ virgæ ex virulentâ gonorrhœâ ægrotavit, & cathæreticis curationem accepit operâ Gothofredi Giannati, ut liquet ex Actis Monſpelienſis Computorum Cameræ: Vide Lazarum Riverium, *Obſervat. Medicar. Centur.* 2. *Obſervatione* 14: Henricum III. qui dum è Poloniâ in Gallias rediret poſt mortem fratris Caroli IX. à Scorto, quocum Venetiis rem habuit, gonorrhœam virulentam concepit: *Vide Mezerai, Abrégé Chronologique, ad annum* 1574;

Dèmum, ut exempla à cæteris Europæ Nationibus desumpta nunc omittam, Carolum à Lotharingiâ Ducem Meduanensem, famosum Caput Fœderatorum, seu potiùs perduellium adversùs Henricum III. & Henricum IV. qui & ipse morbo eodem infectus fuit. *Mezerai, Abrégé Chronolog. ad ann.* 1589.

Quæ ergo idonea & justa erit veterum Historicorum excusatio, apud quos per bis mille annos nullum prostat exemplum istiusmodi? An neminem inter tot Græcorum Duces, inter tot Romanorum Imperatores, omnes effrænatæ & impurissimæ libidinis, morbo ullo venereo unquam laboravisse credemus, de quo mentionem facere potuerint? Sed tam felix, tam diuturna, tam constans tot hominum incolumitas, qui in periculis venereis sine delectu versabantur, prodigio similis esset. An verò Historicos veteres non ausos fuisse turpes & dedecorosos Ducum aut Imperatorum morbos retegere? Sed profectò qui hæc animo ita concipiunt, antiquos Historicos malè norunt. Tacitus scilicet, qui Imperatorum vitia tam acri stylo perstringit: Suetonius, qui Cæsarum vitas eâdem prorsus licentiâ scribit, quâ vixerunt ipsi: cæterique antiquiores Scriptores, qui maximâ cum libertate quoslibet notant, Principum infamiam & dedecus adulatione pessimâ de industriâ omnes celaverunt? Minimè omnium. Quid restat igitur, nisi ut ex silentio veterum Historicorum concludamus quod ex veterum Medicorum silentio modò collegimus, luem scilicet veneream antiquitus numquam observatam fuisse?

III. Silentio Poëtarum, cæterorumque Scriptorum antiquorum.

Demum *Tertia* desumitur ex silentio Poëtarum veterum, tum Satiricorum, tum Epigrammaticorum, cæterorumque Auctorum, in quorum Operibus locus nullus exstat, qui de lue venereâ possit intelligi. Sanè parem desideramus modestiam in Poëtis, qui ducentis abhinc annis in Galliis nostris floruêre, ut nunc de alienigenis sileamus. Ignorat enim nemo apud Regnerium in Satiris; Marotum, Bayfium, Theophilum, Sigognium, Berthelotum, Sanctum Amandum, Rousselum, &c. in Epigrammatis, aut Poëmatiis; Rabelæsum in Satira, cui *Gesta Gargantuæ & Pantagruelis* titulum fecit, liberiores jocos in luem veneream, aut lue venereâ infectos passim prostare, quos excusatos ipsi noluerimus. Quorsum ergo discrimen tam manifestum veteres inter & recentiores Poëtas, Scriptoresque alios? Putandum forsan Horatium, Juvenalem, Persium, qui tam obscæna sæpè proferunt, qui tot convitia, tot scommata passim congerunt, Regnerio Satirico; aut Catullum & Martialem, qui de rebus venereis tot dicteria dicunt in omnes, Maroto, Bayfio, Theophilo, Sigognio, Bertheloto, Sancto Amando, Rousselo; aut demum Petronium turpissimæ obscænitatis Scriptorem, Rabelæso verecundiores fuisse, vel minùs maledicos? Nequaquam profectò; sed inde colligendum est, ut jam sæpiùs dictum fuit, luem veneream, quæ posteriorum ætate viguit, incognitam fuisse priorum ævo, qui alioquin numquam abstinere potuissent à prurigine multa in libidinosos jocandi, tum de naturâ, tum de causâ morbi quem nequitiis sibi comparavissent.

Ut ergo Lucretius mundi *novitatem & naturam recentem* rectè probat sequenti ratiocinio, *De rerum naturâ, Lib.* 5.

Prætereà si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, semperque æterna fuêre;

Cur ſupera bellum Thebanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinêre Poëtæ?

Sic nobis quoque argumento ſimili, neque minùs firmo novitatem luis venereæ confirmare licet; nempe ſi recens non fuit *genitalis origo* hujus luis, ſi impurus ille morbus antiquitus viguit, ut nunc, cur Medici, Hiſtorici, Poëtæ veteres, qui de levioribus & rarioribus morbis multa habent, immanem illum & communiſſimum affectum quaſi ex compacto omnes ſiluiſſent?

IV. Teſtimonio Medicorum omnium, qui Carolo VIII. ſuppares vixerunt.

Tandem poſſumus in probationem adducere auctoritatem Medicorum omnium, qui ſub ingreſſu luis venereæ vixêre, & quorum unanimi teſtimonio conſtat morbum hunc in Europam primùm inductum fuiſſe exeunte ſæculo decimo quinto; cum nullo alio morbo, qui olim cognitus fuerit, aut antiquitus obſervatus, ullo modo convenire; à Regno Neapolitano, ubi primùm Gallos & Neapolitanos invaſit, in cæteras Europæ oras contagione longè latèque propagatum eſſe; demum à militibus Hiſpanis, qui in Indiis ſub Chriſtophoro Columbo meruerant, malam hanc mercem Neapolim traductam fuiſſe: ſed de his ſingulatim & fusè in ſequentibus.

CAPUT II.

Explicantur aliquot Veterum loca, quæ detorqueri ſolent, ut de lue venereâ intelligantur.

Explicantur loca in novitatem luis venereæ allata ex Veteribus.

QUAMQUAM rationes, quas modò propoſuimus, maximum momentum habere videantur, haud deſunt tamen qui in contrarium pugnent auctoritatibus & argumentis: auctoritatibus quidem, ut oſtendant luem venereamab Antiquis olim cognitam fuiſſe; argumentis verò, ut probent ab iiſdem olim cognoſci debuiſſe. Itaque exigit inſtituti operis ratio, ut utriſque ſatisfaciamus, auctoritatibus iſto, argumentis ſequente capite. Inde ſanè, ubi ſemel manifeſtum fiet, quàm futili fundamento objectiones nitantur, nova neque profectò exigua confirmatio veritati, quam propugnamus, acceſſura eſt.

I. Ex Medicis, nempe ex Hippocrate:

I. Proferunt varia Hippocratis loca, potiſſimùm ex *tertio Epidemiorum, ſect.* 3. quibus putant luem venereamgraphicè deſcribi, cùm ibi varia recenſeantur ſymptomata, quæ in lue venereâ ſolent obſervari, ut fluxiones ad pudenda, exulcerationes, tubercula circa inguina, puſtulæ magnæ, ſerpentia ulcera maligna, ſacer ignis cum valdè parvis ulcuſculis, abſceſſus & ſuppurationes, oſſium & nervorum ex decidentiâ magnæ mutilationes, fluxio collecta puri non ſimilis ſed deterior pure, glabrities capitis & menti cum febre vel ſine febre, abſceſſus circa dentes, &c.

Sed 1°. Videntur qui talia adducunt, cauſam ſuam vel ideo prodere, quòd audeant Hippocratis teſtimonio tam captiosè abuti. Nullum enim locum integrum producunt, qui unâ & continente ſerie legatur, & unde veram Hippocratis mentem liceat eruere: ſed ex diſcerptis, mutiliſque periodis, hinc & illinc membratim collectis centonem conſarcinant, ut

Hippocratem ad ſuam ſententiam poſſint detorquere. Sanè, ſi ea probentur, de Scriptorum auctoritate actum eſt. Quid eſt enim cur de vero eorumdem ſenſu fruſtra contendatur, ſi liceat eiſdem pro lubitu ſenſum quemlibet affingere?

2°. Quòd ſi remotis præjudiciis conſulantur loca ipſa indicata, liquebit inde luce meridianâ clariùs Hippocratem ne ſomniaſſe quidem de lue venereâ, ſed peſtilentiam deſcripſiſſe. Morbi nempe, de quibus loquitur, acuti, epidemici, cum febre conjuncti, & à tempeſtate humidâ & auſtrinâ inducti fuerunt, cùm è contrà lues venerea chronica & ſporadica ſit, ſine febre invadat, & ſolo veneris uſu propagetur. Adde morbos illos curatos fuiſſe vel ſponte, quod lui venereæ non convenit, vel ſaltem methodo, quæ ad luis venereæ curationem planè inefficax eſſet.

3°. Ideo Galenus ipſemet *Commentario* 3. laudata Hippocratis loca intelligit de morbis peſtilentibus, vitio aeris epidemicè graſſantibus, quâ de re conſentientes habuit cæteros fere omnes Interpretes, qui ab illius ævo ſive ante luis venereæ ingreſſum in Europam, ſive poſt eumdem ſcripsêre.

4°. Neque ſcrupulus ullus idcirco reſidere poteſt, quòd ab Hippocrate recenſeantur ſymptomata quædam, ut fluxiones ad pudenda, exulcerationes, tubercula circa inguina, &c. Hæc enim, quamvis primâ fronte luem veneream adumbrare videantur, ad eam tamen nullo modo pertinere evidens eſt, ſi diligentiùs attendantur, ſed deſignari iiſdem vel bubones peſtilentiales, quales ſolent inguina peſte infectorum obſidere, & ſi exulcerentur, depaſci; vel ſaltem abſceſſus aut ulcera in ſphacelum abeuntia, quæ in peſtilentiâ neque nova, neque inaudita tunc erant, cùm jam in peſte illâ Athenienſi, quæ paulò ante contigerat, anno ſecundo belli Peloponeſiaci, morbi vehementia decubuiſſet, teſte Thucydide, *Lib.* 2. in pudenda, ſummas manus, pedeſque extremos, quibus amiſſis & decidentibus, ægrotantium non pauci evaſerunt; quod à Lucretio notatum quoque fuiſſe legimus in peſtis ejuſdem deſcriptione, *Lib. 6. De rerum naturâ.*

Profluvium porro qui tetri ſanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus & artus
Ibat & in partes genitales corporis ipſas,
Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili.

II. Producunt Hiſtoricos quoſdam, quos putant luis venereæ antiquitati ſuffragari. II. Ex Hiſtoricis,

1°. Herodotum, qui *Hiſtoriar. Lib.* 1. *Clio dicto*, refert « Scythas, cùm in Palæſtinam irrupiſſent, Fanum Veneris Uraniæ, quod erat Aſcalone, « depeculatos fuiſſe..... Unde Deam Templi violatoribus, eorumque « poſteris morbum immiſiſſe fœmineum, θήλειαν νοῦσον..... eoque morbo « affectos à Scythis vocari ἐναρέας ſive ἐναγέας. » nempe Herodoto,

2°. Suetonium, qui de Octavio Cæſare Auguſto ſcribit *artic.* 80. *corpore ipſum fuiſſe maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ; ſed & callis quibuſdam ex prurigine corporis, aſſiduoque & vehementi ſtrigilis uſu plurifariam concretis, ad impetiginis formam.* Suetonio;

Tacito, 3°. Tacitum, qui *Annalium lib.* 4. inter alias cauſas ſeceſsûs Tiberii, recenſet non defuiſſe quoque, *qui crederent in ſenectute corporis habitum pudori fuiſſe, quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta.*

Euſebio, 4°. Euſebium Pamphili Cæſarienſem Epiſcopum, qui *Hiſtor. Eccleſiaſtic. lib.* 8. *cap.* 16. memorat Galerium Maximianum abſumptum fuiſſe *abſceſſu difficili & ulcere fiſtuloſo in mediis occultiorum corporis partium locis*, (credo perinæum deſignari) *utroque inſanabili, & intima viſcera depaſcente, cum incredibili vermium multitudine, & fœtore ita lethali ac intolerando, ut Medicorum alii Imperatoris juſſu capite damnati fuerint, quòd odoris gravitatem ſuſtinere non poſſent, alii quòd neſcirent morbo mederi.*

& Palladio. 5°. Demum Palladium, Evagri diſcipulum, æqualem & amicum Rufini, Epiſcopum Helenopolitanum, qui *in Hiſtoriâ Lauſiacâ, Vitâ* 32. narrat *Eronem quemdam cùm gulæ deditus eſſet & ebrietati, incidiſſe in cœnum fœmineæ cupiditatis, & peccaſſe cum mimâ congreſſum, unde divino quodam conſilio enatus eſt ei anthrax in glande, & tempore ſemeſtri uſque adeò ægrotavit, ut ejus virilia membra computruerint & ſuâ ſponte ceciderint; ſed illum, cùm poſtea convaluiſſet, reverſum eſſe ad hoc ut ea ſentiret quæ Dei ſunt, & veniſſe in ſolitudinem hæc omnia confitentem Patribus.*

Ex his autem undique corraſis credunt poſſe evinci *fœmineum morbum Scytharum* apud Herodotum; *maculas, notas & callos Auguſti* apud Suetonium; *ulceroſam faciem Tiberii* apud Tacitum; *ulcus perinæi ſordidum & depaſcens Galerii* apud Euſebium; tandem *anthracem Eronis* apud Palladium, vel ipſam luem veneream fuiſſe, vel præcipua ſaltem luis venereæ ſymptomata, atque adeo morbum illum Veteribus olim notum fuiſſe.

Sed hæc omnia ruinoſo vel potiùs nullo ſtant fundamento: nam 1°. Fruſtra urgetur Herodoti locus, quaſi fœmineus ille Scytharum morbus pro gonorrhœâ venereâ deberet accipi, ſiquidem jam abundè demonſtratum eſt ab Hieronymo Mercuriali, *Variar. Lection. lib.* 3. *cap.* 7. fœmininum hunc morbum, quem ideo putant impunè poſſe aliò detorqueri, quòd de ejuſdem naturâ Herodotus ſileat, ab Hippocrate ita enucleatè expoſitum eſſe, *Lib. de aere, aquis & locis*, ut ignorari non poſſit. *Plurimi Scythæ*, inquit ille, *Eunuchi fiunt, & induti veſtem muliebrem muliebria officia obeunt, inſtarque fœminarum omnia faciunt & loquuntur, vocanturque hi ἀνανδρίαις*, hoc eſt *effœminati. Et regionis quidem incolæ cauſam ad Deum referunt, colunt que hos ipſos homines & adorant, ſibi ipſis timentes ne quid tale accidat.* Cenſebat autem Hippocrates Scythas ad venerem impotentes reddi, ſeu in fœmininum morbum incidere frequenti ſectione venarum ponè aures, quod an ſatis rectè creditum ſit hîc non quæro, cùm ſufficiat annotaſſe fœmininum illum Scytharum morbum à gonorrhœâ venere contractâ toto cœlo diſcrepaſſe. Cæterùm quæcumque de Scytharum more & uſu ab Herodoto & ab Hippocrate traduntur, vigebant hæc eadem ducentis abhinc annis, vigentque etiamnum apud pleroſque Americæ Populos; unde licet colligere Americanos pleroſque communem cum Scythis originem habuiſſe, quâ de re vide Joannem de Laët, *De Origine Gentium Americanarum*: ſed hæc per tranſennam.

2°. Nullâ prorſus ratione aſſequor, unde conjecturæ locus eſſe potuerit

ex laudato Suetonii loco, Augustum lue venereâ infectum fuisse, cùm Suetonius ipse disertissimis verbis referat *maculas notasque*, quibus in *pectore & alvo* insignitus erat, *genitivas fuisse*, nævos scilicet totidem ab utero materno : *callos* verò *plurifariam concretos ad impetiginis formam, assiduo & vehementi strigilis usu* inductos fuisse instar duriorum cicatricum, quæ sanè nedum luem veneream sapiunt, sed eamdem potiùs excludunt.

3°. Neque minùs feliciùsve videntur abuti Taciti verbis, ut inde colligant Tiberium lue venereâ laboravisse. Notum sanè ex Suetonio, *artic.* 68. fuisse Tiberium facie quidem haud inelegante, sed varis sive ionthis deturpatâ, vel ut ipse Suetonius ait, *facie honestâ, in quâ tamen crebri & subtiles tumores.* Haud mirum ergo, si ingravescente ætate & auctâ humorum acrimoniâ, vari in guttam rosaceam abierint, seu in pustulosa tubercula, quæ nisi *medicaminibus interstinguerentur*, in *ulcerosas* pustulas, seu herpetem exulceratum degenerarent, qualis à Tacito describitur. Extat sanè apud Galenum, *Lib.* 5. *De compositione medicamentorum secundùm genera, cap.* 12. unguenti formula ad Herpetas Tiberii Cæsaris olim præscripta, quæ potest & Suetonio, & Tacito fidem facere. Sed ut ad quæstionem revertamur, manifestum est ea, quantacumque supponantur, ad luem veneream nullomodò referri posse.

4°. Quod ad locum Eusebii spectat, faremur ex illo patere Galerium Maximianum mortuum esse ex abscessu & ulcere perinæi sordido, maligno, cacoëthe, fistuloso, imò ut videtur, carcinomatode, quod sensim introrsum penetraverit cum fœtore maximo. Sed quid inde ? Ulcus venereum fuisse ? Minimè ; neque enim ea consecutio adeo temerè admittenda est, cùm abscessus, ulcera & carcinomata citra omnem luis suspicionem, & olim genita sint in pudendis, & etiamnum frequenter gignantur : constat nempe morbos istiusmodi à Veteribus describi, qui tamen luem veneream pleniſſimè ignorabant ; constat quoque morbos eosdem, licet hac nostrâ ætate, quâ lues venerea in Europâ infestos pleroſque habet, soleant à veneno venereo sæpè dependere, interdum tamen produci à causâ simplici, vel in ipsis genitalibus, haud dispari ratione quàm in cæteris corporis partibus.

5°. Idem dicendum est de morbo, quo Ero ille apud Palladium laborasse dicitur, & quem ab ulcere venereo diversum fuisse constat. 1°. Quòd Palladius ipse morbum illum vocet *anthracem*, sive carbunculum, morbi scilicet genus notum & antiquum, cui veretri glans obnoxia esse potest sine ullo contagio venereo, non minùs quàm reliquæ corporis partes, ut liquet testimonio Joannis Gorræi, *Definition. medic. in verbo* Ἄνθραξ. 2°. Quòd videatur Palladius indicare morbum illum, non solis naturæ legibus, sed *divino quodam consilio* obvenisse : id scilicet de anthrace, morbi genere in glande rariore, nec quod venere vulgò contraheretur, poterat piè credi ; at verò nullâ ratione fingi potuisset de ulcere venereo, quod in Scortatoribus frequens & quotidianum olim esse debuisset, ut nunc est, si lues venerea olim grassata fuisset, ut nunc grassatur, & quod proinde à speciali Dei providentiâ arcessere nimis credulum fuisset. 3°. Quòd Palladius referat Eronem illum *post semestre spatium convaluisse* : ea quidem optimè quadrant in anthracem, cujus therapeia olim

cognita & efficax erat; neutiquam verò in ulcus venereum, quod crediderit nemo curari potuiſſe, viruſque venereum admiſſum extirpari, eo tempore, quo nec Guaiaci nec Mercurii uſus notus eſſet.

III. Ex Poëtis, nempe Horatio, III. Denique conantur in partes trahere veteres nonnullos Poëtas, quos volunt ad luem veneream alluſiſſe.

1°. Horatium, qui *Lib.* 1. *Od.* 37. temeraria Cleopatræ conſilia adversùs Romam deſcribens, ſic ait:

Dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & Imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum.

2°. Horatium eumdem, à quo *Lib.* 2. *Satirâ* 5. dum narrat

Sarmenti ſcurræ pugnam Meſſique Cicirri,

quorum poſteriori

Fœda cicatrix
Setoſam lævi frontem turpaverat oris,

dicitur inter alias ſcurriles inficetias Sarmentus.

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus.

Juvenale, 3°. Juvenalem, qui *Satirâ* 2. ſic in vanum probitatis ſimulatorem invehitur:

Caſtigas turpia, cùm ſis
Inter Socraticos notiſſima foſſa Cinædos:
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum, ſed podice lævi
Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

& Martiale, 4°. Denique Martialem, qui paſſim in ficos & ficoſos jocatur; ſed præſertim *Lib.* 1. *Epigramm.* 66. ubi ſic irridet Cæcilianum quemdam.

Cùm dixi ficos, rides quaſi barbara verba,
Et dici ficus, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Hinc ſibi videntur poſſe colligere apud Horatium tum *morbo quo turpes erant Cleopatræ aſſeclæ*, tum *campano morbo*; apud Juvenalem *mariſcis*; demum apud Martialem *ficis* ipſiſſimam luem veneream, vel præcipua luis venereæ ſymptomata debere intelligi.

Sed 1°. Fruſtra torquent priorem Horatii locum, quaſi luem veneream intellexiſſet ille eo *morbo*, quo Cleopatræ *gregem contaminatum*, & quo *turpes* fuiſſe ait ejuſdem aſſeclas. Egregia ſanè conjectatio, quæ luem videat non in Scortatoribus, non in viris, ſed in eviratis & Eunuchis: de Eunuchis enim ibi quæſtio eſt, ut fidem facit locus ſimilis, imò ejuſdem argumenti, *Epod.* 9. ubi *Romanis militibus* probro vertitur *rugoſis Cleopatræ Spadonibus ſervire.* Allatis itaque verſibus Poëta falsè irridet vanos Reginæ dementis furores, quæ *ruinas Capitolio & Imperio funus* pararet, & quæ tanta facinora moliretur *cum grege contaminato*, hoc eſt impuro, virorum *morbo turpium*, hoc eſt virorum morboſorum, ſeu caſtratione mutilorum & Eunuchorum, quales in Aulis Regum frequentes erant in Oriente, quales

quales in comitatu Cleopatræ plurimos fuiſſe certum eſt, *Epod.* 9. ſed qui apud Romanos inviſi ſemper fuêre, & eâ præſertim ætate. Certè nobiſcum facit Commentatorum turba. Demus tamen morbum illum, quo Cleopatræ aſſeclæ turpes erant, non vitium corporis virilium exciſione illatum, ſed morbum fuiſſe propriè dictum; quid inde? An ideo continuò futurum eſt ut morbus ille lues venerea fuerit? Logi ac meræ nugæ. Quaſi verò Cleopatræ Eunuchi obnoxii non fuerint morbis omnibus, quibus cæteri homines ſubjacent; morbis plurimis ſpurciſſimiſque, qui à mutilatione proveniunt; morbis denique non paucis atque turpiſſimis, qui generari ſolent muliebri patientiâ, Spadonibus olim nimis familiari, qui, teſte Gregorio Nazianzeno *in Epitaphio Baſilii Magni, inter mulieres viri, inter viros mulieres erant.*

2°. Similiter quantumvis vexent poſteriorem locum Horatii, numquam efficient, ut duo verba, quæ de morbo campano per ridiculum dicuntur, quorum ſignificatio potuit forſan olim nota eſſe, ſed quæ nunc obſcura, incerta, ambigua ſunt, & tantò quidem magis, quòd nuſquam alibi legantur, antiquitatem luis venereæ evincant, in quam pugnant tot evidentia rationum argumenta. Deſudent, ut lubuerit, Grammatici in eruendo loci ſenſu: credant alii cum Dionyſio Lambino morbum nimis ab Horatio exprobrari nimis familiarem Campanis, qui habiti ſunt e impuro atque inceſto: putent alii cum Lævino Torrentio morbum corporis deſignari in Campaniâ communem, quem lichenem Græci, impetiginem Latini dicebant; ea parum ipſe curo, modò liceat cum doctiſſimo Dacerio concludere meras eſſe ineptias, ſi locus ille de lue venereâ intelligatur.

3°. Multò minùs anceps eſt ſenſus loci, quem è Juvenale laudant, ſed eapropter tantò certior in adverſarios. Liquet enim vel oſcitanti non ideo à Juvenale Medicum ſubridentem induci, dum tumidæ mariſcæ cæduntur, quòd luem veneream inde argueret, de quâ ne γρὺ quidem, ſed quòd probè intelligeret mariſcas ægro muliebri patientiâ obortas eſſe, ut ipſa *podicis lævitas* ſatis indicabat. Quocirca Poëta non dedecoroſum morbum, ut illi putant, ſed turpiſſimos mores & improbiſſimæ nequitiæ plenos carmine perſtringit.

4°. Nec alio ſenſu accipienda ſunt Martialis dicteria in ficoſos, quos paſſim inſectatur tanquam pathicos & muliebria pati ſolitos. Hinc ergo profectò concludendum eſt melioribus auctoritatibus omnino deſtitui, qui opinionem tam caſſis conantur ſtatuminare.

CAPUT III.

Diluuntur argumenta cætera, quæ pro ſtabiliendâ luis venereæ antiquitate proferuntur.

Primò. Contendunt luem veneream ab Elephantiaſi Græcorum, ſeu Leprâ Arabum nullatenus differre, & ſub elephantiaſeos aut lepræ nomine olim notam fuiſſe, adeoque hunc morbum in orbe noſtro non re- Argumentum primum. Luem

veneream cum elephantiasi Græcorum seu leprâ Arabum eamdem esse.

novum esse, cùm jam dudum vulgatissimus fuerit, sed solo nomine, cùm nunc lue venereâ infecti dicantur, qui quondam leprosi aut elephantiaci nuncupabantur. Existimant autem huic opinioni suffragari cessationem lepræ, quæ in Europâ sub ingressum luis venereæ visa est evanescere; unde putant posse colligere lepram jam ignorari, quia cum lue venereâ confunditur, sicut antè lues venerea ignorabatur, quia confundebatur cum leprâ.

Refellitur.

Sed hæc, quamquam Achillea videantur, mox concidunt, si attendatur.

I. Luem veneream, etsi diceremus cum leprâ Arabum & elephantiasi Græcorum eamdem esse, ut illi contendunt, inde tantò magis vel hoc ipso nomine in Europâ novam censendam esse, cùm certum sit ex Historicorum & Medicorum fide lepram ipsammet morbum esse (*a*) Syriæ & Ægypto endemium, & in Europâ nostrâ novum & alienigenam, in quâ bis invaluerit; semel quidem ante Christum natum, (*b*) advectus scilicet ab exercitu Pompeii Magni, cùm post subactas Syriam & Ægyptum in Italiam regrederetur, sed qui tunc brevi cessavit; iterùm verò sæculo à Christo nato duodecimo, tempore Expeditionum quæ Religionis causâ suscipiebantur, vulgò *Croisades*, ut Terra sancta à Mahummedanorum tyrannide liberaretur; quâ de re pleni sunt Historicorum recentiorum Libri.

(*a*) Lucret. *De rerum naturâ*, *Lib.* 6. Galenus, *Lib. ad Glauconem* 2. *cap.* 12.

(*b*) Plinius, *Histor. Natur. Lib.* 26. *cap.* 1.

II. Reverâ tamen temerè nunc objici ab hodiernis Medicis, quibus lepram videre numquam contigit, luem veneream cum leprâ eamdem esse, quandoquidem unanimi Medicorum testimonio, qui sub ingressum luis venereæ vixêre, & quibus lepra notissima tunc fuit, constat è contrario lepram à lue venereâ penitus discrepasse, ut collatis utriusque morbi signis & symptomatis evidenter olim probavêre, Coradinus Gilinus, *in Opusculo de Morbo Gallico*, anno 1497. Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, *Lib. de Epidemiâ, quam Itali morbum Gallicum vocant*, anno 1497. Gaspar Torella, Medicus Alexandri VI. & dein Episcopus Sanctæ Justæ in Sardiniâ, *Consilio* 5. anno 1500. Jacobus Cataneus de Lacu Marcino, Genuensis, *Tractat. de Morbo Gallico*, anno 1516. Petrus Maynardus, Veronensis, *Tractat.* 1. *de Morbo Gallico*, anno 1518. Joannes Manardus, Ferrariensis, *Epistol.* 2. *de Morbo Gallico*, anno 1533. Aloysius Lobera, Abulanus, Medicus Cæsareus, *in Lib. de quatuor aulicis Ægritudinibus* Hispanicè scripto, anno 1534. Petrus Andræas Matthiolus, Senensis, *in Opuscul. de Morbo Gallico*, anno 1536. Joannes-Baptista Montanus, Veronensis, *Tract. de Morbo Gallico*, anno 1550. Antonius Musa Brassavolus, Ferrariensis, *in Lib. de Morbo Gallico*, anno 1552. Gabriel Fallopius, Mutinensis, *Tract. de Morbo Gallico, cap.* 3. anno 1560. &c.

III. Quòd si oculatorum tot testium auctoritate dubitatio non tollatur omnis, quamquam leprosi nunc rarò obvii sint, quos cum infectis lue venereâ liceat conferre, posse tamen à quovis facilè colligi luem veneream à leprâ plurimùm differre, si signa lepræ omnia, quæ ab Avicennâ, *Lib.* 4. *Fen.* 3. *Tract.* 3. *cap.* 2. à Gordonio, *Philon. particul.* 1. *cap.* 22. à Guidone de Cauliaco, *Magnæ Chirurg. Tract.* 6. *Doctrin.* 1. *cap.* 2. & à plerisque antiquioribus Auctoribus passim recensentur & quæ omnia à Conrado Gesnero *in Examine leprosorum* accuratissimè collecta sunt, cum notis luis

venereæ ſymptomatis comparentur : inde enim patebit ambos affectus in paucis & accidentalibus ſignis convenire ; in multis & eſſentialibus apertiſſimè differre.

Sic exempli gratiâ, juxta Guidonem de Cauliaco, *loco laudato*, ſunt ſex univoca lepræ ſigna, nempè « *Oculorum & aurium rotunditas ; Depilatio,* « *& groſſities ſeu tuberoſitas ſuperciliorum ; Dilatatio & tortura narium ab extra,* « *cum interiori ſtrictura ; Labiorum fœtiditas, vox rauca ac ſi cum naribus* « *loqueretur ; Fœtor anhelitûs & totius perſonæ ; Aſpectus fixus & horribilis ad* « *modum Satyri.* Æquivoca verò ſunt ſexdecim : Primum, durities & tubero- « roſitas carnis, ſpecialiter juncturarum & extremorum ; Secundum, color « morpheatus & tenebroſus ; Tertium, caſus capillorum & renaſcitio ſub- « tilium ; Quartum, conſumptio muſculorum, præcipuè pollicis ; Quintum, « inſenſibilitas & ſtupor, atque crampa extremorum ; Sextum, ſcabies & « impetigines, gutta roſa & ulcerationes in corpore ; Septimum, grana « ſub linguâ, ſub palpebris & retro aures ; Octavum, ardores & punctura « acuum, in corpore ſenſibilitas ; Nonum, cutis eorum ad aërem ad modum « anſeris diſplumatæ criſpitudo ; Decimum, quando projicitur aqua ſuper « ipſos, videntur unctuoſi ; Undecimum, rarò febricitant ; Duodecimum, « ſunt aſtuti & doloſi, furioſi, & nimis ſe ingerere volunt ſuper populum ; « Decimum tertium, habent ſomnia ponderoſa & gravia ; Decimum quar- « tum, habent pulſum debilem ; Decimum quintum, habent nigrum ſan- « guinem, plumbeum & tenebroſum, cinerulentum, arenoſum & throm- « boſum ; Decimum ſextum, habent urinas lividas, albas, ſubtiles & ci- « neroſas. »

Inter hæc reperies quidem varias cutis affectiones, quarum proximè ſimiles in Syphiliticis aliquando obſervantur ; ſed reperies numquam gonorrhœas, ulcuſcula balani, inguinum bubones, exoſtoſes, hyperoſtoſes, &c. quæ in lue venereâ, ſi non eſſentialia, ſaltem frequentiſſima ſunt ; reperies numquam genitales partes præ cæteris malè habitas fuiſſe in leproſis, quod tamen in lue venereâ perpetuum eſt ; ſicut viciſſim nec reperies quoque in Syphiliticis ſtuporem illum aut ſenſûs amiſſionem in extremis, quæ elephantiacorum propria eſt, & unde venit in conſuetudinem proverbii, ut in eos qui ſenſum rerum non habent, objiciatur *ipſos non magis ſentire quàm leproſos.*

IV. Elephantiaſim, luemque veneream, non naturâ modò, ſed etiam causâ & therapeiâ inter ſe diſcrepaviſſe. Illam ſine contagio ullo, ſed ſolo diætæ errore plerumque contractam fuiſſe Medici omnes priſci uno ore teſtati ſunt ; hanc contrà diætæ vitio numquam produci conſtat, ſed ſolâ contagione propagari. Illam Medici omnes, ſi confirmata eſſet, incurabilem eſſe ſtatuerunt ; hanc contrà etiam confirmatam curari poſſe certum eſt. Illam adhibitis mercurialibus exaſperari & ingraveſcere, curari verò minimè experientiâ compertum fuit ; hanc contrà mercurialium uſu ſemper mitigari, ac ſi legitima fuerit mercurii adminiſtratio, radicitus extirpari certo certius eſt, quæ ſanè abundè arguunt cauſam, naturam, indolem planè diſſimilem.

V. Proinde minimè mirum videri, ſi antiquiores illi Medici, qui morbi venerei primordia viderunt, etſi probè noſſent remedia omnia,

quæ leprosis conducebant, & quæ in Libris Medicorum Græcorum, Arabumve obvia erant, ita tamen ignoraverint, ut ipsi confitentur, curatoriam methodum, quæ morbo de novo ingruenti competeret, ut quò se verterent diu nescii & ancipites nova auxilia atque pharmaca investigare necessum habuerint, à remediis lepræ planè diversa: quâ de re consule Gasparem Torellam, *Tract. de Dolore in Pudendagrâ*, anno 1500. Wendelinum Hock de Brackenaw, *Oper. de Morb. Gallic. cap.* 1. anno 1514. Ulrichum de Hutten, *Tract. de Morb. Gallic. curatione per administrat. lign. Guaiaci*, anno 1519. Joannem de Vigo, Genuensem, *Practic. Chirurg. Lib.* 5. *cap.* 1. anno 1513. Laurentium Phrisium, *Opusc. de Morbo Gallico*, *cap.* 1. anno 1532. Gonsalvum Fernandez de Oviedo, *Lib.* 11. *Histor. natural. & general. Indiarum Occidentalium*, Hispanicè scriptæ, *cap.* 14. anno 1535. Gabrielem Fallopium, *Tractat. de Morbo Gallico*, *cap.* 20. anno 1560.

VI. Inde itaque patere, cur leprosi tanto studio abstinuerint ab usu cum iis, qui lue venereâ inficiebantur, teste Laurentio Phrisio, *loco suprà citato*, ubi refert *ingruisse tum miram tumultuationem in plebe, quòd leprosi nolebant habitare cum hoc morbo* (venereo) *infectis*. Unde colligitur leprosos pro persuasissimo habuisse novam hanc affectionem à leprâ, quâ ipsi jam ægrotabant, omnino differre, atque adeo posse se, si cum illis contubernio uterentur, novo morbo contaminari. Et sanè ideo Syphiliticos, cùm Decretis Senatûs Parisiensis in ipsis luis venereæ primordiis à sanorum commercio arcebantur, visum fuit ad ædes ære multo conductas ablegare, non verò ad elephantiacorum nosocomia, vulgò *Maladeries & Leproseries*, quæ tamen multa præsto aderant, scilicet ne leprosis infectione coinquinatis morbus morbo adderetur; quâ de re plura infrà *cap.* 13.

VII. Demum nullo fundamento affirmari lepram in Europâ sub ipsum luis venereæ ingressum derepente evanuisse, ut inde liceat concludere lepram cum lue venereâ seu Gallicâ nomen tunc temporis commutasse. Siquidem contrarium liquet ex certissimis Medicorum monumentis, quæ testantur toto sæculo decimo sexto lepram in Europâ frequentem fuisse. Fatemur quidem jam ab ipso sæculo decimo quinto lepram debiliùs sæviisse, & mitigatâ sensim ferociâ ita extenuatam fuisse per sæculum sextum decimum, ut tandem penitus evanuisse videatur initio præteriti sæculi. Sed quid tum? Id nempe commune habuit cum morbis plurimis in Europâ nostrâ adventitiis, qui ibidem sensim hebescunt & languent, dum cessent. Sic priùs lepra ipsamet jam cessaverat in Italiâ tempore Pompeii Magni, teste Plinio, *Histor. natural. Lib.* 26. *cap.* 1. & quidem citiùs, quia tunc paucior fuerat numerus infectorum. Sic (*a*) restinctus est morbus ille, quem Gemursam appellavêre Prisci, inter digitos pedum nascens, obliterato etiam nomine. Sic ignis ille sacer sancti Antonii, sive ardentium morbus, qui olim nono & decimo sæculo tantâ strage in Galliis grassatus est; sic sudatoria febris, quæ Angliam toties vastavit, jam pridem evanuêre. Sic luem veneream ipsam tandem aliquando cessatum ire confidimus, nec inani forsan conjecturâ, ut probabitur infrà.

(*a*) Plin. *ibid.*

Cæterùm quibus de causis affectiones novæ nunc irrepant, nunc verò desinant, difficilis est & perobscura quæstio, quam pro modulo explicandam aggressi sumus, in Tractatu Gallicè scripto, *De l'Origine des Mala-*

dies Epidemiques, & principalement de l'origine de la Peſte, où l'on explique les cauſes de la propagation & de la ceſſation de cette maladie, quem adeat, qui plura volet; hæc enim non ſunt hujus loci.

Secundò. Objiciunt luem venereamſponte oriri ex venere vulgivagâ & pandemiâ, quoties ſcilicet mulier etiam ſana cum plurimis viris, qui ipſi quoque ſani ſint, promiſcuè concumbit. Inde nempe ſemina diverſa miſceri in utero, ibi pro innatâ partium heterogeneitate, loci calore & uligine fermentari, putreſcere, corrumpi & in viroſum liquamen converti, contagii venerei haud diſſimile; imò verò cum contagio venereo planè idem; unde inferunt luem venereamnon antiquam modò, ſed mundo fere coævam eſſe, cùm à mundo ferè condito homines vagis libidinibus ſemper dediti fuerint, cùm fœminæ plurimæ tentigine vulvæ quaſi œſtro percitæ plurium virorum amplexibus ſe proſtituerint, ſaltem cùm numquam defecerint ſcorta diobolaria, Argumentum alterum. Luem venereamſponte oriri ex venere vulgivagâ.

Quæ perminxerunt Calones atque Caballi. Horat. *Sermon. Lib.* 1. *Satira* 2.

Sed vaniſſima eſt hæc arguendi ratio. 1°. Id ſibi aſſumunt confidentiſſimè luem venereamnatam olim eſſe, & quotidie naſci ac pullulare purâ etiam venere, ſi vaga ſit, hoc eſt ſi plures viri ſani cum eâdem muliere etiam ſanâ corpora miſceant, quaſi ſcilicet experimento certo id didiciſſent, quaſi quotidiano uſu compertum haberent. At hæc nec ullâ ſtant auctoritate idoneâ, nec ullâ experientiâ unquam confirmata fuêre. Ruit ergo concluſio de antiquitate luis venereæ, quæ tam infirmo fundamento tota nititur, & abit in merum ſophiſma, quod Logici dicunt *à petitione principii*, ſeu *ignoratione elenchi.* Refellitur.

2°. Multò potiore jure nobis licet inverſo propoſitionum ordine concluſionem directè contrariam elicere. Fuêre nempe olim fœminæ impuriſſimæ libidinis, quæ licet plurium virorum concubitus pertulerint, laſſari quidem, ſed ſatiari non potuerunt; fuêre lupanaria plurima, ubi mercenariæ ſtipis ancillæ obviis quibuſcumque ſui copiam facerent. Numquam tamen legimus venereamluem olim obſervatam fuiſſe. Ergo colligendum eſt venereamluem vulgivagâ venere, modò pura fuerit, numquam generari, ac proinde fœminam, quæ bene valeat, morbo alio quocunque placuerit; lue verò venereâ numquam poſſe affici, quamquam virorum plurimorum concubitui ſeſe permittat frequentiſſimè, modò ipſi quoque valeant.

3°. Fovit olim Aurelius Minadoüis, Rhodiginus, opinionem primâ facie ab eâ quam refellimus haud abſimilem, *in Tractatu de virulentiâ venereâ*, Venetiis edito anno 1596. ubi tradit *cap.* 29. hanc virulentiam ex fœdiſſimis impuriſſimarum meretricum uteris primùm erupiſſe, commixtis ibi & putreſcentibus ſeminibus diverſis. *Nam*, inquit ille, *ſicut unus cibus ſano ventriculo ſanitatis eſt cauſa, varietas verò ciborum ventriculum premit, & acores ac nidores excrementaque peſſima congerit, ita ſemen unum utero familiare & ſanum eſt, & fœcunditatem promovet; contrà multitudo & varietas ſeminum unicum uterum ita afficit, ut prava, imò peſſima excrementa ſui corruptione producat.*

At verò cùm ille probè intelligeret vagas libidines antiquitus ſemper viguiſſe, attamen luem venereamnumquam obſervatam fuiſſe ante annum

1494. ſententiam ſuam non de quibuſvis mulieribus accipiendam eſſe ipſe monuit, ſed *de Indicis ſolùm, quæ mediantibus cœlo, aëre, aquis & locis illis ex peculiari victûs formâ, & actionum ſuarum ſordidâ atque impurâ manerie, contrahunt, vel rectiùs ſibi adgenerant hoc venenum, quod deinde ad nos delatum eſt tempore Columbi, & mediantibus exercitibus Hiſpanis & Gallis per contagium ſerpſit:* quæ, ut liquet, non in nos, ſed nobiſcum faciunt.

Argumentum tertium, Ductum à morbo canibus familiari.

Tertiò. Tandem opponunt exemplum morbi in canibus frequentis: nempe familiare eſt canibus, cùm ad ſenium vergunt, potiſſimùm in calidioribus Provinciis, & æſtivo tempore, ſcabie fœdâ & quæ herpeti miliari congener eſt, affici, quâ non modò cutis eroditur & exaſperatur, ſed etiam pilorum defluvium ſive alopecia infertur. Solet plerumque unà conjungi multiplex ulcuſculorum progerminatio in genitalibus cum manifeſto tumore, qui phimoſim in maribus refert. Jam autem volunt hunc morbum, qui canibus ſemper infeſtus fuit, à lue venereâ, quæ homines inficit, non differre; quod tantò potiore jure videntur ſibi poſſe aſſumere, quòd mercurialis unguenti illitu pari ſucceſſu curetur ac ipſa lues venerea; unde colligunt luem veneream in hominibus æquè antiquam eſſe ac memoratum affectum in canibus, adeoque utrumque morbum utrique animalium generi coævum.

Refellitur.

Sed hæc omnia meræ ſunt argutiæ, cùm liquidò conſtet ſcabiem hanc caninam cum lue venereâ nullomodò convenire.

Nam 1°. Scabies illa canibus ſponte accidit ex naturali vitio, quo eorum ſanguis ex ſe acrior inquinatur, ſine ullo contagio extrinſecùs inducto, ſaltem ſine prævià cum aliis canibus copulatione, ut non ſemel obſervavi.

2°. Scabies illa copulatione non traducitur; alioquin jam univerſum genus caninum tali labe inquinatum foret, cùm canes ita vagâ utantur venere, ut debeant morbos quoſcumque patiuntur citò invicem communicare, ſi eâ ratione cum cæteris communicari poſſint.

3°. Scabies illa ſponte plerumque ceſſat ſine remediis ſolâ tempeſtatis aut nutritionis mutatione, ut experientiâ compertum eſt; quæ ſingulæ abunde demonſtrant hanc canum ſcabiem à lue venereâ hominum abſolutè diſparem eſſe.

4°. Demum neque in contrarium quidquam poteſt argui vel ex eruptione ulcerum in genitalibus canum ſcabidorum, cùm experientiâ notum ſit, ne in hominibus quidem pudendorum ulcera perpetuò virulenta & venerea eſſe; vel ex curatione morbi illitu mercurialis unguenti, cùm certo certius ſit mercurium mederi plurimis affectibus à lue venereâ planè diverſis, & ſcabiei præſertim contumaciſſimæ, ad quam curandam mercurium adhibere quotidianum eſt.

CAPUT IV.

Luem veneream ab anno 1494. *ad annum* 1496. *Europæ primùm innotuiſſe.*

CAROLUS octavus Francorum Rex arma movit in Italiam menſe Auguſto anni 1494. & feliciter peragratis Inſubriâ, Etruriâ, Statuque Eccleſiaſtico, invaſit menſe Februario anni inſequentis Regnum Neapolitanum, quod hæreditario jure ſibi vindicabat. Inde digreſſus ſub finem menſis Maii, & pugnâ ſuperatis ad Forum novum menſe Julio hoſtilibus Venetorum copiis, in Gallias glorioſè rediit menſe Octobri anni 1495. Gilbertus Dux Montiſpenſerii, è ſtirpe regiâ, qui cum præſidio 6000 militum relictus fuerat, Regnum ſub ditione retinere conatus eſt, quandiu vixit; ſed tandem Galli poſt illius obitum in partes diſtracti, Neapolitanorum perfidiâ proditi, & Arragonenſium copiis, quæ à Siciliâ transfretaverant, pulſi, Regno decedere coacti ſunt ad finem anni 1496.

Carolus VIII. Francorum Rex Regnum Neapolitanum armis invaſit ann. 1494.

Hac epochâ luem veneream Europæ primùm innotuiſſe conſtans fama eſt, nec inani ſanè fundamento, cùm hac de re conſentientes habeamus Scriptores Medicos omnes, qui in Italiâ eo tempore vixerunt & de primis morbi natalibus ſcripſerunt. Igitur ut difficilis & agitata diu quæſtio certo & æquo judicio tandem dirimatur, ſatis eſt ſi potiſſima illorum teſtimonia nudè congeramus ex Chronologiæ ordine, ut inde manifeſtè liqueat, 1°. Luem veneream eo tempore in Italiâ primùm apparuiſſe, unde in cæteras Europæ regiones brevi diſſeminata ſit. 2°. Morbum hunc ab antiquis quibuſcumque morbis diſparem, à nemine tunc cognitum fuiſſe. 3°. Imò contrà Medicos morbi novitate perculſos, & remediorum, quæ in ſimilibus affectibus uſui eſſe ſolebant, inefficaciam expertos, quò ſe verterent planè neſciviſſe, & tam diræ luis curationem Circulatoribus & Empiricis aliquandiu permiſiſſe.

Quo tempore lues venerea in Europâ primùm innotuit.

I. Coradinus Gilinus, Artium & Medicinæ Doctor, *in Opuſculo de Morbo Gallico*, quod ad Sigiſmundum Ducem Eſtenſem, Herculis I. Ducis Ferrarienſis filium ſcribebat, ſic præfatur: « Cùm anno elapſo 1496. « morbus quidam ſæviſſimus mortales quamplurimos invaſerit tam in Ita- « liâ, quàm etiam ultra montes, hunc Itali morbum Gallicum appellant, « eum Gallos in Italiam apportaſſe aſſerentes: Galli verò Italicum ſeu « Neapolitanum morbum nominant, eo quòd in Italiâ, & maximè Nea- « poli ſe hac truculentâ peſte affectos eſſe dicant; vel quia iſte morbus « tempore tranſitûs Gallorum citra montes in Italiâ viſus eſt. Et quia hic « morbus apud Modernos INCOGNITUS eſt, variæque de eo diſceptationes « inter Phyſicos (Medicos) habitæ fuerunt & habentur, decrevi aliquid de « eo pro exiguis ingenioli mei viribus ſcribere, quàm breviſſimè potero. «

Teſtibus Coradino Gilino. 1497.

II. Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, Profeſſor Medicus Ferrarienſis, celeber Medicinæ Græcæ inſtaurator, in Libello *De Morbo Gallico*, quem ad Joannem Franciſcum Mirandulenſem Concordiæ Comitem, ſcripſit anno 1497. probat ſtatim *novos Italiæ adveniſſe morbos prioribus ſæculis*

Nicolao Leoniceno. 1497.

Ignoratos, exemplo Lichenum, *quos ante Claudii Principatum incognitos* » *fuiſſe teſtatur Plinius, Hiſtoriæ naturalis Lib.* 26. Inde verò ſic pergit: » Simile quoddam hoc noſtro ævo accidit, jam enim INSOLITÆ naturæ » morbus Italiam & multas alias regiones invaſit.... Huic tamen morbo » nondum noſtri temporis Medici verum nomen impoſuêre, ſed vulgato » nomine morbum Gallicum vocant, quaſi ejus contagio à Gallis in Ita- » liam importato, aut eodem tempore & morbo ipſo & Gallorum armis » Italiâ infeſtatâ.... Ego.... cogor exiſtimare (neque mihi poteſt in » captum mentis aliter pervenire) natam hanc repente luem noſtram ita » infeciſſe ætatem, ut NULLAM ſuperiorem.

Gaſpare Torellâ. 1500.

III. Gaſpar Torella, Valentinus apud Hiſpanos, Alexandri VI. ſummi Pontificis, Cæſariſque Borgiæ ejuſdem filii olim Medicus, tunc verò ab annis decem Epiſcopus Sanctæ Juſtæ in Sardiniâ, ſic loquebatur in Tractatu *De Dolore in Pudendagrâ*, ſcripto anno 1500. « Gallis manu forti Ita- » liam ingredientibus, & maximè Regno Parthenopæo occupato, & ibi » commorantibus, hic morbus detectus fuit. Idcirco ab Italis morbus Gal- » licus cognominatus fuit, arbitrantibus ipſum Gallis connaturalem eſſe. » In Galliâ verò, quia in reverſione Regis Caroli cum ſuis in Galliam hic » morbus apparere incepit, credentes Galli ſe eum ex Neapoli apportaſſe, » hanc ob cauſam morbum Neapolitanum vocarunt.... Et cùm noſtris » temporibus talis monſtruoſa ægritudo à NULLO fuerit viſa, idcirco à » nullo quantumcumque perito, experto, & ſenio confecto canonicè & » rectè curari poterat. Addiderunt medius fidius calcaria equo ſponte » currenti rudes, pertinaces, illiterati, & ut ita loquar vulgus, qui totis » viribus conabantur publicè prædicare & aſſerere ſcientiam Medicinæ » eſſe vanam ſeu imperfectam, eo quia huic ægritudini nullus opitulaba- » tur.... Et non ſine causâ hoc divulgabant eo quia litterati ab hac curâ » fugiebant, in hoc morbo ſe nihil ſcire confidendo, quare aromatarii, » herbarum collectores, cæterique mechanici ac vagabundi & impoſtores » his temporibus hujus morbi veros & perfectè curatores ſe ipſos eſſe » profitentur.

Joanne de Vigo. 1503.

IV. Joannes de Vigo, Genuenſis, ſeu potiùs *Rapalligena*, in ditione Genuenſi, Chirurgus Julii II. ſummi Pontificis, in *Practicâ Chirurgicâ*, quam *copioſam* dixit, & cui ſcribendæ incubuit ab anno 1503. ad annum uſque 1513. ſic ait *Lib.* 5. *cap.* 1. « Anno 1494. de menſe Decembris, quo » anno Sereniſſimus ille Carolus Francorum Rex, magnâ comitante ca- » tervâ, versùs Italiæ partes iter accepit, ad Regnum Neapolitanum re- » cuperandum, apparuit utique eodem anno quoddam morbi genus quaſi » per totam Italiam INCOGNITÆ naturæ, quem variis & diverſis no- » minibus diverſæ Nationes appellarunt.... Pro ejus curatione operæ » pretium fuit nova auxilia & pharmaca indagare: & in rei veritate ſi » quid ſalutis inventum fuerit in iſto morbo, fuit potiùs ex novis experi- » mentis, quàm ex antiquis auxiliis ratione & auctoritate multotiens in » eorum ſcripturis approbatis.

Antonio Benivenio. 1507.

V. Antonius Benivenius, Florentinus, in *Libro de abditis rerum Cauſis*, Florentiæ excuſo anno 1507. hæc habet de ortu luis venereæ: « NOVUM » morbi genus anno ſalutis nonageſimo ſexto ſupra mille quadringentos à

Chriſtianâ

Christianâ salute, non solùm Italiam, sed ferè totam Europam irrepsit. « Hoc ab Hispaniâ incipiens, per Italiam ipsam primùm, tum Galliam, « cæterasque Europæ Provincias latè diffusum mortales quamplurimos « occupavit. »

VI. Wendelinus Hock de Brackenaw, Artium & Medicinæ in Gymnasio Bononiensi Professor, in Opere *De Morbo Gallico, cap.* 1. hæc habet: « Sic etiam in Medicina contingit, quòd per admirationem alicujus ægritudinis nobis ignotæ pervenire possumus ad cognitionem ipsius. Sicut « evenit hoc tempore, scilicet ab anno Domini 1494. usque ad præsentem « annum 1514. quo morbus quidam contagiosus, qui Gallicus appellatur, « satis efferbuit. . . . De hoc morbo, aut de causâ ejus efficiente, formali, « ac materiali NEC Antiqui, NEC Moderni certam cognitionem dede- « runt, nec de nomine & quidditate ejus aliquid veridicè dixerunt aut « scripserunt. . . . Et non sine causâ etiam litterati (sicut istis temporibus « à Doctoribus sæpè videmus) ab hoc crudeli morbo fugiunt, se nihil « scire confidendo. Quare aromatarii, herbarum collectores, cæterique « mechanici, ac vagabundi, & trufatores (ut ita loquar) hujus morbi « veros & perfectos curatores seipsos esse profitentur. » Wendelino Hock de Brackenaw. 1514.

VII. Jacobus Cataneus de Lacu Marcino, Genuensis, in Tractatu *De Morbo Gallico*, circa annum 1516. conscripto, *cap.* 1. sic narrat luis venereæ ingressum. « Anno virginei partûs 1494. invadente Carolo octavo Francorum Rege Regnum Parthenopæum, Alexandro verò sexto eâ « tempestate summum Pontificatum gerente, exortus est in Italiâ monstruo- « sus morbus, NULLIS antè sæculis visus, totoque in orbe terrarum « INCOGNITUS. » Jacobo Cataneo de Lacu Marcino. 1516.

VIII. Petrus Maynardus, Veronensis, Tractatus duos de Morbo Gallico conscripsit circa annum 1518. in quorum priore, *cap.* 1. sic ait: « Hoc nostro tempore detectus quidam morbus epidemialis sive fatalis. . . . Apud homines Gallicus appellatur, quoniam de eo NULLA est memoria, « nisi ex quo Carolus Francorum Rex cum suo exercitu in Italiam se con- « tulit, anno scilicet virginei partûs 1496. » Petro Maynardo. 1518.

IX. Ulrichus de Hutten, Eques Germanus, cùm lue venereâ infectus, & vulgarem sui temporis curationem undecies intra novem annos incassum expertus, tandem usu ligni Guaiaci perfectæ sanitati restitutus esset circa annum 1519. eruditum Tractatum *De Morbi Gallici Curatione per administrationem ligni Guaiaci* conscripsit hoc eodem anno ad Albertum Brandeburgensem, S. R. E. Cardinalem, Moguntinum & Magdeburgensem Archiepiscopum & Electorem, in quo sequentia legere est *cap.* 1. « Visum Deo est & nostrâ ætate morbos oriri Majoribus, ut existimare licet, INCOGNITOS. Annus fuit à Christo nato post millesimum & « quadringentesimum nonagesimus tertius aut circà, cùm irrepsit pesti- « ferum malum, non in Galliâ quidem, sed apud Neapolim primùm: « Nomen verò inde sortitum est, quòd in Gallorum exercitu, qui illîc « Caroli Regis sui auspiciis belligerabat, apparuit priùs quàm usquam « alibi. . . . Medici fugiebant ejus porrò aspectum, nedum contactu absti- « nebant, ut morbi prætereà nullius. . . . . (Et *cap.* 2.) Hoc præcipuè in « morbo quantùm nostrâ ætate laboret Medicina compertum est, silebant « Ulricho de Hutten. 1519.

» ab ejus ortu totum in Germaniâ biennium Medici . . . . Demum *cap.* » 4. In hac Medicorum conſternatione, his erroribus ingeſſerunt ſe » Chirurgici manum admolientes.

Laurentio Phriſio. 1532.

X. Laurentius Phriſius, Germanus, in Opuſculo *De Morbo Gallico*, quod Baſileæ editum fuit anno 1532. ſic ait *cap.* 1. « Anno Chriſti Salva- » toris noſtri 1496. efferbuit quidam morbus atrociſſimus, irruens in ho- » mines ſævo morſu ulcerum, glandularum & duriſſimorum dolorum, » adeo notabili cruciatu, quòd ſinguli videntes obſtupuêre: nam INCOG- » NITUS & INVISUS erat iſte peſtifer morbus non tantùm vulgo, » verùm etiam Doctis & in ſacrâ Medicinâ eruditis. . . . . Pauperes hoc » malo laborantes expellebantur ab hominum converſatione tanquam pu- » rulentum cadaver, derelicti à Medicis, (qui ſe nolebant intromittere » in curam tàm ſpeculando & conſulendo, quàm viſitando.) Habitabant » in arvis & ſylvis. Quùm igitur homines in tantum diſcederent ab illis » miſeris, attamen Sublimis & Glorioſus nolens derelinquere illos, quos » ſuo pretioſo ſanguine dirâque morte redemit, miſit ex Galliâ & Nea- » poli nonnullos Empiricos vel Medicos, qui potiùs temerariâ audaciâ, » quàm induſtriâ cœperunt curare homines hoc malo laborantes.

Petro Andræa Matthiolo. 1536.

XI. Petrus Andræas Matthiolus, Senenſis, in Opuſculo ſive Dialogo *De Morbo Gallico*, circa annum 1536. conſcripto, aſſerit diſertis verbis, » Deum memoriâ patrum, ut ineffrænatam mortalium luxuriam debitis » afficeret pœnis, aut propoſitis contineret ſuppliciis, morbo, qui Gallicus » vocatur, Italiam bellorum procellis concuſſam confeciſſe, qui poſteà » contagione vulgatus eſt. . . . . *Et paulò infrà:* Hoc unum ſcias, *inquit*, » ante Caroli Francorum Regis adventum, nec morbum NOVISSE Ita- » liam, nec nomen AUDIVISSE.

Alphonſo Ferrio. 1539.

XII. Alphonſus Ferrius, Neapolitanus, Artium & Medicinæ Doctor, Medicus Pauli III. ſummi Pontificis, in Tractatu *De Morbo Gallico, & ligni ſancti naturâ, uſuque multiplici*, Pariſiis edito anno 1539. ſic diſſerit *Lib.* 3. *cap.* 1. « De morbo, quem Gallicum appellant, NEMINEM ex » antiquis Scriptoribus aliquid in ſpecie atomâ ſcripſiſſe comperio. In ge- » nere verò nonnullos ex Veteribus recentiores autumant aliquid attigiſſe » conjecturâ quâdam, non quòd res ita ſe habeat. . . . . Sed crucient ſe » juniores quantumlibet in interpretandâ nominis ſignificatione, ac verbi » vim, quatenus pro eis facit, interpretentur, NEMO tamen ſpeciale » Capitulum de ejus morbi genere editum demonſtrabit.

Hieronymo Fracaſtorio. 1549.

XIII. Hieronymus Fracaſtorius, Veronenſis, *Lib.* 2. *De Morbis contagioſis*, *cap.* 1. typis excuſo Venetiis anno 1549. hæc proponit de Syphilide: « NOVUM & diu orbe noſtro INCOGNITUM morbum inter » alia miranda noſtra tempeſtas vidit, qui Europam ferè omnem, Aſiæ » verò atque Africæ partem non parvam occupavit: in Italiâ verò ferè iis » temporibus erupit, quibus Galli ſub Rege Carolo Regnum Neapolita- » num occupavêre, annos circiter decem ante 1500.

Antonio Muſa Braſſavolo. 1553.

XIV. Antonius Muſa Braſſavolus, Ferrarienſis, initio *Libri De Morbo Gallico*, qui Venetiis excuſus fuit anno 1553. enarratâ vulgari Hiſtoriâ de ortu luis venereæ, cùm Carolus octavus Francorum Rex Regnum Neapo- litanum armis invaderet anno 1495. in hæc demum verba concludit:

Rei verò ſumma eſt luem hanc TUNC cœpiſſe, cùm Galli Italiam in- « feſtarunt, & Carolus octavus Francorum Rex Neapolim ſub ditionem « poſuit. »

XV. Joannes Sylvius, Inſulenſis apud Belgas, in Tractatu *De Morbo Gallico*, quem ab ipſo conſcriptum eſſe conſtat anno 1556. confutatis variis opinionibus, fatetur « Saniorem ipſi videri eorum ſententiam, « qui anno abhinc ſexageſimo ſecundo *(hoc eſt anno* 1494. *)* quo tem- « pore Carolus octavus Gallorum Rex, cognomine Gibboſus, Neapolim « oppugnaturus in Italiam exercitum introduxit, hunc morbum ſuppul- « lulaſſe arbitrati ſunt. « Joanne Sylvio. 1556.

XVI. Gabriel Fallopius, Mutinenſis, in Tractatu *De Morbo Gallico*, quem conſcribebat circa annum 1560. prolatis in *primo capite* exemplis variis morborum, qui orbi noſtro de novo incubuêre, ſic inde pergit, « Noviſſimum eſt, quod præ manibus habemus, & morbum Gallicum « ſeu Gallicam ſcabiem appellamus..... Nec dubitandum eſt ſi novus « ſit necne, quoniam temporibus noſtrorum patrum NONDUM reper- « tus, NONDUM auditus, tunc temporis elephantia graſſabatur..... « Hæc ſcabies invaſit nos anno 94. ſupra 1400. cùm Carolus Impera- « tor ſummæ auctoritatis atque ingenii ardentiſſimi, (Imperatorem « voco exercitûs Ducem) cùm gliſceret animus ejus in bellum convoca- « to eo anno maximo exercitu invaſit Italiam, & ſub ejus imperio ſub- « acto Mediolanenſi Ducatu, Hetruriâ totâ, & cedentibus Rebuſpublicis « Florentinis, &c. Romam invaſit; inde Neapolim, de jure hæreditario « ſibi putans competere, cum exercitu maximo octuaginta mille militum « aggredi tentavit. Tunc temporis apparuit hic morbus. » Gabriele Fallopio. 1560.

Sed quid opus eſt in re manifeſtâ plura cumulare teſtimonia? Poterunt, ſi lubeat, conſuli Leonardus Schmai, Salisburgenſis, *Tract. De Morbo Gallico*, *cap.* 1. Nicolaus Maſſa, Venetus, *Lib. De Morbo Gallico*, *Tract.* 1. *cap.* 1. Antonius Gallus, *Oper. de ligno ſancto non permiſcendo*, *cap.* 1. Aloyſius Lobera, Abulanus, Medicus Caroli V. Imperatoris, *Lib. De quatuor aulicis ægritudinibus.* Joannes-Baptiſta Montanus, Veronenſis, *Tractat. De Morbo Gallico*, *cap.* 1. Leonardus Fuchſius, Germanus, *in Appendice ad Lib.* 5. *De curandi ratione.* Proſperus Borgarutius, Patavinus, *Method. De Morbo Gallico*, *cap.* 1. Nicolaus Macchellus, Mutinenſis, initio *Tractatûs De Morbo Gallico.* Alexander Trajanus Petronius, *De Morbo Gallico*, *Lib.* 1. *cap.* 1. Demum Guillelmus Rondeletius, in Scholâ Monſpelienſi Profeſſor regius & Cancellarius, initio *Lib. De Morbo Italico*, qui ab ineunte ſæculo decimo ſexto ad annum 1566. ſcripſêre omnes, ac omnes uno ore referunt luem veneream & NOVUM in Europâ morbum eſſe, & cùm apparuit deſinente decimo quinto ſæculo coætaneis Medicis planè IGNOTUM fuiſſe. Aliiſque numero multis.

CAPUT V.

Expenduntur loca aliquot Medicorum Chirurgorumve anno 1494. *antiquiorum, quæ allatæ epochæ videntur contradicere.*

CUM loca omnia, quotquot ex variis Auctoribus corradi ſolent, ut probetur luem veneream datâ epochâ antiquiorem eſſe, ſimillima vel potiùs planè eadem ſint, ea ſimul colligere viſum eſt, ut in reſpondendo tautologiæ tædium effugeremus. Inde ſanè nullus dabitur adverſariis querendi locus, cùm ſi quid auctoritates illæ valeant, inde tantò magis valituræ ſint luce mutuò collatâ.

Harumce auctoritatum aliæ quidem dudum notæ ſunt, & apud Scriptores pleroſque, qui luis venereæ antiquitati favent, paſſim obviæ; aliæ verò novæ & à Guillelmo Becketto, Chirurgo Londinenſi, qui nuperrimus eſt ejuſdem opinionis propugnator, recèns objectæ. Ideo ne quid dolo malo confudiſſe vel omiſiſſe videremur, placuit auctoritates illas utriuſque generis ſeparatim, articulatim, diſtinctè proponere, propoſitaſque diluere: priores iſto, poſteriores verò ſequente capite.

Opponuntur loca varia ex variis Auctoribus excerpta, qui ante annum 1494. vixerunt.

Multi ſunt Scriptores, quos in luis venereæ novitatem militare vulgò objicitur.

Guillelmo de Saliceto. 1270.

I. Guillelmus de Saliceto, Placentinus Medicus, *Chirurgiæ Lib.* 1. *cap.* 42. *De Apoſtemate in inguinibus. Hæc ægritudo*, inquit, *vocatur bubo vel dragoncelli inguinis, vel apoſtema inguinis, & ut plurimùm fit ex materiâ frigidâ, quæ ab hepate expellitur ad loca illa, quæ debilia, vacua; & aliquando ex materiâ calidâ; & aliquando cùm accidit homini in virgâ corruptio propter concubitum cum fœdâ muliere, aut ob aliam cauſam. Itaque corruptio multiplicatur & retinetur in virgâ, unde non poteſt natura mundificare virgam aut locum, primò propter multam plicaturam partium illarum & propter ſtrictam viam illius loci, unde redit & regurgitat materia ad locum inguinum propter habilitatem loci illius ad recipiendum ſuperfluitatem quamlibet, & propter affinitatem quam habent hæc loca ad virgam.*

Idem agit ibidem *cap.* 48. *De Puſtulis albis vel rubeis, & de milio, & de ſciſſuris & de corruptionibus vel hujuſmodi, quæ fiunt in virgâ vel circa præputium propter coitum cum fœtidâ muliere, aut cum meretrice, aut ab aliâ causâ.*

Lanfranco. 1290.

II. Lanfrancus Mediolanenſis, Medicinæ Doctor, *Practicæ ſeu Artis completæ Chirurgiæ Tract.* 3. *Doctrin.* 2. *cap.* 11. ait *ſæpè provenire apoſtema in inguine propter ulcera virgæ & pedum, propterea quòd locus eſt deſcenſus humorum ad illa loca, & tunc non eſt ita timendum, propterea quòd venire tunc poteſt ſine multâ corporis plenitudine, & abſque eo quod decurſus humorum maximè ibi fiat*; Ibidem *Tractat.* 3. *Doctrin.* 3. *cap.* 11. *De ficu & cancro & ulcere in virgâ virili. Ficus*, inquit idem, *eſt quædam excreſcentia, quæ naſcitur ſupra præputium virgæ, & aliquando ſuper caput, quæ quidem aliquando eſt mollis, ut de phlegmaticâ generata materiâ, aliquando dura, ut de melancholicâ, quæ ſi corrumpatur tranſit in cancrum. Cancer*

ſit in virgâ, ſicut in aliis diximus fieri membris : ulcera veniunt ex puſtulis calidis virgæ ſupervenientibus, quæ poſteà crepantur ; vel ex acutis humoribus locum ulcerantibus ; vel ex commiſſione cum fœdâ muliere, quæ cum ægro talem habente morbum de novo coierat.

III. Bernardus Gordonius, in Univerſitate Monſpelienſi Medicinæ Profeſſor, *Lilii Medicinæ Particul. 7. cap. 5. De Paſſionibus virgæ. Paſſiones virgæ*, inquit, *ſunt multæ, ſicut ſunt apoſtemata, ulcerationes, cancri, inflatio, dolor, pruritus. Cauſæ ſunt exteriores aut interiores. Exteriores, ſicut caſus, percuſſio, & jacere cum muliere cujus matrix eſt immunda, plena ſanie, aut virulenta, aut ventoſitate & ſimilibus corruptis. Si autem cauſa fuerit intrinſeca, tunc ſunt ſicut humores corrupti & mali deſcendentes ad virgam & ad partes inferiores, inducentes prædictas paſſiones.* Bernardo Gordonio. 1300.

IV. Joannes de Gaddeſden, Chirurgus Anglicus, *in Rosâ Anglicâ cap. De curâ ulcerum virgæ. Ulcera*, inquit, *virgæ virilis contingunt vel ex coitu cum juvenculâ, vel ex coitu cum menſtruatâ, vel ex retentione urinæ & ſpermatis.* Joanne de Gaddeſden. 1310.

V. Guido de Cauliaco, Gabalitanus, Chirurgiæ & Medicinæ Doctor in Univerſitate Monſpelienſi, *in Chirurgiâ magnâ Tract. 6. Doctrin. 2. cap. 7. §. 9.* diſſerit *de Calefactione & fœtiditate in virgâ propter decubitum cum muliere fœtidâ.* Guidone de Cauliaco. 1360.

VI. Valeſcus de Tarantâ, Profeſſor Monſpeſſulanus, *Philonii Lib. 6. cap. 6. De ulceribus & puſtulis virgæ. Cauſæ*, inquit, *poſſunt eſſe primitivæ aut antecedentes aut conjunctæ. Primitivæ, ut eſt vulnus, vel attritio, vel coitus cum fœtidâ, vel immundâ, vel cancroſâ muliere ; alia cauſa poteſt eſſe portaſſe femoralia nigra, fœtida & immunda ; alia cauſa poteſt eſſe materia ſpermatica vel corrupta retenta inter caput virgæ & præputium, vel mali humores ibidem retenti, qui ibi retenti & non evacuati corrumpunt locum quem tangunt, vel ulcerant.* Et ibidem in fine, *Puſtulæ virgæ fiunt, ſi quis coeat cum fœminâ habente ulcus in matrice, quæ contagioſitate ſuâ inficit virgam & in eâ facit ulcus.* Valeſco de Tarantâ. 1400.

VII. Demùm Petrus de Argelatâ, Bononienſis, Artium & Medicinæ Doctor, *Chirurgiæ Lib. 2. Tract. 30. cap. 3. De puſtulis, quæ adveniunt virgæ propter converſationem cum fœdâ muliere, quæ albæ ſunt vel rubeæ. Ex materiâ venenosâ*, inquit, *quæ retinetur inter præputium & pellem virgæ cauſantur iſtæ puſtulæ tales per hunc modum, quoniam ex retentione illius materiæ, quæ remanet inter pellem & præputium ex actione viri cum fœdâ muliere, quæ non reſpirat, putrefit : deinde ille locus denigratur & mortificatur ſubſtantia virgæ, quæ reſtaurationem non recipit, niſi corruptione illâ remotâ, & loco abſterſo.* Deinde propoſitis ad eas puſtulas lotionibus detergentibus, ſtypticis, erodentibus, &c. ſic ille pergit. *Unum recordor vobis quòd antequam iſta balnea dicta* (lotiones) *ex vino illo ſtyptico fiant, fiat purgatio : aliter illis bubo ſuperveniret in inguine, quoniam materia quæ venit ad locum illum retrò-pellitur à balneo iſto* (ſeu potiùs lotione) *& inveniens concavitatem inguinis illic moram facit ; quare bubo generatur & ad exituram pluries deveniet. Quare purgationem univerſalem facias ; & imperiti Medici ſperantes indiſcretè vel incautelâ non faciunt purgationem, quare duplici modo lucrantur, quoniam de virgâ & bubone. Iterum viri tales debentes materiam ve-* Petro de Argelatâ. 1470.

nientem ad locum reſolvere, quærunt illam ſaniane (ſaniare) *ut aliquid lucretur, & hoc non debet fieri à diſcreto viro & magiſtro.*

Sed ea loca non debent accipi de ulcuſculis aut bubonibus venereis.

Sed qui ea loca ex variis Auctoribus rudioris ætatis tam ſtudiosè conquiſita objiciunt, & de venereis penis ulcuſculis & inguinum bubonibus exiſtimant eſſe intelligenda, næ inde arguunt ſe in eorumdem Auctorum lectione & doctrinâ planè hoſpites eſſe, cùm certum ſit Auctores illos de venereis ulcuſculis ſive bubonibus, qualia nunc obſervantur, ne ſomniaſſe quidem laudatis locis, ſed de bubonibus & ulcuſculis à causâ ſimplici oriundis, qualia olim obſervari potuêre, loqui, ut liquet multis, copioſis, variiſque rationibus.

Ut multis probatur.

1°. Quòd ea virgæ ulcera, iique bubones inguinum tam paucis deſcribantur, ut inde nullâ ratione veriſimile ſit laudata loca de ulcuſculis aut de bubonibus venereis accipi poſſe, quæ ſanè non potuiſſent tam perfunctoriè exponi à Medicis, quos in deſcribendis cæteris affectibus multò levioribus diligentes, imò verboſos fuiſſe notum eſt.

2°. Quòd antiquiores illi Medici, ſi bubones aut ulcera, quæ deſcribunt, luis venereæ incipientis vel confirmatæ ſymptomata fuiſſent, ex notis morbi ſignis debuiſſent in morbi notitiam deduci, atque adeo de lue venereâ, à quâ dependerent, fusè & ex profeſſo differere, ut ferebat quæſtionis dignitas ac manifeſta utilitas, de quâ tamen ne verbum quidem unum proſtat in illorum Operibus.

3°. Quòd ea penis ulcera non tantùm veneris uſui cum fœdâ muliere adſcribantur, ſed etiam cauſis aliis, ut à Lanfranco, *puſtulis calidis virgæ, vel acutis humoribus ulcerantibus*; ut à Gordonio, *caſui vel percuſſioni*; ut à Gaddeſden, *coitui cum juvenculâ aut menſtruatâ, vel retentioni ſeminis & urinæ*; demum ut à Valeſco de Tarantâ, *vulneri, attritioni, ſpurcitiei & ſqualori femoralium, materiæ acriori ſub præputio collectæ, pravis humoribus ulcerantibus*, &c. Unde ſequitur venerea ea nequaquam fuiſſe, quippe quæ niſi ab impuro cum infectâ concubitu numquam producantur.

4°. Quòd pari quoque ratione bubo dicatur produci, non modò ab ulceribus virgæ, quod cum bubone venereo quadrare videretur, dato ſemel hæc ulcera venerea fuiſſe, ſed etiam *à materiâ frigidâ aut calidâ, quæ ab hepate expellatur*, juxta Guillelmum de Saliceto; aut *ab ulcere pedum*, juxta Lanfrancum, quod buboni tantùm ſimplici convenire poteſt, atque adeo omnem amovet luis venereæ ſuſpicionem.

5°. Quòd ad curationem ulcerum præſcribantur tantùm ab Auctoribus laudatis ablutio balani cum oxycrato, unguentum album camphoratum, aliaque hujuſcemodi, aut ad ſummum collyrium vulgato collyrio Lanfranci planè congener, ſine ullo medicaminum internorum uſu; unde manifeſtum fit de ulcuſculis venereis minimè agi, quæ ſanè tam facilè ſanari non poſſunt.

6°. Denique quòd ſimiliter propoſita bubonum illorum therapeia tota ſit in procurandâ maturatione, apertione, deterſione tumoris, neglecto penitus remediorum internorum apparatu; quod evidenter demonſtrat mentionem non eſſe de bubone venereo, quem tam facili methodo radicitus non curari notiſſimum eſt.

Sed de ul-

Ex his ſequitur 1°. Ea virgæ ulcera, quorum à laudatis Auctoribus ha-

betur mentio, videri cutaneas tantùm aut ſuperficiarias glandis aut præputii excoriationes fuiſſe, quales ſæpiſſimè ſolent accidere ex levi & multiplici causâ, & quæ vulgò *Calefactiones* appellantur, ut ipſe Guido de Cauliaco eaſdem vocat.

cuſculis, bubonibuſve à cauſis ordinariis & à venereo ſeminio alienis: ut multa apertiſſimè demonſtrant.

2°. Ad ſummum qualiacunque fuerint, ſaltem causâ venereâ genita non fuiſſe, ſed aliâ quâvis causâ communi; neque enim negaverit quiſquam ulcera penis ſine lue venereâ produci unquam poſſe, cùm non experientiâ modò, ſed ipſo etiam laudatorum Medicorum teſtimonio contrarium comprobetur; ſiquidem Guillelmus de Saliceto, Lanfrancus, Bernardus de Gordonio, Joannes de Gaddeſden, Valeſcus de Tarantâ præter concubitum cum fœdâ muliere, aſſignant ipſi alias cauſas ulcerum & puſtularum virgæ à concubitu omninò diverſas.

3°. Idcirco nomine fœtidæ mulieris, cujus commercio prædicti Auctores ulcera virgæ contrahi dicunt, non debere intelligi mulierem lue venereâ infectam, de quo morbo ne quidem in ſomnis illi cogitabant, ſed *mulierem, cujus matrix eſſet immunda, plena ſanie, & virulenta*, ut ait Gordonius, hoc eſt cujus uterus ſemine nimio antè admiſſo & morâ corrupto fœteret, vel fluore muliebri acriore aut ulcere inquinaretur; vel mulierem, *quæ de novo coiviſſet cum homine talem habente morbum*, ut Lanfrancus dicit, hoc eſt cum homine cujus penis ulceribus exederetur; vel *mulierem menſtruatam*, ut loquitur Gaddeſden; vel demum *mulierem cancroſam*, ut loquitur Valeſcus de Tarantâ, hoc eſt in cujus utero carcinoma lateret; vel ut idem ait, *fœminam habentem ulcus in matrice, quæ contagioſitate ſuâ inficiat virgam & in eâ faciat ulcus.* Cæterùm minimè mirum eſt à prædictis Auctoribus obſervari ulcera & puſtulas in pene interdum enaſci ex copulatione cum muliere, cui menſtrua virulenta fluant, aut quæ fluore albo acriore, vel ulcere cancrove uteri laboret, quandoquidem ſimilis obſervatio neque nunc rara eſt in praxi, ſine ullâ tamen luis venereæ ſuſpicione.

4°. Imò probabile eſſe nomine *fœtidæ* mulieris ab Auctoribus illis deſignari quandoque mulierem leproſam, quarum magnus erat ipſorum ætate numerus & nota impuriſſima libido. Id ſanè ſuadere videretur auctoritas Medicorum Arabum, qui referunt non uno loco ulcera in pene ſuboriri conſueviſſe ex copulatione cum muliere, quæ leprâ infecta eſſet; quod à Joanne de Gaddeſden Chirurgo Anglo olim notari quoque meminimus, in *Rosâ ſuâ Medicinæ, ſeu Rosâ Anglicâ*, capite *De concubitu cum muliere leprosâ.* Porrò tamen minimè putandum eſt ſimilibus exemplis poſſe fidem elevari eorum, quæ ſuprà dicta ſunt *capite tertio* de diſcrimine, quod inter lepram & luem veneream intercedit; cùm ſi hoc unum ſymptoma excipiatur, quod tamen in utroque affectu nullatenus idem eſt, ex cæteris omnibus quæ à venere cum leproſis imminebant, nullum fuerit quod ad nota luis venereæ ſymptomata accedat.

5°. Poſſe quæcumque dicta ſunt confirmari auctoritate Joannis de Vigo, qui ſcripſit initio ſæculi decimi ſexti, lue venereâ jam planè divulgatâ. Ille enim probè diſtinguit *calefactiones & carolos*, ut loquitur, *qui ſolent evenire juvenibus inter pellem & præputium virgæ*, imò etiam *puſtulas carbunculoſas, quæ ibidem oriri ſolent* ex causâ ſimplici, de quibus ſuprà recenſita antiquiorum Medicorum loca intelligenda eſſe cenſemus, à

puſtulis ſeu ulcuſculis aliis ejuſdem partis ex causâ venereâ, de quibus ne verbum quidem apud Veteres reperire eſt. Aſſerit enim *Practicæ Lib. 2. Tract. 5. cap. 9. carolos accidere propter coitum calidæ mulieris & noviter menſtruatæ:* Ibidem verò *cap. 8. Puſtulas carbunculoſas cauſari in hominibus coitum habentibus cum muliere fœdâ, habente vulvam ulceratam ulcere putrido vel maligno, vel quia fuerit noviter menſtruata*, circa quæ cum Antiquioribus manifeſtè conſentit. At verò dicit *ibidem Lib. 5. cap. 1. Puſtulas venereas* ex contagioſo concubitu enaſci *in partibus genitalibus, videlicet in vulvâ in mulieribus, & in virgâ in hominibus, & eſſe interdum lividi coloris, aliquando nigri, nonnumquam ſubalbidi, cum calloſitate eas circumdante.*

6°. Hæc eadem à Fallopio olim animadverſa fuiſſe in *Tractatu de Morbo Gallico*, nec in uno tantùm loco. *Viderant Antiqui ſuis temporibus*, inquit ille *cap. 7. oriri ulcera circa pudenda, quæ calefactiones vocantur: nam ante morbi Gallici ortum, Scriptores, ut Guido, &c. locuti ſunt de his, vel cùm juvenis non mundat glandem, vel quia habet rem venereàm cum muliere menſtruatâ, & tunc oriuntur calefactiones iſtæ. . . . At ego dicam*, pergit ille, *eſſe maximam differentiam inter cariem* (Gallicam) *& calefactiones. Antiqui Scriptores*, ait idem *cap. 81. Græci & Arabes, veluti Paulus Ætius & Avicenna locuti ſunt de ulceribus depaſcentibus colis: ſed differunt illa à carie* (Gallicâ ſeu ulcuſculis venereis.) *Similiter Chirurgici poſteriores loquuntur de his, ſed non ſunt eadem cum his quorum curationem dare intendimus. Superiores Chirurgici loquentes de depaſcentibus, dicunt duplici de causâ fieri, vel ex turpitudine albâ vel nigrâ, collectâ inter glandem & præputium: hanc turpitudinem ſordem appellant. Volunt igitur quòd quoties ſordes iſta continetur inter præputium & glandem, bulliens faciat hujuſmodi cariem. . . . Nos non loquemur*, addit ille, *de omnibus his, ſed de veris Gallicis Tarolis dictis, ſive Carolis, qui ſunt ab aliis diſtinguendi; calefactiones, excoriationes, &c. facilè ſanantur. . . . ſed non caries ita facilè.*

7°. Pari ratione ea, quæ de bubone in inguine Guillelmus de Saliceto, Lanfrancus, Petrus de Argelatâ dicta habent, non de venereo, ſed de ſimplici bubone accipienda eſſe, qualis ſimplici limphæ vitio accidit, aut ulceribus penis ſolet ſupervenire, quæ à cauſis ordinariis & à lue venereâ planè alienis inferantur. Tunc enim puris guttulæ vaſis limphaticis, quæ ab ulceratis penis partibus ſoboleſcunt, ad inguinales glandulas quò ipſa tendunt delatæ limpham, cui commiſcentur, ita inficiunt inſpiſſantque, ut in glandularum cellulis hærere cogatur, ubi panum, phygethlon, vel ut vulgò aiunt, bubonem excitat. Sic obſervamus quotidiè ſimili prorſus ratione glandulas limphaticas collo vel maxillæ inferiori adſitas toties tumefieri, imò verò quandoque ſuppurari, quoties capitis exteriora tineâ aut ulcuſculis defœdantur, factâ ſcilicet materiæ morbificæ metaſtaſi cum limphâ inde redeunte.

8°. Proinde tandem ex illis Medicorum Chirurgorumve locis, qui anno 1494. ſuperiores vixerunt, ſi æquo animo & ſine præjudicio perpendantur, poſſe nihil prorſus colligi, quod allatam de novitate luis venereæ ſententiam evertere valeat, aut fidem Hiſtoricorum infirmare, qui morbum hunc orbi noſtro tempore belli Neapolitani à Carolo VIII. Francorum Rege geſti inductum fuiſſe uno ore omnes affirmant.

CAPUT VI.

CAPUT VI.

Explicantur teſtimonia à Guillelmo Becketto pro luis venereæ antiquitate nuper producta.

OPINIONIS de antiquitate luis venereæ patrocinium nuperrimè ſuſcepit Guillelmus Beckettus, Chirurgus Londinenſis, Diſſertationibus tribus, quas edendas curavit in XXX. & XXXI. Voluminibus Tranſactionum Philoſophicarum, & in quas congeſſit diligentiâ ſummâ quæcumque ex editis, ineditiſve Magnæ Britanniæ monumentis potuit corradere, quæ viderentur opinioni ſuæ ſuffragari.

Beckettus nuperrimus propugnator opinionis de antiquitate luis venereæ.

Primò. Contendit in primâ Diſſertatione, quæ proſtat in XXX. Volumine Tranſactionum Philoſophicarum, nº. 357. ann. 1718. gonorrhœam veneream ſæculis aliquot ante annum 1494. notam fuiſſe in Angliâ nomine *ardoris*, *arſuræ*, *incendii* &c. Anglicè *Burning* ſive *Brenning*, de quibus ſanè mentio frequens fit ab Hiſtoricis Magnæ Britanniæ; Et in opinionis confirmationem auctoritates adducit multas quarum nonnullæ hoc anno 1494. antiquiores ſunt, pleræque anno eodem recentiores.

I. Contendit Arſuram genitalium eamdem fuiſſe cum gonorrhœâ venereâ.

Antiquiores excerptæ ſunt 1º. Ex Opere manuſcripto Joannis Ardern, Chirurgi Anglici, ſuâ ætate hoc eſt exeunte ſæculo decimo quarto haud incelebris, ubi multa ſunt de *arſurâ*, quam definit Ille, ut refert Beckettus, *calorem interiorem cum excoriatione urethræ*, unde ardor.

Quod multis auctoritatibus probare conatur.

2º. Ex collectaneis quibuſdam Medicis circa annum 1390. & 1440. ſcriptis, ut Beckettus arbitratur, in quibus legere eſt formulas quaſdam ad *arſuram* tum virorum, tum mulierum.

3º. Ex antiquis regulis Lupanarium Londini olim publicè proſtantium in ſuburbio *Southwark* dicto, quæ circiter anno 1430. conſtitutæ creduntur, quæ manuſcriptæ extant, & quarum articulo uno agitur *de his, qui cuſtodiunt mulieres habentes nefandam infirmitatem*; vetatur verò alio gravi mulctâ, *ne qua in Lupanari proſtet fœmina arſuræ morbo infecta.*

Recentiores depromptæ ſunt 1º. Ex libello, quo certus quidam Simon Fish, novarum in Religione opinionum impotens aſſectator & Catholicorum oſor acerrimus Henrico VIII. Anglorum Regi ſupplicavit anno 1530. in quo refertur *Preſbyteros in Angliæ Regno omnia vitiare: ipſos à fœminis uri*, hoc eſt arſurâ affici, *ac alias fœminas viciſſim urere: ipſoſque à meretricibus lepram contrahere, quam contractam cum aliis fœminis deinde communicent.*

2º. Ex libro, quem anno 1546. edidit Andræas Boord, Doctor Medicus & Presbyter, quem inſcripſit *Compendium Sanitatis*, & in quo initio Capitis cujuſdam his verbis præfatur, *Agemus capite 19. de arſurâ proſtibulorum*, additque poſteà, *ſi quis poſt contractam à proſtibulo arſuram, rem habeat eâdem die cum ſanâ muliere, arſuram eamdem cum illâ communicaturum eſſe.*

3º. Ex Epiſtolâ, quam Michaël Wood præpoſuit Orationi *de verâ obe-*

dientiâ à Stephano Gardiner ſcriptæ & Rothomagi editæ anno 1553. in quâ fit *arſuræ* mentio.

4°. Ex Opere quodam manuſcripto Joannis Balæi, quod eſt penes ipſum Beckettum, & in quo Balæus de Doctore Weſton verba faciens, quem Reginaldus Polus Cardinalis, regnante Mariâ, Decanatu Windſorii abdicavit ob adulterii crimen, ait Canonicum illum *in curandâ arſurâ magis exercitum fuiſſe, quàm ſcortum, quod in ullo Lupanari proſtaret*; adjicitque *mulierem aliquam in Paræciâ Sancti Botolph ab eo nuper uſtam fuiſſe*, id eſt arſurâ affectam.

5°. Ex Tractatu Guillelmi Bulleyn, Doctoris Medici, anno 1562. edito, cujus inſcriptio eſt *The Bulwark &c.* ubi Auctor ille *de meretricum arſurâ* diſſerit.

Explicantur auctoritates à Becketto objectæ.

Ea ſanè numero multa ſunt, ſed re pauca, imò potiùs nulla, cùm ruinoſo fundamento conſiſtant. Omitto jam objecta teſtimonia ex Operibus, Legibus, Tabuliſve ineditis, aut Libris perraris deprompta eſſe, quæ idcircò nec eâ quâ par eſſet diligentiâ ſcrutari & excutere, imò ne inſpicere quidem licitum fuit, ut de manuſcriptorum ætate, verborumve inde excerptorum ſententiâ conſtaret. Sed lubenter conceſſero Becketto hac in re, ne vitilitigare videar quaſi cauſæ diffiderem, eique ultro dedero ſingula rectiſſimè ſe habere, quod ſanè maximum eſt; at verò pernego inde ſequi *arſuram* illam, de quâ quæſtio eſt, eamdem fuiſſe cum gonorrhœâ venereâ, atque adeo gonorrhœam ab impurâ venere oriundam *arſuræ* nomine olim graſſatam fuiſſe. Verùm ut cogitationes meas dilucidè explicem, res paulò altiùs repetenda eſt.

Itaque I. Lepra Arabum, quæ in Angliâ, ſicut in cæterâ Europâ, olim frequens erat, non ſolùm convictu ſed congreſſu etiam contagioſa fuit, quapropter lege conſtitutum erat, interpoſitâ etiam gravi pœnâ, ut leproſi ſeu elephantiaci deſtinatis locis coerciti conſuetudine cum ſanis interdicerentur.

Lepram concubitu contagioſam fuiſſe.

II. Proinde lepra concubitu, quo non eſt contactus alter intimior, quaſi præſentiſſimâ contagione propagari debuit, ſi quis impudens vel perditiſſimæ libidinis cum leproſis veneri indulgeret. Et ſanè eâ ratione propagatam fuiſſe teſtantur uno ore coætanei ferè omnes Medici, ut Foreſtus, *Obſervationum Chirurgicarum Lib.* 4. *Obſerv.* 8. Palmarius, *de elephantiaſi, cap.* 2. Paræus, *Operum Lib.* 20. *cap.* 8. Fernelius, *De partium morbis & ſymptomatis, Lib.* 6. *cap.* 19. Valeſcus de Tarantâ, *Philonii Lib.* 7. *cap.* 39. Gordonius, *Lilii particulâ* 1. *cap.* 22. ubi refert *quamdam Comitiſſam veniſſe leproſam in Montempeſſulanum, & fuiſſe in fine in curâ ejus; & quemdam Baccalarium in Medicinâ miniſtraviſſe ei, & jacuiſſe cum eâ, & impregnaviſſe eam, & perfectiſſimè leproſum factum fuiſſe*, cujus Hiſtoriæ ſimilem alteram profert Philippus Schopffius, *Lib. de Leprâ*, ſcilicet Fabri cujuſdam lignarii, qui ex concubitu cum leprosâ lepram brevi contraxit.

Saltem ex concubitu cum leproſis genitalia arſurâ af-

III. Quòd ſi quando res meliùs forſan cederet, at ſaltem ex uſu veneris cum leproſis mulieribus, imò etiam cum illis quæ cæteroqui ſanæ cum leproſis paulò antè rem habuiſſent, genitalia plerumque affecta fuerunt, phlogoſi, eryſipelate, exulceratione cenchriade ſive miliari, phlyc-

tænis, &c. unde dyſuria, ſive ut tunc loqui mos erat, ardor, arſura, incendium, calefactio, Anglicè *Brenning*. fecta fuiſſe,

IV. Poſſunt in confirmationem produci teſtes oculati & multi & idonei.

1°. Theodoricus, Chirurgus & Epiſcopus Cervienſis anno 1290. qui *Chirurgiæ Lib. 6. cap.* 55. ait morbo *infici, qui poſt coitum leproſi* ad mulierem accedit.

2°. Auctor Tractatûs Chirurgici manuſcripti, Rogerinæ dicti, ideoque Rogerio Baconi à quibuſdam adſcripti, ſed qui videtur doctiſſimo Joanne Freind, *Hiſtor. Medicin. part.* 3. Rogerio Parmenſi potiùs adſcribendus, ubi diſertè explicatur, teſte eodem Freind, *ibidem*, quot quantiſque malis pateret ille, cui contingeret cum muliere rem facere, quæ à leproſo recèns compreſſa fuiſſet.

3°. Gilbertus Anglicus, qui in *Compendio Medicinæ, tàm morborum univerſalium quàm particularium* eadem profert cap. 345. quæ in Rogerinâ legi modò diximus.

4°. Bartholomæus, vulgò Glanville dictus, cujus *Breviarium Medicinæ*, quod manuſcriptum exſtat, cum Compendio Medicinæ Gilberti Anglici ita convenit, ut idem opus eſſe videatur. Sanè in *Breviario* illo, *Lib. 2. cap.* 4. verba eadem legere eſt, teſte Freind, de periculis imminentibus *ex coitu cum muliere à leproſo recèns vitiatâ, quæ* proſtant in *Compendio.*

5°. Demum Joannes de Gaddeſden, Chirurgus Anglicus, qui in *Practicâ Medicinæ ſeu Roſâ Anglicâ* agit capite peculiari, *de infectione ex concubitu cum leproſo aut leproſâ*, ubi ait *illum, qui concubuit cum muliere, cum quâ coivit leproſus, puncturas intra carnem & corium, hoc eſt* inter balanum & præputium, *& aliquando calefactiones in toto corpore ſentire.*

V. Hinc ergo facilè explicari poſſunt teſtimonia illa tria à Becketto objecta, quæ anno 1494. antiquiora ſunt. *Arſura* nempe *illa*, 1°. de quâ loquebatur Joannes Ardern circa annum 1370. 2°. adversùs quam extant formulæ manuſcriptæ circa annum 1390. & 1440. 3°. de quâ verba fiunt in Regulis manuſcriptis Lupanarium Londinenſium circiter anno 1430. eadem planè eſt cum affectione illâ, quam probavimus concubitu cum muliere leproſâ, vel quæ leproſo ſui copiam recenter feciſſet, olim contractam fuiſſe. *Nefanda* verò *infirmitas*, cujus mentio eſt in Regulis iiſdem, videtur ipſamet lepra fuiſſe. Hinc patere cauſam arſuræ genitalium, quæ olim in Angliâ frequens erat.

VI. Porrò nullatenus mirum eſſe debet à leproſis mulieres non rarò contaminari olim potuiſſe. Cùm enim inter eos qui leprâ tenebantur, multi inexplorati eſſent, vel malè explorati, & quibus ideo uſu cum ſanis interdictum non erat; cùm inter ſepoſitos multi forent quibuſcum indulgentiùs agebatur & quibus ideo copia eſſet aliquando divagandi, facilè erat iis omnibus libidini, in quam ex morbi naturâ leproſos effrænatos fuiſſe conſtat, ſeſe totos dedere, eo quidem tempore quo Lupanaria publicè proſtabant, & præſertim in populoſis Civitatibus, ubi cuilibet ignoto latere nullo negotio licitum eſt. Mirum eſt tantummodo videri eam morbi ſpeciem in Angliâ olim communiorem fuiſſe quàm in reliquâ Europâ, & ab Hiſtoricis, Mediciſque Anglicis maximè celebratam; ſed inde forſan

hoc repetendum est, quòd Leges in leprosos sancitæ in Angliâ leniores olim fuerint, vel remissiùs observatæ ; quâ de re videant quibus antiqua Angliæ disciplina notior est.

Arsuram illam à gonorrhœâ venereâ planè diversam fuisse.

VII. Cæterùm arsura illa cum gonorrhœâ venereâ neutiquam confundenda est, à quâ planè diversam fuisse liquet multis argumentis.

1°. Quòd etsi manus Becketto daremus, concederemusque luem veneream multò antiquiorem fuisse quàm putamus, nullâ tamen ratione credi posset gonorrhœam satis antiquam fuisse, ut cum arsurâ illâ, quæ decimo tertio & decimo quarto sæculo grassabatur, eadem fuerit. Compertum est enim silentio omnium Auctorum, qui de lue venereâ scripsêre ante annum 1545. & diserto Fallopii testimonio, *Tract. de Morbo Gallico, cap.* 23. gonorrhœam veneream priùs ignotam inter luis symptomata primùm apparuisse anno 1545. aut 1546. hoc est quinquaginta annis ab ingressu quem lui venereæ assignamus, atque adeo multò tardiùs quàm arsura illa ; sed de his fusiùs infrà *cap.* 11.

2°. Quòd in gonorrhœâ venereâ, ut vox ipsa innuit, perpetuò cum dysuria adsit, vel eidem brevi succedat effluxus purulenti seminis uber & diuturnus ; nullus verò olim observaretur in antiquâ illâ arsurâ, nullus saltem memoretur ab Auctoribus qui de arsurâ scripserunt, quos omnes tam grave symptoma siluisse, si adfuisset, verisimile non est, unde datur colligere arsuram meram fuisse glandis & urethræ phlogosim erysipelatodœam.

3°. Quòd gonorrhœa, quoniam contumacior est, curatione plerumque diuturnâ, at certè semper difficili opus habeat : contrà verò arsura, quæ fugacior erat, sanaretur fotu solo, vel ad summum injectione anodynâ, teste vel ipso Becketto, qui in Dissertatione laudatâ profert sequentia verba Joannis Ardern : *Contra incendium virgæ virilis interius ex calore & excoriatione fiat talis syringa* (id est injectio) *lenitiva : accipe lac mulieris masculum nutrientis & parum zuccarium, oleum violæ & ptisanæ, quibus commixtis, per syringam infundatur ; & si prædictis admiscueris lac amygdalarum, melior erit medicina.* Quod remedii genus congener est cum remedio ad labiorum arsuram & puncturam proposito à Rogerio, *Chirurgiæ Lib.* 1. *cap.* 35. & à Rollando, *Chirurgiæ Lib.* 1. *cap.* 21.

4°. Quòd mulier quæ cum Syphilitico venerem exercuit, unde malè habet, gonorrhœam inferat non solùm eâdem die quâ Syphilitico sui copiam fecit, sed etiam nisi sanata sit, post quantumlibet temporis intervallum : non solùm illota & semine virulento adhuc in utero reside, sed etiam probè lota, & post excussum totum semen : at è contrà nullum immineret arsuræ periculum à consuetudine cum fœminâ quæ leproso succubuisset, nisi *de novo*, ut ait Lanfrancus, *Practic. Tract.* 3. *Doctrin.* 3. *cap.* 11. vel *de proximo*, ut ait Valescus de Tarantâ, *Philonii Lib.* 7. *cap.* 39. succubuisset ; imò nisi semen leprosi in utero adhuc restitaret, *semine adhuc in matrice existente*, juxta Gordonium, *Lilii Particul.* 1. *cap.* 22. & Valescum de Tarantâ, *ubi suprà.* Et inde est quòd Joannes de Gaddesden, in *Rosâ Anglicâ, capite de infectione ex concubitu cum leproso vel leprosâ*, hac tamen in re Gordonium ducem sequutus, *mulierem* ab omni labe *securam* fore affirmet, si post coitum cum leproso *saltet, descendat retrò fortiter per*

gradus, & ſternutet cum pulvere piperis, vel cum pennâ cum aceto in naribus, ita quòd ſperma priùs receptum deſcendat, & tunc lavet ſe in decoctione roſarum vel plantaginis decoctarum in vino & furfure.

5°. Demum quòd ex veneris uſu cum muliere leprosâ, vel quam leproſus recens ſtupraverat, multa præter arſuram ſymptomata alia inferrentur, quorum nulla aut cum gonorrhœâ venereâ conjungi, aut in lue venereâ obſervari unquam ſolent. Hac de re audiendus idem Joannes de Gaddeſden, *ubi ſuprà.* « Ille, *inquit*, qui concubuit cum muliere cum quâ coivit leproſus, puncturas intra carnem & corium ſentit, & aliquando « calefactiones in toto corpore, & poſteà frigus & inſomnietates, & circa « faciem quaſi formicas currentes, ſi ſit de causâ calidâ. Color variatur de « rubedine in album & è converſo, & frequenter habent calorem lentum « interiùs, & prorumpit aliquando exteriùs, quando eſt poſt coitum cho- « lerici. Si ſit poſt coitum phlegmatici vel melancholici, tardiùs perci- « pitur, & facies ſtatim diſcoloratur & ſubtumeſcit, & eſt aggravatio « omnium membrorum, quòd vix ſe movere poteſt, & habet frigus ſub- « cutaneum, cum formicatione faciei poſt, deinde totius corporis. » Quæ ſingula ipſiſſimis verbis leguntur in *Chirurgiâ Theodorici, loco jam laudato:* in *Rogerinâ:* & in *Compendio Medicinæ Gilberti.*

VIII. De arſurâ illâ, quæ à leprâ degener erat, poſſunt intelligi, ſi ita lubeat, cætera teſtimonia à Becketto adducta, quæ anno 1494. recentiora ſunt; quamquam, ut liberè dicam, videntur ea omnia potiùs accipienda eſſe de morbis verè venereis. Omnium enim antiquiſſimum ad annum 1530. pertinet, quo tempore lepra jam rarior fuit, quo verò lues venerea non in Italiâ tantùm & Galliâ, ſed in Angliâ quoque frequens erat & divulgata, ut conſtat ex teſtamento Doctoris Collet, Decani Eccleſiæ Cathedralis Sancti Pauli Londinenſis, anno 1518. ſcripto, de quo J. Freind, *Hiſtor. Med. part.* 3. Neque obſtat ſermonem eſſe in allatis locis de arſurâ genitalium, non de gonorrhœâ peniſve ulcuſculis. Debuerunt nempe novis illis affectibus nomina accommodari uſu recepta aliarum affectionum naturâ quidem diverſarum, ſed ad quas tamen viderentur quadamtenus alludere, quod & alibi factum ſcimus in denominandâ lue venereâ: quod exemplo ſimili, quamquam in re diſpari à Romanis olim factitatum legimus, cùm Pyrrhi Elephantos Boves Lucæ ſeu Lucanos appellavêre: quod ab omnibus ſemper factitabitur, quandiu homines à notis notarum rerum ideis ad ignotas ignotarum cogentur procedere.

II. Contendit Becketus luem veneream ipſammet olim cognitam fuiſſe.

Secundò. In alterâ Diſſertatione, quæ extat in Volumine XXXI. *Tranſactionum Philoſophicarum*, n°. 365. ann. 1720. Beckettus totus in eo eſt, ut probet antiquitatem luis ipſius venereæ, & in hunc finem præter ratiunculas nonnullas, quibus jam abundè ſatisfactum eſt in præcedentibus, duo adducit teſtimonia, quæ notatione digna eſſe videntur.

Quod conatur probare maximè argu-

Unum excerptum eſt ex Manuſcripto quodam, quod aſſervatur Oxonii in Collegio Lincolnienſi, ubi ſic loquens inducitur Thomas quidam * Gaſcoigne, quem Beckettus ait Univerſitatis Oxonienſis Cancellarium tunc fuiſſe. « Novi enim ego Magiſter Thomas Gaſcoigne, licet indignus,

* Claruit circa annum 1460. *J. G. Voſſius, De Hiſtoricis Latinis Lib.* 3. *cap.* 9.

mentis duobus.

» ſacræ Theologiæ Doctor, qui hæc ſcripſi & collegi, diverſos viros, qui » mortui fuerant ex putrefactione membrorum ſuorum genitalium & cor- » poris ſui; quæ corruptio & putrefactio, ut ipſi dixerunt, cauſata fuit » per exercitium copulæ carnalis cum mulieribus. Magnus enim Dux in » Angliâ, ſcilicet Joannes de Gaunt mortuus eſt ex tali putrefactione » membrorum genitalium & corporis ſui, cauſatâ per frequentationem » mulierum; magnus enim fornicator fuit, ut in toto Regno Angliæ di- » vulgabatur, & ante mortem ſuam jacens ſic infirmus in lecto, eamdem » putrefactionem Regi Angliæ Ricardo II. oſtendit, cùm idem Rex » eumdem Ducem in ſuâ infirmitate viſitavit; & dixit mihi, qui iſta novit, » unus fidelis ſacræ Theologiæ Baccalaureus. Willus etiam longè vir ma- » turæ ætatis & de Civitate Londonii, mortuus eſt ex tali putrefactione » membrorum ſuorum genitalium & corporis ſui, cauſatâ per copulam » carnalem cum mulieribus, ut ipſemet pluries confeſſus eſt ante mortem » ſuam, cùm manu ſuâ propriâ eleemoſynas diſtribuit, ut ego novi anno » Domini 1430. Hactenus Thomas ille Gaſcoigne, ex cujus verbis credit Beckettus poſſe colligi tum Joannem Ducem Lancaſtriæ, quem Angli de Gandavo ſive Gaunt vocant, tum Willum illum Londinenſem lue venereâ laboraſſe ante annum 1430. atque adeo morbum hunc olim obſervatum fuiſſe ante detectas Occidentales Indias.

Alterum verò teſtimonium depromptum eſt ex quibuſdam locis Operum manuſcriptorum Joannis Ardern, Chirurgi in Angliâ celebris circa annum 1370. ubi agitur de phimoſi, paraphimoſi, carunculis urethræ ac bubone; unde videtur Becketto inferendum eſſe ea ſymptomata venerea fuiſſe, ac proinde luem veneream in Angliâ ætate illâ jam graſſatam eſſe.

Explicantur argumenta à Becketto oppoſita.

Sed miror Beckettum opinione ſuâ uſque adeo occupari, ut luem veneream nullibi non videat; videat certè ubi nulla eſt, imò etiam ubi nulla prorſus adſunt luis indicia, ſi res attentiùs introſpiciatur.

Genitalia variis morbis ſemper obnoxia fuiſſe.

Nam I. Indicavimus jam ſuprà *cap.* 2. genitales partes gravibus morbis ſemper obnoxias fuiſſe, non minùs quàm cæteras totius corporis, ut quæ iiſdem cauſis morbificis paterent, nec ullâ ganderent prærogativâ, ut à morbis immunes eſſent. Conſtat ſanè Medicos ferè omnes à primis Medicinæ temporibus & longè ante notam luem veneream, uberrimè diſſeruiſſe de genitalium abſceſſu, ulcere, carcinomate, putrefactione, gangrænâ; de quibus vide Galenum, *Lib.* 6. *De locis affectis, cap.* 6. & Cornelium Celſum, *Lib.* 6. *cap.* 18. ut cæteris nunc parcam: imò verò veteres Hiſtoricos de affectionibus iſtiuſmodi haud rarò mentionem facere. Sic narrat Flavius Joſephus, *Lib.* 2. *contra Apionem*, improbum illum Judæorum calumniatorem ulcere penis laboraſſe, quo poſt inciſiones fruſtra adhibitas putrefactis genitalibus in magnis doloribus exſpiraverit. Sic refert idem *Hiſtor. Judaicæ Lib.* 17. *cap.* 8. Herodem Judæorum Regem genitalibus quoque putrefactis & vermibus ſcatentibus tabe confectum & ſpaſmo convulſum interiiſſe. Sic conſtat Euſebii teſtimonio, *Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib.* 8. *cap.* 16. Galerium Maximianum mortem miſerrimam oppetiiſſe ex abſceſſu & ulcere circa media occultiorum corporis partium loca, nempe ut arbitror in perinæo, qui uterque morbus inſanabilis erat, cum incredibili vermium multitudine & fœtore intolerando. Sic notiſſima eſt No-

vocomenſis illius viri hiſtoria, quam Plinius memorat, *Epiſtolar. Lib. 6. Epiſtol.* 24. Maritus, inquit, ex diutino morbo circa velanda corporis « ulceribus putreſcebat; uxor ut inſpiceret exegit, neque enim quemquam « fideliùs judicaturum poſſetne ſanari. Vidit, ſanari deſperavit, *hortata eſt* « *ut moreretur, comeſque ipſa mortis, dux, imò exemplum & neceſſitas fuit; nam ſe cum marito ligavit, & abjecit in Lacum* Larium. Sic demum teſtatur Palladius, *in Hiſtor. Lauſiacâ, vitâ* 32. Eroni cuidam cum Mimâ congreſſo enatum eſſe anthracem in glande, quo ſex menſibus uſque adeo ægrotavit, ut ejus virilia computruerint & ſuâ ſponte ceciderint. Ex his tamen omnibus ſive Medicorum, ſive Hiſtoricorum locis, nemini niſi qui in rebus medicis planè hoſpes fuerit, non in mentem dico, ſed ne in ſuſpicionem quidem venire potuit eas affectionum ſpecies à lue venereâ olim inductas fuiſſe, quæ ne ætate quidem noſtrâ, quâ dira illa pernicies maximè graſſatur, ab impurâ venere ſemper ortum habeant.

II. Cenſemus morbos iſtiuſmodi genitalium maximè frequentes fuiſſe in mulieroſis, ſcortatoribus & in venerem effrænibus, cùm enim libidine & ſalacitate conciti meritoriis fœminis maximè uterentur, quæ ſemper impuriſſimæ fuêre; cùm à nullis abſtinerent flagitiis, ſed quaſi admiſſarii promiſcuè concumberent cum mulieribus quibuſvis, & ſæpiùs cum malè habentibus cancro, ulcere, abſceſſu uteri &c. cum liqueſcentibus fluore albo, acri, virulento &c. cum leprâ infectis, aut quæ leproſis ſui corporis uſuram recenter permiſiſſent &c. inde debuerunt procul dubio cæteris frequentiùs arſuras, phlogoſes, inflammationes, abſceſſus, ulcera, carcinomata genitalium experiri. Maximè in ſcortatoribus & mulieroſis.

III. Quin imò, etſi daremus eos qui in venerem proniores erant, ſanis puriſque tantùm mulieribus uſos eſſe, quod ſanè maximum, debuerunt tamen ex ipſo opere coitionis nimiùm repetitæ in eoſdem morbos frequentiùs incidere, quàm ii qui ſi non caſtè, ſaltem temperanter viverent. Organis enim genitalibus acriore, ſalſiore, fervidiore ſemine turgentibus; ſæpiùs & diutiùs attrectatis, compreſſis, ſanguine æſtuante, qui influeret, aut qui retineretur, diſtentis; imò quod peſſimum eſt, aphrodiſiacorum remediorum uſu, ut venus acriùs ſollicitaretur, non rarò irritatis, oportuit inde frequentiùs quoque oriri arſuram, phlogoſim & phlyctænas in balano; inflammationem, abſceſſum, tumorem in proſtatis, veſiculis ſeminariis, teſtibus, &c. Ut ergo qui intenſiùs declamant, pulmonibus; qui minutioribus objectis diſpiciendis intenti ſunt, oculis malè habent; ſic eos quoque qui libidinibus intemperantiùs ſeſe dedebant, genitalibus malè affici conſequens fuit, atque adeo, ut Poëta dicit, ſed alio ſenſu, *artifices arte perire ſuâ*. Quod & à Stoicis probè intellectum fuiſſe videtur, qui teſte (*a*) Cicerone, Epicuro dyſuriam, quâ ſe laborare confeſſus erat, vitio vertebant, quaſi *turpis intemperantiæ morbum*.

(*a*) *Epiſtol. ad Familiar. Lib.* 7. *Epiſtola* 27.

IV. Itaque licet nolim hîc contendere aut περὶ τῆς ὑγιότητος Manuſcripti quod in Collegio Lincolnienſi latere perhibetur, aut de auctoritate Thomæ illius Gaſcoigne, à quo ſcriptum dicitur anno 1430. & qui proinde auditione tantùm acceperat, ut ipſe ultro fatetur, quæcumque narrat de Joanne de Gandavo, utpote jam ante annum 1399. fato functo; nihilominus tamen niſi certiora afferantur, à nemine cum Becketto putari ar- Hinc ergo ruit primum Becketti argumentum.

bitrer inde ſequi Joannem de Gandavo, aut Willum Londinenſem lue venereâ olim laboraſſe, quòd *illi mortui ſint ex putrefactione membrorum ſuorum genitalium & corporis ſui*, aut quòd *illa corruptio & putrefactio, ut ipſi dixerunt, cauſata fuerit per exercitium copulæ carnalis cum mulieribus.* Ex prædictis enim abundè liquet corruptiones & putrefactiones iſtiuſmodi genitalium citra omnem contagem veneream, vel ab impurâ venere cum mulieribus quarum uterus gravi malo affectus eſſet, cum leproſis aut leproſorum contubernio contaminatis induci potuiſſe, vel à venere etiam purâ cum ſanis mulieribus, ſed nimiâ & immodicâ accidere olim potuiſſe, ſicut etiamnum poſſunt eâdem ratione contingere.

Neque alterum validius eſt.

V. Haud meliore jure, neque adeo ſucceſſu feliciore attentavit Beckettus loca illa, quæ ex Chirurgicis Operibus Joannis Ardern affert, & ubi agitur de phimoſi, paraphimoſi, urethræ hyperſarcoſi ſive carunculâ &c. ut ad ſuam detorqueret ſententiam. Sanè quidem certo certius eſt, quod à nemine negari puto, affectiones illas, ut Græca nomina ſatis indicant, à Græcis Medicis olim cognitas & deſcriptas fuiſſe, ac deinde à Latinis, ab Arabibus & ab iis qui in Europâ Medicinam factitavêre ab Arabum tempore uſque ad renata litterarum ſtudia. Præter Galenum & Celſum, quos ſuprà laudavimus, in promptu eſſet, ſi ita videretur, ſexcentos alios laudare, apud quos ſingula enucleatè & diſertè explicantur. At verò affectiones illæ genitalium ab ordinariâ causâ olim dependebant, ut eorumdem Auctorum lectione ſatis liquet, nullatenus verò à causâ venereâ, hoc eſt ſeminio venereo; neque adeo ullo modo confundendæ ſunt cum affectionibus venereis ejuſdem ſpeciei, quales hodie graſſantur, ut quæ, licet cum iiſdem naturâ & læſionis modo congeneres ſint, unde ſimilem quoque appellationem ſortitæ ſunt, ab iiſdem tamen causâ & origine toto genere differant.

Demum *Tertiò*, Diſſertatio Becketti tertia, quæ exſtat in eodem Volumine *Tranſactionum Philoſophicarum*, nº. 366. verſatur circa lepram Arabum, quam putat ille duplicis generis olim fuiſſe, ceu in præcedente Diſſertatione jam indicaverat; unam ſcilicet, quæ lepra verè eſſet; alteram verò, quæ falſo nomine lepræ cum hodiernâ lue venereâ eadem foret. Sed hæc meræ ſunt fabulæ, quas Beckettus ad libidinem fingit, ut opinioni ſuæ patrocinetur, ſed quæ jam abundè confutatæ ſunt ſuprà *cap.* 3.

Huc ergo recidit rationum ſumma, quibus Beckettus ſententiam de novitate luis venereæ, quæ nunc ferè omnium eſt, & quæ invaleſcit in dies, impugnandam aggreſſus eſt; nempe putat rem à ſe pleniſſimè confectam adductis teſtimoniis aliquot, quæ ex obſcuris & plerumque ineditis Scriptis conquiſita, mutila, dubia, æquivoca ſunt; imò etiam quæ ad alios morbos manifeſtè ſpectant. Næ egregia ad tantum molimen argumenta, quæ ſi apud æquos rerum æſtimatores valitura eſſent, ſpondere auſim me haud diſpari methodo probaturum Americam, quartam illam Orbis partem, à Priſcis olim ante Chriſtophori Columbi tempora & cognitam & navigatione petitam fuiſſe, quod tamen falſiſſimum eſſe puto; imò verò probaturum eſſe auctoritatibus pluribus & validioribus, quàm eæ ſint quæ pro luis venereæ antiquitate opponuntur.

CAPUT VII.

CAPUT VII.

Confutantur argumenta reliqua, quibus nonnulli antiquitati luis venereæ patrocinari conantur.

FORTE jam multis videor nimius esse in astruendâ luis venereæ novitate. Nondum tamen confeci, & ut perdifficilis ille nodus expediatur, supersunt infirmanda vel diluenda potiùs aliquot alia argumenta, quæ contrariæ opinioni favere creduntur, quæ saltem in probationem contrariæ opinionis premi solent.

I. Petitur primum ex Statutis sequentibus, à Joannâ I. utriusque Siciliæ Reginâ & Provinciæ Comite, de disciplinâ Lupanaris publici Avenionensis anno 1347. sancitis, & Linguâ vernaculâ scriptis, qualis tunc in Provinciâ usu vigebat, & quæ sanè ab hodiernâ parùm dissidet. I. Primum argumentū petitur ex Statutis Lupanaris Avenionensis.

Statuta antiqua Lupanaris Avenionensis Linguâ Provinciali scripta.

I.

L'an mil trés cent quaranto & set, au hueit dau més d'Avous Nostro bono Reino Jano à permés lou Bourdeou dins Avignon; Et vol que toudos las fremos debauchados non se tengon dins la Cioutat, mai que sian fermados din lou Bourdeou, & que per estre couneigudos que porton uno agullietto rougeou sus l'espallou de la man escairo.

II.

Item. Se qualcuno à fach fauto & volgo continua de mal faire, lou Clavairé ou Capitané das Sargeans la menara soutou lou bras per la Cioutat, lou tambourin batten, embé l'agullieto rougeou sur l'espallo, & la lougeara din lou Bourdeou ambé las autros; ly defendra de non si trouba foro per la villo à peno das amarinos la premieiro vegado, & lou foué & bandido la secondo fés.

III.

Nostro bono Reino commando que

Statuta eadem Latinè reddita.

I.

Anno M. CCCXLVII. & die 8. mensis Augusti, Optima Regina nostra Joanna concessit ut Lupanar publicum esset Avenione; sed vetuit meritorias mulieres per Civitatem evagari, jussitque omnes Lupanari concludi, & ab iis, ut cognosci possint, * ligulam rubram ab humero sinistro gestari.

II.

Item. Si qua puella, quæ jam culpæ succubuerit, corpus vulgare velit, à Clavigero seu Capitaneo Apparitorum brachio prehensa per Civitatem ducatur ad tympani cantum, ligulâ rubrâ ab humero dependente, & in Lupanari collocetur cum cæteris, denuntiatâ, si primùm inde exierit in Civitatem, virgarum in secretiore loco: si iterùm, flagri & exilii pœnâ.

III.

Edicit optima Regina nostra ut

* Sic lege cautum erat ut meretrices, quæ in Tolosano Lupanari prostabant, ligulâ ab humero dependente insignes essent. Pasquier, *Recherches de la France, Liv. 8. chap.* 35.

lou Bourdeou ſiegò à la carrieiro dou pon traucat, proché lous Fraires Augouſtins, juſqu'au Pourtau Peiré; Et qué ſiego une portò d'au meſmo couſta, dou todos las géns intraran, & ſarrado à clau per garda que gis de jouineſſò nou vejeoun las dondos ſenſou la permiſſieou de l'Abadeſſo ou Baylouno, qué ſara toudos lous ans nommado per lous Conſouls. La Baylouno gardara la clau, avertira la jouineſſou de nen faire gis de rumour, ni d'aiglary eis fillios abandonnados; Autromen la mendro plagno que y ajo, noun ſortiran pas que lous Sargeans noun lous menoun en priſou.

IV.

La Reino vol que toudés lous ſamdés la Baylouno & un Barbier deputat das Conſouls viſitoun todos las fillios debauchados, que ſeran au Bourdeou; Et ſi ſen trobo qualcuno qu'abia mal vengut de paillardiſo, que talos fillios ſian ſeparados & lougeados à part, afin que non las counougoun per evita lou mal que la jouineſſo pourrié prenre.

V.

Item. Sé ſé trobo qualco fillio, que ſiego iſtado empregnado din lou Bourdeou, la Baylouno nen prendra gardo que l'enfan noun ſe perdo, & n'avertira lous Conſouls per pourveſieu à l'enfan.

VI.

Item. Que la Baylouno noun permettra à gés d'amos d'intra dins lou Bourdeou lou jour Vendré & Sandé ſan, ni lou benhoura jour de Paſques, à peno d'eſtré caſſado & d'avé lou foué.

VII.

Item. La Reino vol que todos las fillios debauchados, que ſeran au Bourdeou, noun ſian en gés de diſputo & jalouſié; Que noun ſe derauboun, ne battoun, mai que ſian commo ſorés,

Lupanar conſtituatur in vico Pontis pertuſi, juxta Conventum Fratrum Auguſtinorum uſque ad portam *Peiré.* (Petri) Et in eamdem partem porta pateat, quâ omnibus ingredi liceat, ſed quæ clave reſeretur, ne quis juvenis mulieres adire poſſit ſine veniâ Abbatiſſæ ſive Baylivæ, quæ quotannis à Conſulibus eligetur. Bayliva clavem ſervet, moneatque juvenes ne turbas cieant, aut timorem ullum incutiant mulieribus meritoriis; ſin ſecùs, ſi qua fuerit expoſtulationis cauſa, non exituros eſſe, niſi ut ab Apparitoribus in carcerem conjiciantur.

IV.

Jubet Regina Sabbato quolibet à Baylivâ unà cum Chirurgo à Conſulibus præpoſito mulieres meritorias ſingulas luſtrari, quotcumque in Lupanari proſtant; Et ſi qua ſcortatione ægritudinem ullam contraxerit, à cæteris ſeponi ut ſeorſim habitet, ne ſui copiam facere poſſit, ut morbi præcaveantur, qui à juvenibus poſſent concipi.

V.

Item. Si qua mulierum, quæ in Lupanari proſtant, gravidata fuerit, caveat Bayliva ne quid detrimenti embryoni accidat, moneatque Conſules ut futuro partui provideant.

VI.

Item. Caveat diligenter Bayliva ne quis omnino in Lupanar admittatur diebus Veneris & Sabbati Hebdomadis ſanctæ, aut beatâ die Paſchatis; ſin aliter faxit, exauctoranda & flagro cædenda.

VII.

Item. Imperat Regina, ut omnes meritoriæ mulieres, quæ in Lupanari proſtabunt, nec rixâ nec invidiâ invicem contendant; à mutuis furtis & jurgiis abſtineant; & ſo-

Qué quand qualco carello arribo, que la Baylouno las accordé & que caduno ſen ſtié à ce que la Baylouno nen jugeara.

VIII.

Item. Se qualcuno a rauba, que la Baylouno faſſo rendré lou larrecin à l'amiable; Et ſé la larrouno noun lou fai, que ly ſian dounados las amarinos per un Sargean dins uno cambro, & la ſecondo lou foué per lou Bourreou de la Cioutat.

IX.

Item. Que la Baylouno noun dounara intrado à gis de Juſious; Que ſe per fineſſo ſe trobo que qualcun ſie intrat, & ago agu conneiſſencé de calcuno dondo, que ſia empriſounat per avé lou foué per touto la Cioutat.

rorum inſtar amicè inter ſe vivant; Et ſi quid diſſidii intervenerit, à Baylivâ controverſia dirimatur, cujus judicio ſtandum erit.

VIII.

Item. Si quid furto ſubreptum fuerit, reſtitutio à Baylivâ bonâ gratiâ procuretur. Sin verò quæ rea eſt, refractaria ſit, primùm plectatur virgis ab Apparitore in conclavi; & ſi iterùm eâdem culpâ teneatur, flagro à Carnifice per ſingula Civitatis compita cædatur.

IX.

Item. Ne Bayliva Judæum ullum in Lupanar receperit. Quòd ſi verò Judæus quidam clam & aſtutiâ introgreſſus cum mulierum quâpiam rem habuerit, in carcerem conjiciatur * flagro per Urbis compita mulctandus.

Dicuntur Statuta illa reperta fuiſſe in veteri quodam Manuſcripto, quod exſcriptum fuerat ex Actis Magiſtri cujuſdam Tamarini, Notarii Avenionenſis & Tabellionis Apoſtolici, anno 1392. Memini certè notationem illam Apographo adſcriptam fuiſſe, quod ab amico acceptum habui. Ipſe quidem in id ſedulò incubui, ut omni ratione in auctoritatem & τὴν γνησιότητα illorum Statutorum inquireretur, ac egregios doctiſſimoſque Viros tum Avenione, tum Aquis Sextiis conſulendos curavi, num de Notario illo Tamarino, ipſiſve Statutis reſcirent quidpiam; ſed de neutro nihil hactenus comperire datum fuit. Placuit tamen Statuta illa hîc apponere, tum quòd aliquam veri ſpeciem præ ſe ferant, tum maximè ne quid ſciens diſſimulaſſe viderer, quod in meam opinionem torqueri poſſet.

Quænam ſit illorum Statutorum auctoritas?

Quòd ſi ea Statuta vera ſint & genuina, mirum fortè videbitur Reginam, annos tantùm viginti tres natam, in inſtruendo legibuſque informando Lupanari publico tam ſollicitam fuiſſe, eo potiſſimùm tempore, dum gravioribus curis diſtineri debuiſſet, ut quæ è Regno ſuo Neapolitano ejecta fuerat à Ludovico Hungariæ Rege, Andreæ fratris ſui ac Joannæ Mariti violentam mortem ulciſcente, cujus ipſa conſcia fuiſſe credebatur, & in Provinciam, quæ ſuæ ditionis erat, profugere coacta, Clementis VI. ſummi Pontificis Avenione commorantis præſidium implora-tura. Hinc probè ſentio Reginam illam venire in ſuſpicionem vitæ diſſolutioris & à modeſtiâ non parùm alienæ, tantò quidem potiori jure quòd Hiſtoricorum teſtimoniis palam ſit illam libidinis nomine malè audiiſſe.

Et quænam Joannæ Reginæ cauſa fuiſſe videatur illa ſanciendi?

* Profertur à Petro de Marca *in Appendice Marcæ Hiſpanicæ*, *pag.* 1038. Charta anni 1024. quâ conſtat Hebræum quemdam, nomine Iſaac, bonis mulctatum fuiſſe, quòd *adulterium exercuiſſet cum quâdam Chriſtianâ*.

Nihilominus tamen, ut verè dicam, videtur Joanna non tàm ingenio ſuo, quàm ſui temporis conſuetudini morem geſſiſſe in Lupanari illo Avenione inſtituendo. Conſtat ſimilia proſtibula, non in præcipuis modò * Italiæ urbibus jam tum à longo tempore conſtituta fuiſſe, ſed Romæ etiam juxta ipſummet ſummi Pontificis Palatium, unde tributum capiebat Mareſcallus Curiæ Romanæ, quod exemplum Guillelmus Durandi emendari cupiebat in Concilio Viennenſi. Vid. *Tractatum de modo celebrandi Concilii Generalis, Part. 2. Titul.* 10. Vidimus *præcedente capite* quid in Angliâ conſtitutum fuerit anno 1430. de Lupanari publico ſuburbii Londinenſis *Southwarck* dicti. Aderant demum & in regno Franciæ Lupanaria publica, præſertim in Occitaniâ, quæ Provinciæ confinis eſt, ut liquet ex rationibus Curiæ Computorum Monſpelienſi redditis & quæ in ejuſdem Actis exſtant, & ut maximè confirmatur exemplo Lupanaris publici Toloſæ inſtituti (*a*) jam ante annum 1201. atque privilegiis variis decorati à (*b*) Carolo VI. anno 1389. & à (*c*) Carolo VII. anno 1424. quod ab anno 1500. in deterius paulatim tendens, (*d*) circa annum 1566. penitus dilapſum eſt, nempe quòd ex eo tempore quo morbi venerei vulgati fuerant, ſumptus faciendi in curanda ſcorta, quæ lue inficiebantur, meretricios quæſtus non æquarent modò, ſed etiam plerumque ſuperarent.

(*a*) Catel, *Memoires de l'Hiſtoire de Languedoc, pag.* 187.

(*b*) Tréſor des Chartres.

(*c*) Catel *ubi ſuprà.*

(*d*) La Faille, *Annales de Toulouſe, Tom* 1. *ad ann.* 1424.

Neque verò putabant Principes, qui Lupanaria iſtiuſmodi olim inſtituebant aut tuebantur à majoribus inſtituta, ſe ullius culpæ reos eſſe; imò contrà ſe cùm de Religione, tùm de Republicâ mereri optimè, ut qui eo pacto homines libidine perditos à pejore flagitio revocarent, matronarum virginumque pudicitiæ conſulerent, ac graviora mala malis leviori-bus præverterent opportunè. Verùm an ſatis rectè Principes illi ſenſerint olim? An ſatis rectè ſentiant etiamnum, qui in ditione ſuâ Lupanaribus publicis favent, aliis judicandum permitto.

Ex articulo 4. Statutorum probari non poſſe morbos venereos olim graſſatos fuiſſe.

Hinc certè conſequitur Joannæ, qualitercumque morata ipſa fuerit, crimini vertendum non eſſe, quòd pro more ſuâ ætate recepto publicum Lupanar Avenione inſtituerit; ſed laudi potiùs, quòd inſtitutum Lupanar, præ cæteris omnibus Principibus, præclariſſimis, æquiſſimis, optimiſque legibus informaverit. Cætera quidem legum illarum ſive Statutorum capita parùm moror, quibus nihil ineſt difficultatis. Hîc expendendum tantùm habeo articulum quartum, in quo cavetur de morbis venere contagioſis, quem ideo putant Adverſarii de morbis venereis intelligendum eſſe, & unde credunt horumce morborum antiquitatem certò argui.

Verùm ut id conficiant, ipſis probandum priùs incumbit nullos alios morbos olim fuiſſe, præter venereos quales nunc uſu vigent, qui à ſcortis meretricio quæſtu corpus vulgando contrahi, & ab iiſdem uſu rei venereæ in concumbentes propagari potuerint. Sin aliter enim, ſatius eſt de morbis illis olim vulgò obviis objectum articulum intelligi, quàm contra aperta Auctorum omnium teſtimonia inde concludi venereos morbos olim viguiſſe, ut nunc vigent.

Cum certò Proinde argumentum, quod inde petitur, fundamento ſtat ruinoſo,

* De Lupanari publico, quod Venetiis ante annum 1300. inſtitutum fuit Senatûs decreto, vide Nicolo Doglioni *Lib.* 1. *Delle coſe Maravigliose è notabili della Citta di Venetia.*

niſi priùs probetur morbos venereos, qui nunc vagantur, ſolos eſſe, de quibus accipi poſſit quartus ille Statutorum articulus, quod adverſarios numquam præſtituros eſſe certi ſumus. Concidit verò, ruitque funditus, ſi ſemel probetur præter venereos morbos nunc quidem vulgo obvios, ſed olim planè incognitos, affectus alios quondam fuiſſe, qui promiſcuâ & immoderatâ venere concipi, qui concepti ſemel in ſcortatores manare potuerint, & de quibus proinde articulus ille intelligi debeat, quod nos ſequentibus teſtimoniis luculentè confecturos eſſe confidimus.

conſtet obvios olim fuiſſe morbos alios, de quibus articulus ille poſſit, debeatque intelligi.

Nempe conſtat 1°. Mulieres, quæ reſupinæ multorum abſorbent ictus etiam ſanorum, vulvæ rhagadiis, aut ſuperficiariis vaginæ ulcerationibus affici: neque enim muliebres loci in venere immoderatâ & promiſcuâ, jugi, concito, valido affrictu diſtrahi, ſuccuti, perfricari poſſunt, niſi ſuo incommodo ac detrimento, in iis fœminis potiſſimùm, quæ juniores aut naturâ debiliores, molliore partium ſolidarum contextu præditæ ſunt; quibus uterus in ſede malè coercitus versùs vulvam nimiùm deſcendit; quæ cum viris mutoniatis, aut quibus ſemen acrius eſt rem habent; demum quæ locos, ubi collecta ſemina fraceſcunt, negligentiùs rariùſque colluunt &c. Hinc ergo palam eſt à vulgaribus meretricibus, quæ pleriſque recenſitis periculis maximè objectæ erant, ſimiles pareſque affectiones frequentiſſimè olim contrahi debuiſſe, ſemel contractas cauſæ ejuſdem ſimiliſve iteratione, aut meretriciâ ſocordiâ in dies invaleſcere, ac tandem cum ſcortatoribus communicari per diffuſum in actu venereo tabum, non ſecùs ac ſcabies, herpetes, furunculi &c. contagione propagantur, unde ſoboleſcebant in viris virgæ eryſipelata, herpetes cenchriades, phlyctænæ, ulcuſcula in balani ſuperficie ac coronæ ambitu, qualia ante notam luem veneream à Medicis deſcribi ſuprà vidimus *Capp. 5. & 6.*

Nempe 1°. Vulvæ thagadia & vaginæ ulcerationes phlyctænoidæas in meretricibus, unde ſerpebat in ſcortatores, quibuſcum corpora commiſcebant, labes multigena.

Conſtat 2°. Mulieres libidinoſas, quæ frequentiùs ſubagitantur, ſi qua nativa uteri imbecillitas adfuerit, fluore muliebri uberi, acri, fœtido; imò verò ulcere uteri, aut quod peſſimum eſt, carcinomate inde plerumque laborare. Fiunt nempe in utero, dum iterato, validoque erethiſmo percellitur ab erotico pathemate, ſtaſes anomalæ tum ſanguinis tum limphæ, quibus cola uterina relaxari, unde fluor muliebris; uteri ſtamina diſcindi, unde ulcera; demum limphaticos decubitus generari neceſſum eſt, unde ſcirrhi, qui in carcinomata plerumque deſinunt. Haud mirum ergo ſi meritoriæ mulieres, quæ publicæ parebant libidini, iiſdem affectibus olim obnoxiæ fuerint, unde effectum ſit ut præ acrimoniâ tabi vel puris ab utero manantis, concumbentibus morbos varios intulerint, ut balani, præputii, virgæ eryſipelata, herpetes cenchriades, phlyctænas, ulcuſcula &c. qualia ab impuris meretricibus concipi narrant Auctores ipſi, qui primo luis venereæ ingreſſu antiquiores vixêre, quâ de re vide ſuprà *capp. 5. & 6.*

2°. Fluorem muliebrem acrem & fœtidum, uteri ulcus, imò & carcinoma in meretricibus, unde in ſcortatoribus oriebantur virgæ eryſipelata, herpetes, phlyctænæ, ulcuſcula &c.

Conſtat 3°. Ex iis, quæ præcedente capite dicta ſunt, mulieres quæ cum leproſis rem habebant, phlogoſi eryſipelatodæâ vaginæ atque urethræ plerumque affectas fuiſſe, cum gravi & moleſtâ dyſuriâ, quod morbi genus *arſura* ſive *incendium* dicebatur; viroſque ipſos, qui cum iiſdem concumberent ſic infectis, imò etiam ſanis, ſed nondum lotis poſt admiſſum leproſum, ſimili parique affectione ut plurimùm ægrotaſſe, quaſi per con-

3°. Eryſipelatodæam vaginæ & urethræ phlogoſim, quæ *arſura* ſive

Incendium dicebatur, & meretricibus atque ſcortatoribus communis erat.

tagionem contractâ. Aderat ergo quandiu lepra viguit, morbus, qui venere à meretricibus contrahi; qui à meretricibus venere cum ſcortatoribus communicari potuit; qui olim quidem frequens eſſe debuit, ſed qui cum abeunte leprâ ipſe quoque jam pridem abiit: vidimus enim ſuprà *cap.* 6. cum gonorrhœâ venereâ nullomodò confundi poſſe.

4°. Lepram ipſam, quæ à leproſis in ſcorta, & à ſcortis in cæteros ſcortatores ſanos concubitu non rarò traducebatur.

Conſtat 4°. Ex iis quæ *eodem capite* adducta ſunt, lepram, ut convictu & contubernio, ſic maximè venereo congreſſu ab infecto in ſanum propagatam fuiſſe. Non eſt ergo dubium quin eâ ratione proſtibula in Lupanaribus lepram ſæpiſſimè contraxerint; quin contractam eamdem afflaverint ſæpiſſimè ſanis pleriſque, quos non pudebat in Lupanaribus libidinari. Proinde antiquitus adfuit, quandiu lepra viguit, quarta morbi ſpecies, nempe lepra ipſamet, quæ venere concipi à meretricibus, quæ venere in ſcortatores manare potuerit.

Probè quidem novi (*a*) legibus olim cautum fuiſſe, ne leproſi cæterorum hominum conſortio uterentur, ſed nullibi credo leges hujuſcemodi eâ diligentiâ obſervatas fuiſſe, ut leproſi nulli potuerint exleges vagari & in Lupanaria clam irrepere. Certè conſtat Judæos omnibus ſemper inviſos, & inſigni notâ à cæteris (*b*) diſcretos quam detrahere vetabantur gravi mulctâ, in Lupanar ipſum Avenionenſe, quo illis interpoſitâ flagri pœnâ cautiſſimè interdictum erat *articulo Statutorum ultimo*, ſeſe aliquoties inſinuaſſe, ut in Actis ejuſdem Magiſtri Tamarini narratur de Judæo quodam Carpenctoratenſi, *Doupedo* dicto, qui Avenione flagro cæſus eſt anno 1408. quòd meretricem in Lupanari furtim conſtupraviſſet.

Hinc itaque, ut jam concludam, manifeſtum eſt adfuiſſe olim affectiones & numero plures & genere diverſas, quæ meretricio quæſtu contrahi, & contractæ in ſcortatores à meretricibus propagari potuerint; quin potiùs, ut veriora dicam, quæ olim meretricio quæſtu contractæ, & in ſcortatores à meretricibus propagatæ fuerint. De illis ergo poteſt, imò verò debet intelligi articulus ille quartus Statutorum, qui objicitur; nullomodò verò de venereis morbis, quos in Europâ recentiores eſſe probatur & demonſtratur argumentis omni exceptione majoribus: imò, ut quid afferam quod ad rem propiùs ſpectet, quos in Provinciâ ipsâ ante annum 1496. ignotos fuiſſe conſtat (*c*) ex Actis Univerſitatis urbis Manuaſcæ, vulgò *Manoſque*, ubi legitur quemdam nomine dictum Peirache Durez, qui publicis civitatis furnis præpoſitus erat, à munere motum & ab urbe

(*a*) Voyez La Marre, *Traité de la Police*, *Liv.* 4. *Titre* 12. Et ſcripta plerorumque Medicorum decimi tertii & decimi quarti ſæculi, ubi *de juridico leproſorum examine.*

» (*b*) Divus Ludovicus juſſit anno 1269. Rotam de feutro ſeu panno crocco à Judæis » in ſuperiori veſte conſui ante pectus & retrò, cujus rotæ latitudo eſſet in circumfe- » rentiâ quatuor digitorum, concavitas autem contineret unam palmam. Proſtant Edicta ſimilia de re eâdem Philippi III. dicti Audacis, anno..... Ludovici X. Hutini dicti, anno 1315. Joannis I. annis 1362. & 1365. Vide *Ordonnances des Rois de France par M. Secouſſe* ad illos annos.

Idem quoque conſtitutum erat in Provinciâ de Judæis ibi degentibus à Carolo II. Provinciæ Comite anno 1293. à Conciliis Avenionenſibus annis 1326. & 1327. à Rege Renato anno 1454. Vide *Mémoires de Littérature & d'Hiſtoire*, *Tom.* 2. *part.* 2. *pag.* 362.

(*c*) Pitton, *Hiſtoire d'Aix*, *Liv.* 4. *pag.* 246.

expulsum fuisse, anno quo suprà, quòd *pateretur infirmitatem* * *de las Bubas, quam duxerunt certi armigeri à loco de Romaniâ anno elapso, existentes in servitio Regis* (Caroli VIII.) *& illustrissimi Ducis Orleani*, (qui deinde fuit Ludovicus XII.) *apud præsentem patriam Provinciæ sanam pro tunc existentem infirmitate prædictâ, quæ adhuc non vigebat in Provinciâ.*

II. Altera argumentatio, quæ in nos urgetur, deducitur à denominatione luis venereæ, quæ Gallicè dicitur *variola* simpliciter, *la vérole*, cùm è contrà variolæ, morbus ille puerilis notissimus, Gallicè dicatur *parva variola*, *la petite vérole*, adjecto epitheto, quo à lue venereâ distinguatur: unde videtur posse colligi luem veneream variolis antiquiorem esse, neque alio fine epithetum additum fuisse, nisi ut morbus recentior ab antiquiore discerneretur, quocum nomine conveniebat. Porrò, si ea vera sint, patet nostram de novitate luis venereæ opinionem inde pessundari; consequeretur enim Europam nostram jam ab annis 800. & ultrà lue venereâ infestari, cùm certò constet ab illo temporis spatio variolas in Europâ frequentes esse.

II. Alterum argumentum petitur ex eo quòd epitheto, quod solet addi voci gallicæ *vérole*, ut variolæ significentur, videatur argui variolas lue venereâ recentiores esse.

Sed hæc quantumvis specie egregia, re tamen infirma sunt, & quæ in ipsos Adversarios, à quibus opponuntur, facilè recidant.

Nam 1°. Constat variolas antiquitùs non *parvam variolam*, *la petite vérole*, sed *variolam* simpliciter, *la vérole*, Gallicè dictas fuisse; quod potest certissimè evinci Auctorum ipsorummet testimoniis, qui circa prima luis venereæ tempora scripserunt. Sic Franciscus Rabelæsus, in *Pantagruelis Historiâ*, *Lib.* 4. *cap.* 52. Nicotius in *Lexico*, in verbo *vérole*; Ambrosius Paræus, *Operum Chirurgicorum*, *Lib.* 20. Variolas Gallicè appellant *la vérole* sine epitheto, quæ sanè denominatio variolarum in plerisque Galliarum Provinciis etiamnum usu valet. Hinc, ut obiter moneam, haud inanis suspicio est Carolum Thuillier, Doctorem Medicum, ignoratione prisci sermonis deceptum perperam omnino intellexisse, *Observations sur les Maladies Vénériennes*, *seconde édition*, *pag.* 10. quæ leguntur in Actis Senatûs Parisiensis ad annum 1521. de N. Pouillot inter Magistros libellorum supplicum admisso die 25. Junii anni dicti, deinde in eodem Senatu Præside, ac tandem mortuo *de la vérole*, quasi scilicet significaretur postremis hisce vocibus dictum Pouillot lue venereâ extinctum esse, cùm significetur tantùm variolis illum fuisse sublatum.

Sed contrà probatur 1°. variolas gallicè olim dictas fuisse *vérole* seu potiùs *vairole*, sine ullo epitheto.

2°. Constat è contrario luem veneream initio non *variolam*, *la vérole* simpliciter, sed *magnam variolam*, *la grosse vérole* vocatam fuisse à Gallis, in cujus rei testimonium sufficit adduxisse. 1°. Senatûs Parisiensis Decretum anno ipso 1496. sancitum de disciplinâ erga eos observandâ qui lue venereâ infecti forent, quod infrà proferetur *ultimo hujusce Libri capite*, & ubi morbus ille dicitur *la grosse vérole*: 2°. Gasparem Torellam, qui in *Dialogo de dolore in pudendagrâ*, scripto in Gallia anno 1498. Petrum Angelum Agathum, qui *in adnotatione ad caput* 2. *Libri Gabrielis Fallopii de Morbo Gallico*, & Joannem le Maire, Poëtam Gallum, qui in Carmine allegorico, dicto *Compte second de Cupido & d'Atropos*, scripto anno 1520. testantur disertè luem veneream à Gallis *grossam variolam*, *la grosse vé-*

2°. Contrà verò luem veneream initio gallicè nuncupatam fuisse *la grosse vérole* ou *vairole* cum epitheto.

* Vulgatum est luem veneream illo nomine ab Hispanis appellatam fuisse.

role nuncupari : 3°. Denique Laurentium Joubertum, Medicum Monſpelienſem, Theodoricum de Hery, & Ambroſium Paræum Chirurgos Pariſienſes, qui in Operibus *de lue venereâ* ſcriptis annis 1577. 1552. & 1575. morbum illum numquam dicunt *la vérole*, ſed ſemper *la groſſe vérole.*

3°. Inde proinde conſequi ipſo adverſariorum judicio luem veneream variolis recentiorem eſſe.

3°. Hinc ergo tantùm abeſt ut lues venerea variolis antiquior cenſenda ſit, ut contrà inde conſequatur vel ipſo Adverſariorum judicio luem veneream, quæ olim *variola magna* ſive *groſſa* dicta fuit, variolis, quæ *variola* ſimpliciter appellabantur, recentiorem eſſe, ut à quibus adjecto epitheto diſtingui debuerit, quemadmodum in nobilium familiis ſtirpes, quæ gradu poſteriores ſunt, gentilitiam teſſeram adſcititio quodam ſymbolo diſtinguunt, quod Gallicè dicitur *porter des armes briſées*, ut à primogenitis dignoſcantur, quorum plena eſt ac pura teſſera, quod Gallicè dicitur *porter des armes pleines & ſans briſure.*

4°. Uſu tamen factum fuiſſe, ut epithetum ad variolas jam deſignandas jam adhibeatur.

4°. Quòd ſi verò jam ab aliquo tempore uſu receptum ſit luem veneream Gallicè vocari *variolam*, *la vérole* ſimpliciter, ſine appoſito epitheto, id ideo factum eſt, quòd cùm ii, qui variolis ægrotabant, aut qui de ægrotis iſtiuſmodi verba faciebant, diligenter caverent, ut adjecto epitheto morbum illum à lue venereâ, turpi ſcilicet & probroſo affectu, diſtinguerent, *parvam variolam*, *la petite vérole* ſemper dicendo, uſus tandem invaluerit ut variolæ jam non ampliùs *la vérole* ſimpliciter, ſed ſemper *la petite vérole* appellarentur, quocirca lues ipſa venerea, omiſſo jam epitheto quaſi planè otioſo, nuncupata fuit ſimpliciter *variola*, *la vérole.*

5°. Quæ ſingula confirmantur exemplo cæterarum Europæ nationum.

5°. Poſſunt allata egregiè confirmari exemplo cæterarum Europæ nationum, quibuſcumque lues venerea cum variolis homonyma eſt perinde ac nobis. Sic ab Anglis variolæ *the pocks* ſimpliciter, hoc eſt *variola*; rarò *the ſmall pocks*, hoc eſt *parva variola* dicuntur; contra verò lues venerea ſemper vocatur *the great pocks* vel *the french pocks*, *magna variola* vel *variola Gallica.* Similiter à Belgis Germaniſque variolæ appellantur plerumque ſimpliciter *die pocken*, variolæ, vel *die blattern*, puſtulæ, aut ad ſummum ſed rarò *die kinder pocken*, pueriles variolæ : ab iiſdem verò lues venerea dicitur ſemper *die frankoſiſche pocken*, variolæ Gallicæ, vel *die groſſen blattern*, magnæ puſtulæ.

III. Tertium argumentum petitur ex eo quòd Græca ſint pleraque nomina, quibus morbi venerei deſignantur.

III. Denique ſunt nonnulli, inter quos numerandus eſt (*a*) Fabius Pacius, Vicentinus, qui credant luis venereæ antiquitatem inde poſſe aſtrui, quòd Græca ſint pleraque nomina, ut gonorrhœa, phimoſis, paraphimoſis, bubo, rhagadia &c. quibus morbi venerei deſignantur. Sed næ illi in re tum litterariâ, tum medicâ planè hoſpites eſſe videntur, qui neſciant gonorrhœam, phimoſim &c. à Græcis quidem Medicis olim obſervatas & deſcriptas fuiſſe, ſed quæ cauſâ & origine planè diverſæ, nullomodò venereæ eſſent; inde verò eadem nomina, poſtquam apparuit lues venerea, deducta eſſe ad affectiones ſignificandas genere quidem pares, ſed cauſâ diſpares, ut quæ à ſeminio venereo, novo & prioribus ſæculis inaudito veneni genere, orirentur : Quidni etenim licuiſſet in medicinâ, quòd in aliâ quâvis materiâ ſemper licuit, ſcilicet antiqua nomina & ad res quaſdam deſignandas uſu recepta rebus novis, ſi qua intercederet convenientia, accommodare ? Sic *un Régiment*, phalangem ; *un mouſquet*,

(*a*) *In Tractatu de Morbo Gallico.*

Sed nihil futilius excogitari poteſt. Quaſi

mouſquet, catapultam; *la Poudre à canon*, pulverem pyrium; *la Bouſſole*, pyxidem nauticam; *l'Imprimerie*, Typographiam &c. Græcis vocibus dicimus, quamvis certo certius ſit hæc omnia à Græcis olim ignorata fuiſſe, ut quæ quàm maximè.

verò non licuerit antiqua nomina ad morbos novos ſignificandos accommodare!

CAPUT VIII.

Fabulæ de origine luis venereæ referuntur & refelluntur.

UT Medicorum omnium, qui decimo quinto deſinente & ineunte decimo ſexto ſæculo vixerunt, conſtans & unanimis fuit ſententia, novam eſſe luem veneream; ſic eorumdem variæ & diſcordes fuêre opiniones de ejuſdem origine. Pleraſque, cùm fictæ & vanæ eſſent, temporis diuturnitate extabuiſſe videmus: Commenta enim delet dies. E re tamen fore viſum eſt potiſſimas paucis referre ordine chronologico, & refellere paucioribus, ut ſaniori, quam mox proponemus ſequente capite, viam planiorem & faciliorem patefaciamus.

Luem veneream falsò deductam fuiſſe.

I. Antiquiores Medici, ut temporum ferebat conditio, ſeu potiùs ſuperſtitio, Aſtrologorum nugis aniliter creduli diræ luis originem à maligno Aſtrorum influxu, aut à maleficâ Planetarum coitione deducendam certatim credidêre, ſed ut error ſibi malè conſtat, à variis variorum Planetarum coitionibus varii deduxêre.

I. A maligno ſiderum influxu.

Sic anno 1497. Coradinus Gilinus, in Opuſculo de Morbo Gallico, quod jam ſuprà laudavimus, aſſerebat ortum morbi adſcribendum eſſe *conjunctioni Saturni & Martis, quæ fuit* 16. Januarii 1496. circa meridiem, quæ ſignificabat corporum humanorum mortalitates; aut conjunctioni « Jovis & Martis, quæ fuit die 17. Novembris 1494. in ſigno calido & « humido, vapores à terrâ & aquâ elevando, quas Mars calidus & ſiccus « inflammat & ignit, quibus poſteà aër immutatur & corrumpitur, humo- « reſque corruptos & aduſtos generans harum ægritudinum cauſa eſt. «

1497.

Sic anno 1500. Gaſpar Torella aiebat *Tract. De Pudendagrâ*, hunc « morbum evenire à conſtellatione corporum ſuperiorum, eò quòd effec- « tus univerſalis in cauſas univerſales reſolvi debet; & hoc propter Satur- « num exiſtentem in Ariete; nam in Ariete & in Piſcibus ſunt quædam ſtel- « læ habentes virtutes generandi monſtra. «

1500.

Sic anno 1514. Wendelinus Hock de Brackenaw, qui, ut ſuprà vidimus *capite* 4. luis venereæ ingreſſum refert ipſe ad annum 1494. ex præjudicio tamen cum ſeipſo pugnans contendebat *Operis de Morbo Gallico cap.* 2. hunc morbum veriùs cepiſſe exordium anno Domini 1483. « quia eo anno menſe Octobris fuerunt quatuor Planetæ, videlicet Jupiter, « Mars, Sol, & Mercurius in Librâ in domo ægritudinis: & ſignificat ægri- « tudinem ex corruptione ſanguinis & choleræ: Et fuit ibi combuſtus Ju- « piter eodem ſigno: Fuitque ibidem conjunctio Jovis & Martis & Mer- « curii: Et Martis & Veneris, Jovis & Mercurii, & Jovis & Veneris de « menſe Octobris die primâ Novembris. *Fuit præterea bis eclypſata Luna eo* « *anno, tàm in Scorpione in domo ægritudinis, quàm in ejus oppoſito. Fuit præ-*

1514.

tereà in eodem Scorpione in ipsâ domo ægritudinis combuſtus Saturnus & Mercurius, conjunctus Saturnus & Venus, fuitque conjunctus Saturnus & Mars in ultimâ Novembris, & ſic ſignificaverunt corruptionem ſanguinis & choleræ, & conjunctiones omnium humorum, & abundantiam humoris melancholici tàm in viris quàm in mulieribus.

1532. Sic demum anno 1532. Laurentius Phriſius, Opuſcul. *De Morbo Gallico, cap.* 3. putabat *Sciendum eſſe ad cauſæ morbi primitivæ evidentiam, quòd in anno Chriſti* 1483. *fuerunt nonnullæ Planetarum congreſſiones, die videlicet* 15. *menſis Octobris hora* 2. *poſt meridiem. Ut autem clariùs intelligas*, aiebat ille, *ſcito tempore præfato Jovem, Martem, Solem & Mercurium ſimul coiſſe in Librâ, in octavâ domo quæ ægritudinis eſt ſignificativa. Fuit quoque humanæ naturæ amicus Jupiter combuſtus..... Prætereà advertendum eſt furioſum fuiſſe hunc annum, quia primâ die Novembris corroboratæ ſunt illæ impreſſiones conjunctionibus ſcilicet Martis & Veneris, Jovis & Veneris in domo ægritudinis præfatâ. Luna quoque duas paſſa eſt eclipſes, unam videlicet in Tauro, alteram in Scorpione.*

Similia legere eſt apud Petrum Maynardum, Veronenſem, *Tractatu de Morbo Gallico, cap.* 3. anno 1518. Nicolaum Maſſam, Venetum, *Tract. de Morbo Gallico, cap.* 6. anno 1533. Ulrichum de Hutten, Equitem Germanum, *Lib. de Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci cap.* 2. anno 1519. Hieronymum Fracaſtorium, Veronenſem, *Lib.* 2. *de Morbis contagioſis, cap.* 2. anno 1540. Joannem Benedictum, Germanum, *Libell. de Morbo Gallico, cap.* 2. anno 1550. *&c.*

Sed ea propoſuiſſe, præſente quali vivimus ætate, abundè refellere eſt. Nunc enim cordatioribus phyſicis certò liquet: 1°. Planetas in corpora noſtra nullo influxu agere, quo poſſint naturalem œconomiam ullatenus fovere aut pervertere: 2°. Utcumque agere poſſent, nullo niſi cæco fundamento niti diſcrimen, quo diverſos Planetas placuit Aſtrologis diſtinguere in benignos & malignos: 3°. Demum etiam admiſsâ vanâ eâ diſtinctione nec Planetas nec Plantarum concurſus ullâ ratione conferre ad morbi generationem, à quo ſibi cavere, quem ſibi procurare unicuique licet pro lubitu.

II. Ab aëris vitiosâ intemperie.

Puduit Medicorum nonnullos vanis Aſtrologorum aſſertionibus nimiùm confidere; unde factum eſſe videtur, ut quidam neglectis Aſtrologorum judiciis, de quæſtione medicâ juxta certa artis axiomata convenientiùs ſenſerint, morbi novi cauſam ad peculiarem aëris intemperiem referendo.

1497. Sic verbi gratiâ anno 1497. Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, in Libello *de Morbo Gallico*, poſtquam expoſuit *hunc morbum aut divinâ irâ, ut Theologi ſentiunt; aut vi Aſtrorum, ut Aſtrologi opinantur; aut ex certâ aëris intemperie, quemadmodum Medici arbitrantur, evenire*, ita inde pergebat; *Nos Medicos hac in parte ſequentes cauſas naturæ proximiores aſſignabimus. Illud ſatis conſtat eo anno, quo Morbus Gallicus cœpit pullulare, magnam aquarum per univerſam Italiam fuiſſe exuberantiam. Teſtis eſt Roma, quæ prima id malum ſenſit, in quâ Tybris ita intumuit, ut tota ſit facta navigabilis..... Non aliter quàm in Romano Tybris, in agro etiam Bononienſi Rhenus, in Ferrarienſi & Mantuano Padus, in Venetiâ Atheſis extra ſolitos limites exundarunt. Tantis denique imbribus annus ille ubique maduit, ut terris*

exinde humentibus atque ſtagnantibus, minùs mirandum ſit æſtivum aërem ad illam veniſſe intemperiem calidam ſcilicet & humidam, quam Medici atque Philoſophi omnium putredinum matrem eſſe confitentur. . . . . Scabies verò Gallica, *ſi ſcabies eſt appellanda, per univerſam* tunc *apparuit Italiam, & adhuc perſtat adeò fœda, ut plerique Medici quâdam decepti ſimilitudine elephantiaſim eſſe putaverint.*

Cum Leoniceno hac in re conſenſerunt Natalis Monteſaurus, Veronenſis, in *Tractatu de Diſpoſitionibus, quas vulgares Mal Franzoſo appellant, edito anno* 1498. *capitulo* 4. quanquam ab eodem de cæteris diſſentiat: Antonius Scanarolus, Mutinenſis, in *Diſputatione de Morbo Gallico & opinionis Nic. Leoniceni confirmatione, contra Natal. Monteſaurum, Veronenſem, eamdem opinionem oppugnantem*; quæ typis vulgata fuit anno 1498. Demum Leonardus Schmai, Salisburgenſis, *Tractatûs de Morbo Gallico, cap.* 1. quem ſcribebat anno 1518.

Sed patet hujuſce opinionis vanitas 1°. Ex eo quòd ſi lues venerea à pluvio cœli ſtatu ortum duxiſſet, debuiſſet jam ante annum 1494. ſæpiùs in orbe noſtro apparere, cùm procul dubio ſæpiùs antè recurrerint tempeſtates æquè humidæ calidæque: 2°. Ex eo quòd debuiſſet jamdudum lues venerea evaneſcere, ſi ab allatâ causâ unicè penderet, quæ contrariâ aëris temperie, calidâ nempe & ſiccâ, pridem diſſipata foret, quorum tamen neutrum verum eſt. Sed quid opus pluribus confodere opinionem, quæ ſponte ruit? Satius eſt annotare hanc ſicut & præcedentem opinionem ex mero præjudicio acceptam videri, nempe cùm morbi naturâ nondum ſatis perſpectâ, & ægrotantibus modum, quo luem contraxerant, cautè diſſimulantibus, falsò crederetur Morbum Gallicum epidemicum eſſe peſtis inſtar & peſtilentium affectuum, atque adeo à causâ univerſali & communi dependere, quæ ſingulos, niſi nativa temperies obſtaret, poſſet inficere; quod ſanè tum à Leoniceno, tum à cæteris quos hactenus præſenti capite laudavimus, creditum olim fuiſſe ſcriptis liquet. Neque enim putandum eſt ſanos alioquin viros potuiſſe unquam, luem veneream cauſæ communi, aëris ſcilicet vitio aut Planetarum aſpectibus tribuere, ſi compertum habuiſſent hanc morbi ſpeciem non ab aëre duci, ſed contagione tantùm & contagione præſertim venereâ propagari.

III. Sed ubi primùm meliùs innotuit morbi natura, & contagionis ratio, neceſſe fuit cauſas alias comminiſci, quæ morbo iſtiuſmodi producendo aptiores viderentur: Inde ortæ variæ & multiplices fabulæ, prout quiſque ad comminiſcendum fuit ingenioſior.

III. A aliis cauſis quibuſdam ſpecialioribus.

Sic 1°. Joannes Manardus, Ferrarienſis, *Epiſtolâ* 2. *Lib.* 7. quam ad Michaëlem Sanctannam Chirurgum ſcribebat circa annum 1525. aſſerit *Quoſdam eſſe, & hanc eſſe antiquiorem ſententiam & majoribus fultam teſtimoniis, qui cœpiſſe hunc morbum per id tempus dicunt, quo Carolus Francorum Rex expeditionem Italicam parabat: Cœpiſſe autem in Valentiâ Hiſpaniæ Tarraconenſis inſigni civitate à nobili quodam ſcorto, cujus noctem elephantioſus quidam ex equeſtri ordine miles quinquaginta aureis emit; & cùm ad mulieris concubitum frequens juventus accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos, è quorum numero nonnulli Carolum Italiam petentem ſequuti præter alia, quæ adhuc vigent importata mala, & hoc addiderunt inter minima non deputandum.*

1°. A Scorto quodam Valentino, quocum leproſus rem habuerat. 1525.

Similem, ſi non eamdem, hiſtoriam narrat Petrus Andreas Matthiolus, Senenſis, in Opuſculo *de Morbo Gallico*, ſed mutatis tum perſonâ tum ſcenâ, quod dubiam & incertam famam arguit. *Nonnulli*, inquit, *Morbum Gallos, cùm per montem Salvium iter facerent, à fœminis leproſis per coitum primitus contraxiſſe . . . . . memoriæ prodiderunt.*

2°. A Scorto alio quodam in Gallorum caſtris, cujus in utero abſceſſus lateret. 1551.

Sic 2°. Antonius Muſa Braſſavolus, Ferrarienſis, Lib. de *Morbo Gallico* narrat *in Gallorum caſtris ſcortum adfuiſſe nobiliſſimum ac pulcherrimum, in uteri ore putrefactum gerens abſceſſum. Viri*, inquit, *qui cum illâ coibant, adjuvante etiam humiditate ac putredine, dum membra virilia per uteri collum perfricabant, ob loci etiam putredinem in eorum virilibus membris pravam quamdam affectionem contrahebant, quâ exulcerabantur. . . . . Hæc lues unum primò infecit hominem, poſteà duos & tres & centum, quia illa erat publica meretrix & pulcherrima; & ut procax eſt humana natura in coitum, multæ mulieres cum his vitiatis viris coeuntes lue iſtâ infectæ ſunt, quam deinde aliis viris ſunt impartitæ.*

3°. A Puteis, Hiſpanorum perfidiâ venenatis, aut à gypſo cum farinâ miſto. 1560.

Sic 3°. Gabriel Fallopius, Mutinenſis, Tract. de *Morbo Gallico, cap. 1.* contendit *Hiſpanos, callidiſſimos atque cautos milites, qui gladiis hoſtes, dolis & arte offendunt (nam*, inquit, *dolus an virtus quis in hoſte requirat?) cùm ipſi eſſent pauci, Gallorum verò numerus propemodum infinitus, nocte egreſſos eſſe relinquentes propria præſidia & puteos venenaſſe. Nec ſatis hoc fuiſſe, Italos piſtores in exercitu adverſo degentes pretio corrupiſſe, qui gypſum pani admiſcerent.*

4°. A vinis veneno infectis. 1601.

Sic demum 4°. Andreas Cæſalpinus, Aretinus, Clementis VIII. ſummi Pontificis Medicus, gloriatur *Artis Medicæ Lib. 4. cap. 3. Aliam hiſtoriam ſe habere veriorem, ab iiſmet traditam qui interfuerant, ex milite Aretino qui in eo bello militabat cum Hiſpanis. Is*, inquit, *referebat oppidum in Monte Veſuvio, quod Somma dicitur, ubi copia eſt vini generoſi, quod Græcum appellatur, clam noctu ab Hiſpanis derelictum obſidentibus Gallis, ſed vino infecto ſanguine, quem extraxerant ex iis, qui in Hoſpitali ſancti Lazari laborabant. Ingreſſos igitur Gallos atque eo vino expletos cœpiſſe laborare comparentibus ſæviſſimis ſymptomatis elephantiaſim referentibus.*

Sed hæc gerræ germanæ ſunt, & profectò gerræ maxumæ: Nam 1°. Miles ille elephantiacus Manardi ſcortum Valentinum, & leproſæ mulieres Matthioli Gallos, quibuſcum miſcebantur, non lue venereâ, quâ immunes erant, ſed leprâ quâ laborabant, debuerunt inficere. Sicut enim canis canem, ſic morbi contagioſi quilibet, dum in ſanos propagantur, affectus ſui ſimiles & ejuſdem naturæ progenerant. Adde in dubio nullatenus eſſe poſſe, quin jam ante Caroli VIII. tempora, & poſt eadem, quandiu lepra Europæ inolevit, leproſi aut leproſæ cum bene valentibus furtivâ aut permiſsâ venere uſi fuerint, neque tamen compertum fuit quid monſtri unquam inde prodiiſſe.

2°. Idem ſentiendum de meretrice Braſſavoli, in cujus utero abſceſſus aut potiùs ulcus latebat. Facilè equidem crediderim puris aut ichoris inde manantis acrimoniâ ſciſſuras, phlyctænas, ulcerationes leviores & facilè curabiles in balano, præputio, totoque pene excitari potuiſſe; at verò luem venereamminimè, affectionem ſcilicet ita peculiarem, quæ à cæteris morbis causâ, ſymptomatis, contagionis modo planè diſpar ſit. Profectò, ut

humanum genus in venerem pronum eſt, contigit pluries viros cum mulieribus, quarum uterum ulcus depaſcebatur, rem habuiſſe ſine ullo luis venereæ contrahendæ periculo, modò ipſæ eſſent talis labis planè expertes.

Sed incidit in animum ſuſpicio, nec vana forſan, Elephantiacum Manardi, leproſas fœminas Matthioli, meretricem ulcere uteri laborantem Braſſavoli, luem veneream, quam jam contraxerant, pudore, malitiâ, aut ignorantiâ falſo nomine celaviſſe, ut per morbi initia facillimum erat; quæ ſi ita ſint, haud ſanè mirum erit contaminatâ venere morbum propagatum fuiſſe, ſed mirum erit tantummodo Medicos ſui ævi celeberrimos id nequaquam ſubolfeciſſe.

3°. At ſaltem mirari ſatis non poſſumus aut Fallopium, qui aquâ puteorum ab Hiſpanis venenatâ, vel gypſo à piſtoribus Italis pani addito; aut Cæſalpinum, qui vino, cui ſanguis à leproſis eductus mixtus eſſet, crediderunt luem veneream in Gallorum exercitu excitari potuiſſe. Inde ſanè & graves & lethales affectus induci certo certius eſt: Sic C. Proculeius Auguſti Cæſaris familiaris gypſo poto in maximo ſtomachi dolore mortem ſibi olim conſcivit, teſte Plinio, *Hiſtor. Natural. Lib. 36. cap.* 24. Sic quondam miſerè periit ferè totus Germanorum exercitus, qui duce Conrado III. Imperatore Germanico, Iconium obſidebat anno 1148. cùm perfidiâ Emmanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani farinæ gypſo adulteratæ ſubminiſtrarentur. Vid. Funccium *in Chronolog.* Sic anno 1321. regnante in Galliâ Philippo V. qui Longus cognominabatur, leproſi Judæorum ſuaſu & Mahumetanorum, ut fama ferebat, Granatenſis & Tunetani Regum inſtigatione puteos veneno infecêre, unde plurimi Chriſtiani miſerè interiêre. Vid. Mezerai *Abbr. Chronolog.* ad ann. 1321. Sed hæc exempla ipſamet, utcumque ratio conticeſceret, abundè probant talium venenorum hauſtu morbum numquam invehi poſſe ſporadicum, novæ indolis & naturæ, cæteris morbis notis diſſimilem, qui impurâ & vulgivagâ venere propagetur, demum qui eos numquam attingat, qui nullâ vel qui purâ tantùm venere utuntur.

IV. Ab humanâ carne in eſcam apparatâ. 1564.

IV. Novam de hujus morbi origine hiſtoriam, & ad ſua uſque tempora planè inauditam Leonardus Fioravanti, famoſus ſuo tempore in Italiâ Empiricus retulit in Tractatu Italicè ſcripto & anno 1564. edito, cui titulus eſt, *Capricci Medicinali de M. Leonardo Fioravanti.* Hanc ut omnem mendacii ſuſpicionem amoliretur, ſe accepiſſe ait à quodam Paſchali Gibilotto, ſene Neapolitano, & annos jam nato 98. cujus pater, à quo filius rem tenebat, annonarius præbitor, (vulgò *Vivandier*) olim fuerat circa annum 1456. in exercitu Alfonſi V. Regis Arragoniæ, qui de Regno Neapolitano cum Joanne Renati Ducis Andium filio bello contendebat.

Narrat ergo, cùm diuturno illo bello obſonia tum Hiſpanis tum Gallis defeciſſent, utriuſque exercitûs præbitores lucri causâ ſed ſcelere peſſimo humanorum cadaverum carnes clam ſucciſas in varia eſcarum genera apparaſſe, quæ militibus eſurientibus carè divendebantur: Inde brevi quotcumque tam feralibus eſcis veſci contigit, puſtulis, doloribus, alopeciâ, uno verbo lue venereâ ad unum ferè omnes correptos fuiſſe: Gallos qui-

dem morbo afflictos, cùm ab incepto bello cogerentur desistere & in patriam redire, luem, quam in Regno Neapolitano conceperant, Neapolitanam nuncupasse : Hispanos verò, Italosque, cùm ignoratâ morbi causâ persuasum haberent morbum novum, quem patiebantur, à Gallis devectum & communicatum fuisse, Gallicum eumdem appellavisse, quale nomen etiamnum retinet non modò in Italiâ, sed in totâ Africæ orâ, totoque Turcico Imperio, præsertim in cunctis Asiæ portubus, qui mari adstant Mediterraneo.

Addit ille dein se allatam morbi Gallici originem veram esse experimentis compertum habuisse : Suem scilicet domi aliquandiu nutrivisse carne porcinâ cæteris cibariis admistâ, unde brevi sus pustulis obsita, lapsisque setis glabra fuerit : Pariter canem duos menses caninâ carne aluisse, qui simili successu pustulis plenus pilos amiserit : Demum accipitri cicuri escam ex carne avium ejusdem speciei aliquandiu obtulisse, unde citò evaserit pustulatus & deplumis : Hinc concludit animalia quævis, si carne animalium sui generis nutriantur, Morbo Gallico, vel qui Gallico planè congener sit, correptum iri.

Sed hæc credulum aut vanum & mendacem Fioravanti animum, qualis Empiricum decet, manifestè arguunt. Nam 1°. Asserit falsò luem Gallicam Italiæ innotuisse circa annum 1456. quo quidem tempore Joannes Renati Ducis Andium filius & Alfonsus V. Arragonum Rex de Regno Neapolitano bello diuturniore certavêre, cùm, ut suprà vidimus, Medici qui desinente sæculo decimo quinto in Italiâ floruêre, luem veneream in Italiâ ante annum 1494. plenissimè ignoratam fuisse omnes uno ore confiteantur.

2°. Temerè credit luem veneream, morbum scilicet chronicum, sporadicum, qui venere contrahitur, qui lentâ tabe corpus vitiat, esu carnis humanæ & potissimùm morticinæ inferri, cùm è contra acutos tantùm, epidemicos, pestilentes affectus hinc induci posse manifestum sit.

3°. Fallaciter concludit animalia quævis, si carne animalium ejusdem speciei nutriantur, doloribus & pustulis brevi corripi, & pilorum defluxu glabrescere ex lue venereâ, cùm mihi certò constet in cane, quem sex mensibus carne caninâ olim nutrivi, nihil quidquam simile unquam observatum fuisse.

Valeat ergo falsus & fallax fabulator cum suo Paschali Gibilotto, teste ignoto, teste unico, teste tantùm aurito, teste minùs idoneo qui de re jam ante centum annos peractâ testimonium ferret, teste qui cum notâ rei veritate apertè pugnat, demum teste decrepito & dubio procul deliro.

Mihi profectò dolet quòd Franciscus Baco de Verulamio, vir doctissimus & in rebus physicis pro suâ ætate apprimè versatus tam insulso commento deceptus fuerit. Nihilominus tamen non dissimulandum censeo eum ita deceptum esse, ut non modò huic fabellæ fidem ipse adhibuerit, sed eidem apud alios fidem facere voluerit; eoque consilio illam operibus suis inserere non dubitavisse, sed priùs quodammodo refectam & interpolatam, ut credibilior esset. *Galli*, inquit, *Sylvæ Sylvarum sive Historiæ Naturalis, Centur.* 1. *artic.* 26. *à quibus morbus Neapolitanus dena-*

minationem accepit, referunt fuiſſe in Neapolitanâ obſidione improbos mercatores, qui carnem hominum recèns occiſorum in Mauritaniâ vaſis conditam, loco thynnorum divenderent; atque tam fœdo & gravi nutrimento adſcribi hujus morbi originem. Neque à vero abludit: Conſtat enim Cannibalos ad Occidentem veſci carne humanâ; eaque India, primùm detecta cùm eſſet, plurimùm laboravit hoc morbo. Quæ ſane apertiſſimè probant, ut à Cicerone dictum meminimus, *Lib. 2. de Divinatione*, nihil tam abſurdè dici poſſe, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum.

V. A nefando congreſſu cum jumento ſcabido. 1640.

V. Videntur mox adducta Ciceronis verba veriſſimè quadrare in Joannem Baptiſtam Vanhelmont, qui de origine luis venereæ novam & omnium maximè monſtroſam fabulam narravit, auctoritate quidem nullâ nulloque fundamento nixam, ſed *viſione* tantùm *ſomniali*, ut ipſe ait, Fanatici cujuſdam parùm ſani, imò ne viſione quidem, ſed conjecturâ commentitiâ, quæ ex vanâ & inani viſione deducitur. Nempe narrat (*a*) Helmontius *Laïco cuidam*, quem ille *virum ſanctum* dicit, quem lymphatum veriùs dixiſſet, animo apud ſe *indaganti cur ita lues præterito ſæculo, & non anteà erupiſſet..... & unde, ſi non ab Indis, in Europam devenerit, viſum fuiſſe in viſione intellectuali jumentum, quod penè diffluere ulcere fœtido, qui morbus equinæ ſpeciei proprius à noſtratibus (Belgis)* den Worm, *à Gallis verò* le Farcin *vocatur. Unde ille ſuſpicatus eſt quòd in obſidione Neapolitanâ, (quâ primùm dira hæc lues emerſit) nefando aliquis peccato congreſſum cum ejuſmodi jumento habuiſſet..... unde ſuum fermentum (permittente Deo vindice) in humanam familiam naturaliter tranſplantaverit.* Cui conjecturæ Helmontius aniliter credulus totis viribus ipſe ſuffragatur. Sed pudet otio abuti in iis tractandis quæ turpia, aut confutandis quæ abſurda ſunt. Si quis tamen plura cupiat, adeat infrà Lib. VI. Caput de Helmontio ad annum 1640.

(*a*) In Tumulo Peſtis, artic. qui inſcribitur *Peregrina lues nova*.

CAPUT IX.

Luem veneream in Inſulis Antillis à Chriſtophoro Columbo detectis, ac præſertim in Inſulâ Hiſpaniolâ, quæ nunc Inſula Sancti Dominici appellatur, endemiam antiquitus fuiſſe, & inde in Europam tranſmiſſam eſſe.

Quo tempore Inſulæ Antillæ à Chriſtophoro Columbo detectæ fuerint?

CONSTAT Hiſtoriæ monumentis novum orbem auſpiciis Iſabellæ Reginæ Caſtiliarum & Legionis, conſilio & ductu Chriſtophori Columbi, Genuenſis, detectum fuiſſe ſub finem ſæculi decimi quinti. Hic cum navibus tribus, militibuſque vel nautis numero 120. ſolvit è portu Bæticæ, quem *Palos* nominant, die 3. Auguſti, anno 1492. Poſt errores laboreſque varios appulit 6. Decembris ejuſdem anni ad Inſulam Indigenis *Haiti* dictam, quam Columbus *Hiſpaniolam* vocavit, quæ nunc Inſula Sancti Dominici appellatur. Inde, conſtructo priùs propugnaculo, cui Nativitatis nomen dedit, & ubi 38. milites reliquit, diſceſſit die 6. Januarii anni 1493. & tempeſtate actus oſtium Tagi in Luſitaniâ invitus ſubiit die 6. Martii ejuſdem anni. Hinc cum 82. ſive militibus ſive nau-

tis & novem Indis, quos ſecum adducebat, incolumis rediit die 15. ejuſdem menſis ad eumdem Bæticæ portum, qui Palos dicitur, & inde pedeſtri itinere Barcinonem perrexit, ubi Rex & Regina Hiſpaniarum tunc aderant, ſuſceptæ navigationis rationem redditurus.

Quæ fuerit mutui commercii reciprocatio inter Hiſpaniolam & Hiſpaniam ante annum 1495?

Chriſtophorus renovato apparatu navali à Gadibus vela denuò fecit die 25. Septembris ejuſdem anni 1493. cum navibus ſeptemdecim, militibus volonibuſque 1500. multiſque nautis ac operis, & ad Portum Regium in Inſulâ Hiſpaniolâ, à propugnaculo, quod Nativitatis dictum fuerat, haud longè diſtantem, reverſus eſt die 27. Novembris; unde ineunte anno ſequente 1494. naves quatuor & decem in Hiſpaniam remiſit, quibus ducem præfecit Antonium de Torrez.

Menſe Aprili ejuſdem anni 1494. Bartholomæus Columbus, Chriſtophori frater, Hiſpaniolam adivit cum navibus tribus; & ſub ejuſdem anni finem iiſdem navibus in Hiſpaniam redière P. Boyl, Catalanus, Monachus Benedictinus, & Petrus Margarit, nobilis Catalanus, qui jam lue venereâ graviter ægrotabat.

Anno eodem menſe Auguſto quatuor aliæ naves ab Hiſpaniâ ad Inſulam Hiſpaniolam appulêre, duce eodem Antonio de Torrez, quæ procul dubio citò quoque ad Hiſpaniam remiſſæ ſunt, ut de præcedentibus dictum eſt. Imò tunc, ut menſe quolibet navis una ab Hiſpaniolâ in Hiſpaniam, naviſque altera ab Hiſpaniâ in Hiſpaniolam ſolveret reciproci commercii causâ conſtitutum eſt.

Demum menſe Octobri anni 1495. Joannes Aguado Regum Catholicorum Legatus navibus quatuor in Hiſpaniolam devectus eſt, ut de objectis Chriſtophoro criminibus auctoritate Regiâ inquireret; & inde ſubſequente anno cum navibus duabus Gades repetiit, quò appulit die 11. Junii anni 1496. cum Chriſtophoro, & ducentis militibus qui lue venereâ infirmabantur.

Verſamur ſcrupuloſiùs in enumeratione itinerum, quæ inter Hiſpaniolam & Hiſpaniam primis annis inſtituta ſunt, ut inde liceat colligere, etſi daremus nulla alia confecta fuiſſe præter ea quæ ab Hiſtoricis memorantur, frequenti tamen noti commercii reciprocatione Hiſpanorum & Indorum nationes jam mixtas fuiſſe ante annum 1495. aut 1496. adeoque luem veneream potuiſſe facilè ab Hiſpaniolâ in Hiſpaniam jam tum derivari, ut fert communis opinio, ſi conſtiterit ſemel eam luis ſpeciem indigenis Hiſpaniolæ antiquitus propriam fuiſſe & endemiam.

Luem veneream antiquitus endemiam fuiſſe in Hiſpaniolâ.

Sed controverſiam, ubi ſemel ad eam quæſtionem adducta eſt, ſolutam jure poſſumus dicere, cùm luculentiſſima adſint tum Medicorum tum Hiſtoricorum teſtimonia, qui primo morbi ingreſſui in Europam coætanei vixêre, unde apertè demonſtratur non modò 1°. Luem veneream in Inſulâ Hiſpaniolâ ac cæteris vicinis endemiam fuiſſe; ſed etiam 2°. In Hiſpaniam navium commercio inde traductam eſſe; ac demum 3°. Ex eâdem Inſulâ aut ex vicinis talis morbi genitricibus quæſitum morbo remedium, & Indigenarum exemplo indicatum fuiſſe, cùm nulla in Europâ ſuppeterent ſatis efficacia.

Probatur teſtimonio Medicorum.

Primò. Inter Medicos, qui poſſunt in teſtimonium adduci, potiſſimi ſunt.

I. Antonius

I. Antonius Muſa Braſſavolus, qui *in reſponſione ad primam quæſtionem Alexandri Fontanæ*, de ligno indico ſive Guaiaco verba faciens ſic loquitur. « Cùm Gallicus affectus, vel ſimilis quidam ſit ferè peculiaris incolis, qui Indicas nuper repertas Inſulas inhabitant, Luſitani viri ingenio perſpicaces, qui frequenter illuc appellunt, homines Indicos videntes tali affectu prædictos, talibuſque ſymptomatibus, qualibus in Hiſpaniâ ac Luſitaniâ illi afficiuntur, qui lue Gallicâ laborant, quomodo Indi illi curarentur ac facilè in ſanitatem reſtituerentur animadverterunt, & curandi modum in Luſitaniam ac Hiſpanias attulerunt, & unà ſecum lignum hoc Indicum comportarunt..... cujus decoctum, *pergit ille*, ego primus Ferrariæ præbui illuſtri Æneæ Pio in dulci aquâ 1526. cùm omnibus aliis Medicis novum ac inauditum videretur (ut verè erat) medicamentum, multique idipſum deridebant, quouſque videre illuſtrem Virum ſanitati reſtitutum eſſe. « I. Anton. Muſæ Braſſavoli.

II. Rodericus Diaz (vulgò Rui-Diaz) de Iſlâ, Medicus Hiſpalenſis, in *Libro ſingulari* Hiſpanicè ſcripto *contra las Bubas*, quem Joanni III. Luſitaniæ Regi nuncupavit, & quem ideo ſcriptum fuiſſe neceſſe eſt ante annum 1557. quo Joannes III. mortem obiit, ſequentia habet *cap.* 1. à Georgio Hieronymo Velſchio ſic Latinè reddita *in Annotatione ad Obſervationem* 4. *Marcelli Cumani.* » In Hiſpaniis morbus ille viſus eſt anno 1493. Barcinonæ, quæ primùm infecta eſt, & ſic deinceps Europa cum reliquo orbe univerſo, cujus partes hodie innotuerunt. Originem traxit in Inſulâ Hiſpaniolâ, quod ſatis longâ certâque experientiâ compertum fuit. Cùm enim à Chriſtophoro Colono (ſive Columbo) Thalaſſarchâ reperta & detecta eſſet, militibus cum incolis converſantibus, quòd affectus contagioſus eſſet, facilè communicatus eſt, & quàm citiſſimè in exercitu graſſabatur, cùmque dolores ejuſmodi numquam ab illis conſpecti aut cogniti eſſent, cauſam in maris labores & navigationum moleſtias referebant aliaſque occaſiones, ut cuique probabile viſum erat. Et cùm eodem tempore, quo Colonus Stolarcha appulerat, Reges Catholici Barcinonæ degerent, quibus itineris rationem reddebat, nuperque adeo reperta denarrabat, mox tota urbs eodem morbo corripi cœpit latiſſimè ſe diffundente, ... ſed quia incognitus hactenus valdèque formidabilis videbatur, jejunia, religioſæ devotiones aliæ & eleemoſynæ inſtitutæ ſunt, ut Deus illos à morbo tueretur. At ſequente mox anno 1494. cùm Rex Galliarum Chriſtianiſſimus Carolus, qui tum rerum potiebatur, ingentem exercitum in Italiam duxiſſet, multi Hiſpanorum, qui hoſtes illorum erant, ibidem hac lue infecti vivebant, adeo ut mox Regiæ copiæ inficerentur; ignaræ tamen quis qualiſve morbus eſſet, aut quo nomine appellandus, credebant ex ipſo aëre regionis ſubortum. Vocarunt igitur *Malum Neapolitanum*: Itali autem & Neapolitani, quibus nulla ejus hucuſque notitia, *Gallicum* nominabant. Deinceps verò, prout acciderat, quiſque pro lubitu aliud nomen imponebat inde deſumptum, unde originem ſubnaſci putaret: Caſtellani *Boas*, in Luſitaniâ autem *Malum Caſtellanum*, in Indiâ Luſitanicâ *Morbum Luſitanicum*. « II. Roderici Diaz de Iſlâ.

III. Joannes Baptiſta Montanus, *in Tractatu de Morbo Gallico*; « A « III. J. B. Montani.

» Chriſti, *inquit*, Nativitate 1492. quidam Columbus miles unà cum » multis Hiſpanis acceſſit in Indias illas novas, quas Calicut appellant, » qui quidem morbus (*Gallicus*) quia ibi familiariſſimus eſt, quemad- » modum ſcabies apud nos, accidit tunc ut multi ex illis Hiſpanis, dum » ibi morarentur, infecti ſint tali morbo, qui deinde ad ſuas regiones, » & ad nos revertentes multos ex noſtris infecêre..... Apud Indias illas » novas, *ſubjicit idem*, viget morbus iſte contagioſus, illis tamen fami- » liariſſimus; & ideo repertum eſt etiam apud ipſos antidotum ejus, quod » lignum Guaiacanum dicitur. Morbus itaque iſte illis eſt, ſicuti apud nos » ſcabies, familiaris, & acquiritur per contagionem ſicuti & ſcabies.

IV. Gabrielis Fallopii.

IV. Gabriel Fallopius, *Tractatu de Morbo Gallico, cap.* 1. » Inter Ja- » nuenſes, *inquit*, nobili ingenio fuit Chriſtophorus Columbus, qui Co- » lonus à Petro Martyre diligenti rerum Indicarum Scriptore vocatur.... » Huic Ferdinandus & Elizabeth ſubminiſtrarunt liburnicam unam & » celoces tres, ... cum quibus Indiam Occidentalem ſalutavit..... » Inventum eſt certè pretioſiſſimum metallum, inde delata eſt copia, & » ingens margaritarum magnitudo, ſed eſt etiam adjuncta ſpina, atque » aloës melli admiſta. Detulit enim Columbus triremes Gallicâ lue refer- » tas; Ibi mitis eſt morbus & inſtar ſcabiei, ſed ad noſtrum veniens or- » bem ita ferus, ita immitis factus, ut caput, oculos, naſum, palatum, » cutim, carnem, oſſa, ligamenta, viſcera tandem omnia infeſtet, infi- » ciat, corrumpat.

Si quis plura Medicorum teſtimonia deſideraverit, conſulat Leonardum Schmai, *Tract. de Morbo Gallico, cap.* 1. Joannem Manardum, *Epiſtol. ad Michaëlem Sanctannam, Chirurgum*; Alfonſum Ferrium, *in Præfatione Librorum quatuor de Morbo Gallico & ligni ſancti naturâ, uſuque multiplici*; Antonium Gallum, *Oper. de ligno ſancto non permiſcendo cap.* 1. Antonium Fracantianum, *Lib. de Morbo Gallico*; Proſperum Borgarutium, *Method. de Morbo Gallico*, cap. 1. &c. qui omnes teſtantur veneream luem in Inſulis Antillis, quæ Mexicanum Archipelagus occupant, antiquitus propriam & endemiam, ac ſpecificis remediis huic regioni peculiaribus curatam fuiſſe, priuſquam Hiſpanis advenis innoteſceret; imò verò Hiſpanis nec morbum nec morbi remedium innotuiſſe, niſi ab Inſularum indigenis.

Et Teſtimonio Hiſtoricorum.

Secundò. Paucos ſeligemus ex Hiſtoricis, ſed omni exceptione majores, & qui de primâ luis venereæ origine, tanquam de re ſibi apprimè cognitâ, occulati teſtimonium dicant.

I. Gonſalvi Fernandez.

I. Gonſalvum Fernandez ab Oviedo, qui in Hiſpaniolâ ipsâ, quò à Rege Ferdinando miſſus erat anno 1513. ut metallorum fuſioni præeſſet, diu commoratus eſt, & ſcripſit ibidem circa annum 1535. naturalem & generalem Hiſtoriam Indiarum. » Narrat autem ille *hujus Hiſtoriæ Sect.* 1. » *Lib.* 10. *cap.* 2. Morbum hunc, qui dicitur *de las Buas*, (*Hiſpani ſic vo-* » *cant luem veneream*) eſſe omnibus his regionibus communem, ideoque » placuiſſe miſerationi divinæ quòd auxilium item omnibus communice- » tur, atque pro eo tollendo ubique in promptu ſit. Licet verò, *pergit* » *ille*, lues iſta alibi etiam graſſetur & vigeat, principio tamen Chriſtianis » malum hoc cognitum, necnon experimento arboris *Guaiacan* appellatæ

curari viſum in hac Inſulâ Hiſpanâ dictâ..... Apud Indos haud eſt « adeo ſævum malum, nec tantum affert diſcrimen, ſicut in Hiſpaniâ & « frigidioribus climatibus, ſed parvo negotio hujus arboris ope incolæ cu- « rantur. Demum interjectis quibuſdam verbis fatetur « In illis regioni- « bus Indicis paucos eſſe ex Chriſtianis, paucos, *inquit*, admodùm, qui « congreſſum venereum cum mulieribus indigenis experti ſævum hunc « morbum effugerint, quoniam profectò eſt hujus ſoli proprius affectus, « & Indicis hiſce hominibus adeo frequens, ſicut alibi ſunt aliæ communes « ægritudines. » Similia legere eſt generalis ejuſdem *Hiſtoriæ Lib. 2. cap.* « 14. ſicut & *Capite 76. Summarii*, quod anno 1525. idem Gonſalvus To- leti jam antè conſcripſerat, dum in Regiâ negotiorum causâ verſabatur; ſed de his fuſiùs capite ſequente.

II. Franciſcum Guicciardinum, civem Florentinum, qui in Hiſtoriâ ſui temporis Italicè ſcriptâ ſummâ diligentiâ narrat quæcumque in Italiâ ſuo tempore contigêre, ab anno 1494. ad annum 1532. Is autem in fine *lib.* 2. poſtquam dixit luem veneream paſſim Gallicam appellari, ſic pergit ex Verſione Cœlii Secundi Curionis. « Verùm æquum eſt hanc ignominiam « à Gallico nomine removere: Nam pòſt, eam luem ſcabiemque fœdiſſi- « mam ex Hiſpaniâ Neapolim importatam fuiſſe conſtitit. Nec tamen ejus « gentis fuit propria, ſed eò quoque ex illis Inſulis allata, quæ Chriſto- « phori Columbi, Genuenſis, navigatione manifeſtari iiſdem ferè annis in « noſtro orbe cœperunt: quibus tamen in Inſulis hic morbus naturæ beni- « gnitate præſentiſſimum habet remedium: quippe tantùm cujuſdam no- « biliſſimi atque aliis multis dotibus memorabilis ligni, quod ibi naſ- « citur, ſucci hauſtu facillimè curantur; *Guaiacum* id vocant. « II. Guic- ciardini.

III. Demum R. P. Joannem Baptiſtam du Tertre ex Ordine Fratrum Prædicatorum, teſtem quidem recentiorem, ſed veritatis amantem & re- rum Phyſicarum gnarum, atque in Inſulis Antillis diu commoratum. Hic autem poſtquam aſſeveravit *Hiſtor. General. Inſular. Sancti Chriſtophori, Guardalupæ, Martinicæ & aliarum* Gallicè ſcriptæ *Parte* 5. *cap.* 1. §. 11. « Harum Inſularum indigenis turpem eum morbum, quem *Epian* di- « cunt, & qui ipſiſſima lues venerea eſt, quaſi hæreditarium eſſe, & ab « iiſdem contrahi non ſolùm venere, ſed etiam ſponte concipi, peſſimo « vivendi more quo utuntur, praviſque cibariis quibus veſcuntur; mox « addit « ſe noviſſe certiſſimâ ſcientiâ milites Hiſpanos, qui cum Chriſto- « phoro Columbo in Hiſpaniam inde rediêre primo itinere, ab indigenis « morbum hunc contraxiſſe, quem Neapolim traduxêre, unde conta- « gium ad Gallos propagatum fuit, & hinc in univerſam Europam diſſe- « minatum ». Quæ dicta idem non ſemel repetit in *Generali Hiſtoriâ An- « tillarum, Tom. 2. Traité 7. §. 12.* III. P. du Tertre.

Eadem vel ſimilia leguntur apud Marcum Antonium Coccium Sabelli- cum, virum Doctum & Hiſtoricum egregium, qui *ipſe (a) tabe Gallicâ ex vagâ venere quæſitâ ſeptuagenarius obiit anno 1506. Rhapſod. Hiſtoric. En- neade 10. Lib.* 9. Apud Franciſcum Lopez de Gomarâ, Presbyterum Hiſ- palenſem, *Hiſtoria General de las Indias, cap.* 29. Apud Paulum Jovium, qui ex Medici profeſſione ad Epiſcopatum Nucerinum evectus à Cle- mente VII. fato functus eſt anno 1552. *Hiſtoriarum Lib.* 4°. Apud Fran- (a) Paul Jovius *in Elogiis.*

ciſcum Eudes de Mezeray, *Abbrégé Chronologique de l'Hiſtoire de France*; ad annum 1496. &c. Sed ea ſigillatim deſcribere ſupervacaneum eſſe duximus, in re jam ſatis manifeſtâ, & cui lux nova mox acceſſura ſit ſequente capite.

CAPUT X.

Luem veneream, quæ ex Hiſpaniolâ oriunda eſt, ab Hiſpanis ad Neapolitanos, ab utriſque ad Gallos, demum ab his tribus ad cæteros Europæ, imò pleroſque Aſiæ & Africæ populos quaſi ex traduce propagatam fuiſſe. Reperiri tamen ſub Zonâ Torridâ regiones alias, quibus lues eadem vernacula & endemia fuiſſe videatur.

Cārolus VIII. Francorum Rex de invadendo Regno Neapolitano cogitans pacem componit cum Ferdinando Rege Arragonenſium.

EXEUNTE decimo quinto ſæculo Ferdinandus & Iſabella communibus auſpiciis Hiſpanias regebant: Hæc erat ſuo nomine Regina Caſtilianum & Legionis; Ille verò jure paterno potiebatur Regnis Arragoniæ, Valentiæ, imò etiam Siciliæ, quam jure an injuriâ, jam non quæro, ſed peſſimis ſaltem artibus Petrus III. Arragonenſium Rex olim invaſerat, Gallis ad internecionem cæſis teterrimo & perfidioſo facinore, quod in hiſtoriâ famoſum eſt *Veſperarum Sicularum* nomine.

Jam à morte Ludovici XI. Ferdinandus ille, Caroluſque Octavus Francorum Rex de Comitatuum Ruſcinonenſis & Cæritaniæ dominio inter ſe decertabant; ſed pacem componere Carolo viſum eſt anno 1492. ne quid obſtaret expeditioni quam in Italiam parabat, ut Neapolitanum Regnum, quod hæreditate Caroli Cenomanenſium Ducis ſibi obvenerat, armis vindicaret. Fœdus itaque Narbone ictum eſt menſe Januario anni 1492. ſeu potiùs 1493. ut hodierna fert computandi ratio, & inter cætera fœderis capita expreſsè ſancitum fuit Ferdinandum ſe in hoſtium numero habiturum quoſcumque Carolus hoſtes ſibi facturus eſſet, quâ conditione Carolus Ferdinando de Comitatibus, de quibus erat controverſia, volens & ultrò deceſſit.

Cujus conditionibus Ferdinandus malè ſtetit.

Sed pacis conditionibus, quanquam ſibi æquiſſimis, Ferdinandus non ſtetit, nec à partibus Regum Neapolitanorum, quibus Carolus bellum inferebat, unquam abſtinuit. Eos quidem Regibus Arragonenſium ſatos, & ipſi conſanguinitate propinquos fuiſſe notum eſt, ſpuriâ tamen origine; ſed potior ratio Ferdinandum movebat. Metuebat ſcilicet ne Galli, ſi Regno Neapolitano quietè ſemel potirentur, Siciliam non minore fortunâ, nec minore jure invaderent, & jure poſtliminii repeterent.

Hæc animo volvens Ferdinandus, ut erat callidiſſimus fraudum artifex, nec Neapolitanos Reges conſiliis & copiis clam juvare, nec Gallorum impetum, hoſtes concitando ſocioſve avocando, clam retundere unquam ceſſavit. Tandem, cùm Carolus fortunâ artibus majore uſus in Neapolitanum Regnum arma victricia illaturus eſſet, juſſit Ferdinandus abjectâ diſſimulatione Antonium de Fonſeca Legatum injuſtæ, ut aiebat,

quam Carolus meditabatur, uſurpationi ſuo nomine intercedere, quod à Legato Velitris haud longè ab urbe Româ, die 29. menſis Januarii anni 1494. tam inſolenti arrogantiâ præſtitum fuit, ut tabulas icti Narbone fœderis, cujus conditiones objiciebantur à Carolo, palam dilacerare non dubitaverit.

Donec tandem aperto marte dimicatum eſt inter Gallos & Hiſpanos.

Abhinc aperto marte dimicatum eſt inter Gallos Hiſpanoſque. Ferdinandus duce Gonſalvo Hernandez Cordubenſi, qui deinde *Magnus Capitaneus* cognominatus fuit, copias in Siciliam jam antè miſerat. Huc Ferdinandus II. ſive junior Regno Neapolitano exutus ex Iſchiâ Inſulâ, Ænotridum alterâ, ſe receperat paulò ante Caroli diſceſſum, ut cum Gonſalvo conſilia communicaret. Hinc ambo exeunte Maio anni 1495. paucis diebus à diſceſſu Caroli Rhegium invaſerunt cum ſex millibus militum, unde viciniores civitates & provincias occupavêre. Diu ancipiti belli eventu utrimque pugnatum eſt, ſed receptâ per traditionem Neapoli; præſidiariis militibus, qui caſtella Neapoli circumjecta occupabant, fame ad deditionem coactis; mortuo Duce Montiſpenſerii, quo ſtabat præcipua regni tutela; Gallos de deceſſione paciſci neceſſum fuit ſub finem ſequentis anni 1496. ut dictum eſt *cap.* 3.

Hujuſce belli tempore luem veneream ab Hiſpanis ad Neapolitanos; ab utriſque ad Gallos contagione dimanaſſe.

Merebant in Neapolitano, vel potiùs Hiſpano exercitu, milites non pauci aut qui primo itinere cum Chriſtophoro Columbo menſe Martio anni 1493. vel ſecundo cum Antonio de Torrez principio anni 1494. vel tertio cum Petro de Margarit exitu ejuſdem anni 1494. ab Indiis reduces, lue venereâ quam in Hiſpaniolâ ſuſceperant adhuc infecti erant, aut ſaltem qui eandem luem, quæ ab aliis in noſtrum orbem traducta fuerat, in Hiſpaniâ jam contraxerant. Igitur minimè mirum eſſe debet labe ſimili Neapolitanos plurimos, quibuſcum ſub iiſdem ſignis militabant, brevi contaminatos fuiſſe, meretricum communione, quæ in caſtris aut præſidiis frequentes eſſe ſolent. Hinc idem contagium ab alterutris vel ab utriſque in Gallos derivari citò debuit eâdem de causâ; cùm enim toto biennio varia & incerta fuerit belli fortuna, ac civitates eædem ab adverſis partibus ſæpiùs & vi captæ & vi receptæ ſint, manifeſtum eſt eaſdem meretrices, quæ cum Hiſpanis & Neapolitanis jam conſueverant, cum Gallis quoque conſueviſſe, unde venerei morbi feminia ultrò citròque communicata ſunt & diſtracta.

Quâ de re luculentum eſt Gonſalvi Fernandez ab Oviedo teſtimonium.

Sed ne quis forſan autumet nos quæcumque diximus temerè comminiſci, aut conjecturâ tantùm augurari, Auctorem poſſumus laudare verè idoneum, Gonſalvum Fernandez ab Oviedo, qui in aulâ Regum Hiſpaniarum adfuit Barcinone anno 1493. cùm Chriſtophorus Columbus ab Inſulâ Hiſpaniolâ, quam detexerat, primùm reverſus eſt; qui amicitiâ vel conſuetudine cum pleriſque Columbi comitibus, cæteriſve qui annis ſequentibus ab Antillis redière, junctus fuit; qui ab iiſdem ſæpiùs audivit, ut quæque in primis illis navigationibus geſta eſſent; qui meruit in Neapolitanâ expeditione adversùs Gallos; qui à Ferdinando Hiſpaniarum Rege miſſus eſt in Hiſpaniolam anno 1513. ut fuſionibus auri argentive è terrâ effoſſi præeſſet; qui omnia demum quæcumque per id tempus in Hiſpaniis, in Regno Neapolitano, vel in Inſulâ Hiſpaniolâ contigêre, præſens ipſe vidit & obſervavit, vel à teſtibus oculatis accepit.

Is autem in *Summario Naturalis & Generalis Hiſtoriæ Indiarum Occidentalium*, quod ab Hiſpaniolâ, ubi annos 12. jam commoratus fuerat, in Europam reverſus negotiorum causâ Hiſpanicè conſcripſit Toleti anno 1525. ſic Carolum V. Imperatorem & Hiſpaniarum Regem, cujus juſſu » ſcribebat, alloquitur *cap.* 76. » Poteſt, *inquit*, Cæſarea Majeſtas pro cer» to tenere hunc morbum, qui in orbe noſtro novus eſt, in Inſulis An» tillis recèns detectis antiquitus familiarem fuiſſe, atque etiamnum ita » communem eſſe, ut ab Hiſpanis ibidem contractus fuerit, quotquot ferè » cum Indicis mulieribus rem habere non puduit : Inde ergo in Hiſpanias » primùm traductum fuiſſe à Chriſtophori comitibus, qui primo vel al» tero itinere hinc redière : Demum anno 1495. cùm Gonſalvus Fernan» dus Cordubenſis, magni Capitanei cognomine dein notiſſimus, copias in » Italiam trajeciſſet auſpicio & imperio Regum Catholicorum Ferdinandi » & Iſabellæ, ut Ferdinando II. Neapoleos Regi opem ferret adversùs » Carolum Gallorum Regem, quem à capitis mole Capitonem vocabant, » ſtipendia in eo bello meruiſſe Hiſpanos non paucos eâdem labe jam in» quinatos, quâ Neapolitanos & Gallos celeri contagione infecêre ex pro» miſcuâ cum iiſdem meretricibus communione.

Similia ſed fuſiùs refert Auctor idem *Lib.* 2. *cap.* 14. *Hiſtoriæ Naturalis & Generalis earumdem Indiarum*, quæ Summario jam laudato altero tanto major eſt, & decem pòſt annis, hoc eſt anno 1535. Hiſpanicè ſcripta. Ibi teſtes nominatim adducit plurimos, eximios, oculatos, qui primis in Inſulam Hiſpaniolam navigationibus interfuerant, & à quibus ſingula quæ tradit ſe accepiſſe profitetur. Potiſſimùm verò nititur auctoritate & teſtimonio Petri Margarit, Catalani, teſtis quidem eâ de re maximè idonei, ut qui cum Chriſtophoro Columbo ſecundo itinere in Hiſpaniolam profectus anno 1493. inde redierit anno ſubſequente 1494. venereâ lue inquinatus, quâ ipſum nondum perfectè relevatum fuiſſe Auctor ſuſpicabatur, dum ſcribebat, quoniam doloribus continuò angebatur. Itaque re probè cognitâ laudatus Auctor diſertiſſimè aſſerit luem veneream ab Hiſpaniolâ ad Hiſpanias devectam ante annum 1495. à militibus Hiſpanis, qui ſub Gonſalvo Fernando meruêre in Italiâ, ad Gallos & Neapolitanos venere vulgivagâ traductam fuiſſe.

Ab Italis, Hiſpanis & Gallis ad cæteras Europæ Nationes commercio traductam fuiſſe.

Jam porrò, ut è diverticulo in viam redeamus, contaminatis ſemel eâ ratione tribus præcipuis Europæ Nationibus, contagium ad cæteras debuit brevi diſſeminari commercio, quo invicem utuntur Europæ populi : Ad quod acceſſit illius temporis fortuna atque conditio, quo Germani & Belgæ cum Italis & Hiſpanis ejuſdem Caroli V. imperio parebant, quo Galli cum Anglis arctiſſimo fœdere jungebantur, demum quo à Ludovico XII. cum Ferdinando Catholico, & à Franciſco I. cum Carolo V. terrâ marique pugnabatur diuturno bello, quæ ſingula debuêre certè morbi propagationem magnoperè accelerare.

Sic conſtat luem veneream manaſſe à Caſtellanis in confines Luſitanos, à quibus ideo *Morbus Caſtellanus* (*a*) dicitur ; & ab iiſdem anno 1496. cùm Joanna Ferdinandi & Iſabellæ filia ad ſponſum Philippum Archiducem deduceretur, in Belgium traductam fuiſſe, ubi *Morbus Hiſpanicus* appellatur, teſte Beverovicio, *Ideâ Medic. veterum*, *Parte* 3. *cap.* 8. Sic

(*a*) Rodericus Diaz de Iſlâ, *Lib. contra las bubas* Hiſpanicè ſcripto, *cap.* 1.

conſtat à Galliâ in Angliam, ubi *Morbus Gallicus* ſive *Lues Gallica* vocatur, transfretaſſe, & maximè quidem è Burdigalenſi portu, cùm olim *Morbus Burdigalenſis* ibidem dictus fuerit.

At verò debuit tamen ea lues, quantumvis celeri paſſu propagata videatur, ab Hiſpaniâ, Italiâ & Galliâ, ubi prima fuêre naſcentis morbi incunabula, ad cæteras Europæ oras progreſſu gradario diffundi, atque adeo in variis regionibus, quò à primario morbi fomite remotiores erant, eò tardiùs ſævire. Id ſanè circa annum 1632. de Saxoniâ ſuperiore etiam tum teſtabatur Daniel Sennertus, qui *Operum Lib. 6. part. 4. cap. 1.* poſtquam retulit Capivaccium in Italiâ è ſolius Gallicæ luis curatione ultra decem & octo millia coronatorum lucratum eſſe.... ingenuè fatetur *ſe à 34. annis, quibus Wittebergæ nec benedictione divinâ ſine lucro Medicinam faciebat, non tot coronatos, quot Capivaccius eorum millia, lucratum eſſe ex hujus morbi curatione, ob eorum qui hoc morbo laborent hoc loco penuriam.*

Cæterùm, quo tempore morboſum luis venereæ ſeminium ab Hiſpaniâ Italiam & Galliam, & hinc cætera Europæ Regna contagione pervadebat, eodem quoque ab Europâ in Aſiæ & Africæ oras, quæ mari Mediterraneo adjacent, contagione ſimili prorepiſſe certum eſt, quod geminâ viâ factum credimus.

Imò ad omnes Aſiæ & Africæ oras, quæ mari Mediterraneo adjacent.

1°. Quidem Mahumetanorum & Judæorum exilio, qui temporibus illis Hiſpaniâ cedere juſſi ſunt à Ferdinando & Iſabellâ poſt occupatum Regnum Granatenſe, & qui in Africam quò profugerunt, luem veneream ſecum detulêre, quam in Hiſpaniâ ante contraxerant. Quâ de re luculentum teſtem habemus Joannem Leonis, Mahumetanum & Granatæ natum, qui & ipſe cum cæteris exul Feſſam in Mauritaniâ petiit, ubi litteris Arabicis operam dedit, ſed qui dein à Piratis captus & Leoni X. Pontifici maximo dono datus Chriſtianam Religionem amplexus eſt. Is autem in Deſcriptione Africæ, quam Romæ Arabicè ſcripſit, & quam Joannes Florianus Latinè vertit, ſic ait *Lib. 1. Hujus mali ne nomen quidem ipſis Africanis, notum erat ante ea tempora, quàm Hiſpaniarum Rex Ferdinandus Judæos omnes* (& Mahumetanos) *ex Hiſpaniâ profligaſſet, qui ubi in patriam jam rediiſſent cœperunt miſeri quidam ac ſceleratiſſimi Æthiopes, cum illorum mulieribus habere commercium, ac ſic tandem velut per manus peſtis hæc per totam ſe ſparſit regionem, ita ut vix ſit familia, quæ ab hoc malo remanſit libera. Id autem ſibi firmiſſimè atque indubitatè perſuaſerunt ex Hiſpaniâ ad illos tranſmigraſſe; quamobrem & illi morbo ab Hiſpaniâ Malum Hiſpanicum, (ne nomine deſtitueretur) indiderunt. Tuneti verò, quemadmodum & per totam Italiam Morbus Gallicus dicitur; Idem nomen in Ægypto atque Syriâ adſcribitur, unde malè imprecantis proverbium, te morbus malè perdat Gallicus.*

2°. Verò maritimo commercio : mercatores enim nautæque, qui ab Italiæ, Galliæ, aut Hiſpaniæ portubus ad Aſiæ aut Africæ portus, quos *gradus* vocant, merces quotidie ultrò citròque convehebant, mercem peſſimam, luem veneream ſcilicet, unà ſimul convexêre, quæ dein ab oris mari Mediterraneo proximioribus ad interiores tractus ſenſim traducta fuit. Hujus ſanè originis fidem manifeſtam facit ipſa nomenclatura morbi, qui teſtibus Joanne Leonis *loco jam laudato*, & Leonardo Fioravanti, *Capricci Medicinali, Lib. 1. cap. 26.* in Aſiæ & Africæ por-

tubus, ſicut in Italiâ & Hiſpaniâ, * Gallicus appellatur, Aſiæ ſcilicet & Africæ nationibus novum nomen cum novo morbo ab Europæis ſimul mutuantibus.

Ac demum ad Turcas Perſaſque, & ad ipſos etiam Japonios.

Sed neque hic ſubſtitit contages ab Europæis diffuſa, aſt latiùs opinione diſſeminata irrepſit in remotiſſimas Aſiæ plagas, iteratiſque navigationibus ad Indias Orientales ſenſim penetravit. Sanè conſtat à Turcis ad finitimos Perſas contagione dimanaſſe, apud quos morbus *Turcicus* dicitur. Vid. *Joann. Gothofredum Hahn, De Antiquit. variolarum, in Præfatione.* Conſtat ſimiliter à Luſitanis, quorum res in Orientalibus tractibus diu floruêre, regiones & urbes ſingulas Indiarum, quas commercii causâ frequentabant, morbis venereis dudum infectas fuiſſe. Ab his prima mali ſeminia non modò in urbes Goam & Macaüm, ubi etiamnum rerum potiuntur, ſed in ipſum etiam Imperium Japonicum, unde jam pridem exulant, devecta ſunt: Teſtatur enim Engelbertus Kæmpferus in Hiſtoriâ naturali, civili & eccleſiaſticâ Imperii Japonici, *Lib. 2. cap. 4.* luem veneream, quam in Japoniâ haud infrequentem eſſe paſſim dicit, à Japonenſibus *Nambakaſſan* appellari, hoc eſt *morbum Luſitanorum*, manifeſto ſanè indicio morbum à Luſitanis cum Japonenſibus tranſitione communicatum fuiſſe.

Præter Hiſpaniolam tamen, multos alios fuiſſe luis venereæ focos.

Nihilominus tamen, quantâcumque celeritate lues venerea Europæorum commercio quoquoverſus ſpargi viſa ſit, multa ſunt quæ perſuadeant, præter Hiſpaniolam Inſulam, ubi morbum venereum endemium fuiſſe diximus, & unde vidimus primùm in Europam prodiiſſe, reperiri loca alia non pauca quæ infeſtentur morbo eodem, ipſis quidem proprio & inquilino, nec aliunde accepto, quæque adeo ipſa ſint veluti totidem alii luis ejuſdem venereæ foci.

In Regno Peruviano,

1°. Sic narrant teſtes oculati Franciſcus Lopez de Gomarâ, *Hiſtoria general de las Indias, cap.* 110. & Pedro de Ciecâ de Leon, *Chronica del Peru, cap.* 46. Morbum olim fuiſſe Regno Peruviano peculiarem, tuberculis verrucoſis, porris exulceratis & carcinomatodæis, puſtulis ſordidis & liveſcentibus inſignem, non modò faciem ſed totum corpus plerumque obſidentibus; quem Hiſpani, qui duce Franciſco Pizarro Peruviam armis occupaverunt, contraxêre ex contubernio cum mulieribus indigenis; qui decocto ſarſæ-parillæ ibidem creſcentis ſanabilis erat; demum qui cum lue venereâ Inſulæ Hiſpaniolæ idem planè fuiſſe videtur.

In novâ Hiſpaniâ.

2°. Sic conſtat teſtimonio ſæpiùs laudati Gonſalvi Fernandez ab Oviedo, *Lib.* 10. *Hiſtoriæ Naturalis Indiarum, cap.* 2. luem veneream vulgarem fuiſſe in reliquâ Americæ continente ferè totâ, ut in novâ Hiſpaniâ, & præſertim in illis novæ Hiſpaniæ Provinciis, quæ Nicaragua & Nagrando appellantur.

In Floridâ.

3°. Sic refert Jacobus le Moine, cui cognomen de Morgues, in proludio *brevis narrationis eorum, quæ in Floridâ Americæ Provinciâ Gallis acciderunt ſecundâ in illam navigatione, duce Renato de Laudonniere, anno* 1564. Hujuſce regionis indigenas lue venereâ antiquitus laboraviſſe, quod con-

* Forſan in oris maris Mediterranei lues venerea appellatur, non *morbus Gallicus*, ſed *morbus Francorum*, hoc eſt Chriſtianorum, quos omnes Mahumetani *Francos* dicunt nullo diſcrimine.

firmari

firmari novimus à Julio Palmario in *Tractatu* de lue venereâ anno 1578. edito, *Lib.* 1. *cap.* 2. ubi memorat *Nortmannos, qui eam Americæ partem, quam Floridam nuncupant, nuper luſtraverunt, luem venereàm illic endemiam eſſe teſtari, quemadmodum exanthemata & ecthymata hîc nobis, tantamque illic eſſe ad hunc morbum proclivitatem affirmare, ut ſi quis cum muliere, cui menſes profluant jungatur, ſtatim vel venereum bubonem vel veram luem contrahat.*

4°. Sic aſſerit Thevetus, *Coſmograph. Univerſal. Lib.* 3. *cap.* 2. quod etiam in Hiſtoriâ Plantarum Lugdunenſi legitur *Lib.* 18. *cap.* 132. » In interiore Africâ ad utramque oram fluvii Senega, in Regno Meli, « quod meridiem, & in Regno Tombouctou, quod ſeptentrionem ſpec- « tat, morbum reperiri endemium, cum lue venereâ ſimillimum, vel « potiùs planè eumdem, qui Æthiopicè Borozail vel Zail dicitur, qui « genitales partes virorum fœminarumque occupat, qui oritur ex nimiâ « venere, cui medentur indigenæ Medici decocto herbæ cujuſdam Acha- « nacæ dictæ, aut fructûs ejuſdem herbæ quem Alfard vocant, eâdem me- « thodo, quâ nos in Europâ decocto ligni Guaiacini ». Huic relationi « apertè ſuffragatur Sydenhamius in *Epiſtolâ ſecundâ reſponſoriâ*, ubi teſtatur *ſe ab Anglorum plurimis, iiſque fide dignis, qui Inſulas Caribes dictas incolunt, didiciſſe mancipia recèns è Guineâ allata, etiam antequàm in terram deſcenderint, tum alia ibidem degentia, hoc morbo tentari, nullâ copulâ impurâ prægreſſâ, ita ut non rarò univerſam aliquam eorum familiam, viros ſcilicet, mulieres liberoſque malè mulctet. Neque iſta lues*, pergit ille, *quæ afflictiſſimos hoſce ſæpe ſæpiùs invadit, vel hilum à venereâ nobis dictâ, quantùm ego quidem intelligo, quoad ſymptomata ſcilicet, ulcera, &c. habitâ nempe diverſorum climatum ratione, videtur diſcrepare, licet nomine prorsùs abludat, cùm* The Yaws *ab illis dicatur. At nec medendi methodus, quâ utuntur illi, à noſtrâ abhorret; utrobique enim ſalivatio ex hydrargyro utramque facit paginam.* In interiore & æquinoctiali Africâ.

5°. Sic morbus idem Malabaris notus dudum erat, ſi fides adhibenda ſit Julio Cæſari Scaligero, *Exercitat. de ſubtilitate ad Cardanum, Exercit.* 181. *articul.* 19. apud quos aſſerit *Pua nominatum fuiſſe.* Apud Malabaros.

6°. Sic teſtatur Thuanus, Hiſtoriar. ſui temporis Lib. 71. *In Javâ majore homines lue venereâ valdè infeſtari, quam eâ ratione curant; à decimâ horâ diei uſque ad ſecundam pomeridianam ardentiſſimo ſoli ſe ægri exponunt, & ita peccantem & malignum habitum deſiccando exhauriunt.* In Inſulâ Javâ majore.

7°. Sic conſtat teſtimonio Jacobi Bontii, in Indiis olim inter Batavos Medici, in Tractatu qui inſcribitur, *Methodus medendi, quâ in Indiis Orientalibus oportet uti in curâ morborum illic vulgò ac populariter graſſantium, cap.* 19. » Endemium ſeu popularem quemdam morbum in Amboynâ & Moluccis Inſulis oriri, quem Batavi *d'Amboynſe pocken* vo- « cant: Symptomatis ſuis admodum ſimilem morbo venereo: in hoc ta- « men diverſum quòd hic ſine congreſſu venereo quoque naſci ſoleat: In « hoc morbo erumpere in facie, brachiis ac cruribus tophos ſeu tumores, « duros primùm ac ſkirrhoſos, ac tàm crebros per univerſum corpus, « quàm clavi ac verrucæ oriuntur in manibus ac pedibus in patriâ; (in « Bataviâ) ſi verò eos exulcerari contingat, materiam lentam ac gum- « In Inſulis Moluccis.

» moſam à ſe reddere, attamen tam acrem ac mordacem, ut profunda » ac cava ulcera inde oriantur, cum labiis calloſis ac inverſis : Fœdum ac » deforme malum eſſe, & cum lue venereâ conveniens, niſi quòd hîc » tanti dolores non adſint, nec caries in oſſibus tam facilè oriatur, niſi » per curantis incuriam..... Porrò morbum iiſdem ferè remediis cedere, » quibus lues venerea.... Decoctis è Chinæ radice, ſarsâ-parillâ, Guaia- » co, & corticibus ejuſdem..... Et ſi his non cedit ad chimica & mi- » neralia deveniendum eſſe, ut ſunt mercurius vitæ ſeu butyrum anti- » monii, turbith minerale, tum mercurius præcipitatus albus. Unguenta » quoque mercuralia ſecundùm artem parata hîc externè adhibenda eſſe.

In Imperio Sinenſi.

8°. Sic demum refertur à Theveto jam laudato, *Coſmograph. Lib.* 11. *cap.* 25. » luem veneream in Sinarum Imperio communem eſſe & curari » ſolitam decocto radicis Chinæ. Quod totidem ferè verbis legere eſt apud Carolum Muſitanum, *Tractat. de Morbo Venereo, Lib.* 3. *cap.* 1. ubi affirmatur radicem Chinæ, quæ in Europâ morbis venereis efficaciter conducit, & quæ à *Sinâ* ſeu *Chinâ*, unde primùm devecta eſt, nomen traxit, ſpecificum eſſe luis venereæ remedium apud Sinas. Poſſum ipſe eadem ſocertiſſimo confirmare teſtimonio. Nuper enim accepi à Presbytero è Societate Jeſu, recèns è Sinarum Imperio reduce, ubi jam à triginta annis Chriſti fidem annuntiaverat, luem veneream Pequini inter Sinas non modò notam, ſed etiam haud raram eſſe. Fruſtra ab eodem quæſivi quid de eâ lue Sinenſes Medici cenſerent? An morbum novum, vel antiquum, an indigenam vel alienigenam crederent? Num illum ſolâ contagione propagari cenſerent, an contrà ſponte quandoque generari ſine prævio contagio, ut pleriſque cæteris morbis commune eſt. Ille hæc omnia ſe planiſſimè ignorare profeſſus eſt : Neque ſanè mirum, cùm ab inſtituto tam aliena eſſent.

Hæc omnia felicior nepotum ætas olim forſan reteget, quæ nos neſcire nunc dolemus, *Multa enim*, ut ait Seneca, *Quæſtion. Natural. Lib.* 6. *cap.* 31. *ſæculis tunc futuris, cùm memoria noſtri exoleverit, reſervantur.* Interim tamen, ſicuti neque cenſere licet ab Hiſpanis vel ab ullis Europæorum ad Mediterranea Americæ & Africæ loca modò recenſita delatam, aut cum Malabaris communicatam fuiſſe luem veneream, quæ in illis regionibus, ubi primùm occupatæ ſunt, inquilina antiquitus obſervata fuit; ſic nec facilè quoque credi poteſt affectum eumdem ad Sinas traductum eſſe vel à Luſitanis, qui Macaüm ad Sinæ littora tenent, vel à Japoniis, ſalquos à Luſitanis morbo contaminatos fuiſſe vidimus, cùm nullum vel ſaltem rariſſimum commercium ſemper interfuerit Europæis Japoniiſque cum Provinciis Imperii Sinici interioribus, potiſſimùm verò cum Pequino, quod Imperii caput eſt, & quod à Macao, quam Luſitani occupant, & à Cantono, quò naves cæterorum Europæorum appellunt, multo diſtat itinere.

Itaque putarem potiùs, ut nunc ad propoſitum revertar, ex collatis penſatiſque teſtimoniis colligendum eſſe præter Inſulam Haiti ſive Hiſpaniolam, ubi fuit notiſſimus & Europæ maximè exitialis luis venereæ focus, morbum eumdem loca alia pleraque, imò forſan omnia, quæ in Americâ, Africâ & Aſiâ Zonæ Torridæ ſubjacent, tanquam peculiares

totidem focos, infesta antiquitus habuisse ex causâ communi, de quâ inferiùs, unde in viciniores regiones grassari quidem potuerit mutuo commercio, si quod fortasse interceserit, sed Europæ nostræ numquam innotuisse, quandiu *media terrarum pars, quæ solis orbita est*, ut cum Plinio loquar, *Histor. Natural. Lib. 2. cap. 68.* & ubi latebant morbi incunabula, *exusta flammis & cremata cominus vapore torreri credita est, atque adeo inaccessa fuit.*

CAPUT XI.

Conjectura de causis cur in Hispaniolâ, cæterisque Insulis Antillis, lues venerea olim familiaris & endemia fuerit.

DIFFICILIS & perobscura quæstio jam incidit, nempe unde prima fuerit origo luis venereæ in Insulis Antillis, ac præsertim in Insulâ Haiti, sive Hispaniolâ, quæ nunc Sancti Dominici dicitur. Utcunque enim certum sit morbum ab ægroto in sanum contagione serpere, atque eâ ratione in plures disseminari, attamen nisi successivus ille contagionis progressus in infinitum retrogradi crederetur, quod ineptum & absurdum foret, ad aliquos tandem deveniendum est, qui sine ullo prævio contagio aut labe ullâ extrinsecùs communicatâ, morbum primitus conceperint peculiari humorum dyscrasiâ & depravatione, undecumque ea advenerit.

Luem veneream in Insulas Antillas ex Guineâ deductam non fuisse, ut visum est Sydenhamio.

Credidit quidem Sydenhamius *Epistolâ secundâ Responsoriâ*, luem veneream in ipsis quoque Insulis Antillis hospitem esse & alienigenam, & illuc advectam fuisse à Nigritis, qui ex Guineâ aut aliis quibusdam Mediterraneis Africæ Provinciis Guineæ conterminis ad novas Americæ Colonias ab Hispanis primùm deducti fuerunt, & apud quos morbus ille endemius erat.

Sed 1°. Sydenhamius, licet vera essent, quæcunque dicit, inde quæstionem solveret minimè, sed ad summum versuram faceret. Superesset enim explicandum cur Nigritæ ipsi luem veneream primùm conceperint, quam deinde in Hispaniolam deportavêre : Neque ille nodus de Nigritis faciliùs expediri potest quàm de Americanis.

2°. Ea Sydenhamii opinio cum veritate Historicâ apertè pugnat, siquidem constat Nigritas ad Hispaniolam nullos devectos fuisse ante annum 1503. At verò compertum est jam anno 1493. morbum ab Hispanis in Hispaniolâ contractum, in Hispaniam vel eodem vel sequente anno traductum, atque inde anno 1494. vel 1495. in Italiam transmissum esse, ubi Neapolitanos & Gallos infecit, à quibus in totam Europam brevi dimanavit.

Sed in illis Insulis antiquitus endemiam fuisse.

Itaque posthabitâ Sydenhamii conjecturâ præstat credere Gonsalvo Fernandez ab Oviedo hac de re testi maximè idoneo, ut qui plures annos in Hispaniolâ commoratus fuerit, qui cum indigenis domesticam habuerit consuetudinem, qui adeo ipsorum morbos vel ab illis discere, vel ipse præsens observare potuerit. Is autem constanter asserit variis locis

Hiſtoriæ Naturalis & Generalis Indiarum Occidentalium, quæ ſuprà laudavimus, *capp.* 9. & 10. Luem veneream in Inſulâ Haiti ſive Hiſpaniolâ, ad quam primùm appulit Chriſtophorus Columbus, indigenis antiquitus familiarem, ſine prævio ullo contagio ſponte generari, uno verbo verè endemiam eſſe, quod confirmatur unanimi teſtimonio Medicorum & Hiſtoricorum qui circa eadem tempora floruêre, aut qui de re eâdem recentiùs ſcripsêre.

Novimus ſanè exempla non pauca morborum iſtiuſmodi, qui uni cuidam peculiari regioni addicti ſint & cujus fines rarò tranſgrediantur. Sic in Europâ plica Polonis, ſcorbutus accolis maris Baltici, bronchocele ſubalpinis gentibus propria ſunt. Sic in Aſiâ vena Medinenſis ſive dracunculus Arabibus, Andron hoc eſt oſcheo-hydrocele, & Pircal ſeu Perical, hoc eſt ulceroſus tibiarum tumor Malabaris endemia ſunt. Sic in Africâ elephantiaſis *Ægypti* ſemper *peculiare malum* fuit, teſte Plinio *Hiſtoriæ Natural. Lib.* 26. *cap.* 1.

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in mediâ, neque præterea uſquam. Lucret. Lib. 6.

Itaque, ſi quæ hactenus dicta ſunt, vera ſint, ut ſanè vera eſſe lubens credo, debet lues quoque venerea in eodem cenſu numerari reſpectu Inſularum Antillarum ac potiſſimùm Hiſpaniolæ.

Adeoque ibidem productam fuiſſe à causâ quâdam communi, quæ illis Inſulis peculiaris eſſet.

Solent autem morbi iſtiuſmodi regioni cuidam peculiariter addicti ſive endemii à causâ quidem, quæ huic regioni peculiaris ſit, induci, ſed ſimul à causâ quæ communis ſit & quæ indigenarum plurimos poſſit indiſcriminatim afficere. Hujuſce generis tres tantùm cauſas agnoſcimus; 1°. Aërem nempe qui ſpirando ducitur, ſi æſtu nimio, pluviis immodicis, tetris halitibus peſtifer ſit; 2°. Eſculenta & potulenta quibus vita ſuſtentari ſolet, ſi qualitate vel condimento peccent; 3°. Demum antiquos & aſſuetos gentis mores, ſi valetudini quomodocunque noceant. Debet ergo inde colligi venereum luem vel ab unâ aut alterâ ex illis cauſis, vel ab omnibus ſimul in Inſulâ Hiſpaniolâ, ubi endemia erat, olim ſponte genitam fuiſſe.

At verò cauſam illam ignorari.

Rectè hucuſque; jam verò ultrà pergere difficillimum eſt, cùm cætera obſcuritate involuta lateant. Neſcimus enim quid Barbari illi, quid illorum Medici vel potiùs Medicaſtri, quos *Butios* vocabant, de luis venereæ origine aut iteratis obſervationibus compertum habuerint, aut conjecturis perceperint. Imò verò neque naturam aut qualitatem cibariorum, quibus veſcebantur, neque condimentorum rationem, quibus cibaria præparabant, neque mores aut conſuetudines, quibus utebantur ſatis rectè novimus, ut inde liceat collatis penſatiſque omnibus primam luis venereæ cauſam augurari. Majorem verò lucem fruſtrà jam ſperaremus ab indigenis, cùm omnes jam pridem deleti ſint immani Hiſpanorum crudelitate, atque adeo rei notitia, ſi qua forſan quondam fuerit, cum ipſis jam dudum contumulata ſit.

Hæc olim commodè ſcire potuiſſet Gonſalvus Fernandez ab Oviedo, ſi veritatis inquirendæ ſategiſſet, ut virum cordatum decebat. Ille enim ab anno 1513. per annos fermè quindecim cum indigenis, quorum plures adhuc ſuperaverant, commoratus eſt, à quibus proinde de pri-

mâ luis venereæ causâ & ſciſcitari multa & multa doceri potuiſſet. Sed meritò dolemus ſupinam viri cæteroquin haud indiligentis oſcitantiam; teſtatur ipſe luem veneream in Inſulâ Hiſpaniolâ antiquitus endemiam fuiſſe & ibidem ſine prævio contagio, ſuo etiam tempore, ſponte generari: Ipſe tamen & cur endemia eſſet, & quâ causâ ſponte generaretur inveſtigare neglexit. Sanè ſuam culpam agnoviſſe videtur, dum eam in cæteros Hiſpanos conatur conjicere, quos fatetur de religione, uſibus, moribuſque indigenarum Inſulæ Hiſpaniolæ nihil ferè compertum ideo habuiſſe, quod de horumce inquiſitione ſeriùs cogitaverint, ſcilicet cùm gentis primores, qui rerum domeſticarum gnari erant, triſti fato jam occubuiſſent, nec ulla poſſet certa cognitio obtineri ab infimâ & cæcâ plebe, quæ pauca ſupererat.

In eâ tamen caligine, ubi cæteri hæſitant, Leonardus Fioravanti Empiricus Italus nodum à ſe ſolutum eſſe olim credidit, ſed vanitate majori quàm ſucceſſu. Contendebat nempe, hinc quidem veneream luem ſponte concipi ab hominibus etiam ſanis & ſine ullo contagio, ſi humanâ carne veſcantur, ſicut & ab animalibus quibuſcumque, ſi carne animalium ejuſdem ſpeciei nutriantur: Inde verò, incolas Inſulæ Hiſpaniolæ Anthropophagos fuiſſe & humanâ carne veſci ſolitos; unde colligebat illo victûs genere eoſdem in luem veneream neceſſariò brevi incidiſſe, quæ, licet intrinſeco humorum vitio & ſine contage ullâ primùm orta eſſet, potuerit tamen contagione in alios ibidem diſſeminari, quos proinde & contagioſæ & ſpontaneæ lui venereæ patuiſſe conſequens eſt. Neque inde repeti poſſe, quòd Antillarum indigenæ carne humanâ veſcerentur.

Sed hæc utroque pede claudicant. Nam 1°. Vidimus jam ſuprà capite 6. canem, quem per duos menſes caninâ carne nutrivimus, nullis luis venereæ ſymptomatis affectum fuiſſe, unde ſequitur nec in hominibus etiam luem veneream excitari poſſe eſu carnis humanæ. 2°. Conſtat Hiſtoricorum teſtimonio indigenas Inſulæ Haiti ſive Hiſpaniolæ Anthropophagos neutiquam fuiſſe, imò contrà à cæteris pleriſque Americæ gentibus in eo diſſimiles ab humanâ carne abhorruiſſe.

Concidit itaque futilis hæc & commentitia Fioravanti opinio, atque adeo propoſita quæſtio de primâ luis venereæ origine, ſin minùs intractata, ſaltem integra ſupereſt. Quocirca ne difficultate deterriti officio defuiſſe videamur, ejuſdem explicationem tentare cogimur, & ſi non veras proferre, at ſaltem maximè probabiles rei cauſas ſeligere ex triplici cauſarum claſſe ſuprà indicatâ.

I. Videtur quidem aër è numero cauſarum expungendus, qui in Hiſpaniolâ morbos alios forſan inferre potuit, at verò luem veneream minimè. Utique conſtat Europæos, qui eam Inſulam jam à ducentis annis incolunt, luem veneream ibidem numquam contraxiſſe, niſi contagione: Europæi tamen aërem ibidem ducunt & eumdem quem olim ducebant indigenæ, & dubio procul eodem modo temperatum & conſtitutum; neque enim poſſet facilè concipi aëris qualitates in regione eâdem uno aut altero ſæculo ita mutatas fuiſſe, ut qui olim luem veneream indigenis inferre poterat, jam nullomodo poſſet eamdem advenis pari ratione inducere. Sicut nec à temperie aëris, quem ducerent,

II. Haud licet idem ſentire de cibariis aut cibariorum condimentis, Imò verò

neque à qualitate escarum, quibus victitarent.

quibus indigenæ utebantur. Moris quidem communis fuit, ut vescerentur patatis seu batatis, farinâ tritici Indici quod *Mayz* dicitur, cassavâ, variisque fructibus horæis, quos silvæ suggerunt. Sed si illorum penuria esset, ut esse debuit sæpissimè apud ignavos, pigros, incuriosos, laboris impatientes homines, haud detrectabant vermibus, araneis, serpentibus, vespertilionibus, aliisque id genus inquinamentis vesci.

Largiter utebantur condimento quodam acriore, quod *Yraca* nominant, ex radicibus & foliis ari, quod *caulis Caribarum* dicitur, furculis patatarum & *mombini*, cum largâ copiâ capsici seu piperis Indici, quod *axi* vocabant, confecto, quo cætera cibaria intingebant.

Sæpissimè unà conveniebant, ut tabaci fumum haurirent, non quem arte eâdem quâ Europæi, ore acciperent redderentque, sed quem peculiari instrumento in nares fortiter attraherent, donec sopore gravi obruti & semi-mortui humi procumberent.

Demum in cibo & quidem expetito illis erat lacertus quidam amphibius, Insulæ peculiaris, *Ivana* vel *Iguana* dictus, saporis quidem gratissimi, sed quo dolores venereos præsentes augeri, aut malè sopitos tam vehementer recrudescere observatum fuit à Gonsalvo Fernandez ab Oviedo, *Histor. Indiar. Lib.* 13. *cap.* 3. ut crediderit inde Listerus, *Exercitat. de lue venereâ*, luem veneream ab indigenis primitus ideo conceptam fuisse, quòd lacerto, seu ut ille ait, serpente illo vescerentur.

Forsan ea leviora esse videbuntur, nec affectui gravissimo, qualis est venerea lues, producendo satis comparata. Nihilominus tamen sanguinem inde corrumpi & vitiari manifestum est; sanguine verò semel vitiato in calidioribus hisce plagis, acria, abnormia, virulenta fermenta generari posse certum est, quæ à fermentis venereis haud abludant. Sanè nec graviora sunt, quæ Galenus ipse profert, *Method. medend. Lib* 2. *cap.* 12. ut rationem reddat cur lepra, quæ morbo venereo ita congener est, ut à multis eadem esse credatur, Alexandriæ frequenter oriatur, *Vescuntur*, inquit, *Alexandrini pulte, lente, cochleis, ac salsamentis multis; quidam etiam carne asininâ, & aliis ejusmodi, quæ crassum & melancholicum succum pariunt.* Sic quoque hodierno tempore notum est scorbutum, qui à lue venereâ tam parùm discrepat, ut cum eâdem sæpè confundatur, solo victu pravo sponte generari.

Sed forsan ex vagâ, immoderatâ & promiscuâ venere, ac virulentâ menstruorum acrimoniâ.

III. Sed quantacumque ea sint, possunt multò efficaciora proponi. Solent nempe fœminæ in calidioribus regionibus menstruis laborare acerrimis & quasi virulentis, potissimùm verò dum pravo utuntur ciborum genere. Sic Grotius ait in adnotatis *ad Caput XV. Levitici, in Syriâ & locis vicinis ἐμμήνια habere aliquid contagione nocens.* Sic Tavernier *Voyage des Indes, Liv.* 3. *chap.* 27. refert mulieres apud Cafros, præsertim verò in orâ Melindensi, tam virulentas esse, cùm menstruantur, ut Europæi, si urinæ quam illæ recenter tunc emiserint, propiores adstent aliquandiu, non tantùm febre cum cephalæâ, sed etiam peste quandoque corripiantur.

Sic demum, si modò vera sint, videntur de menstruis mulierum quæ calidiores regiones incolunt, posse ea tantùm intelligi, quæ Plinius ait *Lib.* 7. *Histor. Naturalis, cap.* 15. cùm notæ menstruorum naturæ in re-

gionibus magis temperatis tam malè conveniant. « Nihil, inquit, facilè « reperiatur mulierum profluvio magis monſtrificum ; aceſcunt ſuper- « ventu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur « hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſedêre, decidunt : « Speculorum fulgor adſpectu ipſo hebetatur, acies ferri præſtringitur « eboriſque nitor, alvei apium emoriuntur, æs etiam ac ferrum rubigo « protinus corripit, odorque dirus aëra ; & in rabiem aguntur guſtato eo « canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur : Quin & bituminum ſe- « quax alioquin ac lenta natura in lacu Judææ, qui vocatur Aſphaltites, « certo tempore anni ſupernatans nequit ſibi avelli ad omnem contactum « adhærens præterquàm filo quod tale virus infecerit : Etiam formicis, « animali minimo, ineſſe ſenſum ejus ferunt, abjicique guſtatas fruges, « nec poſteà repeti. «

Jam verò ſi tanta ſit menſtrualis ſanguinis virulentia in calidioribus regionibus, minimè tutum eſſe debet ad mulieres ibi accedere, cùm menſtruantur. Sanè conſtat in hac noſtrâ Europâ, quæ magis temperata eſt, ſi cum menſtruatis res habeatur, balanum & præputium leviore phlogoſi aut ſuperficiariis puſtulis, quæ tamen brevi ceſſant, plerumque affici. Quantò graviora ergo iis impendere credendum eſt, quos in calidiore & æſtuante climate miſceri cum fœminis non pudet, dum illis menſes actu fluunt naturâ acerrimi & quaſi viroſi. Ideo forſan factum eſt, ut Medici Arabes, qui regiones calidiores incolebant, quàm Græci & Latini, & primi & ſæpè diſſeruerint de puſtulis & ulceribus virgæ oriundis ex coitu cum *fœdâ muliere*, hoc eſt cum muliere menſtruatâ ; ſicut enim apud Judæos, ſic apud Arabes etiam, qui jam tum erant Mahumetani, menſtruata mulier pro immundâ ſeu fœdâ habebatur. Quin imò ideo videtur Judæis Lege veritum eſſe omne cum menſtruatis commercium & contubernium, ne venere hujuſcemodi, quæ tunc plerumque impura erat, ſe contaminando, graves affectus inde contraherent ; Moſe nempe, aut potiùs Deo Legis Moſaicæ auctore, eo interdicto ſicut aliis pleriſque Iſraëlitarum incolumitati ſollicitè providente.

Multis ergo & graviſſimis morbis indigenæ Inſulæ Haiti affici olim debuerunt, ubi nemo à menſtruatis mulieribus ſe continebat, ubi viri libidine impotentes in venerem obviam belluarum ritu agebantur, ubi mulieres, quæ impudiciſſimæ erant, viros promiſcuè admittebant, ut teſtatur Gonſalvus Fernandez ab Oviedo, *Hiſtor. Indiarum, Lib. 5. capite 3.* imò eoſdem & plures & impudentiùs provocabant menſtruationis tempore, cùm tunc incaleſcente utero libidine magis inſanirent pecudum more. Quid igitur mirum varia, heterogenea, acria multorum virorum ſemina unà conſuſa, cum acerrimo & virulento menſtruo ſanguine mixta, intra uterum æſtuantem & olidum ſpurciſſimarum mulierum coercita, morâ, heterogeneitate, calore loci brevi computruiſſe, ac prima morbi venerei ſeminia conſtituiſſe, quæ in alios, ſi qui forſan continentiores erant, contagione dimanavere ?

Propoſitæ conjecturæ favet conſideratio cæterarum regionum Americæ, Africæ & Aſiæ, de quibus præcedente capite dictum fuit & ubi ſuſpicio eſt totidem alios luis venereæ focos antiquitus latuiſſe. Cùm enim

Cui opinioni favet notus vivendi

mos cæterarum regionum, in quibus lues venerea creditur endemia fuisse.

singulæ intra Zonam Torridam sitæ sint, in singulis idemfuit aëris fervor & æstus ac in Hispaniolâ : Compar quoque fuit in singulis impudicitia, æquè spurca & in venerem promiscuam æquè prona. Jam abunde notum quid de calidioribus Americæ climatis referant Auctores, qui de Americâ primi scripsêre. Liquet similiter nec continentiores olim fuisse Africanos, qui interiora incolebant, cum testetur Plinius *Histor. Lib. 5. cap. 8. Garamantas matrimoniorum exortes passim cum fœminis degere.* Sic narrat Pomponius Mela, *De situ orbis Lib. 1. cap. 8. Apud Garamantas .... nulli certam uxorem esse : Ex his qui tam confuso parentum coitu passim incertique nascuntur, quos pro suis colant, formæ similitudine agnoscunt.* Idem *ibidem* ait *Augilarum fœminis solemne esse, nocte quâ nubunt, omnium stupro patere, qui cum munere advenerint.* Demum de indigenis, qui plagarum aut Insularum Orientalium Asiæ, quæ Zonæ Torridæ subjectæ sunt, judicium ferre licet ab exemplo eorum, qui in Insulis, Marianis dictis, inhabitant, & qui teste R. P. le Gobien, *Histoire des Isles Marianes, Liv. 2.* complures, initâ contubernii societate, communi & eâdem muliere uti solent. Cùm ergo in omnibus terræ locis, ubi lues venerea antiquitus endemia fuisse videtur, eumdem aëris fervorem cum pari incolarum impudicitiâ conjunctum fuisse manifestum sit, haud inanis inde locus est colligendi morbum naturâ eumdem, quo regiones longissimè dissitæ, & inter quas nulla fuit commercii communio, simili modo infestabantur, à simili causarum earumdem concursu, in quo tantùm convenirent, generatum olim fuisse, & generari etiamnum, si indigenæ iisdem moribus vivant.

Neque adversatur Europæ exemplum, ubi ex similibus moribus simile malum nũquam prodiit.

Videbitur forsan allata opinio objectioni patere, nempe quòd debuisset in hac hypothesi lues venerea in Europâ antiquitus sponte generari, sicut in Insulâ Haiti sive Hispaniolâ, cæterisque locis modò propositis, quandoquidem neque in Europâ novum est cum menstruatis rem habere. Sed esto ; demus in Europâ venerem æquè impuram exerceri ; neque enim contrà pugnare placet, quamquam ea tamen nimia videantur. Quid tum inde ? Luem veneream debuisse in Europâ perinde generari & æquè antiquam esse ac in Hispaniolâ ? Neutiquam sanè, neque enim in Europâ, cùm temperatior sit, adest eadem in virorum semine acrimonia, eadem in menstruo sanguine virulentia, idem in utero mulierum fervor, quales in Insulâ Haiti adfuisse probatum est, unde nec eadem utrobique symptomata simultaneo causarum concursu suboriri unquam potuerunt. Proinde, ut rem paucis comprehendam, de morbis & morborum causis dici debent eadem, quæ de animalium ortu, aut plantarum germinatione sub diverso cœlo. Sicut ergo in Europâ nec leones generant, nec simiæ prolem ferunt, nec psittaci nidificant, nec pleraque plantarum Indicarum aut Americanarum semina, etsi solo mandentur, è terrâ erumpunt, aut saltem adolescunt ; sic nec lues venerea potuit unquam in Europâ enasci ex iisdem causis, quibus olim in Hispaniolâ genitam fuisse conjicimus, quia unicuique climati sua inest singularis proprietas, quia quæ in uno sponte veniunt, nullâ arte possunt in altero provenire, uno verbo, ut cum Poëtâ concludam, *quia non omnis fert omnia tellus.*

CAPUT XII.

CAPUT XII.

De periodis, quas lues venerea in Europâ in hunc diem habuit.

QUIBUS venerea lues, poſtquam Europæ primùm incubuit, ſibi ſemper ſimilis eamdem formam & eumdem tenorem conſtanter retinuiſſe videtur, in rerum naturâ æquè hoſpites ſunt & peregrini, ac qui regna oppidaque, quæ nunc vident & potentiſſima & opulentiſſima, pari ratione ſemper ſtetiſſe arbitrarentur. Ut enim Hiſtoricorum fide compertum eſt varias olim fuiſſe rerum vices & regnorum converſiones, ſic quoque evidens eſt nudâ collatione deſcriptionum, quæ proſtant inter rerum medicarum monumenta, veneream luem ſymptomatum, quæ intulit, diversâ vehementiâ & naturâ, ac circuituum, quos habuit, varietate & diſſimilitudine faciem jam * ſæpiùs mutaſſe.

Varias mutationes, quibus lues venerea ab ingreſſu obnoxia fuit, ad varias periodos revocari poſſe.

Sed ut ea quæſtio dilucidè atque perſpicuè poſſit enucleari, opus eſt luis venereæ tempora in periodos diſtinguere, quarum unaquæque novâ cujuſdam ſymptomatis acceſſione vel deceſſione, ceu ſuo caractere, conſpicua ſit.

I. Primam quidem periodum ab anno 1494. ubi primus morbi exortus, ad annum 1516. numeramus. Conſtat autem ſymptomata omnia, quæ à Nicolao Leoniceno ad calcem *Libri de Morbo Gallico*, anno 1497. Gaſpare Torella, *in conſiliis particularibus adversùs pudendagram*, anno 1500. Joanne Almenar, *Libello de Morbo Gallico, cap.* 3. anno 1516. ac demum Jacobo Cataneo, *Tractatu de Morbo Gallico, cap.* 3. anno 1516. recenſita ſunt, tanquam lui venereæ eo tempore propria, diligenter & accuratè collecta eſſe & eleganter expreſſa ab Hieronymo Fracaſtorio, *Lib.* 2. *de Morbis cõtagioſis, cap.* 11. *de Morbo Gallico*, ubi ſic ait: « Principio cùm is apud nos apparuiſſet, hæ ferè notæ conſpiciebantur in eo « morbo..... Animum triſtitia quædam detinebat, corpus laſſitudo, « pallor faciem; tandem quod in majori parte inerat, ulcuſcula quædam « circa pudenda oriebantur..... hæc & emori contumacia erant, & « victa unâ parte, aliâ regerminabant immortali propagine. Poſthæc cruſ- « toſæ quædam puſtulæ per cutem erumpebant, in quibuſdam quidem à « calvariâ incipientes (quod ut plurimùm erat) in quibuſdam in aliis lo- « cis; parvæ primum eæ apparebant, mox augebantur paulatim ad ma- « gnitudinem cooperculi glandis & ſimilitudinem etiam', iis non abſi- « miles quæ in pueris achores vocantur: Differentiæ earum multæ viſe- « bantur, quibuſdam parvæ & ſicciores, quibuſdam majores & pinguio- « res, nonnullis lividæ, aliis exalbidæ leviter pallentes, aliis duriores & « ſubrubentes. Omnes autem paucis pòſt diebus aperiebantur, ac mu- « core quodam mucilagineo fœtido manabant; nec dici poteſt quantus « ille mucor perpetuò efflueret, quanta ſordities. Exulceratæ deinde «

Primam ab anno 1494. ad annum 1516. per quam morbus maximè ſæviit.

* Ipſe Guicciardinus teſtatur *Hiſtor. Lib.* 2. jam ſuo tempore, hoc eſt ante annum 1540. quo diem obiit, morbum *poſt aliquot annorum curricula..... multò mitiorem eſſe cœpiſſe: in plures etiam ſpecies, atque à primâ diverſas ſuapte naturâ commutatum.*

» exedebant more eorum ulcerum, quæ phagædemica appellantur, atque » interdum non ſolas carnes, ſed & oſſa etiam ipſa inficiebant. Quibus » autem circa ſuperiora vigebat malum, iis deſtillationes pravæ contingebant, quæ modò palatum, modò gargareonem, modò fauces, & tonſillas » erodebant : labia quibuſdam conſumpta ſunt, quibuſdam naſus, quibuſdam oculi, aliis pudenda tota. Ad hæc autem magnâ ex parte gummoſitates » quædam per membra concreſcebant magnâ deformitate; nam ſæpè ovi, » ſæpe panis magnitudinem æquabant, quibus apertis mucor ſuberat albus, » mucilagineus : Tenax is callus maximè in brachiis & cruribus accidebat, » qui interdum ulcerabatur, interdum integer uſque ad mortem perſeverabat. Præter prædicta omnia, quaſi parva illa forent, ingentes » lacertorum dolores accedebant, ſæpè cum ipſis puſtulis, interdum antè, » nonnumquam pòſt, & ipſi quidem diuturni, quibus nihil crudelius aderat. Affligebant præcipuè noctu; dolor autem non propriè in junctu» ris inerat, ſed circa lacertos ipſos & nervos. Verùm nihilominus ſine » dolore ullo oriebantur puſtulæ, quibuſdam ſine puſtulis dolores, ma» jor pars utriſque affligebatur. Intereà languebant membra omnia, ma» cies corpus detinebat, nullum aderat deſiderium cibi, nullus ſomnus » ſed mœror & iracundia aſſidua, & amor decubitûs; facies & crura » turgebant; quandoque & febricula quædam concomitabatur, ſed rarò; » dolebat quibuſdam caput, dolor is erat diuturnus & nullis medicami» nibus parens.

Secundam ab anno 1516. ad annum 1526. per quam advenêre duo nova ſymptomata, exoſtoſes & verrucæ ſeu porri genitalium.

II. Periodus altera ab anno 1516. ad annum 1526. annos decem complectitur, quo temporis intervallo videntur memorata ſymptomata, quæ pari vehementiâ pervigebant, duobus novis ſymptomatis aucta fuiſſe, quorum antè nullibi mentionem factam fuiſſe legimus.

Prius erant exoſtoſes cum oſſis carie plerumque junctæ, quas Joannes de Vigo anno 1519. primus omnium ſic deſcribebat, *Practicæ Chirurgicæ Lib. 5. cap. 1.* « Similiter quoque cum dictis puſtulis vel ſaltem poſt » earum ortum inde ad menſem cum dimidio vel circa, patiens laborat » vit doloribus clamoſis interdum circa frontem, interdum in ſpatulis » & humeris & brachiis, & aliquando in tibiis, coxis & anchiis. A qui» bus doloribus aliquando multum poſt tempus, videlicet poſt annum & » ultra quædam oriebantur ſkirrhoſitates ad inſtar oſſium, à quibus ægro» tantes doloribus clamoſis vexabantur, præſertim tempore noctis & ſe» dabantur in die ..... cujus doloris finis ferè ſemper fuit os & almo» chatin corrumpere, & vitiare, quemadmodum in ventoſitate ſpinæ ac» cidit.

Poſterius verò fuêre verrucæ & porri circa genitalia progerminantes, de quibus ſequentia legimus apud Petrum Maynardum, *Tractatu de Morbo Gallico, cap. 4.* quem circa idem tempus ſcriptum fuiſſe haud inanis eſt conjectura; « Propterea, *inquit*, dicimus quòd ſignum potiſſimum » hujus morbi Gallici, ut experientiâ vidimus, ſunt puſtulæ apparentes » in extremitate mentulæ in viris, & in ore vulvæ in mulieribus ſive in » collo matricis, & pruritus in partibus ſeminis. Quæ puſtulæ ut pluri» mùm ulcerantur. Et *ut plurimùm* dico, quia nonnullos vidi habentes has » puſtulas induratas, ut ſunt verrucæ, clavi & porri.

III. Tertia periodus ab anno 1526. ad annum 1540. luem veneream jam miteſcere incipientem prima vidit, teſte Hieronymo Fracaſtorio, qui in Opere de Morbis contagioſis anno 1546. Venetiis edito, *Lib. 2. cap.* 11. refert, *tametſi nunc quoque* (ſuo ſcilicet tempore) *ea contagio vigeat, poſt tamen prima illa tempora immutatam videri: abinde enim annis ferè viginti cœpiſſe pauciores videri puſtulas, gummoſitates verò plures, cùm è contrario primis annis fuiſſet: Factas item fuiſſe puſtulas* (*ſi quæ apparebant*) *ſiccriores, ac dolores* (*ſi qui accidebant*) *eſſe acerbiores.*

Tertiam ab anno 1526. ad annum 1540. per quam morbo quod ad cætera miteſcenti, ſupervenêre de novo bubo in inguine & alopecia.

Sed eadem periodus acceſſu duorum novorum ſymptomatum infamata fuit, phymatis ſcilicet aut pani in glandulis inguinalibus, quem *bubonem* dixêre, & alopeciæ ſeu capillorum defluvii.

De priore quidem audiendus eſt Nicolaus Maſſa qui ad annum 1534. ſcribebat, *Libro* 1. *de Morbo Gallico, cap.* 7. *Aliquando*, inquit, *eſt febricula, & ſapiſſimè apparent ulcera virgæ, quæ ſunt mala cum duritie callosâ, quæ tardè ſanantur; & puſtulæ fiunt circa pectinem..... Et ſequuntur apoſtemata inguinum, quæ ſi ſuppurantur removent ægritudinem, maximè à principio.*

Similia expreſſo bubonis nomine narrat Aloyſius Lobera, qui Medicus Imperatoris Caroli V. floruit circa annum 1540. *Interdum*, inquit, *Tractatu de Morbo Gallico, cap.* 2. *in virgâ nonnulla ulcera cum duritie & calloſitate, quæ ſanari exactè nequeunt, perpetitur, quod morbi Gallici certum ſignum eſt, maximè verò cùm in inguine præceſſerit apoſtema, quod* bubonem *dicunt.*

Videtur & ipſe Paracelſus de bubone venereo mentionem feciſſe circa annum 1536. *in Chirurgiâ magnâ, Part.* 4. *Lib.* 5. *cap.* 9.

Sed expreſſiùs Antonius Gallus, *cap.* 1. *Opuſculi de ligno ſancto non permiſcendo*, Lutetiæ editi anno 1540. *Jam verò adlito affricatoque ad pedem malo nonnumquam uſu venit, ut virulenta colluvies ad inguina vomicæ durioris erumpat imagine, quæ glandia, quas ἀδένας vocant, obſidione velut ambiat & circumvallet: hæc ſi ſuppurat, frequenter bono eſt..... Hoc morbi genus cancroſum vocant* bubonem, *alii* pulinum, *dicaci etiamnum ſcommate notantes velut equuleo inſidentes, quando divaricatis incedunt cruſculis qui eo malo implicantur.*

De poſteriore verò conſulendus Fracaſtorius, qui in *Opere de Morbis contagioſis* Venetiis edito anno 1546. & quod proinde paulò antè confectum fuiſſe credere eſt, *Lib.* 2. *cap.* 11. hæc habet. *Porrò & annis labentibus, annis jam ferè ſex*, (hoc eſt anno circiter 1534. aut 1535.) *in quibus nunc ſumus, magna rurſus mutatio facta eſt ejus morbi; quippe cùm in valdè paucis puſtulæ jam viſantur, & dolores ferè nulli aut multò leviores, gummoſitates verò multæ; & quod mirum omnibus viſum eſt, capillorum & reliquorum pilorum caſus homines ferè ridiculos facit, aliis ſine barbâ, aliis ſine ſuperciliis, aliis glabro capite in conſpectum venientibus; quod infortunium priùs putabatur ex medicaminibus evenire, præſertim ex argento vivo; mox certiores facti omnes ſciunt ex ipſo morbo immutato procedere; quin imò* (*& quod pejus eſt*) *jam nunc multis videntur labefactari dentes, quibuſdam etiam cadere.*

IV. Quartâ periodo ab anno 1540. ad annum 1550. hinc quidem in dies temperari viſa ſunt pleraque ſymptomata, quæ à morbi exortu affligeQuartâ ab anno 1540.

ad annum 1550. per quam remittenti morbo novum tamen accessit symptoma, nempe gonorrhœa.

bant, ut pustulæ, gummata, dolores, partium erosiones, &c. illinc verò simul accessit novum symptoma, cæterorum mitigationem compensaturum, quod nondum observatum fuerat, quod abhinc in incipiente lue venereâ frequentissimum fuit, si non perpetuum, gonorrhœam dico virulentam, de quâ * primi mentionem fecêre Brassavolus *Lib. de Morbo Gallico*, quem anno 1551. confectum publici juris fecit anno 1553. Fernelius anno 1556. *Lib. 2. de abditis rerum causis, cap.* 14. & *Lib. 6. de partium morbis & symptomatis, cap.* 20. & Fallopius, *cap.* 23. *Tractatûs de Morbo Gallico*, quem circa annum 1560. aut 1561. scriptum fuisse conjicimus.

Quintâ ab anno 1550. ad annum 1562. per quam tinnitus aurium primùm observatus dicitur.

V. Quintâ periodo, quæ anno 1562. terminatur, novum luis ejusdem symptoma à Fallopio observatum legimus, *Tractatûs ejusdem cap.* 23. Tinnitum scilicet aurium. *Ultra decem annos*, inquit, *numquam audivi ab aliquo mentionem factam de hoc tinnitu: ego primus observavi, jam octavus agitur annus: rari sunt qui hujusmodi tinnitum non habeant in valdè confirmato Gallico. Observetis*, pergit ille, *diligentissimè hoc, cùm scriptum non reperiatis ab aliis. Hic tinnitus solet ob alia suboriri, sed etiam sit ex Gallico.*

VI. Demum debet & sexta periodus circa annum 1676. præcedentibus forsan addi, in quâ primùm apparuerint limphaticæ sive crystallinæ vesiculæ in genitalibus. Sanè non memini de illo symptomate mentionem fieri à Scriptoribus, qui hoc anno antiquiores sint: Narratque præterea Carolus Musitanus, *Tract. de Morbis Venereis, Lib. 3. cap.* 10. crystallinas in Italiâ frequentes non fuisse, nisi postquàm classis Hispana ad Neapolim appulit defectionis Messanensis tempore, atque adeo post annum 1675.

Harumce periodorum discrimina magnis Auctoribus niti.

Videbor forsan gradarias luis venereæ accessiones verbis exaggerare, & leviora quædam symptomata ignoratione vel incogitantiâ omissa pro novis venditando morbi periodos nimis amplificare. Sanè nec ipse, ut ingenuè dicam, ab eâdem suspicione multùm alienus sim, saltem de secundâ periodo, in quâ exostoses & verrucas porrosque primùm observata fuisse dixi, quippe ea symptomata in morbi nondum satis noti descriptione vel omitti potuêre, vel nomine gummatum & pustularum comprehendi.

At verò idem judicium nullâ ratione proferre licet 1°. De bubone venereo, qui tertiâ tantùm periodo prodiit; neque enim credere est Medicos, qui ante annum 1533. de lue venereâ scripsêre, omnes ad unum tam oscitantes fuisse, ut altè silere potuerint de bubone, tam insigni scilicet luis venereæ symptomate, de quo Medici eodem anno posteriores ad unum omnes tam copiosè disserunt, si bubo jam ante annum 1533. observatus fuisset.

2°. Saltem nulla potest subesse suspicio circa alopeciam, de cujus novitate constat idoneis & oculatis testibus.

Sic Fracastorius *Lib. 2. cap.* 1. Operis de Morbis contagiosis, quod circa annum 1540. confectum esse diximus, disertè refert *jam à sex annis*, (hoc

* Vide infrà Lib. 5. capita, ubi *de Jacobo à Bethencourt, & Theoph. Paracelso.* Hic enim videtur gonorrhœam veneream descripsisse circa annum 1536. Ille verò ante annum 1527. eamdem certissimè descripsit.

est anno ipso 1534.) *capillorum & pilorum omnium defluvium accidisse, imò quibusdam labefactatorum dentium casum.*

Sic Brassavolus in Libro de Morbo Gallico, qui Venetiis anno 1553. editus est, asserit jam *à viginti annis citrà*, (hoc est jam ab anno 1533.) *alias quasdam species ortum habuisse, quæ an declinantem morbum sequantur, an aliquo modo immutatum sit genus ambigendum esset. Quinque sunt potissimùm modi*, pergit ille, *quos referre non pigebit. Unus est, qui vulgò* pellarola *vocatur, vel defluvium pilorum, qui modus homines ridiculos reddit, cùm capilli deciderint, barba, cilia, supercilia & palpebrarum pili; nullus enim est qui cùm hos videat ita depilatos, non rideat. Alius modus est, qui vulgò dicitur* dentarola, *quoniam dentes patienti decidunt. Tertius modus est unguium casus, qui plerumque defluvium pilorum sequitur. . . . . vulgus hunc modum vocat* unguiarola. *Quartus modus, in quo homines oculos amittunt*, & occhiarolam *vulgò nuncupant. . . . . Quintus modus est gonorrhœa.*

Sic omnium dissertissimè Fallopius *cap. 23. Tract. de Morbo Gallico*, quem circa annum 1560. aut 1561. scriptum esse liquet ex capitibus 7. & 23. *Primis illis diebus*, inquit, *per spatium 40. annorum*, (hoc est ante annum 1533.) *non erat defluvium pilorum, agitur jam trigesimus annus, quo hoc defluvium incœpit* . . . . Et paulò infrà, *jam est transactus quadragesimus annus, quo non radimur ob vituperium nostrum: Anteà non erat defluvium pilorum & radebamur. Hispani induxêre tyrannidem in Italiam, Gallicum & barbæ longæ usum.*

3°. Neque minùs indubia est tum gonorrhœæ venereæ accessio, tum accessionis epocha. Testatur enim *ibidem* idem Fallopius anno 1560. aut 1561. scribens, *non esse quindecim annos, quibus observata est gonorrhœa Gallica. Ex quo colligimus*, pergit idem, *variam esse naturam morbi & possimus expectare nova symptomata.* Inde liquet ergo calculo subducto gonorrhœam veneream circa annos 1545. aut 1546. primùm observatam fuisse. Certè Brassavolus primus fuit omnium, quos sciam, qui in Tractatu anno 1553. typis edito Venetiis, gonorrhœam inter cætera luis venereæ symptomata retulerit, sed quem Fernelius locis suprà laudatis brevi temporis intervallo secutus fuisse videtur.

4°. Demum luculento Fallopii testimonio, *ubi suprà*, novitas symptomatis, quod lui venereæ quintâ periodo accessit, tinnitûs nempe aurium, abundè confirmatur. Refert enim ipsissimis verbis *ultra 10. annos se numquam audivisse ab aliquo mentionem factam de hoc tinnitu*, quem ipse primus observavit jam ab octo annis, (hoc est circiter anno 1552.)

Post ultimam modò recensitarum periodorum omnia in melius semper abière in hunc usque diem, sed progressu tardiore & magis gradario.

1°. Nulla symptomata accesserunt de novo à Fallopii tempore: Neque enim nova dicenda censeo vel phimosim, quam accuratissimè descripsêre ipse Fallopius *Tractatu de Morbo Gallico, capp. 83. 84. & 85.* & Alexander Trajanus Petronius *De Morbo Gallico, Lib. 7. capp. 2. & 3.* vel stranguriam, gonorrhœæ pedissequam, de quâ idem Petronius, *ibidem cap. 13.*

2°. Ex symptomatis, quæ olim sæviebant, quædam prorsus evanuerunt, ut prolapsus oculorum, dentium, unguium, &c. quæ jam dudum à nemine contingit ut observentur.

3°. Symptomata cætera pleraque jam rariora ſunt & remiſſiora, ut gummata ſteatomatoſa vel atheromatoſa; alopeciæ; puſtulæ cruſtoſæ; caries oſſium; ulcera maligna palati, columellæ, faucium, narium & dolores nocturni, &c.

4°. In ſummâ ſuperſunt quatuor tantùm ſymptomata, quibus tota lues videtur nunc comprehendi, nempe gonorrhœa, bubo, ulcuſcula cancroſa penis, & porri ſeu verrucæ, cum quibus ſolis lues conſtanter incipit, cum quibus ſolis ſolet non rarò terminari.

5°. Imò verò morbus in ſolâ gonorrhœâ ut plurimùm conſiſtit, nec cætera ulla ſymptomata plerumque accidunt, niſi negligatur gonorrhœæ curatio.

6°. Demum gonorrhœa ipſa jam curatu facilior eſt, ac ſæpè ſine remediis ſponte ſanatur, modo diæta ſervetur conveniens. Cætera quoque tria ſymptomata, etſi operoſiore methodo opus habeant, jam multò remiſſiora ſunt.

CAPUT XIII.

De periodis, quas præſagire licet luem veneream in poſterum habituram eſſe.

Morborũ, qui novi ſunt & in Europam aliunde advecti, alios conſtanter permanere, ſenſim evaneſcere alios.

MORBI novi & in Europam aliunde advecti, cum animalibus alienigenis aut plantis exoticis videntur jure merito conferri poſſe, ut ſuprà indicatum fuit, *cap.* 11. Ut enim animalium, quæ alienigenæ ſunt, alia in Europâ commodè vivunt & generatione multiplicantur, ut bombyces à Sinarum Imperio oriundi, aut Gallinæ indicæ ab Indiis Occidentalibus delatæ: Alia verò brevi intereunt vel citò degenerant; Ut plantarum aut arborum, quæ ſunt exoticæ, aliæ lætè frutiçant vigentque in Europâ, ut hippocaſtanum, vulgò *Maronnier d'Inde*, ex Indiâ, aut Acacia ex Ægypto devecta: aliæ verò celeriter pereunt aut mutatâ naturâ degeneres fiunt; ſic quoque morborum, qui novi ſunt & in Europam aliunde advecti, alii ſunt, qui ab ingreſſu iidem conſtanter permanent, eâdem ſæviunt vehementiâ, ideoque perennes futuri videntur, ut variolæ & morbilli, quos ab Arabibus jam à mille annis acceptos habemus: Alii verò ſunt, qui à priore ferociâ paulò pòſt degeneres tandem ſenſim evanuerunt, ut lepra, quæ in Europam bis inducta, ut ſuprà vidimus *cap.* 3. bis in eâdem ſponte ceſſavit.

Proinde ad alterutram claſſem luẽ veneream pertinere.

Itaque dum in futuras luis venereæ periodos inquiritur, id unum verſatur in quæſtione, quibuſnam alienigenarum animalium, aut plantarum exoticarum comparanda ſit, utrùm ſcilicet cum animalibus & plantis quibuſdam Europæ climati ita aſſueſcat, ut apud nos propria & perennis fieri videatur, quemadmodum de variolis futurum eſſe conjicimus? An verò cum animalibus aut plantis aliis, adverſâ aëris temperie aut corporum quibus inſidet conſtitutione fracta jam ita langueat, ut ſenſim ad interitum vergat tandem aliquando futurum, ut lepræ jam contigiſſe notum eſt.

Ad quam

Sanè tam difficilis nodus expediri non poteſt nec conjecturis inanibus

& cæcâ quaſi divinatione, ut dum Fernelius *Lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap.* 14. Hieronymus Reuſnerus, *Lib. de Scorbuto*, Carolus Muſitanus, *Tractat. de Morbo Venereo, Lib.* 1. *cap.* 6. temerè præſagiunt luem venereàm in perpetuum duraturam eſſe; nec futilibus Aſtrologiæ placitis, quæ non ſunt divinatione minùs fallacia, ut cùm Petrus Maynardus *cap.* 3. *Tract. de Morbo Gallico* anno 1518. editi falsò olim tradidit hunc morbum anno 1584. ceſſaturum eſſe; ſed augurio quod de futuris morbi periodis ex periodis jam præteritis ducatur, & quo nihil certius eſſe poſſe credimus in quæſtione præſenti. Profectò ſi lues venerea jam à 240 annis, à quibus in Europam introductam fuiſſe probavimus, ſenſim in dies miteſcere viſa ſit, & ſi ætate noſtrâ in dies magis ac magis miteſcat, haud inanis ſpes inde affulgere videtur, fore ut progreſſu ſimili in poſterum decreſcens ad interitum tandem aliquando perveniat.

tamen pertineat temerè non eſſe pronuntiandum.

Vidimus quidem ſuprà *in præcedenti capite* teſtimonia multa, unde liqueat primigenia luis venereæ ſymptomata, quæ initio ſæviſſima erant, ſenſim in leniora mutata fuiſſe intra primos ſexaginta annos. Videbimus modò *præſenti capite* teſtimonia alia, quibus evidens erit ſecundaria luis ejuſdem ſymptomata, quæ prioribus ſucceſſerunt, etſi à 180. annis eamdem ferè naturam retineant, attamen ipſa quoque non eâdem ac olim vehementiâ nunc ſævire. Proinde cùm utroque probationum genere perinde manifeſtum ſit venereàm luem, aut mutatâ in melius primitivorum ſymptomatum naturâ, aut imminutâ præſentium intenſione, de priſtinâ ferociâ multùm remiſiſſe, videmur jure merito aſſentiri poſſe ſequentibus Medicis, eruditione & famâ celeberrimis, qui à 200. annis, quaſi ſucceſſivâ traditionis catenâ futurum luis venereæ interitum non ſperaverunt modò, imò etiam, ut ea quæ placent citiùs expectare commune eſt, multò promptiorem ſperaverunt, quàm tarda morbi declinatio aut præſens ejuſdem ſtatus pollicerentur.

Sed modeſtè augurandum ex ſucceſſione mutationũ in melius, quam jam paſſa eſt.

I. Hieronymus Fracaſtorius, poſtquam fusè expoſuit *capite* 11. *Libri* 2. *de Morbis contagioſis*, mutationes, quæ jam ſuo tempore ſymptomatis pleriſque luis venereæ acciderant, & quas *ſuprà* indicavimus *præcedente capite*, concludit inde *cap.* 12. *exiſtimandum eſſe ſenium jam hujus morbi incœpiſſe, nec longè poſt futurum ut ne per contagem quidem ſe propaget, quoniam materia in dies frigidior fit & terreſtrior, in quâ & ſeminaria tum pauciora, tum & debiliora in dies gignuntur.* Quam eamdem conjecturam jam antè ipſe expreſſerat ſequentibus verſibus in *Lib.* 1. *Syphilidis* editæ anno 1530.

Hac methodo multis jam pridem videri luem venereàm ad interitum ſenſim tendere.

1546.

Namque iterùm cùm fata dabunt labentibus annis
Tempus erit, cùm nocte atrâ ſopita jacebit
Interitu data.

II. Antonius Muſa Braſſavolus ex mutationibus luis venereæ, quas ipſe etiam ſedulò annotavit, collegit pari ratione in *Tractatu de Radicis Chinæ uſu, Morbum Gallicum eſſe in declinatione univerſali, nam*, inquit, *remitti cœpit, & adeo remittetur, ut penitus abeat, neque ampliùs aliquem vexabit. Satis enim*, pergit ille, *per octuaginta ferè annos vagatus eſt; hoc nimirùm modo morbi omnes novi & qui nonnullis ſolùm temporibus viſi ſunt, deinceps delituerunt & aboliti ſunt.*

1552.

1560. III. Gabriel Fallopius, *Tractatûs de Morbo Gallico, cap.* 3. asserit hunc morbum *suo tempore ita mitem, ita familiarem effectum esse, ut .... ex toto & maximâ cum facilitate superetur.*

1564. Levinus Lemnius, *De occultis naturæ miraculis, Lib.* 2. *capite* 14. dicit *Morbum Gallicum* suâ ætate *mitiorem esse, quàm olim*, cùm enim *superioribus annis intolerandis modis homines excarnificaret, jam cœpisse mitescere minùsque infestum esse.*

1565. IV. Bernardinus Tomitanus, *Lib.* 2. *de Morbo Gallico, cap.* 2. post expositas luis venereæ mutationes sic concludit, *Morbum Gallicum jam ad extremum senium perveniisse, hoc est ad occasum & declinationem tendere, propereaque celerrimè brevique tempore fore ut non amplius per contactum venereosque complexus propagationem suscipiat*, pauciscque interpositis ait *ex mitigatâ morbi naturâ & placatis symptomatis se pro certo asserere posse eum jam proximum esse terminationi.*

1566. V. Alexander Trajanus Petronius, *Lib.* 3. *de Morbo Gallico, cap.* 1. fatetur *minui id malum & reddi mitius victu, loco, aëreque mutatis, proportione præsertim ad Indiam Occidentalem, unde primùm ad nos penetravit, habitâ.*

1577. VI. Laurentius Joubertus, in Libro *De vairolâ magnâ sive crassâ, cap.* 3. asserit *lucm illam finem aliquando esse habituram, ... cùm per varia corpora transitu facto exoticus affectus jam multò mitior evaserit, ut tandem inclinans & consenescens simplicis scabiei. .... speciem sit adepturus*; quæ eadem verbis totidem jam antè dixerat, *De Erroribus popularibus, Lib.* 2. *cap.* 12.

1600. VII. Joannes Varandæus, *De Morbis hepatis, cap.* 2. *de lue venereâ*, testatur morbi *ferocitatem exolescere nunc & quasi minui, quia longiùs distat à primo seminario seu infectionis principio, & quia causæ disponentes vel concurrentes minùs sunt dispositæ ad illum fovendum.*

1680. VIII. Thomas Sydenhamius, *Epistolâ* 2. *responsoriâ de lue venereâ*, docet *morbum, vegetabilium instar, in alienum à patrio solum quasi transplantatum, Europæo nostro non perinde latari, sed languere in dies & mitioribus phænomenis fatiscere. Novus apud nos hospes cùm esset*, pergit ille, *si quem arripuerat, mox omnem sanguinis massam contaminabat, & diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus se prodebat. At verò centum retrò annis gonorrhœa virulentæ specie se primùm ostendebat, ostenditque adhuc, hac sibi portâ exitum quærens.*

1711. IX. Joannes Devaux, Chirurgus Parisiensis, qui Tractatum Caroli Musitani *de Morbo Venereo* è Latino Gallicum fecit, ac typis edendum curavit Trivultii anno 1711. in adnotatis ad *caput* 6. *lib.* 1. observat symptomata luis venereæ in dies Lutetiæ mitiora esse à 30. vel 40. annis; gonorrhœas nempe minùs dolorificas; ulcuscula cancrosa minùs sæva aut erodentia; bubones resolutioni aut suppurationi magis comparatos esse; dolores venereos, tum vagos, tum fixos, minùs cruciare; uno verbo morbum ita remissum jam videri, ut sperare liceat Medicinæ ope tandem aliquando superatum iri.

1735. X. Demum ipse quoque, ut & meum proferam testimonium, iteratâ & attentâ observatione compertum dudum habeo luem venereamsensim in dies mitigari; & quamvis, ut est præsentis ætatis in libidinem intemperantia,

intemperantia, haud rariùs, imò contrà frequentiùs forsan etiamnum grassetur, debiliùs tamen jam pridem sævire; tam multa, tam horrenda, curatu tam difficilia symptomata non inferre; remediis, si cautè adhibeantur, minùs pertinaciter reluctari; uno verbo vetustate pedetentim exolescere.

Ex hac ergo testium catervâ, qui licet diversis temporibus & locis vixerint, in idem tamen omnes uno ore conspirant, liquet luem veneream ad interitum gradariè tendere, licet forsan adhuc pede claudo. Neque sanè mirum morbum peregrinum & alienigenam, in Europâ præter naturam insititium paulatim senescere, ac tandem aliquando extingui. Spem ratam facere potest exemplum simile lepræ Arabum, quæ & ipsa apud nos hospes & bis in Europam olim traducta, bis in eâdem sensim desiit pari de causâ, etsi fuisset inter initia æquè dira & æquè vulgata.

Cæterùm licet morbi interitum certi præsagiamus, de tempore interitûs nihil definimus, quod caliginosâ nocte premit Deus. Citò quidem lues cessatura foret, si Torellæ consilium *in Dialogo de dolore in pudendagrâ*, quod ab Eustachio Rudio *in Opere de Morbo Gallico* renovatum legimus, posset adhiberi: Fœminas scilicet virosque omnes, quotquot lue venereâ inficerentur, remediis simul subjicere, ut sublato omni morbi seminio morbus radicitus extirparetur. Sed hæc ad Utopiam ableganda.

Quibus de causis sperare liceat morbum tandem aliquando defiturum.

Satis est morbum ad occasum sponte vergere, multis de causis. 1°. Quia virus, quod in Europâ sponte non gignitur sed ex traduce tantùm propagatur, transitione in dies sensim debilitatur: 2°. Quia adversis aëris naturâ, alimentorum qualitate, sanguinis constitutione, apud nos quotidie infringitur: 3°. Quia remediis efficacissimis in dies retunditur. Sic consociatâ causarum energiâ res ad optatum successum tandem aliquando perducetur; quandonam verò, ipse prorsus ignoro; celeriter tamen, si 1°. Quemadmodum nunc usus viget, ægrotantes missâ cunctatione malè pudibundâ ad remedia citò confugiant, dum virus recens est, nec unquam adeo permittant, ut per longas moras invalescens ultimum virulentiæ gradum adipiscatur. 2°. Si diligens * munditiæ studium adhibeatur, ut nunc moris est, saltem in Galliis, iteratisque lotionibus extergantur frequenter pudenda, ne humoris acrioris aut virulenti morâ conspurcentur.

Gravis objectio adversùs illam opinionem proponitur & diluitur.

Non dissimulanda tamen objectio, quâ conjecturæ nostræ premi videntur: Scilicet scintillas è focis variis, quos in Zonâ Torridâ admittimus, debere interdùm ad nos agi, quibus incendium jam ferè sopitum in Europâ denuò exsuscitetur, vel potiùs, ut sine metaphorâ dicam, è variis Zonæ Torridæ regionibus, ubi lues venerea endemia viget, frequentia veneni effluvia in Europam commercio debere traduci, quæ remittentem morbum renovatura sint.

Sed hanc argumentationem multa diluunt. 1°. E regionibus istiusmodi

* Fridericus Hoffmannus, *Dissertat. Physico-Medicarum* 3. asserit luem veneream Constantinopoli non grassari, additque *ideo non grassari, quòd fœmina munditiei apprimè studiosæ post opus aquam sumant, & locos diligenter colluant.* Sed videtur ille in errore versari gemino, tum facti, tum juris: *Facti*, aiendo luem veneream Constantinopoli nullam observari; *Juris*, lotionum utilitatem nimiùm exaggerando.

alias, quæ omnium notiſſimæ erant, & unde morbus ad nos olim devectus eſt, jam dudum vaſtatas & incolis exhauſtas eſſe; atque adeo nihil inde ad nos apportari jam ampliùs poſſe; quod convenit Inſulæ *Haiti* ſeu *Hiſpaniolæ*, cæteriſque continentis Americæ regionibus calidioribus, quarum indigenæ ab Hiſpanis jam pridem internecione deleti ſunt.

2°. Cum nonnullis aliis harumce regionum ita rara nobis intercedere commercia, ſi qua porro intercedant, ut vix ulla morboſa ſeminia poſſint hinc traduci, quod potiſſimùm verum eſt de interioribus Africæ Provinciis, adeoque de Regnis *Tombouctou & Meli*, ubi luem veneream antiquitus vigere creditur.

3°. Imò virus rarò concipi in cæteris regionibus hujuſcemodi, in illis etiam cum quibus frequentior eſt ſocietatis uſus & major conſuetudo, ut ſunt Indiarum Orientalium oræ & omnes Inſulæ per mare Indicum ſparſæ, quoniam poſtquam ſemel innotuit exemplo luis venereæ, quæ in Europâ graſſatur, venenum concubitu poſſe contrahi, ſolent vel perditiſſimi attentiùs ſibi cavere ab imprudente & veſano uſu veneris cum mulieribus barbaris.

4°. Quòd ſi verò contigerit aliquando quempiam illic contagio primigenio contaminari, ut interdum fieri inficias ire nolim, efficaci remediorum auxilio celeriter ſibi proſpicere, atque adeo ſic abrumpi protinus ſucceſſivam contagionis catenam, quæ poſſet alioquin novas tragœdias forſan excitare. Et ſanè quidem, licet Europæi jam à ducentis annis ferè omnes Aſiæ oras & Inſulas ſedulò luſtraverint, ac inde forſan venenum venereum de novo non ſemel hauſerint, conſtat tamen experientiâ luem veneream pari paſſu per idem tempus in dies mitigatam eſſe, unde ſi frequens cum Aſiaticis conſuetudo, ſi acceptum identidem ab illis venenum hactenus non obſtiterint ne lues ſenſim in dies remitteretur, conſequens eſſe videtur fore, ut in poſterum cauſæ eædem haud efficaciùs valeant obſtare, cur eadem lues magis ac magis extenuata aliquando tandem penitus non evaneſcat.

CAPUT XIV.

De Legibus olim ſancitis in eos, qui lue venereâ laborabant.

Olim creditum fuit luem veneream contagione in diſtans ſerpere more peſtis

CREDEBATUR lues venerea, cùm primùm in Europâ apparuit, peſtis inſtar ab infectis in ſanos contagione in diſtans ſerpere alloquio, convictu, uſu vitæ communis, &c. ægris ſcilicet verum contagionis modum initio vel ignorantibus vel diſſimulantibus. Inde fluxêre leges illæ, quæ in infectos olim latæ ſunt in Galliis, & quibus incolumitati publicæ eâ diligentiâ providebatur, quam videbatur præjudicii ratio poſtulare.

Ab hoc præjudicio ortæ ſunt Leges latæ

Sic exſtat in Actis Senatûs Pariſienſis, *Regiſtre du Conſeil, commencé le mois de Novembre* 1496. *finiſſant au mois d'Octobre* 1497. *cotté N° XL. Fol.* 74. *recto.* Decretum datum non die 4. Martii, ut refert Fontanonus, *Edicts & Ordonnances des Rois de France, Titre* 28. ſed die 6. Martii anni

1496. quo lue venereâ infectis pœnâ capitali interdictum erat commercio cum ſanis, ſancitumque ut in ſuburbium Sancti Germani ſecederent, in loca deſtinata ſegregandi. Placet ipſiſſima Decreti (*a*) verba Gallica exſcribere, ne quid vertendo immutaſſe videar. in infectos lue venereâ.

Arreſté du Parlement de Paris, portant Reglement ſur le fait des Malades de *la Groſſe Vérole.*

Aujourd'hui ſixieſme Mars, pource que en ceſte ville de Paris y avoit pluſieurs malades de certaine maladie contagieuſe, nommée (*b*) la Groſſe Vérole, *qui puis deux ans en ça a eu grant cours en ce Roiaume, tant de ceſte ville de Paris que d'autres lieux, à l'occaſion dequoi eſtoit à craindre que ſur ce printemps elle multipliaſt, a eſté adviſé qu'il eſtoit expedient y pourvoir.*

Pourquoi ont eſté mandez les Officiers du Roi en Chaſtelet, leſquels venus en la Court ont remonſtré, qu'ils avoient eſté en la maiſon de l'Eveſque de Paris pour y mettre proviſion, mais n'y eſtoit encore adviſé parmi le tout pour les difficultez qui ſe trouvoient.

Si leur a ordonné la Court y pourveoir, & pour aſſiſter avec ledit Eveſque a eſté commis M. Martin de Bellefaye, & moi Greffier (Pierre de Ceriſay) *en ſa compagnie;*

Et aprez ce que en la maiſon dudit Eveſque avont communiqué enſemble, me a eſté enjoint en faire l'Ordonnance, ce que ai fait ſelon les Articles cy-aprez enregiſtrez, laquelle Ordonnance par moi portée en Chaſtelet, & delivrée au Prevoſt de Paris, a eſté miſe à execution, & juſques cy bien gardée.

Decretum Senatûs Pariſienſis de diſciplinâ erga infectos magnâ variolâ *obſervandâ.*

Hac die (6. Martii) cùm in hac urbe Lutetiâ ægri adſint plurimi, morbo quodam affecti, qui *Magna* ſeu *craſſa Variola* appellatur, & qui duobus abhinc annis in hoc Regno plurimùm graſſatus eſt, tum in hac urbe Lutetiâ, tum alibi, unde timendi locus ſit ne morbus ille hocce vere vehementiùs ingraveſcat, viſum fuit publicæ incolumitati proſpiciendum eſſe. Decreto illo celebri, quod à Senatu Pariſienſi datum eſt die 6. Martii anni 1496.

Quocirca juſſi ſunt accerſiri Præfecti regii in Caſtelleto, à quibus Curiam ingreſſis expoſitum fuit ſe jam in domum Epiſcopi Pariſienſis conveniſſe providendi causâ; negotium tamen nondum penitus confectum eſſe, quippe quod difficultatibus multis premeretur.

Atqui juſſit Curia, ut jam tandem proſpicerent; ac M. Martinum de Bellefaye, & me (*Petrum de Ceriſay*) Curiæ Tabularium delegit, qui conſilio habendo unà cum dicto Epiſcopo intereſſemus.

Porrò habitâ in domo dicti Epiſcopi deliberatione, juſſus ſum Decretum facere juxta Capita infrà ſcripta, quod à me delatum ad Caſtelletum, traditumque Pariſienſi Præpoſito, diligenter hucuſque obſervatum eſt.

(*a*) Decretum idem à Domno Alexio Lobineau, Monacho Benedictino, exſcriptum fuit. *Hiſtoire de la Ville de Paris, Tome IV. pag.* 613.

(*b*) Gaſpar Torella, qui aliquandiu in Galliâ commoratus fuit, aſſerit *in Dialogo de Dolore in pudendagrâ*, quem Bleſis ſcripſit anno 1499. *pudendagram Pariſiis & in aliis magnis civitatibus Franciæ à litteratis* Groſſam Variolam *appellari.*

Pour pourveoir aux inconvenients, qui adviennent chacun jour par la frequentation & communication des malades, qui ſont de preſent en grant nombre en ceſte ville de Paris, de certaine maladie contagieuſe nommée la Groſſe Vérole, *ont eſté adviſez, concluds & deliberez par Reverend Pere en Dieu Monſieur l'Eveſque de Paris, les Officiers du Roi, Prevoſt des Marchands & Eſchevins de Paris & le conſeil & avis de pluſieurs grants & notables Perſonnaiges de tous eſtats, les Points & Articles, qui s'enſuivent.*

I.

Premierement *ſera fait cry publique de Par le Roi, Que tous malades de ceſte maladie de* Groſſe Vérole *eſtrangiers, tant hommes que femmes, qui n'eſtoient demourans & reſidents en ceſte ville de Paris, alors que ladite maladie les a prins, vingt & quatre heures aprez ledit cry fait, s'envoiſent & partent hors de ceſtedite Ville de Paris és pays & lieux dont ils ſont natifs, ou là où ils faiſoient leur reſidence quand ceſte maladie les a prins, ou ailleurs où bon leur ſemblera, ſur peine de la hart; Et à ce que plus facilement ils puiſſent partir, ſe retirent és portes Saint Denys & Saint Jaques, où ils trouveront gens deputez, leſquels leur delivreront à chacun quatre ſols pariſis, en prenant leur nom par eſcript, & leur faiſant defenſes ſur la peine que deſſus, de non rentrer en ceſte ville juſques à ce qu'ils ſoient entierement garis de ceſte maladie.*

I I.

Item, *Que tous les malades de ceſte maladie, eſtant de ceſte ville, ou qui eſtoient reſidents & demourants en ceſte ville, alors que ladite maladie leur a prins, tant hommes que femmes, qui avont puiſſance de eulx retirer en maiſons, ſe retirent dedans leſdites vingt*

Ut cautum ſit infortuniis, quæ quotidie contingunt uſu atque conſuetudine cum ægris, qui nunc in urbe Lutetiâ numero plurimi adſunt morbo quodam contagioſo infecti *craſsâ* ſive *magnâ variolâ* vocato, à Reverendo Patre in Deo Domino Epiſcopo Pariſienſi, Præfectis regiis, Præpoſito Mercatorum & Scabinis Pariſienſibus, conſilio multorum præſtantium & inſignium Virorum cujuſcumque ordinis, conſtituta ſunt Capita ſequentia.

I.

Primò. Regis nomine per præconem edicetur interpoſitâ mortis pœnâ, ut alienigenæ, quicumque hoc morbo *variolâ craſsâ* ſive *magnâ* dicto affecti ſunt, tum viri, tum fœminæ, qui in hac urbe Lutetiâ non commorabantur cùm morbo illo correpti ſunt, exeant ex urbe intra viginti quatuor horas à promulgatione, abeantque ocyùs in regiones & urbes ubi nati ſunt, vel quas incolebant quo tempore morbus ille eoſdem invaſit, vel aliò quòcumque lubuerit: Et ut commodiùs in viam ſe dare poſſint, accedant ad portas ſancti Dionyſii & ſancti Jacobi quatuor ſolidos pariſienſes in ſingula capita accepturi à delegatis huic muneri viris, prolato ſcriptoque priùs ſingulorum nomine, pœnâque mortis ſingulis iterùm denunciatâ, ſi in urbem audeant regredi, antequam à morbo illo abſolutè convaluerint.

I I.

Item. Ut morbo eodem affecti, quicumque in hac urbe nati ſunt, aut ibidem commorabantur dum morbus invaſit, viri fœminæque, quibus domus ſuppetit quâ ſe continere poſſint, ſedulò caveant ut ſe domi ſemotos contineant intra vi-

& quatre heures ſans plus aller par la ville, de jour ou de nuit, ſur ladite peine de la hart; Et leſquels ainſi retirez en leurſdites maiſons, s'ils ſont povres & indigents, pourront ſe recommander aux Curez & Marregliers des Parroiſſes dont ils ſeront, pour eſtre recommandez, & ſans ce qu'ils partent de leurſdites maiſons, leur ſera pourveu de vivres convenables.

III.

Item, *Tous autres povres malades de ceſtedite ville, hommes qui avont prins icelle maladie, eulx reſidants, demourants ou ſervants en ceſte ville, qui ne avont puiſſance de eulx retirer en maiſon dedans les vingt & quatre heures aprez le cry fait, ſur ladite peine de la hart ſe retirent à Saint Germain des Prez, pour eſter & demourer és maiſons & lieux qui leur ſeront baillez & delivrez par les gens & deputez à ce faire, auſquels lieux durant ladite maladie leur ſera pourveu de vivres & autres choſes à eulx neceſſaires, & auſquels lon defend ſur ladite peine de la hart de non rentrer en ceſtedite ville de Paris, juſques à ce que ils ſoient entierement garis de ladite maladie.*

IV.

Item, *Que nul ſoit ſi hardi de prendre leſdits quatre ſols pariſis, s'il n'eſt eſtrangier comme dit eſt, ou qu'il voulſiſt partir de ceſtedite ville ſans plus entrer juſques à ce qu'il ſoit entierement gari.*

V.

Item, *Et quant aux femmes malalades, leur ſera pourveu de autres maiſons & demourances, eſquelles ils ſeront fournies de vivres & autres choſes à eulx neceſſaires.*

VI.

Item, *A eſté ordonné que pour ſatisfaire audit cry, leſdits malades, qui*

ginti quatuor horas, nec ampliùs per urbem noctu aut interdiu audeant divagari, ſin ſecus capite plectendi: Quòd ſi qui egeni fuerint, indigentiam ſuam Parochis Ædituiſque ſuarum Paroeciarum ſignificent, ut cibaria ſibi cæteraque quibus opus fuerit, ſubminiſtrentur.

III.

Item. Ut ſub eâdem mortis pœnâ cæteri omnes morbo eodem affecti inopes viri, quibus morbus obvenerit in hac urbe commorantibus vel famulantibus, quibuſque domus nulla eſt, quâ ſe contineant, intra viginti quatuor horas concedant in ſuburbium ſancti Germani Pratenſis, commoraturi ibidem in domibus deſtinatis, ſibique indicandis à viris præpoſitis, quò quæcunque ad uſus vitæ neceſſaria futura ſunt, conferentur, denuntiatâ iiſdem mortis pœnâ ſi priùs in urbem regrediantur, quàm à morbo planè convaluerint.

IV.

Item. Audeat nemo ſolidos illos quatuor accipere, niſi alienigena fuerit, velitve ab hac urbe abire numquam rediturus niſi perfectè curatus.

V.

Item. Fœminis morbo eodem infectis alia parabuntur hoſpitia, quibus ſeorſim à viris concludantur, & quò ut cibaria cæteraque ad vitam ſuſtentandam neceſſaria comportentur, curæ futurum eſt.

VI.

Item. Sancitum eſt, ut ſecundùm denunciationem ægri in hac urbe

eſtoient de ceſte ville, ou qui eſtoient demourants en ceſte ville à l'eure qu'ils ont eſté prins de ceſtedite maladie, ſeront mis en la maiſon, qui ja a eſté louée pour ceſte cauſe à Saint Germain des Prez, & où elle ne pourroit fournir, ſeront prins granges & autres lieux eſtant prez d'icelle, afin que plus facilement ils puiſſent eſtre panſez; & en ce cas ſeront ceulx, à qui ſeront leſdites granges & maiſons, remunerez & ſatisfaits de leurs louaiges par ceulx qui ſont commis & deputez à recevoir l'argent cueilli & levé en ceſte ville de Paris pour leſdits malades par l'Ordonnance deſdits Eveſque & Officiers du Roi & Prevoſt des Marchands; & à ce ſouffrir ſeront contraints reaument & de fait.

VII.

Item, *Aprez ledit cry fait ſera pourveu par ceulx, qui ſont commis à recevoir ledit argent, à ce qu'ils mettent deux hommes, c'eſt à ſçavoir ung à la porte Saint Jaques, & l'autre à la porte Saint Denys, pour en la preſence de ceulx, qui ſeront commis par les Officiers du Roi & Prevoſt des Marchands, paier leſdits quatre ſols pariſis & prendre les noms par eſcript de ceulx qui les recevront, & leur faiſants les deffences deſſuſdites.*

VIII.

Item, *Sera ordonné par le Prevoſt de Paris aux Examinateurs & Sergents, que és quartiers dont ils ont la charge, ils ne ſouffrent & permettent aucuns d'iceulx malades aller, converſer, ou communiquer parmi la ville; Et où ils en trouveront aucuns, ils les mettent hors d'icelle ville, ou les envoient ou manent en priſon pour eſtre pugnis corporellement ſelon ladite Ordonnance.*

IX.

Item, *Aprez ledit cry mis à exe-*

nati aut ibidem commorantes, cùm morbo illo tentati fuerunt, ſecludantur in domo, quæ jam ære conducta eſt hunc in uſum in ſuburbio ſancti Germani Pratenſis, ac ſi tot ægrotis capiendis illa non ſuffecerit, in horreis cæteriſque hoſpitiis proximis, ut commodiùs curari poſſint: Quo quidem in caſu illorum horreorum hoſpitiorumve dominis locationis pretium numerabitur à Quæſtoribus pecuniæ in horumce ægrotantium uſus in hac urbe collectæ juſſu dictorum Epiſcopi, Præfectorum regiorum & Præpoſiti Mercatorum; Cogentur verò domini oblato locationis pretio haud gravatè ferre, ut illis hoſpitiis dicti ægrotantes excipiantur.

VII.

Item. Poſt promulgatam edictionem, curabitur à dictis collectitiæ pecuniæ Quæſtoribus, ut viri duo deligantur, quorum alter portæ ſancti Jacobi, alter portæ ſancti Dionyſii adſtet, coram delegatis à Præfectis regiis & Mercatorum Præpoſito numeraturi abeuntibus in ſingula capita quatuor illos ſolidos, ſingulorum quibus numerabuntur nomina ſcripturi, ſinguliſque pœnas jam ſæpiùs memoratas denuntiaturi.

VIII.

Item. Mandabitur à Præpoſito Pariſienſi Curatoribus Apparitoribuſque, ut in vicis, quibus ſinguli præſunt, caveant diligenter ne qui morbo illo infecti per urbem divagentur: Et ſi quos obvios fortè habuerint, ut ex urbe ejiciant, vel compellant in carcerem in cute pœnas daturos, ut in Decreto ſancitum eſt.

IX.

Item. Re in hunc modum compo-

cution ſoient ordonnez gens par leſdits Prevoſt & Eſchevins, leſquels ſe tiendront aux portes de ceſte ville de Paris, pour garder & deffendre qu'aucuns malades de ceſte maladie ne entrent appertement ou ſecretement en ceſtedite ville de Paris.

X.

Item, *Soit pourveu par ceulx qui ſont deputez à recevoir l'argent donné & auſmoſné auſdits malades, à ce que à iceulx retirez éſdites maiſons ſoit pourveu de vivres & autres choſes neceſſaires ſoingneuſement & en diligence, car autrement ils ne pourroient obeir auſdites Ordonnances.*

ſitâ decernant Præpoſitus & Scabini cuſtodias, quæ ad urbis hujuſce portas excubent, vetentque ne ullis morbo illo infectis palam vel clam in urbem ingredi licitum ſit.

X.

Item. Procurabitur à Quæſtoribus pecuniæ collectitiæ & in ſtipem erogatæ, ut ægrotis qui domibus illis concluſi detinebuntur, cibaria cæteraque quibus ad vitam opus eſt, diligenter & abundè ſubminiſtrentur, ut qui alioquin edictioni parere non poſſint.

Videbitur forſan dies huic Decreto adſcriptus haud exiguam difficultatem afferre. Non potuit enim lues venerea in Galliâ citiùs graſſari quàm poſt reditum Regis Caroli VIII. vel ad ſummum Aulicorum, qui ſub eo meruêre in Italiâ, unde morbum adductum fuiſſe credimus. Sed Carolus, cùm Lugduni aliquandiu ſubſtiterit, Lutetiam non rediit niſi menſe Octobri anni 1495. Aulici verò militeſque, qui citiſſimè, nonniſi menſe Auguſto, ut qui omnes interfuerint prælio ad Forum novum commiſſo die 6. Julii ejuſdem anni, quo Carolus inſignem de Venetis victoriam reportavit. Quânam ergo computandi ratione dici potuit in allato Decreto facto die 6. Martii anni 1496. veneream luem jam ab annis duobus vulgò in Galliâ graſſari, tum Lutetiæ, tum alibi, cùm vix à ſex menſibus nota tunc foret, ſi à reditu Regis ratio ineatur; ſaltem vix ab octo, ſi à reditu Aulicorum militumque?

Seu potiùs anni 1497. ſi habeatur ratio computationis, quæ nunc in uſu eſt.

Sed eas tricas expedire facillimum eſt, modò ad diverſam computandi rationem attendatur, quæ olim in uſu fuit. Antiquitus enim anni principium ducebatur à Feſto Paſchatis, nec mos ille interverſus eſt, niſi Edicto Caroli IX. dato menſe Januario anni 1563. quo conſtitutum fuit, ut deinceps annus initium ſumeret à Feſto Circumciſionis Domini noſtri J. C. Itaque cùm Paſcha anni 1497. incideret in diem 26. Martii, *Vid. Tabellas Chronologicas, quæ extant in Gloſſario Ducange, in verbo* Annus, Senatûs conſultum, de quo agitur, quod datum dicitur die 6. Martii anni 1496. reipsâ datum fuit die 6. Martii anni ſequentis 1497. juxta computandi rationem, quâ nunc utimur.

Sed quorſum alienis ſuffragiis operosè probamus, quæ vel ex ipſis Senatûs Pariſienſis Actis apertiſſima ſunt. Quippe conſtat in illis annum 1496. Decretis ſingulis apponi per menſes Januarium, Februarium & Martium, ad diem uſque 26. menſis Martii, in quam incidebat hoc anno Feſtum Paſchatis: Inde verò in Decretis cæteris ex ordine ſubſequentibus annum 1497. numerari. Ex his liquet ergo, ut modò dicebamus, Decretum, quod datum dicitur die 6. Martii anni 1496. reverâ referendum eſſe ad

diem eamdem, ſed anni 1497. ſi computationis, quæ nunc uſu recepta eſt, ratio habeatur; atque adeo datum eſſe octodecim, imò viginti menſibus poſt primum luis venereæ ingreſſum, unde in Decreto illo jure maximo dici potuit, luem jam ab annis duobus graſſari, cùm nihil uſu vulgarius ſit, quàm annum affectum pro confecto numerari.

Cæteriſque Decretis ad eumdem finem ſpectantibus, quæ exſtant, tum in Actis Senatûs Pariſienſis.

Cum eâ ſolutione ſequentia omnia mirè concordant. Die Veneris nempe, 5. Maii anni 1497. hoc eſt duobus menſibus à propoſito Decreto, à Senatu conſtitutum eſt, ut ex multatitiâ pecuniâ ſexaginta libræ Pariſienſes numerarentur in uſus lue venereâ infectorum, ut proſtat in iiſdem Actis, *fol.* 124. *recto.*

Une amende de ſoixante livres Pariſis, ordonnée pour les malades de la *Groſſe Vérole.*

Sexaginta libræ Pariſienſes à Senatu Pariſienſi in ſtipem erogatæ ægrotis, qui magnâ variolâ *infecti erant.*

Ce jour, (Vendredi 5. May) la Court a ordonné la ſomme de 60. livres Pariſis eſtre baillée & delivrée par M. Nicole Herbelot, Receveur des Exploits & Amendes de la Court de ceans, à Sire Nicoles Potier, & autres commis touchant le faict des Malades de Naples, pour icelle ſomme eſtre emploiée és affaires & neceſſitez deſdits Malades. Fait le 5. May.

Hac die Veneris, 5. Maii, anno 1497. Juſſit Curia libras Pariſienſes * ſexaginta à M. Nicolao Herbelot æris mulctatitii Coactore in Curiâ numerari D. Nicolao Potier cæteriſque, qui præpoſiti ſunt adminiſtrandis negotiis ægrotantium Morbo Neapolitano, ut in eorum uſus impendantur. Actum die 5. Maii.

Die Sabbati 27. Maii ejuſdem anni Epiſcopus Pariſienſis à Senatu petivit, ut novâ ſtipe infectis lue venereâ adeſſe vellet, quod facile exoravit, ut legere eſt in Actis, *fol.* 141. *verſo.*

Remonſtrances de l'Eveſque de Paris à la Court, pour faire aumoſne aux malades de la *Groſſe Vérole.*

Rogatio Epiſcopi Pariſienſis, ut Curiæ ſtipem largiri velit ægrotantibus magnâ variolâ.

Aujourd'hui, (Samedi 27. May) l'Eveſque de Paris a remonſtré que des malades de la Groſſe Vérole, *qui par Ordonnance de la Court avoient eſté mis és Fauxbourgs de ceſte Ville, y en avoit de garis en bien grant nombre, mais l'argent eſtoit failly, & y faiſoit lon de petites aumoſnes pour le preſent; S'il eſtoit le plai-*

Hac die Sabbati, 27. Maii, ann. 1497. Epiſcopus Pariſienſis expoſuit Curiæ ex infectis *magnâ variolâ*, qui Curiæ Decreto in ſuburbio hujuſce urbis ſecluſi detinebantur, plurimos convaluiſſe, ſed pecuniam deficere, atque eleemoſynas perexiguas jam erogari: Curiam proinde Chriſtianè munificam fore, ſi

* Non contemnebatur hiſce temporibus hæc ſumma, quippe tunc argenti bes, vulgò *Marc*, apud Gallos libras tantùm undecim Francicas repræſentabat, ac proinde hæ ſexaginta libræ beſſes $5\frac{1}{2}$. proximè reddebant, qui hodie libris 275. æſtimarentur. Vid. Le Blanc *Traité hiſtorique des Monnoyes de France.*

ſir.

ſir de la Court y faire quelque aumoſne en pitié, elle ſeroit bien emploiée: Et pource que des deniers ordonnez par la Court à emploier en œuvres piteables, ne eſtoit poſſible en recouvrer aucune choſe, remonſtrant à la Court qu'il y avoit en mon Greffe xv. ou xvj. eſcus depuis dix ans avoit, & ne ſavoit lon à qui ils appartenoient, ſi c'eſtoit le plaiſir de la Court ordonner qu'ils fuſſent diſtribuez és povres Malades, les delivrerois; ce qui a eſté ordonné, & iceulx ai baillez à Me Jean Fournier Chanoine de Noſtre Dame de Paris, lequel s'en eſt chargé.

ægrotantibus illis ſtipem largiri velit, vel ideo maximè quòd pecunia, quam pauperum utilitatibus deſtinaverat, nullomodo potuerit exigi. Quocirca rogavit ut juberet Curia nummos (*a*) quindecim vel ſexdecim, qui jam ante annos decem apud ſuum Tabularium depoſiti erant, ita ut ad quem pertinerent neſciretur, ægrotantibus illis erogari, quod facilè impetravit; nummique illi M. Joanni Fournier Canonico Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis B. Mariæ dicatæ numerati ſunt, in ægrotantium illorum uſus convertendi.

Die Lunæ 25. menſis Junii anni 1498. edictum fuit à Præfecto ſeu Præpoſito Pariſienſi ne quis infectus vel infecta lue venereâ commoraretur Pariſiis, ſed qui extranei & alienigenæ eſſent, ad ſua remigrarent; qui verò cives, egrederentur ex urbis ac ſuburbiorum pomerio, ut legere eſt in Actis Curiæ Pariſienſis, quæ Curia *Caſtelleti* dicitur; *Regiſtre bleu du Chaſtelet de Paris, fol.* 111. *verſo.*

Tum in Actis Curiæ Pariſienſis quæ dicitur Curia Caſtelleti.

Ordonnance du Prevoſt de Paris pour les malades de la *Groſſe Vérole.*

Combien que par cy-devant ait eſté publié, crié, & ordonné à ſon de trompe & cry public par les Carrefours de Paris, à ce qu'aucun n'en peut pretendre cauſe d'ignorance: Que touts malades de la Groſſe Vérole *vuidaſſent incontinent hors la ville & s'en allaſſent, les eſtrangiers és lieux dont ils ſont natifs, & les aultres vuidaſſent hors ladite ville ſur peine de la hart: Neantmoins leſdits malades, en contempnant leſdits crys, ſont retournez de toutes parts & converſent parmi la ville avec les perſonnes ſaines, qui eſt choſe dangereuſe pour le*

Edictio Præpoſiti Pariſienſis in illos, qui magnâ variolâ *infecti ſunt.*

Quamquam jam antè edictum, promulgatum, & denuntiatum fuerit tubâ & præconis voce, ne quis ignorationem cauſari poſſit, ut interpoſitâ capitis pœnâ quicumque *magnâ* ſive *craſsâ variolâ* ægrotarent, abirent ocyùs ex urbe, alienigenæ quidem in eas urbes, in quibus nati ſunt; cæteri verò extra urbis pomeria; Nihilominùs tamen ægrotantes iſtiuſmodi, ſpretâ denunciatione, undique regreſſi per urbem vagantur & utuntur cum ſanis, unde maximum impendet periculum tum Plebi, tum (*b*) Optimatibus, qui nunc

(*a*) Nummi illi ſinguli ſolidos 36. tunc valebant, atque adeo ex præcedente computatione reddèrent hodie ſinguli minimùm libras Francicas octo.

(*b*) Aderant tunc Lutetiæ plerique Galliæ Proceres, Nobileſque primarii Ludovico XII. obſequium præſtituri, qui Regni nuper potitus poſt mortem Caroli VIII. Am-

peuple & la Seigneurie, qui à preſent eſt à Paris,

L'on deffend derechef de par le Roi & Monſieur le Prevoſt de Paris à tous leſdits Malades de ladite maladie, tant hommes que femmes, que incontinent aprez ce preſent cry ils vuident & ſe departent de ladite Ville & Forsbourgs de Paris, & s'envoiſent, ſçavoir leſdits forains faire leur reſidence és pais & lieux dont ils ſont natifs; & les aultres hors ladite Ville & Forsbourgs, ſur peine d'eſtre jectez en la Riviere, s'ils y ſont prins le jourd'huy paſſé: Enjoint lon à touts Commiſſaires, Quarteniers & Sergents prendre ou faire prendre ceux qui ſeront trouvez pour en faire execution. Fait le Lundi 25. jour de Juin, l'an mil quatre cent quatre-vingt-dix-huit.

Lutetiæ adſunt.

Quapropter jubentur iterùm nomine Regis & Præpoſiti Pariſienſis quicumque morbo illo infecti ſunt, ut poſt promulgatam hanc alteram edictionem ex urbe urbiſque ſuburbiis decedant, abeantque alienigenæ in urbes ubi nati ſunt, cæterique extra urbis ſuburbia, ſin ſecùs faxint, præcipites in amnem agendi, quoſcumque ab hodiernâ die comprehendi contigerit. Mandatur ſimul Curatoribus, Præfectiſque Vicanis & Apparitoribus, ut quoſcumque obvios habuerint prehendant vel prehendi jubeant, denuntiatas pœnas daturos. Actum die Lunæ 25. Junii, ann. 1498.

Demum die 22. Auguſti anni 1505. Senatûs-conſulto decretum fuit *ut domus conduceretur, ubi lue venereâ infecti habitarent, & ut locarium numeraretur de pecuniâ mulctatitiâ.*

Toloſæ infectis lue venereâ tardiùs, ſed eâdem ratione proviſum eſt.

Tardiùs Toloſæ proviſum eſt infectis lue venereâ, nec ante annum 1528. quo tempore dicitur à Guillelmo de Catel, *Mémoires de l'Hiſtoire du Languedoc, pag.* 237. Domum quamdam cum adjunctâ æde Sanctæ Catharinæ in ſuburbio Sancti Michaëlis eorum uſui addictam fuiſſe, quæ ideo vulgari idiomate appellata eſt *l'Houſpital das Rougnouſés de la rougno de Naples*, hoc eſt Noſocomium laborantium ſcabie Neapolitanâ.

Leges illæ vero contagionis modo, quo lues venerea diſſeminatur, meliùs comperto jam dudum antiquatæ ſunt.

Tandem verò poſtquam experientiâ compertum eſt luem veneream, licet attactu idoneo contagioſa ſit, attamen nec congreſſu aut alloquio in diſtans propagari, imò nec convictu aut contubernio, niſi opus venereum acceſſerit, contactuſve alter intimus & per partes molles & poroſas, cœptum eſt cum ægrotis leniùs agi, & abrogatis ſenſim ſeverioribus Legibus cuilibet conceſſum eſt ſui juris eſſe & valetudini ex voluntate conſulere. Cavit tantùm Chriſtiana charitas quæ in omnes effuſa eſt, ne inopes, quos morbus premeret infortunio contractus, imò etiam quæſitus culpâ, triſti miſerâque morte defungerentur ante diem, remediorum aut alimentorum penuriâ: Ideoque in majoribus urbibus vel certa noſocomia, vel ſaltem in noſocomiis communibus conclavia certa ſyphiliticis deſtinata ſunt, ubi ſanitati reſtituantur.

Conſectaria, quæ ex

Ex his tria videntur poſſe colligi. 1°. Luem veneream novam eſſe. Quorſum enim Leges novas condere, niſi morbus novus fuiſſet? 2°. Lu-

baſiæ fato functi die 7. Aprilis anni 1498. Rhemis jam redux erat, ubi inunctione conſecratus fuerat die 27. Maii anni ejuſdem.

retiæ primùm innotuiſſe anno 1495. ut liquet ex primo Decreto dato menſe Martio anni 1497. ubi morbus dicitur à duobus annis graſſari. 3°. A leprâ Arabum planè diverſam fuiſſe. Quid enim cauſæ fuiſſet, cùm duo noſocomia elephantiacorum, vulgò *maladeries & leproſeries*, Lutetiæ præſto eſſent, alterum in ſuburbio Sancti Dionyſii, ubi nunc eſt Domus Sancti Lazari, alterum in ſuburbio Sancti Germani, ubi nunc eſt Morodochium, vulgò *les Petites Maiſons. Voyez La Marre, Traité de la Police, Liv. 4. Tit. 12. chap. 1.* cur ædes alienæ ad ſyphiliticorum uſus conducerentur multo ære, niſi pro certo tunc fuiſſet, lepram luemque veneream ita differre inter ſe, ut qui alterutrâ harumce affectionum laborarent, cum infectis alterâ non poſſent unà promiſcuè cohabitare, niſi maximo utrorumque damno, ſcilicet labe mutuâ per contagionem reciprocatâ.

præcedentibus videntur poſſe inferri.

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER SECUNDUS.

De Contagione, Naturâ & Therapeiâ Morborum Venereorum.

CAPUT PRIMUM.

Quâ ratione lues venerea contrahatur.

Initio luem veneream inter morbos epidemicos numeratam fuisse.

IGNORABATUR luem veneream, cùm in Europâ primùm apparuit, contagione traduci usu veneris, ægrotis scilicet modum quo infecti erant cautè dissimulantibus, ut flagitia celarent, vel forsan ne suspicantibus quidem posse tam gravem morbum solâ venere contrahi, utpote quæ contagionis ratio planè insolens esse videretur. Inde adeo factum est ut Medici, qui illo tempore florebant, summâ consensione crediderint, ut jam suprà dictum fuit, novum hunc morbum more cæterorum pestilentium epidemicum seu popularem esse, & induci proinde à causâ externâ & communi, qualem alii esse putabant noxium astrorum influxum vel planetarum aspectum; alii verò insalubrem aëris statum, quem pluviæ vel inundationes attulissent.

Gaspari Torellæ primo omnium de contagione luis venereæ soboluisse videtur. Ille sanè jam anno 1500. disertè docebat *Tractatu* 1. *De Pudendagrâ*, hunc affectum *ut plurimùm evenire per viam contagionis*, sed tamen præconceptâ opinione ductus vel ægrotantium mendaciis delusus causam alteram simul adjungebat, asserens *ibidem* luem veneream *aliter etiam evenire posse utendo malo regimine*, quod exemplo Antonii cujusdam Marci, Catalani, Artium & Medicinæ Doctoris confirmare conabatur.

In eâdem sententiâ fuêre Jacobus Cataneus de Lacu Marcino, Genuensis, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 3. anno 1516. Georgius Vella, Brixien-

sis, *in Opusculo de Morbo Gallico, cap.* 1. anno 1516. Nicolaus Massa, Venetus, *Lib. de Morbo Gallico, Tractatu* 1. *cap.* 2. anno 1536. qui licet luem venereamcontagione potissimùm serpere faterentur, credebant tamen sine contagione ullâ, *intrinsecâ*, ut aiebant, *alteratione* posse quoque generari. Quin imò Hieronymus ipse Francastorius, Veronensis, celeber suâ ætate Medicus, nec indiligens veri investigator idem sentiebat anno ipso 1546. dum scriberet *de Morbis contagiosis*. Tametsi enim concedat *hujus Operis Lib* 2. *cap.* 12. *Maximam mortalium partem è contagione morbum hunc contraxisse*, putat tamen *observatum fuisse innumeros alios sine ullâ contagione per se infectionem eam perpessos fuisse. Nam*, pergit ille, *impossibile alioquin fuisset tam parvo tempore, contagionem, quæ per se segnis est nec concipitur facilè, tantum terrarum peragrasse ab unâ classe ad Hispanos primùm delatam, quando constat aut eodem tempore, aut ferè eodem & in Hispaniâ & Galliâ & Italiâ & Germaniâ & totâ ferè Scythiâ visam fuisse.*

Sed pervicit tandem nota rei veritas, ac jam dudum certâ, constanti, indubitatâ experientiâ innotuit, & unanimi Medicorum omnium testimonio compertum est luem venereamnon concipi, nec errore diætæ, nec aëris vitio, nec ullo rerum non-naturalium abusu, nec spontaneâ humorum labe; sed unicâ tantùm ratione propagari, si ab ægroto in sanum communicatione traducatur. *Sed tandem usu compertum esse propagari tantùm ex traduce.*

Hæc autem communicatio fit vel generatione, transmissâ à parentibus labe, dum tenellulum embryonis corpus concipitur; vel contagione, morbo ab ægroto in sanum transmisso. Lues priore modo concepta *hæreditaria*, posteriore verò, *adventitia* dicitur. *Nempe* I. *generatione.*

Lues hæreditaria creditur ab alterutro parentum in fœtum traduci posse, à patre & à matre: A *patre* quidem, quia seminales particulæ à patre deciduæ & venereo contagio infectæ embryonem, quem lambunt, simili labe coinquinant; à *matre* verò, quoniam hæc, cùm per novimestre gestationis tempus nutrimentum fœtui subministret, morbificum luis seminium, quo laborat ipsa, unà simul suggerit.

Quamquam ipse quidem noluerim eam à parentibus communicationis viam prorsus rejicere, quam ab omnibus fermè Medicis probari novi, fatebor tamen ingenuè mihi meritò suspectam videri, si de lue venereâ verè & propriè dictâ quæstio sit. Equidem sæpè vidi Rachitidem aut affectûs Rachitidi congeneres, strumas aut strumosos glandularum meseraicarum tumores, atrophiam pulmonarem, ossium distorsionem, unde gibbositas, aliosque non paucos morbos hujuscemodi, qui à lue venereâ degenere oriri solent, in tenella infantium corpuscula traductos fuisse vel progressu ætatis tacitâ labe sensim prorupisse: Numquam tamen luem venereamsic dictam & pathognomonicis signis conspicuam, jure quasi hæreditario, in infantes transmissam observavi, unde in eam opinionem facilè propenderem hæc à Medicis jam pridem levi fide ideo admissa fuisse, ut si res ita ferat, famæ possint ægrotantium consulere, causam probabilem, si non veram luis prætexendo, quæ ægrotantes culpâ absolvere videatur.

Sed hæc Lectorum judicio permittantur. Saltem si non unica, at verò certissima communicationis via est contagio quæ post ortum advenit; Quocirca magni interest modos omnes, quibus lues venerea tali contagione *Et* II. *præsertim contagione.*

traducatur, exploratos habere. In genere quidem notum eſt plurimorum morborum exemplo contagionem poſſe diſſeminari triplici ratione : 1°. *In diſtans*, interventu ſcilicet aëris in quem miaſmata morboſa exhalent. 2°. *Per fomitem* qualemcumque, quo effluvia morbifica in ſanos deferantur. 3°. Demùm *contactu immediato*, in quo liberrima eſt veneni tranſmiſſio : Sed ſimul quoque notum eſt modos hoſce ſingulos ad propagandam luem veneream perinde locum non habere.

Non tamen contagione in diſtans.

Sic I. probatur tum experientiâ, tum ratione luem veneream contagione in diſtans propagari non poſſe : Experientiâ quidem, cùm nullum proſtet in Medicorum Scriptis teſtimonium contrarium, unde licet jure colligere poſſibilem eum non eſſe contagionis modum, qui jam à ducentis annis & ultrà numquam obſervatus fuerit ; Ratione verò, cùm venenum, quo lues venerea producitur, craſſius, denſius, fixius ſit, ut in aërem vaporis inſtar exhalare valeat, atque eâ ratione in diſtans ad certum intervallum diſſeminari.

Imò forſan neque contagione per fomitem.

II. Haud ita perſpicuè liquet de contagione alterâ, quæ per fomitem ſpargitur, jacendo ſcilicet in eiſdem linteis, induendo eaſdem veſtes, bibendo eodem poculo, os & labia extergendo iiſdem mantilibus, quibus infectus jam uſus ſit. Proferuntur quidem exempla aliquot, quæ huic contagionis ſpeciei ſuffragari videntur : Sic refert Nicolaüs Maſſa, *Lib. de Morbo Gallico, Tractat.* 1. *cap.* 2. *ſe curaſſe amicum quemdam ſuum, qui per contactum linteaminum, in quibus dormierat quidam qui habebat ulcus Gallicum in crure, captus fuit, licet in illis per unam noctem tantùm dormiverit.* Sic Antonius Fracantianus *Lib. de Morbo Gallico*, ait *ſe ſemel vidiſſe luem Gallicam hoc modo contractam à puellâ ſeptem annorum, quæ pelliceam veſtem cujuſdam infectæ mulieris induerat.* Sic Fallopius *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 22. dicit *ſe loquutum fuiſſe cum ſene, qui habebat domi duos laborantes, habentes partes poſteriores ulceratas, & aſſerebat ſe infectum ob uſum ejuſdem latrinæ.* Sic demum Leonardus Botallus, Medicus Aſtenſis, *Lib. de Luis venereæ curandæ ratione, cap.* 4. teſtatur *amicum & admodum familiarem quemdam ſuum, virum ſanè integrum ac probum, hac miſeriâ olim malè mulctatum fuiſſe, qui perpetuò ſupremo aſſeveraverit dejurio reputare ſecum minimè poſſe unde eam hauſerit, niſi ex poculis cujuſdam ſibi neceſſarii, qui tunc acriter hac lue divexabatur.*

Sed hæc meritò dubia videntur, vel ideo quia rara ſunt. Hæc olim forſan obſervari potuêre, primo ingreſſu luis venereæ, cùm vehementiſſima erat morbi malitia ; & ea Fallopii ſententia fuiſſe videtur, qui poſtquam retulit, ubi ſuprà, *primis temporibus creditum fuiſſe ex uſu vitrorum atque poculorum poſſe naſci affectionem iſtam*, in hæc tandem verba concludit, *videte quanta morbi iſtius erat rabies, hodie non eſt timendum hoc.* Forſan etiam, quod ſanè probabilius eſt, hæc omnia ab ægrotantibus aſtu confiſta fuêre, ut fraude & fallaciâ flagitia celarent. Sanè, ut cum Braſſavolo dicam, *Lib. de Morbo Gallico*, profiteri poſſum *numquam aliquem vidiſſe, qui morbum per fomitem ſuſceperit, neque quempiam audiviſſe, qui id viderit.*

In ſummâ nollem equidem eam contagionis viam pertinaciter negare : Sicut enim certum eſt variolarum fermentum per fomitem traduci apud

Turcas, ſi guttulæ aliquot puris goſſypio vel linamento exceptæ ſuperficiariis cutis ſummæ inciſuris inſinuentur; imò verò apud Chinenſes, ſi puſtulæ aliquot à varioloſis deciduæ in nares intrudantur; quidni fermentum venereum poterit quoque per fomitem tranſmitti pari ratione, ſed tamen tardiùs, debiliùs, difficiliùs, quoniam fermentum iſtud altero fermento denſius, craſſius, fixius eſt. Verùm enim verò vellem multò minùs eumdem contagionis modum pro comperto admittere, cùm experimentis, quæ omni exceptione majora ſint, nondum liqueat, imò contrà probabilis ſuſpicio ſit adultos adultaſve, qui tales morbi cauſas afferunt, meliori jure luem veneream acquiſiviſſe, ſed præ pudore diſſimulare. Sic Fallopius *Tractatu de Morbo Gallico, cap.* 13. falsè irridet quoſdam, qui ut *defenderent caſtas matronas, dicebant eas fuiſſe aquâ benedictâ infectas, ſed infectio illa*, inquit ille, *habuit originem per unum aſperges, ſcio ego.*

III. Itaque contagio vel ſola vel omnium communiſſima ea eſt, quæ fit contactu immediato ægroti cum ſano penes partem aliquam, quo ſanè conſtat experientiâ, ſi non ſemper, at ſaltem frequentiſſimè luem contrahi, præſertim ſi ſequentes conditiones fortè coincidant, nempe ſi partes, quæ contactu junguntur, madeant humore, qui veneni venerei vehiculum ſit; ſi molles, laxæ, veneno facilè permeabiles ſint; ſi naturâ, ſitu vel fricatione calefiant & rareſcant, atque adeo venenum tantò faciliùs imbibant. Sed maximè contagione per contactum.

Hinc cùm varia ſit & multiplex contactûs ſpecies, in quo conditiones illæ ſimul reperiantur, multiplici quoque contactu poteſt lues venerea communicari.

1°. Uſu veneris, ſive mulier ſana ſui copiam faciat viro infecto, cujus balanus ulcuſculis cancroſis obſideatur, cui virulenta fluat gonorrhœa, aut ſaltem cujus ſemen ſeminio venereo inquinetur; ſive contrà vir ſanus concumbat cum impurâ fœminâ, cujus muliebria ulcuſculis erodantur, vel fluente gonorrhœâ conſpurcentur, vel ſaltem ſeminali humore madeant, qui non ſit veneni venerei immunis. Siquidem in priore caſu ichor purulentum, quod à balano ulcerato manat, aut corruptum ſemen quod ejaculatione emittitur, vulvæ, vaginæ, utero venere æſtuantibus adhærent allita, unde luem variaque luis ſymptomata brevi illatura ſunt. In altero verò mentulæ glans, ex ſe quidem ſpongioſa, ſed tunc tenſione dilatata, & amatorio pathemate impenſiùs rarefacta tabum quod ulcuſculis extergitur, aut ſeminalem humorem veneno venereo prægnantem quem mulier ejaculatur in vulvam, altè imbibit, unde prima mali labes. 1°. Uſu veneris.

Creditur etiam lues à viro ſano contrahi poſſe cum muliere, quæ & ipſa ſana ſit, ſi paulò priùs illa rem habuerit cum infecto, & ad alterum illota accedat; quandoquidem reliquiæ ſeminis putridi paulò antè excepti, quæ in utero vel vaginâ etiam tum hærent, balanum viri paulò pòſt admiſſi poſſunt pari labe inquinare, quâ virulentum ſemen, quod ab ipsâ muliere emitteretur, ſi infecta eſſet.

Demum quæcunque de contagione ex uſu naturalis veneris dicta ſunt, debent hæc eadem intelligi de uſu peſſimo veneris præpoſteræ, quâ contingit agentem vel patientem, prout alteruter morboinfectus fuerit, æquè celeriter ac alterâ venere quæ naturalis eſt, imò graviùs etiam contaminari, ut infrà probabitur.

2°. Lactatu. 2°. Lactatu, ſive impura nutrix alumnum ſanum lactet, nam tunc lac vitiatum, quod ſubminiſtratur, tenellum infantis corpuſculum ſimili vitio citò contaminat; ſive alumnus impurus lacteat ex nutrice ſanâ, quia tunc morboſa alumni ſaliva laxis mammarum papillis ſuctu inſinuata venereum ſeminium ſecum intrò devehit.

3°. Baſiatione. 3°. Baſiatione, ſi procus infectus cum amaſiâ ſanâ, aut infecta amaſia cum proco ſano columbent labra conſerendo labris, potiſſimùm verò ſi oris aut faucium interiora, ut columella, palatum, tonſillæ, gingivæ, lingua ulceratione venereâ computreſcant; quoniam ſaliva infecti vel infectæ, cùm ex ſe jam inquinata ſit & purulentis guttis, quæ ab ulceribus deraduntur, ſimul gravida, debet ſimili vitio inficere tum labra ſani vel ſanæ, tum præcipuè linguam, cùm petulanti laſciviâ exerta vibratur. Sic Benedictus Victorius teſtatur *Lib. 1. de Morbo Gallico, cap. 2. ſe experientiâ edoctum fuiſſe juvenem ferè inculpabili ſanitate munitum, longo quidem temporis intervallo aſſuetum quàm ſæpiſſimè mulierem Gallico morbo depravatam ore exoſculari, nullo per Jovem exercitato coitu ..... in morbum Gallicum incidiſſe.* Narrat ſimilem hiſtoriam Carolus Muſitanus *Tract. de Morbo venereo, Lib. 2. cap. 4.* de Monialibus Surrentinis, quæ morbum conceperunt puellulam ſuaviando quæ à nutrice infectâ lactebat.

4°. Cubitu ſolo. 4°. Cubitu ſolo cum inquinato vel inquinatâ, & ſine ullo uſu veneris, jacendo tantùm per aliquot noctes in eodem lecto & in iiſdem linteis, præſertim verò ſi infectus aut infecta morbo quodam cutaneo laboret, qui à contagio venereo ortum ducat, ut ſcabie, puſtulis, lichenibus, &c. vel ſi in lecto affatim ſudet; Tunc enim ichor ab ulceratâ cute manans, aut ſudoris halitus ab infecto prodiens & à ſano accubante excipi, cùm pori cutis calore pateant, exceptaque luem ſimilem communicare facilè poſſunt.

5°. Contrectatione partium ulceratarum. 5°. Denique immiſſione digiti vel manûs in loca, quæ ulcere vel fluxu venereo ſpurca ſint, ulcera *verbi gratiâ* venerea digito explorando vel obſtetricando infectæ mulieri, maximè verò ſi Chirurgi digitus, aut obſtetricantis manus vulnere vel ſciſſurâ ſaucientur, unde venenum faciliùs poſſit imbibi. Sic Antonius Gallus refert *Lib. de Ligno ſancto non admiſcendo, cap. 1. ſe obſtetricem noviſſe, quæ dum mulieris inquinatæ partum exciperet, hoc morbo correpta fuit.* Sic Chirurgus, qui Carolum Muſitanum Gallicè loquentem fecit in notis *ad Caput 4. Lib. 2.* geminam iſtiuſmodi hiſtoriam refert, ſed ita liquidè confirmatam, ut utraque videatur omni exceptione major. Sic demum Jacobus Vercellonus *Tractatu de pudendorum morbis & lue venereâ, articul. 4. §. 1.* teſtatur *ſe noviſſe adoleſcentem, qui cum meretrice ſordidâ congredi veritus, ejus pudendum procaci tantùm manu attrectaverat, nihilominus membro hoc inſolentiſſimè tumuiſſe, puſtulis ubique ſcatuiſſe, inanem porrò delectationem conſtanti morbo expiaturum, ni ad opem medicam confugiſſet.*

Ex ſuprà dictis colligere eſt 1°. Duos quidem priores contagionis modos certis & frequentibus experimentis ita confirmatos eſſe, ut in dubium venire non poſſint: Tres verò poſteriores, utcumque probabiles ſint, nec certis careant Auctoribus, nondum tamen ita compertos videri.

2°. Duobus modis prioribus contagem promptam, facilem atque adeo frequentem eſſe, quia veneni tranſmiſſio certa, velox, copioſa eſt: Tribus

bus verò posterioribus difficillimam, tardissimam, rarissimam ratione contrariâ, quia traductio veneni incerta, lenta, pauca est, potissimùm verò si in duriorem & integram cutem debeat introduci.

3°. Proinde multò plures lue venereâ infici prioribus duobus modis, quàm tribus posterioribus, cui asserto experientia manifestè suffragatur, cùm constet vix unum alterumve basiatione, cubitu, attactu contaminari, dum supra mille sunt, qui eodem temporis intervallo lactatu, sed potissimùm venereo concubitu vitientur.

CAPUT II.

Quid sit virus venereum & quale sit?

VIDIMUS in præcedente capite morbos venereos in Europâ contagione solâ propagari. Dimanat ergo ab ægris in sanos seminium sive miasma quoddam morbificum, quod paucâ quidem, imò pauciſſimâ quantitate & inconspicuis viis sano corpori insinuatum, dein copiâ, viribus, efficaciâ sensim invalescens totam humorum massam tardiùs citiùsve inficere valeat atque pessundare. Hoc autem seminium qualecumque solet nec ineptè *fermentum*, *venenum*, *virus venereum* nuncupari.

Luem veneream propagari morbifico seminio, quod *virus venereum* appellatur.

Hæc propagationis ratio ex traduce luis venereæ propria non est, sed cum cæteris quibuscumque morbis, qui contagione nocent, communis. Sic constat variolas pure pauculo è pustulis extracto & incisæ cuti instillato; pestem pure ex bubonibus manante & vulneri animalis cujusvis inserto; scabiem aut lichenes ichore quod è cute morbosâ defluit & sanæ cuti adhæresçit; hydrophobiam salivâ canis rabidi in demorsam partem intromissâ; ægritudinem, quam Tarentula infert, humore, quem phalangium hocce punctură in cutem introducit, ceu fermentis totidem peculiaribus singulatim communicari.

Ut autem diversis illis fermentis natura diversa inest, quâ singula singulos morbos inferre valeant, quales solent advocare, sic quoque debet & ipsum virus venereum suâ propriâque indole pollere, tantò quidem cæteris magis nociferâ, quantò morbus quem producit cæteris gravior est, & quam ideo tantò pluris interfit notam habere perspectamque, ut inde certior adhibeatur medicina morbis, quos inducit. Frustrà quidem quæreretur de ejusdem naturâ, si ea vel analysi Chimicâ, vel miscelâ cum aliis notis liquoribus definienda foret, quandoquidem experimenta hujuscemodi nec institui ullâ ratione possunt, nec si instituerentur, satis tuta essent & omnis fallaciæ immunia; unum ergo Criterium supereſt, quod sit exceptione majus, ex notis scilicet veneni venerei effectibus, unde peculiarem ejusdem naturam & proprietatem haud ineptis conjecturis colligere licet.

Itaque I. Virus venereum partibus, quascumque afficit, ruborem, calorem, tensionem, dolorem, uno verbo phlogosim vel inflammationem infert. Sic in gonorrhœâ urethram, prostatas, vesiculas seminarias in viris; in fœminis verò vaginam, vulvam, prostatas & glandulas Cow-

I. Virus illud venereum phlogisticum esse.

perianas : Sic in ulcuſculis cancroſis, balanum, frænum, præputium in viris; pterygia, carunculas myrtiformes, cæteramque vulvam in mulieribus : Sic in bubone inguinales glandulas : Sic in exoſtoſibus perioſtium : ſic demum cæteras omnes corporis partes, quaſcumque virus obſidet, inflammari notum eſt. Virus ergo venereum phlogiſticum eſt & inflammatorium, hoc eſt ita naturâ conformatum, ut membranea partium ſtamina, intra quæ penetrat, denſando, criſpando, adeoque extrema vaſorum capillamenta, quæ iiſdem interjecta ſunt, conſtringendo, cogat devium ſanguinem à conſueto tramite in lateralia vaſa limphatica divertere, unde phlogoſis & inflammatio.

II. Virus illud venereum coroſivum eſſe.

II. Virus venereum ſibi permiſſum ſenſim rodit, exulcerat, depaſcitur partes, quaſcumque aliquandiu inflammavit. Sic in gonorrhœâ urethra, proſtatæ, veſiculæ ſeminariæ in viris; in fœminis verò proſtatæ, glandulæ Cowperianæ, vagina : Sic in ulcuſculis virilium, balanus, frænum & præputium; muliebrium verò, vulva variæque vulvæ partes : Sic in bubone glandulæ inguinis : ſic in exoſtoſibus lamellæ oſſeæ & perioſtium : ſic in palati i& narium ulceribus columella ſeu uvula, pariſthmia ſeu tonſillæ, membrana pituitaria, oſſa palati quadrangularia, vomer, lamellæ narium oſſeæ, &c. roduntur & exulcerantur. Virus ergo venereum ita comparatum eſt figuratione, mole, mobilitate partium quibus conſtat, ut obvia partium ſtamina, quæ ſtrinxit, criſpavit, inflammavit, tandem diſcindere, diſrumpere, diſſolvere valeat, unde eroſio & exulceratio.

III. Virus illud venereum coagulans eſſe.

III. Virus venereum in partibus, quaſcumque attingit roditve, ſkirrhos, tumores skirrhoſos, calloſque producit. Sic in gonorrhœâ in utroque ſexu proſtatas, veſiculas ſeminarias aut glandulas vaginæ : Sic in ulcuſculis genitalium, oras ulcerum : ſic in bubone glandulas inguinum : ſic in puſtulis baſim & peripheriam puſtularum : ſic in exoſtoſibus perioſtium oſſi appoſitum, & perioſtii filamenta lamellis oſſeis interjecta : ſic meſenterii glandulas, hepatis acinos, vaſa pulmonum limphatica, indureſcere, skirrhoſa fieri, vel callis durioribus obſideri compertum eſt. Virus ergo venereum talis efficaciæ eſſe debet, ut partibus inſtillatum, ſi earumdem ſtamina nequeat diſrumpere & exulcerare, at ſaltem humorem limphaticum, quo humeſcunt, inſpiſſando, poſſit eadem in callos multiformes indurare.

IV. Virus illud venereum fixum eſſe.

IV. Demum virus venereum numquam in diſtans, ſed contactu tantùm immediato propagatur; quin imò nec contagioni compar eſt contactus quilibet, momentaneus, fugax, inter partes duras, calloſas, frigentes, ſed opus eſt contactu diuturniore, qui cum calore & rareſcentiâ inter partes molles & ſpongioſas intercedat, ut liquet ex iis quæ *præcedenti capite* dicta ſunt de modis, quibus lues venerea ſerpit & propagatur. Virus ergo venereum non conſtat partibus tenuibus, levibus, volatilibus, penetrabilibus, quæ in auras ſpargi poſſint; quæ in diſtans avolent; quæ ſtrictiſſimos poros celerrimè pervadant; ſed craſſis, ponderoſis, fixis, quæ communicari non poſſint, niſi calore exaltentur, niſi partes objectæ raræ ſint & permeabiles, niſi contactus intercedat immediatus & ſatis diuturnus.

Hinc conſequitur 1°. Satis aptè conjici virus venereum acidæ aut acido-ſalſæ, corroſivæ & fixæ naturæ eſſe, quæ ab aquarum ſtygiarum vulgarium naturâ haud ita multùm abludat : Siquidem hæc una videtur eſſe proprietas, quâ virus poſſit ſimul & tam aptum eſſe ut inflammationem, exulcerationem, indurationem inferat, & tam ineptum ut in diſtans contagione celeri propagetur.

Hinc multa deducuntur conſectaria de naturâ & qualitate ſeminii venerei.

2°. Verùm eam conjecturam urgendam non videri, quaſi reverâ virus venereum aquis ſtygiis in omnibus congener eſſet ; neque enim credibile eſt poſſe unquam in humano corpore venenum tam nocens & tam actuoſum generari ; ſed eam ita accipiendam eſſe, quaſi propoſitâ ſimilitudine veneni proprietas non tam accuratè exprimatur, quàm quodammodo adumbretur.

3°. Nihilominus tamen virus venereum, quantulacumque ſit ejuſdem efficacia, numquam poſſe in Europâ, eâ ſanguinis aut humorum corruptelâ, quæ à cauſis non-naturalibus & ordinariis inferatur, ſponte generari ; cùm hìc lues venerea numquam ex ſe invadat ſpontaneo vitio, ſed ſemper ſoboleſcat traductione veneni inſititii, quod tragœdiam ducat, atque primitivam labem cæteris humoribus inurat.

4°. Porrò virus venereum, quod à ſano contrahitur, haudquaquam pro novo humore ſeu liquido habendum eſſe intra corpus admiſſo, cæteris naturalibus humoribus ſuperinducto eoſque inficiente, ut vulgò credi videtur ; ſed meram eſſe vitioſam humorum naturalium qualitatem aut dyſcraſiam, quâ degeneres à nativo ſtatu in alienam naturam, hoc eſt in naturam præternaturaliter ſalſo-acidam deſciſcant.

5°. Proinde humores omnes vitioſâ illâ qualitate inquinari non modò poſſe, ſed etiam reipsâ inquinari plerumque, cùm ex præcedente capite liqueat luem veneream communicari lacte, dum à nutrice in alumnum traducitur ; ſalivâ, dum ſuctu aut ſuaviatione tranſmittitur ; ſudore, dum cubitu contrahitur ; demum ichore limphatico aut pure, dum obſtetricatione aut attactu ulceris ſordidi & virulenti concipitur.

6°. Nihilominus tamen ſemen & ſeminalia fluida quæcumque huic vitio omnium maximè obnoxia eſſe, peculiari quâdam affinitate, quâ ſeminales quivis humores labem iſtiuſmodi & faciliùs contrahant & altiùs imbibant. Sanè conſtat experientiâ luem veneris uſu, adeoque ſeminis aut ſeminalium humorum vehiculo potiſſimùm propagari. Cujus rei ratio inde videtur repetenda, quòd ſemen & ſeminales cæteri humores, cùm acidam naturam ex ſe habeant, ut in phyſiologiâ probatur, poſſint ideo tantò faciliùs ad nimiam adeoque morboſam aciditatem ab inſpirato veneno venereo evehi. Nec deſunt alia ſimilis analogiæ exempla inter certa venena, humoreſque certos ; ſic venenum hydrophobicum ſalivæ ; venenum varioloſum puri puſtularum ; venenum viperarum humori felleo, qui ad radices dentium uncinatorum latet ; venenum ſcorpionum, Tarentulæ, &c. humori quem utriculis ad caudam vel ad uncinos ori adfitos, concluſum habent, tanquam propriis vehiculis inſident.

Cæterùm haud lubet tempus terere in refutandis eorum commentis, qui arbitrantur virus venereum nihil aliud eſſe, præter numeroſam pullitiem animalculorum minutiſſimorum, agillimorum, vivacium, multi-

Proinde hallucinari eos, qui pu-

tant luem veneream produci à pullitie animalculorũ minutiſſimorum & mordaciũ.

plici prole fœtificantium, quæ ſemel admiſſa multâ progenie ſoboleſcant; quæ ad varia corporis loca frequentes colonias deducant; quæ partes, quas incolunt vellicando, fodicando, mordendo inflamment, erodant, exulcerent; in ſummâ, quæ ſeclusâ humoris qualiſcumque energiâ, univerſa inferant ſymptomata, quæ in ſyphiliticis conſpicua ſunt; cùm hæc enim meræ fabulæ ſint, ſomniantium viſis ſimillimæ, & ne conjecturis quidem nitantur ullis, nullâ quoque argumentatione opus eſt ut rejiciantur. Neque enim par eſſe videtur, ut à negante magno molimine everti debeant, quæ ab affirmante nullo ſtabiliuntur fundamento: Satis eſſe debet, ſi ad hoc argumentum transferamus, quæ in re haud diſſimili à * Tullio dicta novimus, Nempe *nihil eſſe minus, non dico* Medici *ſed hominis, quàm id objicere adverſario, quod ille ſi verbo negarit, longiùs progredi non poſſit, qui objecerit.*

(a) *Philipp.* 2.

Porrò autem ſi pro vero ſemel admitteretur luem veneream ab animalculis ſanguini innatantibus produci, idem quoque pari jure ſentiendum eſſet, non modò de peſte, ut olim Athanaſio Kirchero è Societate Jeſu ac nuperrimè Joanni Saguens ex Ordine Minimorum viſum eſt, ſed etiam de variolis, hydrophobiâ, ſcabie, lichenibus, cæteriſque affectibus contagioſis, imò verò de morbis omnibus; atque adeo univerſa Medicinæ Theoria peſſum itura foret; cùm nihil quidquam dici poſſit, ut probent luem veneream ab animalculis dependere, quod perinde non pugnet valeatque ad probandum ab animalculis ſimilibus, ſed diverſi generis, cæteros quoque morbos deducendos eſſe, quo tamen nihil abſurdius affirmari poſſe crediderim.

Datâ occaſione narratur hiſtoria de Circulatore quodã, qui aiebat morbos omnes ab animalculis, ſingulos à ſingulis produci.

Memini quidem anno 1727. has eaſdem ineptias à Circulatore quodam, cui nomen erat *Boile*, Lutetiæ confidenter propoſitas fuiſſe, eâ quidem aſtutiâ, à quâ ſibi cavere primo aditu facile non eſſet, ſed eo tandem ſucceſſu, qui debeat exemplo deterrere. Haud longa futura eſt narratio, nec ab inſtituto aliena, & quæ idcirco excuſationem faciliorem impetrare poſſit. Aſſerebat Ille morbos omnes ab animalculis, quæ ſanguini morbosè ineſſent, produci, diverſos à diverſis: Animalculis illis peſtiferis animalia alia hoſtes eſſe capitales, ſingula ſingulis, quibus exagitarentur & delerentur, ut lepores à venaticis canibus, aut ab accipitribus columbæ: Se probè noſſe ſingulorum animalculorum peſtiferorum genera pro morbi cujuſcunque naturâ, noſſe quoque ſingulorum hoſtes acerrimos, qui ægrotantibus opitulari poſſent, & medicinas ſingulas, quæ animalculis illis auxiliariis fœtiſſimæ eſſent: Artem proinde ſe callere morbos quoſcumque radicitus curandi methodo tutiſſimâ, breviſſimâ, efficaciſſimâ.

Ut autem dictis fidem faceret, præſto erat microſcopium cujus ope gloriabatur poſſe quæcumque diceret oculis ipſis repræſentari. Hoc autem microſcopium mole ſatis magnum, non ex unico tubo recto, ut communis fert uſus, ſed ex quinque tubis conſtabat, qui ad datos angulos alternis flexuris obliquè committebantur. Sic enim aiebat objectorum imaginem magis augeri non ſolâ radiorum refractione per vitra interpoſita, ut in vulgaribus microſcopiis, ſed ſimul etiam eorumdem reflexione ſupra ſpecula, quæ ad angulos ſingulos internè appoſita laterent; pari vi-

delicet artificio, quo celeberrimus Newtonus non ita pridem uſus eſt in conficiendis teleſcopiis, quæ licet brevia ſint, ope tamen reflexionis cum refractione conjunctæ effectum eum præſtant in obſervandis ſideribus, qualem à longioribus teleſcopiis ſperare vix liceret.

Extremo hujuſce microſcopii tubo, qui ab oculo longiſſimè diſtabat, vitra aptabantur plana vel leviter concava, quæ guttulas aliquot concluderent ſeri educti à ſanguine recèns emiſſo è venis ægri cujuſlibet: Dein omnia ex arte componebantur ut vitra ad microſcopii focum conſiſterent, atque derepente intuentium oculis ingens offerebatur animalculorum examen fluido limpidoque humori celerrimè innatantium, quæ ut Ille aiebat pro aliâ morbi naturâ aliâ formâ ſpectabilia fuiſſent. Poſtquam hæc omnia ab adſtantibus abundè ſpectata erant, vitris iiſdem à microſcopio detractis guttas aliquot inſtillabat humoris alius, fœti, ut ipſe dicebat, animalculis, quæ priora venarentur & delerent, & omnibus denuò arte compoſitis, mutatâ ſubitò ſcenâ nihil apparebat ampliùs, quaſi viſa modò animalcula à poſterioribus internecione deleta illico evanuiſſent.

Minimè mirum eſt ſimilibus præſtigiis fucum & diu & multis factum fuiſſe; ſed tandem ſedulâ & curioſâ inquiſitione palam & apertè patuit quatuor infimos microſcopii tubos viſioni nullomodo conferre, ſed ad fraudem unicè comparatos eſſe: Vitra proinde ſero ſanguinis vel alio quocumque humore madentia, quæ extremo ultimi tubi tanto apparatu aptabantur, ludificationis tantùm causâ apponi, cùm nec liquores quos continerent, nec animalcula, ſi qua iiſdem ineſſent, in conſpectum venire poſſent: Supremo tantùm tubo viſionem fieri, & eo ſolo microſcopium conſiſtere: In hujus extremo vitra artificioſè latuiſſe, quæ liquorem concluderent aliquem animalculis fœtum, quales plurimi noti ſunt: Dum cæteri tubi videbantur ad viſionis negotium componi, vitra latentia à ſycophanta vel ad focum ſupremi tubi callidè deducta, vel ab eodem abducta fuiſſe, atque eâ ratione facilè pro lubitu potuiſſe animalcula, quæ liquoribus inerant, vel offerri vel ſubtrahi intuentium conſpectui.

En artes callidi quidem & vaferrimi veteratoris, ſed ſimul etiam verè impudentiſſimi, qui præſenti ſæculo, dum florent litteræ & rerum Phyſicarum ſtudia, Lutetiæ in urbe ſcilicet doctiſſimis viris refertiſſimâ, ludos iſtiuſmodi facere non dubitaverit! Neſcio quidem quem fallaciarum fructum ſibi ipſe promiſiſſet, ſed certè ſcio quàm meritus fuerat pœnam fugâ prudenter caviſſe; nam ubi primùm ſenſit fraudes retegi, convaſatis ſarcinulis clam abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Sic explosis tandem fabulis commentitiis, Medicina antiquiſſimis legibus reſtituta, & à ludibriis feliciter vindicata eſt.

CAPUT III.

Quibus viis virus venereum introducatur & quâ normâ æstimanda sit susceptî quantitas?

DOCET experientia, quam solam in rebus Medicis magistram agnoscimus.

I. Virus venereum intrò penetrare tripliçi modo.

I. Virus venereum, dum contagione spargitur, triplici viâ in sanos admitti.

1°. Madore.

1°. Madore solo, cùm in obvios & superficiarios poros partis cui adhæresçit, solo fluiditatis, caloris, fricationis motu sensim penetrat, ut & cæteris quibusvis fluidis commune est. Sic ulcuscula cancrosa accidunt in genitalibus in utroque sexu, si concubitu; in ore, linguâ, gingivis, palato, faucibus, si sugendo aut suaviando; in mammarum papillis, si lactando; in cutis habitu, si cubando; demum in manibus, digitisque, si obstetricando aut ulcera venerea contrectando lues contrahatur.

2°. Halitu.

2°. Halitu, cùm veneni partes calore extenuatæ vaporis instar exhalant & vicinioribus partibus inspirantur. Sic in gonorrhœâ urethra, prostatæ, vesiculæ seminariæ in viris; prostatæ verò, urethra, glandulæ Cowperianæ in fœminis: Sic in alumno ab infectâ nutrice lactente trachæa arteria, bronchia & pulmonum vesiculæ, solâ contagii exhalatione inflammantur, eroduntur & exulcerantur.

3°. Traductione per vasa limphatica.

3°. Denique traductione per vasa limphatica, cùm virulentæ guttulæ per poros partium in vasa limphatica, quæ cutem irrorant, insinuatæ unà cum circulante limphâ in proximiores glandulas conglobatas, quò & ipsa confluit, devehuntur, ubi vires exerunt. Sic concubitui impuro, ulcusculis cancrosis genitalium, aut gonorrhœæ parciùs fluenti tumores glandularum inguinalium; sic venereis gingivarum, linguæ, palati aut faucium aphthis vel ulcusculis in lactentibus aut iis qui basiis morbum concepêre, tumores glandularum maxillarium & parotidum; sic papillarum rhagadibus, scissuris, ulceribus venereis in nutricibus tumores glandularum axillarium solent supervenire, devectâ scilicet veneni parte à genitalibus in inguinales, ab oris interioribus in parotides vel maxillares, à mammarum papillis in axillares glandulas, juxta circulationis leges quibus limpha paret.

II. Eas corporis partes primas affici, per quas virus admittitur.

II. Proinde eas corporis partes veneno venereo primas omnium affici, quibus contagium admittitur: Genitalia nempe in utroque sexu, si concumbendo; linguam, gingivas, buccas, palatum, fauces in alumno, si sugendo, aut in amasio vel amasiâ si suaviando; mammarum papillas in nutrice, si lactando; corporis habitum, si unà cubando; summos demum digitos si obstetricando aut ulcera contrectando contages concipiatur. Unde facilè est fœminarum dissimulationem ludificare, quæ ut sese excusent à culpâ, solent aliquando falsam & absurdam morbi originem prætexere, cùm experientiâ compertum sit & eâ parte, quæ prima affecta fuerit, virus certissimè admissum fuisse, & virus numquam admitti, nisi ea pars, quâ admittitur, primùm affecta fuerit.

Explicantur Obſervationes, quæ in contrarium opponi poſſunt.

Fruſtrà in contrarium objiceretur luem ipſo concubitu aliquando concipi ſine prævià ullâ labe in obſcænis partibus. Id enim ullo experimento, quod certum ſit, confirmari negamus. Meminimus quidem legiſſe apud Bernardinum Tomitanum, *De Morbo Gallico Lib. 2. cap. 13.* ſicut & alibi in unâ aut alterâ obſervatione ægrotantes duos treſve, qui morbum venereum localem nullum unquam experti eſſent, verâ & confirmatâ ſyphilide laboraviſſe, quam quidem in ægrotante Tomitani *imbecillitas univerſa virium, præſertim ventriculi labefactatio*; quam verò in duobus aliis puſtulæ per cutem ſparſæ indicarent.

Sed hæc neque numero neque momento tanta ſunt, ut unanimi omnium ſententiæ refragari valeant.

1°. Forſan ægrotantes falſi ſunt, dum ſe à morbo locali vacaſſe affirmarunt; neque deſunt probabiles erroris cauſæ; ſic imperiti porros, qui breves & parum obvii in rugis fræni latent, ignorare; ſic ulcuſcula venerea ſed benigniora pro fiſſuris cutaneis habere; ſic leviores gonorrhœas, quamvis venereas, potatæ cereviſiæ, equitationi, aut nimio veneris uſui adſcribere non modò poſſunt, ſed etiam frequentiſſimè ſolent. Multos ſanè reperire eſſet venereâ lue ſine præviis morbis localibus infectos, ſi ineptis inexpertorum narrationibus aut præjudiciis temerè fides adhiberetur.

2°. Forſan falſi ſunt obſervatores ipſimet, dum ægrotos illos lue laborare judicarunt. Unum tantùm ſignum memorat Tomitanus, ſcilicet *imbecillitatem virium & ventriculi labefactationem*: Pariter Obſervator alter unum tantùm refert, *puſtulas* videlicet *per cutem ſparſas*; ſed horumce ſignorum neutrum ſyphilidi demonſtrandæ ſufficit. *Virium* enim *imbecillitas & labefactatio ventriculi*, ſi luis venereæ ſigna ſint, ſigna ſunt valdè æquivoca, atque adeo valdè incerta: *Puſtulæ* verò *cutis* certiùs quidem luem indicant, ſi venereæ ſint, at puſtulæ omnes venereæ non ſunt, & in diſtinguendis puſtulis, quæ à ſeminio venereo fiunt, haud rarum eſt fucum fieri vel oculatiſſimis. Sanè, ut liberè dicam, & plura & certiora ſigna expectanda fuiſſe viderentur in re tam anticipi & tam novâ, præſertim cujus obſervationem publici juris facere conſilium eſſet.

3°. Demus tamen rem in illis ægrotantibus ſe habuiſſe, ut narratur, quod ſanè nimium nimiumque eſt. Quid tum? Luem veneream aliquando forſan poſſe contrahi ſine prænunciis ullis morbis localibus. Eſto. Sed ſimul ultrò confitendum eſt id ſi verum ſit, tam raro uſu venire, ut vix inter ægros mille, quid aio? Vix inter decem mille unum numerare liceat, quem lues eo pacto per ſaltum infecerit. Ergone una aut altera obſervatio, dubia, incerta, fallax, quæ ſi vera ſit rariſſima eſt, in normam ſtatim ducetur? Neutiquam ſane! ſed notis & omni exceptione majoribus regulis inſiſtendum eſt; & idcirco de lue venereâ quoties morbi locales præluſerint, ex levioribus quidem ſignis judicandum eſt: Si verò nulli præceſſerint, neganti opinioni adhæreſcendum eſt, vel ad ſummum quod reipsâ eòdem recidit, judicium cautè cohibendum, dum ſigna pathognomonica plura, urgentia, certo certiora rem in apertiſſimâ luce collocent.

Proinde facilè condono, ut de facti veritate ulteriùs *anquiratur*. Ne-

que enim obfuit unquam, profuit verò non ſemel de iis, quæ evidentiſſima eſſe videbantur, quæſtionem moviſſe. Sed interim cordatos Medicos monitos velim, qui veritati & ægrotantium commodis ſervire ſtudent, ne ſine certâ, exploratâ, gravi auctoritate talia effutiant, quæ manifeſtè adverſantur notæ ſeminii veneri fixitati, quâ fit ut illæsâ parte quâ admittitur, non poſſit ultrà pergere: imò quæ pugnant cum evidente cæterorum venenorum naturâ, etiam volatiliorum, quæ licet altiùs penetrare valeant, primas tamen ac potiſſimas vires exerunt in partes, per quas intrò ſubeunt. Sic pus variolarum puſtulas excitat vel ſolùm vel maximè in parte cui admovetur: Sic ſaliva canum rabidorum, dum hydrophobiam producit, inflammationem maximam infert cum dolore in demorsâ parte: Sic humor, quo ſcabies aut herpes affricatur, eam corporis partem præſertim inficit, cui adhæret agglutinatus; ſic venenum Tarentulæ dum tragœdiam edit in ſanguine, dolorem peculiarem excitat in parte vulneratâ.

III. Inde virus paulatim ulteriùs pergere, & ſanguinem inficere.

III. Virus tandem, ſi ſibi permittatur, poſt affecta primùm ea loca, per quæ introgreſſum eſt, in ipſum ſanguinem ſenſim deduci, quod duplici viâ fieri credimus, vel circulatione ſanguinis, qui tranſeundo per confinia virulentas partes guttatim lambat & abripiat, vel circulatione limphæ, quæ ab infectis partibus redux unà ſecum plurimas veneni guttulas devehat in ſanguinem, in quem ipſa perpetim confluit vaſis peculiaribus. Virus autem utrâlibet viâ traducatur, inde ſenſim multiplicari, intendi, invaleſcere, atque demum multiplicem functionum læſionem inferre, ſed de his ſequenti capite.

IV. Virus, quocumque modo penetret, ſemper poris admitti tenuiſſimis & numeroſiſſimis.

IV. In ſummâ virus, quocumque modo penetret, vel madore, vel halitu, vel circulatione limphæ, pari prorſus ratione guttularum tenuitate, fluiditatis motu, calore quo æſtuat, mutuâ partium quas humectat fricatione primò ſemper introduci per poros minutiſſimos quidem ſed fermè innumeros, quibus cutis denſiſſimè pervia eſt & permeabilis, quibus tanquam emiſſariis ſeu ſpiraculis exeunt ἀναῤῥοιαι, quæ intrinſecus effluunt, ut notiſſimum eſt experimentis Sanctorianis; & quibus etiam tanquam immiſſariis ſeu infundibulis introeunt motu contrario ἐσαῤῥοιαι, quæ extrinſecus influunt, ut ex utilitate balneorum aquæ tepidæ, embroches aquarum thermalium, frictionum mercurialium, cataplaſmatum, linimentorum, emplaſtrorum, unguentorum quorumcumque manifeſtum eſt.

Proinde ſeminii morboſi intromiſſionem æſtimandâ eſſe.

Ex his conſequitur 1°. Ad introducendum virus venereum unà ſimul conferre & infectum, qui agentis; & ſanum, qui patientis partes ſuſtinet; adeoque in æſtimandâ admiſſi veneni quantitate rationem perinde habendam eſſe, tum conditionum omnium, quæ poſſunt ex parte communicantis ſeu infecti uberiorem veneni copiam intrò pellere; tum conditionum ſimilium, quæ poſſunt ex parte accipientis ſeu ſani uberiorem introductionem permittere.

Modò ex parte infecti ſeu communicantis tantùm.

2°. Conditiones ex parte infecti ſeu communicantis repetendas eſſe ex capite gemino: 1°. Ex copiâ ſeminii morboſi, unde cæteris paribus debet venenum eò uberiùs introduci, quò copioſiùs abundat. Hinc ſi gonorrhœa ſummè virulenta actu fluat, ſi pudenda ulcuſculis venereis erodantur,

tur ; si citra gonorrhœam & ulcuscula , semen vel seminales humores , in quos concumbentes mutuò colliquescunt , contagio venereo multo inquinentur , tantò faciliùs inde contagium communicabitur cæteris paribus, potissimùm si ex spurcitie hærentes virulenti humoris guttulæ in illotis partibus computrescant. 2°. Ex qualitate ejusdem seminii , undè virus cæteris paribus tantò faciliùs promptiùsque debet introgredi , quantò tenuius erit. Hinc si virus subtile , penetrans , fervidum fuerit ex naturali sanguinis acrioris vitio , ex immodicâ corporis jactatione & excandescentiâ , quæ concubitum præcedat , ex impotenti amore , aut salaciore libidine , inde tantò expeditiùs celeriùsque per obvios poros in sanum introrumpet , atque adeo contagione tantò certiùs nocebit.

3°. Pari ratione conditiones ex parte sani seu accipientis desumendas esse ex duobus capitibus ; 1°. Nempe ex texturâ partis , quâ virus admittitur , quæ si rarior , mollior , magis spongiosa , aut erosa , cuticulâ denudata , ulcere saucia sit , debet ideo cæteris paribus tantò uberius venenum imbibere. Inde est quòd lues celerrimè contrahatur , si balanus in viris naturâ rarior , defectu satis rigidæ erectionis mollior , aut erosione quâvis superficiariâ saucius sit ; si in fœminis vaginæ aut vulvæ superficies laxior , rarior , nimis spongiosa , aut exulcerata fuerit ; si in utroque sexu urethra , prostatæ , vesiculæ seminariæ ex male curatâ gonorrhœâ sint adhuc ulcerosæ , fungosæ , aut fistulosæ , &c. 2°. Ex spatio temporis , quo pars veneno ingressuro objicitur , nam quò diuturnius fuerit , eò quoque futurum est ut cæteris paribus uberior admittatur veneni quantitas. Hinc ideo luis contagio potissimùm obnoxii sunt , qui in venerem segnes vel frigidi opus tardè conficiunt , aut qui re peractâ vasa non eluunt & abstergunt , præcipuè si longiore præputio balanus obtegatur in viris , aut si latioribus pterygiis ostium vaginæ occludatur in mulieribus , adeoque nidulantes superstitis contagii guttulæ pertinaciùs retineantur.

Modò ex parte sani seu accipientis tantùm.

4°. Quapropter si omnia sint paria ex parte infecti vel infectæ , pericula contagionis futura esse invicem in ratione directâ conditionum quæ sunt ex parte sanorum vel sanarum ; si verò omnia paria fuerint ex parte sani vel sanæ , pericula eadem futura esse inter se in ratione directâ conditionum quæ sunt ex parte infectorum vel infectarum ; demum si cuncta sint utrimque imparia , contagionis pericula futura esse in ratione compositâ ex rationibus directis , tum conditionum quæ sunt ex parte sanorum aut sanarum, tum conditionum quæ sunt ex parte infectorum vel infectarum.

Modò ex parte amborum.

5°. Hinc ergo explicari commodè cur sint alii qui contagium facillimè contrahant vel ex leviſſimâ occasione , alii verò qui difficiliùs licet in discrimen sæpissimè sese conjiciant , alii demum qui difficillimè & ferè numquam ? Cur quidam quibus diu innocuus est veneris usus cum maximè contaminatis , morbum celeriter concipiant , si cum aliis leviùs infectis misceantur ? Cur nonnulli , qui cum infectis rem diu habuerunt sine noxâ , dein tamen absque ullâ morbi accessione ab eisdem aliquando vitientur , aliaque hujuscemodi plurima problemata , ad quorum tamen solutionem haud parum lucis conferent , quæ in sequenti capite proponentur tum de multiplicatione seminii venerei semel suscepti , tum de multiplicationis modo.

Hinc patet quanta varietas esse debeat in contagionis modo , quâ lues venerea propagatur.

CAPUT IV.

Quâ causâ virus venereum intrò admiſſum multiplicetur, & quænam ſit multiplicationis ratio?

Virus venereum ſemel admiſſum multiplicari in infecto, dum lues confirmatur.

I. VIRUS venereum ſuperficie ſatis anguſtâ, poris inconſpicuis & ſtrictiſſimis, brevi temporis ſpatio exceptum, adeoque paucâ quantitate intromiſſum, poſt affectas proximiores partes, ubi morbi locales ſtatim excitantur, niſi ſedulò & tempeſtivè occurratur, quà data porta ſanguinem totum brevi inficit, unde varia ac multiplex læſio tum in partium ſubſtantiâ, tum in functionibus, qualis obſervatur in lue confirmatâ. Virus ergo venereum pedetentim in infectis copiâ multiplicatur, dum viribus invaleſcit.

Multiplicari magis, dum ab infecto uno plures alii inficiuntur.

II. Virus venereum, quo ſanguinis maſſa contaminatur in lue confirmatâ, ab uno ſolùm, qui vitium ipſe retinet, in multos, 10. 50. 100. ita traducitur, ut ſinguli ſint, niſi medicina efficax citò adhibeatur, ſimili & æquè confirmatâ lue brevi contaminandi. Virus ergo venereum multiplicatur ex traduce, dum ab uno in plures contagione propagatur.

Multiplicari maximè, dum ab infecto uno in plurimos propagatur indefinitè.

III. Virus venereum ſerpit repetitâ tranſmiſſione, cùm unuſquiſque ex decem, vel quinquaginta primùm infectis ſufficiat inficiendis decem vel quinquaginta aliis, qui ſinguli poſſunt totidem alios ipſi quoque inficere. Eo ſanè modo à paucioribus Hiſpanis, qui ab Inſulâ Haiti ſeu Hiſpaniolâ olim redierunt, luem veneream in totam Europam, partemque maximam Aſiæ & Africæ diſſeminatam fuiſſe credimus. Virus ergo venereum gradariè multiplicatur, vireſque acquirit eundo, dum numerosâ progenie ſoboleſcens ab uno in vulgus ſpargitur.

Dari exempla ſimilis multiplicationis in cæteris veneuis.

Quæcumque de multiplicatione veneni ſeu fermenti venerei afferimus, cum venenis ſeu fermentis cæteris communia ſunt. Sic canis rabidus paucæ ſalivæ vehiculo plures canes rabidos efficit, quorum unuſquiſque poteſt totidem alios ſimili labe de novo coinquinare. Sic ſcabioſus unus pauciſſimo ichore, quod à cute manat, pluribus ſcabiem affricat, qui ſinguli cum aliis totidem poſſunt eamdem communicare. Sic peſte correptus unus obviis plurimis morbum infert afflatu vel effluviis, quorum unuſquiſque ſimili viâ peſte eâdem totidem alios ſolet impertire. Sic demum æger unus variolis laborans poteſt pus ſufficere quo plures inficiantur, quorum quilibet totidem aliis inficiendis par futurus eſt.

Imò etiam in fermentis omnibus.

Imò etiam eadem multiplicationis ratio in rebus ipſis ſenſu carentibus obſervatur; ſic libra una fermenti vulgaris panifici plures farinæ libras in paſtam convertit, cujus libra quævis totidem aliis farinæ libris fermentandis & immutandis pariter apta eſt: Sic congius florum cereviſiæ congios plures decocti ex hordeo ſeu *malto* in cereviſiam commutat, cujus cereviſiæ fermentatæ congius quivis ſimilem mutationem afferre poteſt totidem menſuris novi ex malto decocti: Sic pomum putreſcens poma alia circumpoſita in putredinem trahit, quorum ſingula dum computreſcunt ſimilem

labem totidem pomis aliis juxta positis impertiuntur, donec totus pomorum acervus eâdem pernicie corrumpatur.

Quænam conditiones requirantur ad eam multiplicationis speciem?

Patet autem attendenti ad singula propositam multiplicationis speciem 1°. Non succedere nisi inter corpora invicem fermentescibilia, qualia sunt omnia in exemplis laudata, hoc est inter corpora quorum partes motu intestino actæ sese invicem impetant, eâque luctâ singulæ & alterent & alterentur. 2°. Imò etiam inter corpora fermentescibilia non succedere, nisi certa intersit naturæ similitudo inter agens, cujus est conversionem moliri, patiensque, quod eamdem pati debet. Sic fermentum panificum farinam similaginis, ex quâ constat ipsum primitùs, in pastam convertit, quod nequicquam efficeret in farinâ milii; sic flores cerevisiæ decoctum malti, unde ipsi prodière, in cerevisiam commutant, quod in decocto lentium sive maizii non perficerent; sic etiam in præsenti quæstione humor virulentus ab unius sanguine defluens alterius sanguinem & humores, quorum natura compar est, simili virulentiâ pervertit, ac in vitii consortium trahit.

Hinc ergo sequitur 1°. Vi & energiâ fermenti minutissimas particulas fluidi immutandi ita atteri, subigi, comminui, conformari, ut mole, figuratione, nexu particulis fermenti ipsius simillimæ fiant.

Et quænam consectaria inde deducenda sint?

2°. Huic assimilationi eò aptiores esse particulas immutandi fluidi, quò naturâ propiùs accedunt ad formam qualem fermenti particulæ olim ipsæ habuêre, adeoque quò possunt faciliùs inde simili modo decisçere in formam, quam eædem fermenti partes jam obtinent.

3°. Inconspicuas illas mutationes, quibus particulæ fluidi immutandi alterantur & à primigeniâ formâ degenerant, fieri motu fermentativo seu intestino, ut in panificio & præparatione cerevisiæ evidens est, & ut de cæteris haud inani creditur conjecturâ.

4°. Proinde sanguinis & humorum à sanguine secedentium immutationem, qualis fit ab admixto veneno venereo, produci motu illo intestino sive fermentativo, qui continenter viget in circulante sanguine, quo chylus, quem alimenta suggerunt, in sanguinem, quo sanguis in varios humores convertitur; atque adeo virus, quod sanguini inspiratum est, in ipso gliscere & multiplicari mechanismo eodem, quo sanguis ex chylo, quo humores cæteri ex sanguine renovantur.

Difficile esse mechanicam illius multiplicationis causam assignare.

Quærant jam umbratici Doctores, quibus dulce est insolubilia sectari & in phantasmatis ludere, qualis sit primitiva moles, figura, dispositio minimarum atomorum corporis immutandi; qualis debeat esse nova particularum facies, quam induunt, ut immutentur; quâ vi, quo artificio, quo mechanismo à priori formâ in hanc novam possint decisçere. Haud nobis suppetunt oculi satis lyncæi, ut scenas, quæ in eâ conversione exhibentur, possimus perspicere; & cæcutientibus temerarium videtur in tantâ formarum & mechanismorum possibilium diversitate de formis certis & de mechanismo peculiari solis conjecturis velle divinare. Quocirca mittendam censemus quæstionem obscurissimam, quæ forsan nec soluta lucem majorem rebus Medicis afferret, cùm experientiâ compertum sit Medicis practicis, posthabitâ causâ, si altiùs lateat & intricatior sit, plerumque satis esse, modò de effectibus certi sint.

Et ſanè, ut jam ad quæſtionem regrediamur, qualiſcumque ſit mutationis cauſa & mechaniſmus, manifeſtum eſt,

Sed quod medicinæ ſufficit, certò liquere multiplicationem illã ex duplici capite æſtimandam eſſe.

1°. Multiplicationem ſeminii virulenti in ſano, dum inficitur, æſtimandam eſſe ex duobus capitibus; 1°. Nempe ex viribus fermenti, quod agentis partes implet, & ſanguinem cæteroſque humores pervertit; 2°. Ex facultate ſanguinis cæterorumque humorum, qui mutationem pati debent & fermenti efficaciæ pervertendos ſe præbent.

1°. Ex viribus ſeminii venerei ipſius, quod fermenti ſeu agentis partes ſuſtinet.

2°. Vires quidem fermenti ſeu contagii venerei ſtatuendas eſſe 1°. Ex copiâ quâ admiſſum fuerit, virus enim tantò fortiùs & efficaciùs aget cæteris paribus, quantò magis abundaverit; ſed eâ de re conſulatur caput præcedens. 2°. Ex energiâ quâ pollet, nam virus eò magis efficax & actuoſum futurum eſt cæteris paribus, quò tenuius, acrius, ſubtilius erit, ex nativâ temperie, ut in regionibus calidioribus; ex morboſâ dyſcraſiâ ſanguinis unde prodiit, ut in cachecticis, bilioſis, atrabilariis, febre hecticâ laborantibus &c. ex diuturnitate temporis à quo ægrotanti ineſt, ut in iis qui jam dudum morbis venereis afflictantur.

2°. Ex facultate ſanguinis, qui patientis vices gerit.

3°. Facultatem verò ſanguinis cæterorumque humorum, quâ ſe faciliùs pervertendos præbent, repetendam eſſe, 1°. Ex vitioſâ eorumdem qualitate, quâ venenum & citiùs & altiùs imbibunt; hinc qui cachexiâ vel obſtructionibus laborant, aut qui bilioſam vel atrabilariam temperiem à naturâ habent, faciliùs ſolent cæteris paribus labem inde concipere. 2°. Ex accidentibus variis, quæ veneni multiplicationi favent, ut ſunt febrilis incandeſcentia, error in diætâ, animi pathemata vehementiora, exercitia immodica, crapula, vigiliæ nimiùm protractæ &c. quæ ſi frequentiùs contingant, gliſcenti veneno ſolent calcar addere.

4°. Proinde multiplicationis modum æſtimandum eſſe ex diversâ facultate ſanguinis & humorum, in quibus debet venenum multiplicari, ſi omnia paria ſint ex parte veneni; ex diverſis verò veneni viribus, ſi omnia paria fuerint ex parte ſanguinis & humorum; demum ex ratione compoſitâ ex rationibus diverſis tum virium fermenti, tum facultatis ſanguinis & humorum, ſi ex utrâque parte omnia imparia ſupponantur.

Unde pro variis individuis varietas ſumma debet eſſe in modo multiplicationis.

5°. Hinc ergo tantò magis patere ſolutionem problematum, quæ præcedenti capite propoſuimus, & aliorum quamplurium quæ in praxi ſæpiùs occurrunt, nempe cur alii à morbis venereis levioribus, & quibus videbatur diligenter occurſum eſſe, in luem veneream confirmatam citiſſimè incidant? Alii contrà à morbis ſimilibus, imò etiam urgentioribus & neglectis vel nullum vel leve & tardum damnum patiantur? Cur in aliis lues malignior diris ſymptomatis ferociat? In aliis contrà mitis ſit & benigna? Cur celeriter modò, modò verò tardè procedat? &c.

CAPUT V.

Quo pacto virus venereum tam diu aliquando lateat in ſanguine ſine noxâ?

JAM dudum obſervatione compertum eſt, 1°. Virus venereum cùm profligatum creditur, clam aliquando latere ad multos annos in ipſo ſanguine, ſine ullâ ægrotantis noxâ, quæ manifeſta ſit, atque adeo ſine ullo ſui indicio: 2°. At verò, ubi primùm ex accidente ſanguinis craſis vitio pervertitur, quamquam virus nullum de novo accedat, hydræ inſtar ſponte reviviſcere, celerique progreſſu graviſſima ſymptomata inferre, unde lues confirmata.

Utrumque experientiâ compertum eſſe, tum virus venereum diu aliquando latere ſine noxâ, tum aliquando derepente reviviſcere.

Sanè utrumque mirum eſt, & poſſe virus ita nocens in medio ſanguine, quocum intimè confunditur, quietè tandiu deliteſcere ſine ullâ noxâ; & poſſe tam paucam veneni quantitatem in ipſo ſanguine, qui continuò renovatur, illibatam tandiu conſervari. Sed tamen neutrum ſeminio venereo proprium eſt; virus enim hydrophobicum, quod acrius eſt potentiuſque, non modò per multos à morſu dies, ſed etiam aliquando per annos plurimos ſopitum latet in corpore, priuſquam vires exerat, & aquæ timorem cæteraque hydrophobiæ ſymptomata advocet. Quin imò, ſi vulgari opinioni credendum ſit, fermentum ſeu virus varioloſum nobis congenitum eſt à materno utero, latetque proinde ſine noxâ longiſſimo tempore, donec oblatâ occaſione ſcenas agat plerumque funeſtiſſimas.

Quod utrumque cæteris etiam venenis commune eſt.

Medici, ut hunc nodum reſecent, vulgò exiſtimant virus venereum cæteraque venena iſtiuſmodi, dum innocuè latent, recondi loculamentis quibuſdam, quæ inter medias ſanguinis partes ſulfureas intercedant, vel in glandularum quarumdam receſſibus ſeponi, ubi ſint in tuto, ſed unde datâ occaſione poſſint quaſi ex inſidiis erumpere, & vi atque impreſſione ſanguinem cæteroſque humores, imò verò partes ſolidas peſſundare.

Nihilominus tamen ut hæc phœnomena explicentur, neque ſupponenda eſſe in ſanguine loculamenta, quæ virus concludant, neque admittendas in corpore glandulas, in quibus virus latere poſſit.

Sed quid figmentis opus eſt, cùm poſſit quæſtionis ſolutio ex certiſſimis œconomiæ animalis principiis deduci? Chylus, qui ex alimentis confici-

Sed hæc facilè expla-

nari posse ex diverso modo, quo sanguis & humores jugiter renovantur.

tur, in sanguinem intra vasa convertitur fermentatione; ibidem fermentatione simili sanguis inde confectus, in humores secundarios ipse commutatur. Sanguis quidem, quandiu purus est, ex chylo probæ notæ sanguinem purum, & ex sanguine puro puros humores generat, ut in statu sano; at verò si sanguis veneno venereo semel inquinetur, similem paremque labem debet inurere, nisi ocyùs occurratur, tum sanguini quem ex chylo, tum humoribus omnibus quos ex sanguine de novo generat, unde virus, quod initio parcè insinuatum fuit, renovatur & perpetuatur.

Jam verò potest ea labes, quæ sanguini infertur seminio venereo, tripliciter gradu & intensione variare pro diversâ veneni admixti vel superstitis copiâ, aut diversâ sanguinis in quem agit, naturâ, qualitate, indole, nimirum, 1°. Gliscere in dies atque sensim invalescere veneno venereo multiplicato; 2°. Contrà minui & extenuari veneno venereo evanescente; 3°. Mediâ viâ progredi & statum modumque eumdem constanter retinere, veneno venereo renovato quidem sed sine accessione aut decessione ullâ.

Eâ nempe ratione virus admissum aliquãdo gradatim invalescere: & multiplicari.

I. Quidem si labes gliscat & invalescat, si virus inde celeri progressione augeatur in dies & multiplicetur, universa sanguinis & humorum massa brevi corrumpetur, unde lues confirmata; quod accidit ex triplici causâ, ut liquet ex præcedente capite: 1°. Si virus multum, acre, summè virulentum sit; 2°. Si sanguis in quem virus agit, vel naturâ vel per accidens pravus & vitiosus fuerit; 3°. Si, quod pessimum est, omnia hæc eadem ex utrâque parte simul coincidant.

Aliquando pedetentim extingui & evanescere.

II. Contrà si labes in dies retundatur & imminuatur, adeoque si contagium & viribus extenuetur & decrescat copiâ, inde tacitâ quidem sed certâ progressione virus omne sensim difflabitur, ut in iis qui à bubonibus, ulcusculis, gonorrhœis gravioribus convalescunt sine remediis, vel cum remediis haud satis efficacibus, & qui toto vitæ tempore optimâ fruuntur valetudine, in quibus virus venereum aliquantulum & diu latuisse, & optimâ sanguinis constitutione atque felici rerum non-naturalium usu sensim domitum fuisse nullus dubito. Sed tam faustum successum sperare numquam licet, nisi ex causâ triplici, ut colligere est ex præcedente capite lege contrariorum, 1°. Si virus paucum & benignum sit; 2°. Si sanguis purus, ritè constitutus, & perfectè elaboratus fuerit; 3°. Quod optimum est, si ex utrâque parte contingat ut hæc omnia unà concurrant.

Demum aliquando modum ita tenere, ut ad eumdem gradum constanter renovetur.

III. Quòd si labes medium statum teneat, ac proinde si virus jugiter quidem renovetur ut priùs, sed semper eodem tantùm gradu, qualem initio habuerit, adeoque perinde impari ad effectum, tunc quidem virus constanter perpetuabitur, sed ita coercitum & refrænatum ut effectu careat, seu quod idem est, latebit quidem in sanguine, sed latebit innoxiè, quemadmodum in praxi obvium est.

Ut hæc autem succedant, oportet ut virus, quod admittitur vel quod superstes remanet, modum ita teneat in quantitate & energiâ, & ut simul sanguis ipse mediocritatem ita servet in qualitate & generationis ratione, ut inde permittatur quidem veneni reproductio, sed constans & eadem semper permittatur, neque major neque minor. Sin secùs contige-

rit, ſi febre aut alio quovis morbo adventitio, ſi erroribus diætæ, vigiliis immodicis, crapulâ, &c. ſanguinis qualitas vitietur, tunc quâ ratione ſanguis à naturali craſi deſciſcet ipſe, futurum eſt, ut ratione eâdem venenum anteà latens copiâ & viribus promptè invaleſcat, naturali ferociæ reſtituatur, atque inde quaſi apertâ Pandoræ pyxide atra graviſſimorum ſymptomatum cohors derepente incumbat, unde lues manifeſta.

Poſſumus in confirmationem exemplum notiſſimum adducere, fructuum nempe, qui in arboribus ſilvaticis feri & agreſtes ac proinde acerbi ſunt, culturâ verò molliuntur & manſueſcunt; non ideo quidem quòd nativam ſucci indolem, quæ agreſtior eſt, deponant, ſed ideo tantùm, quòd dulcior ſuccus, quem excultum ſolum ſuggerit, natales arborum ſuccos ita temperet, ut inde fructuum ſapor mitior fiat; quemadmodum videtur vel inde poſſe argui, quòd fructus iidem ad priſtinam acerbitatem ſubinde redeant, ſi à culturâ aliquandiu ceſſatum fuerit. Quippini ergo pari quoque modo poteſt pauca veneni venerei benignioris copia intra corpus latere quidem innocuè, quandiu ſanguis purior largiorem veneni ſimilis renovationem refrænaturus eſt; ſuæ verò reddi nativæ ferociæ & virulentiæ, ubi primùm depravatâ ſanguinis integritate datur latenti veneno nocendi locus.

Una ſupereſt ſolvenda quæſtio, utrùm vir latente morboſo ſeminio infectus poſſit ſanam mulierem, quâcum rem habuerit, lue venereâ inficere, aut vice versâ fœmina virum? Acriter quidem diſputant Medici in utramque partem, dum affirmant alii, alii negant, ſed cùm experientia utrique opinioni quandoque patrocinetur, pronum eſt inde colligere utramque opinionem perinde veram eſſe, atque adeo virum eumdem, in quo virus clam lateat poſſe & non poſſe mulierem, cum quâ concubuerit, lue contaminare, pro diverſo mulieris ſtatu, & vice versâ fœminam virum.

Quæ probè intellecta plurimum conferunt ad reſolvenda varia problemata de contagione venereâ, quæ in quæſtionem vocari ſolent.

Sanè quidem, quoniam conſtat ex iis quæ præcedente capite dicta ſunt, infectionem non ab uno tantùm ſed à duobus dependere, ſequitur non in uno tantùm ſed in duobus conſiderandam eſſe, ejuſque propagationis modum non ex uno ſed ex duobus æſtimandum. Idcirco licet certus & conſtans ſupponatur inficientis ſtatus, neceſſe eſt ut effectus tamen diversè variet à diverſo ſtatu inficiendæ. Vir igitur, in quo virus lateat, poteſt quidem mulierem ſanam lue manifeſtâ inficere, ſi ipſa naturâ, morbo, vivendi ratione, tali temperie, qualitate, indole fuerit, ut veneni venerei vis, quæ in infecti viri ſanguine inefficax eſt, pervertendo ſanguini mulieris compar ſit: Non poteſt verò, ſi mulier robuſtior, ſanior, meliori conſtitutione prædita ſit, atque adeo vim eludat veneni concubitu admiſſi, quod in illâ perinde ac in viro effectu cariturum ſit.

Ex eodem principio deducendum eſt, 1°. Cur mulier eadem, quæ cum viro in quo ſeminium latet, veneris uſum diu habuit ſine damno, dein tamen aliquando ab eodem celeri lue inficiatur? Id enim ſupponit quidpiam ex alterutrâ parte mutatum fuiſſe, unde contagium, quod ab infecto viro manat, jam efficacius ſit, vel ſanguis mulieris, qui inficiendus eſt, ad concipiendum venenum jam magis comparatus.

2°. Cur ex pluribus liberis, qui ab iiſdem parentibus ſuſcipiuntur, laboret unus aut alter ſtrumoſis vel Rachiticis affectionibus, quæ ſunt dege-

neris luis ſymptomata, non verò alii? Id enim arguit hunc aut illum nativâ corporis conſtitutione, vel morbis, qui dum utero geſtantur matrem debilitant, cæteris imbecilliores eſſe, unde contagio altiùs inficiantur; atque ſic de cæteris omnibus phœnomenis, quæ in luis propagatione ſolent obſervari.

CAPUT VI.

De diverſis methodis therapeuticis, quæ in curandâ lue venereâ à primo morbi ingreſſu in hanc uſque diem adhibitæ ſunt.

Medici circa luis venereæ ingreſſum morbi curationem detrectavêre.

I. MEDICI, qui circa luis venereæ ingreſſum in Europâ florebant, morbi novitate & ferociâ ſtupefacti hæsêre diu ancipites, quid agerent planè neſcii: Nec enim audebant morbi curationem aggredi, cui ſe impares eſſe ſentiebant. Poſſunt in rei teſtimonium adduci Scriptores & plures & ex diverſis gentibus, qui morbi exordio ſuppares vixerunt.

1°. Sic inter Italos affirmabat anno 1500. Gaſpar Torella, *in Tractatu de Dolore in pudendagrâ, Litteratos ab hac curâ fugiſſe, in hoc morbo ſe nihil ſcire confidendo; .... cùm enim*, pergit idem, *noſtris temporibus talis monſtruoſa agritudo à nullo fuerit viſa, idcirco à nullo quantumcumque perito, experto, & ſenio confecto canonicè & rectè curari poterat.* Quæ eadem totidem verbis legere eſt apud Wendelinum Hock, anno 1514. *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 1. Sic etiam Jacobus Cataneus à Lacu Marcino aſſerebat anno 1515. *Tractatûs de Morbo Gallico, cap.* 7. *Apparente hoc novo in Italiâ morbo plurimos Medicorum inſignes hæſitaviſſe & à curatione ipſius refugiſſe. Jure quidem*, ſubjungit Ille, *in curandis enim morbis prima intentio, ut Galeno placuit, ab eſſentiâ morbi ſumenda eſt, quæ, cùm nulla hujus morbi memoria extaret, incognita erat.*

2°. Neque res meliùs cedebat tunc temporis in Hiſpaniâ, unde prima mali labes. Joannes enim Almenar, Hiſpanus, in *Præfatione præfixâ Opuſculo*, quod de Morbo Gallico conſcripſit ante annum 1516. conquerebatur de ſupinâ *Medicorum ignorantiâ in eo affectu curando.* Et Gonſalvus Hernandez de Oviedo narrabat anno 1535. *Lib.* 2. *cap.* 14. *Hiſtoriæ General. & Natur. Indiarum Occident.* Hiſpanicè ſcriptæ, Morbum Gallicum ferocem, curatu difficillimum, pleriſque initio funeſtum fuiſſe, quoniam cùm ignotus eſſet, neque anteà unquam viſus, Medici, quo pacto infectis mederentur, planè ignorabant.

3°. Conſtat neque minùs attonitos fuiſſe Medicos in Germaniâ; refert enim Ulrichus Huttenus, nobilis Germanus, anno 1519. *Lib. de curatione Morbi Gallici per adminiſtrationem ligni Guaiaci, capp.* 2. *&* 1. *Medicos ab ejus morbi ortu totum in Germaniâ biennium ſiluiſſe. .... Et fugiſſe morbi aſpectum, nedum contactu abſtinuiſſe, ut mali prætereà nullius.* Ait verò Laurentius Phriſius, Medicus Metenſis, anno 1532. *in Opuſculo de Morbo Gallico, cap.* 1. *Pauperes hoc malo laborantes initio expulſos fuiſſe ab hominum converſatione, tanquam purulentum cadaver; derelictoſque à Medicis (qui ſe nolebant*

nolebant intromittere in curam tàm ſpeculando & conſulendo quàm viſitando) *habitaviſſe in arvis & ſylvis.*

4°. Porrò quâ ratione Medici in Galliâ ſe geſſerint eodem tempore planè ignoro, cùm inter Gallos Auctor nullus exſtet, qui de lue venereâ primis illis temporibus ſcripſerit, & antiquiſſimus omnium, quos noverim, ſit Jacobus à Bethencourt, Rothomagenſis, qui anno 1527. Tractatum de Morbo Gallico ſive venereo edidit, ſed cujus ætate jam nota erat tum Mercurii tum Guaiaci adminiſtratio & uſu frequenti confirmata. Nullus tamen dubito quin eodem ac cæteri ſtupore perculſi fuerint, ut ex ſcriptis hac de re legibus à Senatu Pariſienſi, quas ſuprà attulimus *cap. ultimo Libri præcedentis*, haud obſcurè videtur colligi.

II. Exin verò morbo latiùs opinione diſſeminato, cùm numerus opem quæritantium in dies magis magiſque creſceret, puduit tandem Medicos officio in re tam gravi penitus deeſſe. Sic ergo primùm verecundiâ potiùs quàm confidentiâ morbo Medicina fieri cœpta eſt, & mali curatio attentari. Liquet autem ex Operibus Nicolai Leoniceni, Conradi Gilini, Gaſparis Torellæ, Sebaſtiani Aquilani, Antonii Benivenii, Jacobi Catanei, Wendelini Hock, cæterorumque Medicorum ejuſdem ætatis, in ſequenti Therapeiâ adhibendâ Medicos omnes conſenſiſſe, quam ceu rectæ rationi methodoque ad congeneres affectus receptæ maximè conſonam, *methodicam* ſeu *rationalem* nuncupabant.

Deinde curationem aggreſſi ſunt therapeiâ, quam methodicam ſeu rationalem appellabant.

1°. Quidem diætam imperabant tenuem, cùm ex Hippocrate *Aphoriſm. 9. Section. 2.* impura corpora, quò plus nutriuntur, eò magis lædantur; & ſalubrem, ad quam videlicet deligebantur cibi eupepti & euchymi, qui ſanguinis vitio temperando pares eſſent.

2°. Venam incidebant ineunte morbo rariùs vel frequentiùs pro ægrotantium ætate, viribus, temperie: Morbo verò jam progreſſo à venæ ſectione plerique cavebant, cujus vices malebant ſupplere ſanguiſugis vel cucurbitulis.

3°. Quæ in primis viis congeſta erant, educebant vel clyſteribus *laxativis* ex decocto emolliente, caſſiâ, catholicone, diaphœnico, &c. vel medicinis *minorativis* ex ſennâ, caſſiâ, mannâ, myrobalanis, tamarindis, ſyrupis pomorum Regis Sapor, de cichoreo compoſito, roſarum ſolutivo, &c.

4°. Inde digerebant pravos humores, qui ſanguini inerant, potionibus alterantibus, pro variâ ſanguinis craſi variis, modò blandioribus, ut 1°. Apozematis ex ſuccis depuratis cichorei ſilveſtris, borraginis, buglóſſi, ſcolopendrii, &c. 2°. Syrupis ex iiſdem ſuccis; 3°. Sero lactis vaccini, cui herbæ eædem incoquebantur: Modò verò efficacioribus, ut 1°. Decoctis radicum apii, petroſelini, fœniculi, aſparagi, polypodii, &c. & foliorum fumariæ, ſcabioſæ, epithymi, praſſii, ſummitatum lupulorum, &c. 2°. Syrupis ex iiſdem; 3°. Sero lactis iiſdem herbis alterato.

5°. In eumdem finem utebantur balneis in aquâ tepidâ, modò purâ, modò priùs decoctâ vel cum radice althææ & nymphææ; foliis malvæ, brancæ urſinæ; floribus chamæmeli, melilori; ſemine lini, &c. ad emolliendum & diluendum: Vel cum radice cucumeris aſinini aut ſerpenta-

riæ ; foliiſque lapathi acuti, chelidoniæ, ſcabioſæ, praſſii, &c. ad reſolvendum.

6°. Humores ſemel digeſtos dilutoſque purgabant identidem cathartici efficacioribus, modò ſimplicibus, ut agarico, ſennâ, aloë, diagridio, turpetho infuſis in aquis decoctiſve *appropriatis*, vel ſyrupo aut conſervâ exceptis in opiatam ; modò compoſitis, ut electuario lenitivo, diaſennâ Rhaſis, diacatholicone, electuario Indo minore, confectione hamec, electuario de dactylis, &c. pilulis cochiis, fœtidis, aureis Nicolai, de hierâ Ruffini &c.

7°. Puſtulas, ſi quæ cutem deturparent, calidè inungebant poſt balneum linimento ex detergentibus & exſiccantibus, ut maſtiche, thure, myrrhâ, fuligine, ſulfure vivo, lithargyrio, tartaro albo, radice ireos, enulæ campanæ, lapathi acuti &c. tenuiſſimè pulveratis & axungiâ exceptis.

8°. Si qui verò dolores torquerent, affecta loca ſæpiùs illinebant calidiſſimè oleo olivarum antiquo, laurino, chamæmelino, anethino, de ſpicâ, de croco ; Medullâ cervi, vulpis ; Adipe humanâ, ſapone veneto, decocto hyoſcyami &c.

9°. Ad morbum difficiliorem utebantur *ſtuffis*, in quibus blando aquæ ferventis calore, vel thymiamatum fumo ægri ſudore manabant copioſo, quo ſordities, quæcumque cuti adhæreſcebant, abſtergebantur. Pro pauperibus loco ſtuffarum calore furni ſudationem movebant feliciſſimo ſucceſſu, ſi Gaſpari Torellæ credere eſt, qui *in Tractatu de pudendagra* ait *inter omnia ſibi experta pro curatione doloris ac etiam puſtularum eſſe, ut patiens intret ad ſudandum in furno calido, aut ſaltem in ſtuffâ, & hoc faciat diebus quinque continuis jejuno ſtomacho.*

10°. Haud deerant, qui ad everrendas morbi reliquias multiplicem viperarum uſum ſuaderent, ut vini, in quo viperæ extinctæ eſſent & aliquandiu infuſæ ; juſculorum ex viperis ; carnis viperarum elixæ vel aſſatæ ; ſyrupi ex decocto viperarum &c. quæ ſingula fuſiùs explicata invenies apud Sebaſtianum Aquilanum, Jacobum Cataneum à Lacu Marcino, Petrum Andræam Matthiolum, & Joannem Benedictum.

11°. Demum cauterium bregmati, occipiti, brachio tibiæve inurebant, quo latentes morbi reliquiæ ſenſim exhaurirentur, ut ab Hiſpanis etiamnum factitari dicitur. Sic ait Coradinus Gilinus, *in Opuſculo de Morbo Gallico, cauterium actuale vel potentiale ſuper commiſſurâ coronali maximum ferre juvamentum,..... & ſe hoc in pluribus expertum eſſe hanc ægritudinem in gulâ patientibus, qui omnes curati ſunt ad laudem Omnipotentis, qui omnium inferiorum & ſuperiorum cauſa exiſtit.* Similia legere eſt apud Wendelinum Hock, & Benedictum Victorium.

Poterant quidem ea ſingula morbi ferociam mitigare, humorum virulentiam lenire, & ad ſummum viam remediis efficacioribus parare. Pleriſque ſanè, nec ſine ſucceſſu, etiamnum utimur, quoties ægrum ad inunctiones mercuriales præparatum cupimus. Sed neutiquam poterant hæc univerſa morbum ita ferocem extirpare, & peſtilentiam, quâ tota humorum maſſa imbuta erat depellere. Haud ergo mirum ſi Medici eâ methodo oleum & operam ita perdiderint, ut referat Gabriël Fallopius, *Tractat. de Morbo Gallico, cap. 20. Medicos, qui aderant in principio, deſpe-*

raſſe in arte, cùm viderent ſe methodo non potuiſſe invenire rationem curandi, ideoque *fuiſſe in maximo deſpectu tunc temporis apud omnes, & niſi caſu Chirurgici audaciſſimi inveniſſent hydrargyrum, & niſi Hiſpani illi ſupervenissent docti quomodo morbus tractaretur* in Indiis, fore ut *rebellis eſſet morbus & adhuc ſæviret.* Quæ ipſiſſima verba profert etiam Proſperus Borgarutius, *ſuæ Methodi de Morbo Gallico cap.* 2. ea ſcilicet à Fallopio mutuatus, ſed ſuppreſſo tamen ejus nomine.

III. De Hydrargyro ſive Mercurio pauca quidem hîc proponere animus eſt, cùm hoc argumentum fuſiùs tractaturi ſimus ſequenti capite. Attamen ut ſibi conſtet narrationis ordo, oportet attendere Medicinam, quæ ex Mercurio ad luem venereampetitur, non caſu inventam, ut cenſebat Fallopius, ſed ex antiquiorum Medicorum praxi analogicè deductam eſſe: Jam ab antiquiſſimis luis venereæ temporibus adhibitam fuiſſe, ſcilicet ante annum 1498. atque adeo ab ipſo morbi ingreſſu: Videri quidem ab Empiricis vel Chirurgis primùm tentatam fuiſſe, at verò ubi ſemel ſucceſſu comprobata fuit, à Medicis celeberrimis non laudatam modò, ſed etiam uſurpatam eſſe: Porrò parcâ, imò parciſſimâ manu initio admotam fuiſſe, atque adeo nullo vel minimo periculo: Factum verò dein aliorum quidem Empiricorum ignorantiâ & præcipitantiâ, ut præproperâ feſtinatione remedii vis plerumque inefficax eſſet, unde Huttenus aſſerit, *Lib. de Morbi Gallici curatione per adminiſt. ligni Guaiaci cap.* 4. eâ methodo *vix centeſimum quemque levatum fuiſſe, recidivo ut plurimùm malo:* Aliorum verò temeritate & imprudentiâ, ut Mercurio largiùs illito graviſſima cierentur incommoda, imò verò mors ipſa præcipiti caſu non rarò accerſeretur; unde contendit Gaſpar Torella, *in Tractatu de Dolore in pudendagrâ*, eâ therapeiâ Cardinalem Segobricenſem, (Bartholomæum, ut opinor, Martinum, Valentinum apud Hiſpanos, Epiſcopum Segovienſem, qui creatus Cardinalis ab Alexandro VI. anno 1496. mortuus eſt anno 1500.) Alphonſum Borgiam, Alphonſi fratrem, innumeroſque alios miſeram mortem ante diem obiiſſe: Quapropter Medicos non paucos tot infortuniorum teſtes in eam medendi methodum acriter invectos eſſe, non ſolùm tanquam periculoſam, ſed etiam tanquam lethiferam, neque forſan injuriâ, ſi putemus mercurialem therapeiam tunc temporis ut plurimùm adhibitam fuiſſe ab ignariſſimis nebulonibus & in Medicinâ planè hoſpitibus, qui quaſi Andabatarum more in tenebris pugnaviſſent, Mercurium, remedium nempe ferociſſimum, nec arte temperare norant, nec graviſſimis ſymptomatis mederi, quæ ſibi permiſſus Hydrargyrus plerumque advocat.

Viſum quoque nonnullis ex analogiâ vim hydrargyri experiri, ſed methodo temerariâ, ideoque minùs felici.

IV. Itaque res eò tandem reciderat, ut ambigerent ægrotantes utrùm utri præſtaret, an Medicos auſcultando lentâ labe contabeſcere? An verò certis cruciatibus exponi, imò evidens capitis periculum adire empiricis confidendo? Cùm ecce contingit in Europam deferri ligna ex Indiâ, *Guaiacum & Lignum ſanctum*, quibus luem venereamſine periculo eradicari contendebant, & quæ ideo miro applauſu excepta ſunt, tanquam humani generis alexicaca.

Circa annum 1517. in uſum ligni Guaiaci certatim itum eſt.

Refert Ulrichus Hutten, qui Tractatum ſcripſit anno 1519. *de Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaici cap.* 1. remedia ea Euro-

pæ innotuiſſe *biennio antè*, atque adeo anno 1517. quod videtur confirmari à Leonardo Schmai, Salisburgenſi, qui anno 1518. Opuſculum de iiſdem lignis edidit, in quo fatetur id remedii genus recentiſſimè detectum eſſe, & vix dum in Germaniâ ſolo nomine notum. Si tamen fides adhibenda ſit Antonio Muſæ Braſſavolo, *in reſponſis ad quæſtiones Alexandri Fontanæ*, ligna illa in Italiam tardiùs devecta ſunt nec ante annum 1525. cùm *ipſe aſſerat anno* 1551. dum ſcriberet, *viginti ſex annos agi, quòd in Italiam devectum eſt ejuſcemodi lignum*, ac *ſe primum* fuiſſe, qui hujus ligni *decoctum Ferrariæ præbuerit Illuſtri Æneæ Pio, cùm omnibus aliis Medicis novum ac inuſitatum videretur, (ut verè erat) medicamentum, multique id ipſum deriderent, quouſque viderunt Illuſtrem Virum ſanitati reſtitutum eſſe.*

Quod remedii genus ab Indigenis Inſulæ Hiſpaniolæ primùm indicatum eſt & inde in Europam delatum.

Narrat *ibidem* idem Braſſavolus quâ ratione illud remedium Europæ primùm innotuerit. *Fuit*, inquit, *Conſalvus quidam Hiſpanus morbo Gallico ſæviſſimè affectus, qui rei famâ commotus, (nam omnibus ferè aliis expertis præſidiis ſanitati reſtitui non potuerat) unà cum aliis ad Inſulas nuper repertas navigavit, ſeque curari fecit ac ſanitati reſtitui: Poſteà in Luſitaniam rediens Medici officio functus eſt, & eodem modo morbo Gallico affectos curare cœpit, quo & ipſe ab Indo quodam Medico curatus fuerat.* Neſcio quo conſilio Joannes Freind, Vir de re medicâ optimè meritus, in tertiâ *Hiſtoriæ Medicinæ* parte huic Conſalvo, de quo Braſſavolus, *Ferrandi* ſeu *Fernandi* nomen de ſuo addiderit, quaſi nempe vellet innuere eumdem cum Conſalvo Fernando de Oviedo vel Ovietenſi fuiſſe, quod tamen à vero alieniſſimum puto, cùm Ovietenſis in Luſitaniâ Medici officio numquam functus fuerit, ſed ab anno 1513. quo juſſu Ferdinandi Arragonum Regis Indias petiit, ut regio nomine attenderet ad mineras, & mineralium fuſiones, ibidem commoratus ſit ad annum uſque 1525. imò verò 1535. ut ipſe teſtatur in ſuâ Indiarum Occidentalium Hiſtoriâ.

(a) *In notis* ad Hieronymum Benzonum, *editum Francofurti à Theodor. de Bry ann.* 1594.

Sunt qui rem paulò aliter narrent, (a) nempe *Hiſpano cuidam, qui luem Indicam ab Indicâ concubinâ contraxerat & qui diris cruciatibus torquebatur, famulum Indum in Hiſpaniolâ Medicum agentem aquam Guaiaci propinaviſſe, quâ non ſolùm magnis illis cruciatibus liberatus eſt, ſed priſtinæ etiam ſanitati reſtitutus:* Hujus exemplo plurimos alios Hiſpanos morbo eodem infectos curatos eſſe: Inde harum curationum famam Hiſpali primùm evulgatam fuiſſe ab iis, qui ex eâ Inſulâ redierunt & hinc per totam Hiſpaniam ac demum per totam Europam, quam ea lues jam occupaverat.

Demum ſi Ulrichum Huttenum audiamus, *de Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci, cap. 6. Nobilis quidam Hiſpanus, cùm Quæſtor in Provinciâ* (Inſulæ Hiſpaniolæ) *eſſet, ac morbo graviter affligeretur, monſtratâ ab Indigenis medicinâ, uſum ejus in Hiſpaniam attulit primùm anxius ne non trans mare, quales in Inſulâ, eſſent ejus effectus.*

Sed ut-ut ſit de modo, quo Guaiacum in notitiam venerit, certiſſimè conſtat unanimi Auctorum omnium coætaneorum conſenſu id remedii genus ab Indis Occidentalibus acceptum à quibus lues accepta, & ab Hiſpanis in Europam tranſmiſſum eſſe, per quos lues tranſmiſſa fuerat; atque adeo antidotum inde petitam, unde malum petitum erat, quemadmodum olim de Achillis haſtâ fabulabantur, *quaſi vulneris auxilium tuleris*

eadem, quæ vulnus inflixerat, ut apud Plinium legere eſt *Hiſtor. natural. Lib.* 25. *cap.* 5. *&* *Lib.* 34. *cap.* 15.

Hæc autem ligna Indica, quæ ad luem veneream uſu valent, duo ſunt ut jam innuimus: Alterum (*a*) ſolidum, denſum, reſinoſum, nigricans, conſtans ex fibris variè implexis, ſaporis acris, amaricantis & aromatici, odoris fragrantis, quod ab Americanis *Hiacan* ſeu *Huiacan* vocabatur, unde Europæis *Guaiacum* dictum eſt: Alterum denſitate, fibrarum implicatione, ſapore, odore, priori ferè proximum, ſed albidius ſeu potiùs ſubflavius, quod ab indigenis *Hoaxacan* appellatum, ab Europæis *Lignum ſanctum* nuncupatum eſt, propter inſignem uſum & efficaciam. Utriuſque cortex eſt lignoſus, tenuis, durus; ex plurimis lamellis parallelis & ſtrictè denſatis conflatus; extùs ex cinereo rufeſcens, nigricans, maculatus; intùs pallidus & lævigatus; ſaporis acris, amaricantis, odoris ferè nullius.

Deſcriptio Guaiaci & ligni ſancti.

(*a*) Paulus *Hermannus in Cynoſurâ materiâ medicâ.* Samuël Dale *in Pharmacologiâ.*

Arbores, quæ hæc ligna proferunt, non ætate ſolùm, ut multis & nunc & olim viſum eſt, ſed ſpecie differunt, ut demonſtratum eſt à Joanne Terentio in notis ad Gonſalvum Hernandez Ovietenſem, & à Plukenetio in Phytographiâ, quamquam ad idem vel ad affine genus pertinere credantur. Prior quidem, quæ ſuppeditat Guaiacum, olim primùm obſervata legitur in Inſulâ *Hiſpaniolâ*, hodie *Sancti Dominici*, ſed maximè in Inſula *Beatâ*: Altera verò, à quâ depromitur lignum ſanctum, olim obvia erat in Inſulâ *Borichen*, quæ jam ſancti Joannis *de portu ricco* ſeu *divite* dicitur. Nunc verò ambæ frequentes ſunt in pleriſque Inſularum Antillarum & in eâ totâ Americæ parte, quæ Zonæ Torridæ ſubjacet.

Initio, quandiu Guaiacum & lignum ſanctum auro contrà cara erant, mos fuit in eorum locum ſufficere ligna varia Europæa, quorum virtus congener vel affinis eſſe cenſebatur, ex *citro, cupreſſo, pinu, terebintho, corno, corylo, buxo, ſed plerumque nullo vel minimo ſucceſſu. Unum eſt, quod forſan exceptum velim, lignum videlicet ex junipero, cujus decocto recentem luem curari vel ſaltem mitigari compertum eſſe dicitur non unâ experientiâ: Quâ de re præter Antonium Muſam Braſſavolum, *loco ad libri marginem laudato*, legi velim Joannem Leonis *Deſcriptionis Africæ Lib.* 1. *in fine*, & Julium Cæſarem Scaligerum, *in Cardanum de ſubtilitate, exercit.* 181. *n°.* 19. de uſu ligni juniperini in Africâ ad luis venereæ curationem.

Quæ olim habita ſint pro ſuccedaneis Guaici & ligni ſancti?

Poſſem quoque in teſtimonium adducere Franciſcum I. Galliarum Regem, qui idem (*b*) ipſe ſentiebat de hujus ligni virtute, & contra quem Guillelmus Rondeletius ſatis temerè pugnavit, nimiùm ſcilicet confidens auctoritati Dioſcoridis, cujus vulgaria exemplaria habebant tunc temporis *ramenta juniperi lethifera eſſe*, ſed neſcius hæc verba Dioſcoridis textui ab alienâ manu inſerta fuiſſe & quaſi ſpuria ab Auctoris illius exemplaribus abeſſe quæ melioris notæ erant.

(*b*) Guillelmus Rondeletius, *Lib. de Morbo Italico.*

* Ulrichus Huttenus, *Lib. de Morbi Gallici curatione per admin. Guaiaci, cap.* 21.
Antonius Muſa Braſſavolus, *Lib. de Morbo Gallico.*
Gabriel Fallopius, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 37.
Bernardinus Tomitanus, *Lib.* 2. *de Morbo Gallico, cap.* 16.
Proſper Borgarutius, *Method. de Morbo Gallico, cap.* 14.
Alexander Trajanus Petronius, *Lib.* 6. *de Morbo Gallico, cap.* 24.
Augerius Ferrerius, *de Pudendagrâ, Lib.* 1. *capp.* 16 *&* 20.

Ratio decoquendi Guaiaci.

Hæc olim fuit Guaiaci decoquendi ratio uſu maximè recepta. Ligni minutim conciſi aut ejus ſcobis lib. j. ſeu ℥xij. in libris viij. x. aut xij. aquæ infundebant per horas xxiv. in ollâ fictili novâ. Deinde vaſe priùs benè occluſo decoquebant in Diplomate, lento ſed continuo igne ad quartæ, tertiæ, vel dimidiæ partis conſumptionem, prout decoctum intenſius, debiliuſve ægri viribus & temperamento, morbive vehementiæ congruere videbatur. Decoctum refrigeratum & colatum in vaſe vitreo obturato ad uſum aſſervabant.

Ligno, quod in ollâ ſupererat, affundebantur denuò totidem libræ aquæ, iterùm ad conſumptionem quartæ partis lento igne decoquendæ. Colatum ſecundarium illud decoctum ſive *Bochetum* in lagenis vitreis, ſicut & præcedens, recondebatur. Priore utebantur tanquam medicamine, poſteriore verò pro potu ordinario.

Cæterùm an lignum Guaiacum ſine cortice, an cortex Guaiaci ſine ligno, an ambo ſimul? An hæc ſola, an cum aliis lignis, radicibus, plantiſve affinibus? An in vino, an in aquâ, an in decocto vel aquâ ſtillatitiâ plantarum congenerum, decoquenda eſſent, olim inter Medicos controvertebatur, & tantâ quidem contentione ac ſi pro aris focisque dimicaviſſent? Sed quid opus lege certâ rem incertam definire velle? Cùm ægrotantium temperies, ætas, ſtatus; morbique natura, ratio, complicatio, variè varient, res tota Medicorum judicio permittenda eſt, qui ipſi in caſu quolibet ea eligent, quæ maximè profutura eſſe videbuntur.

Et adminiſtrandi decocti.

Paratis ſemel decoctis, æger blando cathartico priùs purgatus & parcioribus cibis ab aliquot diebus enutritus, in cubiculo concludebatur, quod arte vel naturâ teperet & ita munitum eſſet, ut neque aër neque frigus penetrare poſſent. Lecto detentus ſummo diluculo ſumebat cyathum unum prioris decocti calentis, qui capax eſſet ℥viij. vel x. & operto ſtragulis corpore ſudori ſeſe comparabat per duas vel tres horas. Abſterſo ſemel corpore & quatuor ad minus horis poſt aſſumptum decoctum offerebantur panis biſcocti unciæ duæ vel tres, cum uvis aliquot paſſis, vel amygdalis aut piſtachiis, & decoctum ſecundarium affatim propinabatur. Inde poſt horas alteras quatuor ſumebatur cyathus alter decocti primarii ad ℥viij. vel x. ſudabatur ut priùs per horas tres, mundatoque dein corpore, & duabus vel tribus panis biſcocti unciis iterùm comeſtis cum uvis paſſis, amygdalis vel piſtachiis, aliquot decocti ſecundarii pocula exhauriebantur. Quòd ſi æger gracilis, attenuatus, tenerioris conſtitutionis, viribus minùs valeret, neque tolerandæ tam ſeveræ inediæ par videretur, concedebatur paulò major panis & paſſularum quantitas, vel panis unus *Martius*, vel etiam juſculum ex pullo Gallinaceo; imò verò poſt dies aliquot quarta vel dimidia pars pulli Gallinacei junioris aſſati vel in aquâ purâ & ſine ſale elixi.

Servabatur ea methodus per dies quindecim, quo tempore ſi alvus aſtrictior eſſet, enemate emolliente laxabatur altero vel tertio quoque die. Tranſactis quindecim primis diebus æger blando cathartico, *verbi gratiâ* medullâ caſſiæ, mannâ, tamarindis &c. purgabatur, & eâ die bibebat tantùm è decocto ſecundario. Inde therapeia eadem iterabatur eâdem ratione uſque ad diem trigeſimum vel quadrageſimum; ſed paulò lar-

giore diætâ ſenſim conceſsâ : Imò poſt diem vigeſimum quintum vel trigeſimum licebat ægro, ſi viribus valeret, lecto identidem ſurgere, & benè veſtito per cubiculum ambulare, dum ab omni ſudatione liber erat. Demum ſub curationis finem iterùm purgabatur, ac ei copia tunc erat è cubiculo non quidem in apertum aërem exeundi ſed in aliud conclave, donec aëri ferendo par eſſe videretur. Neque enim quidquam derepente innovandum erat, ſed omnibus paulatim adſueſcendum per menſem alterum, quo æger diætæ etiamnum obſervans & vino abſtinens ſecundario decocto utebatur pro potu ordinario.

Virtus decocti Guaiaci.

Sic ergo meracius Guaiaci decoctum, quod naturâ acre eſt & aromaticum, vel nullis vel pauciſſimis cibariis in ventriculo alteratum, & in vaſa lactea præ inediâ exhauſta & exinanita ubertim exceptum, ſingulas corporis partes liberrimè circulando pervadebat; ſanguinis limphæque globulos ſeminii virulenti præſentiâ induratos inſpiſſatoſque ſolvebat, attenuabat, liquabat ; obvias contagii guttulas vel alterabat corrigebatque, vel diaphoreſi aut diureſi abigebat & eliminabat ; ac viſcera omnia, vaſaque ſingula acri illo lixivio per dies quadraginta macerata, ſi obſtructa eſſent, paulatim reſerabat, ſi hærente humore infarcta, gravamine ſenſim liberabat ; unde deletâ, eliminatâ, profligatâ contagii venerei virulentiâ ægri priſtinæ reddebantur valetudini.

Utilitas illius.

Multis ſanè ea therapeia profuit & in Hiſpaniolâ & in Hiſpaniâ, narratque Nicolaus Poll, Caroli V. Imperatoris Medicus, *in Opuſculo de curatione Morbi Gallici per lignum Guaiacanum*, edito anno 1536. *uno quaſi & eodem tempore uſu decocti ex Guaiaco tria hominum millia, de quibus deſperatum erat, ad bonam valetudinem reducta fuiſſe, qui poſt convaleſcentiam ſibi ipſis renaſci videbantur.* Itaque haud mirum, ſi tantam famam derepente obtinuerit, ut teſte Ulricho Hutteno, *Lib. de Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci, cap.* 11. Medici non incelebres *nomine Cæſaris & cujuſdam in Germaniâ Epiſcopi Hiſpanias adierint* ad rectam adminiſtrationis methodum addiſcendam *ab illis, qui in Spagnolâ rem uſu cognoverant.* Facilè tamen crediderim non parùm auctam fuiſſe in totâ Europâ hujuſce remedii celebritatem Opuſculo jam laudato ipſius Hutteni, anno 1519. typis edito, quo Vir ille amicitiis & inimicitiis, quas cum Eraſmo Roterodamo ſucceſſivè exercuit, orbi notiſſimus apertè teſtabatur, *cap.* 26. ſe Morbo Gallico graviſſimo ab annis novem infectum; doloribus atrocibus, multiplici exoſtoſi, oſſium carie ulcerosâ, ſummâ totius corporis emaciatione, & difficili maraſmo laborantem ; undecies ſed incaſsùm mercurialem curationem expertum ; poſt torturas, ſupplicia, pericula, quæ vix poterant animo concipi, cùm de ipſius ſalute ab omnibus deſperatum eſſet, ſolo uſu decocti ex Guaiaco per dies triginta propinati juxta methodum, quam modò propoſuimus, perfectæ & integræ valetudini feliciter reſtitutum fuiſſe.

Ejuſdem pericula & incommoda.

Sed nihil eſt vulgo imprudentius in æſtimandis novitatibus. Ut temerè credebatur olim decoctum Guaiaci tutam, certam, innoxiam luis venereæ medicinam eſſe, quâ ſine periculo uti liceret omnibus, ſic etiam omnibus nullo diſcrimine propinabatur. At verò brevi tempore certâ triſtique experientiâ compertum eſt pleroſque, qui tenui eſſent valetudine,

aut temperamento acri, bilioſo, fervido; qui naturâ macilenti & exſucci; quibus pulmones, hepar, renes, aut ventriculus retorridi vel jam malè affecti eſſent; denique qui in tabem quomodocunque inclinarent; inediâ nimiâ, acriore decocto, ſudore immodico confectos & extenuatos in marcorem, maraſmum, febrem hecticam, tabem, phthiſim immedicabilem ſæpe decidere. *Obſervavi*, inquiebat Petrus Andræas Matthiolus, *in Opuſculo de Morbo Gallico*, quod editum eſt anno 1533. *ſicciorís habitudinis homines Morbo Gallico laborantes ligni potatione cùm hecticam febriculam, tùm tabem incurriſſe.*

Viſum quidem fuit, ut ea arcerentur pericula, adminiſtrationis acerbitatem mitigare; ideo permiſſa eſt plenior diæta, decoctum debilius propinatum, datum ſudationi tempus brevius. Quid inde emolumenti collectum? Scilicet ſolutâ verſurâ in contraria peccatum eſt. Vis enim remedii eo modo fracta & debilitata ad curandum morbum jam non ſatis efficax fuit, querebaturque ideo *ibidem* idem Matthiolus *non videri hujuſmodi lignum, ſicut jam priùs, malè habentibus conferre, & pleroſque ejus decoctum aſſumentes non ſanari ob exhibentium incuriam*, qui à legibus ſeverioris diætæ ægros imprudenter abſolvebant. Sic ergo Guaiacum, quod initio tanto applauſu exceptum fuerat, minùs commodè audire jam cœperat; cùm ecce allatâ in orbem noſtrum radice Chinæ ægrotantium & medentium mentes in novas ſpes erectæ ſunt.

Radix Chinæ innotuit Europæ circa annum 1535. tanquam alterum ſpecificum.

V. Radix Chinæ (*a*) craſſa, tuberoſa, nodoſa, levis, lignoſa, cariem facilè ſentiens, extùs pallidè rubeſcens, intùs candida; ſaporis farinacei & terreſtris, leviter aſtringentis; odoris verò nullius, creditur eſſe radix ſmilacis cujuſdam aſperæ, *Lampatam* dictæ in Chinâ ſive Sinâ, ubi copiosè creſcit, & unde delata nomen *Chinæ* habuit. Reperitur in Americâ, præſertim in novâ Hiſpaniâ & in Peruviâ radix affinis, magis tamen oblonga, & intùs paulò magis rubeſcens, quæ China Occidentalis appellatur, ſed quæ virtute cedit Chinæ Orientali, è Chinâ vel Provinciis Chinæ finitimis devectæ.

(*a*) *Paulus Hermannus, & Samuel Dale*, ubi ſuprà.

Ea radix Europæ primùm innotuit circa annum 1535. auctore Theveto, *Coſmograph. Univerſal. Lib.* 11. *cap.* 25. cum quo videtur Veſalius etiam conſentire, ut qui referat, *in Epiſtolâ de radice Chinæ, dum ipſe adhuc Venetiis ſub præceptoribus & præcipuis illìc artem exercentibus Medicis ægros inviſeret, radicem iſtam, non ſine maximâ expectatione ſummiſque laudibus illuc fuiſſe perlatam.* Veſalium enim, cùm natus eſſet anno 1513. conſequens eſt vigeſimo ſecundo vel tertio ætatis anno, adeoque circa annum à Chriſto nato 1535. vel 1536. Medicinæ ſtudio operam navaviſſe, ac artis tyrocinium Venetiis feciſſe, potiſſimùm cùm liqueat auctoritate Valerii Andreæ *in Bibliothecâ Belgicâ* Veſalium anno 1537. Patavii publicum Anatomes Profeſſorem fuiſſe.

Quâ Methodo illius decoctum ægrotantibus exhibitum fuerit?

Parabatur decoctum hujus radicis ſequenti methodo; nempe Chinæ recentis & non carioſæ ac in fruſtula ſeu *talleolas* tenues conciſæ ℥j. aut ij. viginti quatuor horis in aquæ fontanæ lib. vj. aut viij. tepidè macerabant. Inde in ollâ fictili ſatis amplâ & operculo contectâ lento igne decoquebant ad duas tertias, decoctumque colatum in lagenâ vitreâ obturatâ tepidè detinebant ad uſum quotidianum.

Porrò

Porrò autem æger priùs præparatus præmiſſis univerſalioribus, purgatione ſcilicet, imò venæ ſectione ſi ita è re videretur, cyathum unum hujus decocti calidi ad ℥x. vel xij. ſummo diluculo quotidie exhauriebat, ac in lecto compoſitus & ſtragulis contectus ad ſudorem ſe comparabat per duas vel tres horas. Inde ſudore ſemel abſterſo è lecto ſurgere, & benè veſtito in cubiculo ambulare licitum erat; imò verò poſt decimum vel duodecimum diem, ſi benignior eſſet aëris ſtatus, domo egredi ſub eâdem cautione. Diæta quoque liberalior concedebatur quàm in adminiſtratione decocti ex Guaiaco; poterat enim æger veſci pullis, gallinis, aut caponibus toſtis vel ſine ullo ſale elixis, ſed vino penitùs abſtinendus erat, permiſſo tantùm pro potu ordinario decocto tepido radicis Chinæ. Quotidie hæc eadem ſingula ordine eodem iterabantur per dies 24. aut 25. quibus curatio perfici credebatur, & ſi alvus pigrior eſſet, vel additis decocto quotidiano folliculis ſennæ, vel enemate emolliente alternis diebus poterat ſubduci.

Celerem famam obtinuit,

Celerem huic therapeiæ celebritatem fecit auctoritas Caroli V. Imperatoris, qui jam antè, ut refert Veſalius *in Epiſtolâ de Radice Chinæ, articularis ſui morbi & mali habitûs occaſione decocto Guaiaci uſus*, ſed irrito ſucceſſu, voluit ſuo potiùs marte quàm Medicorum conſilio Chinæ virtutem etiam experiri Bruxellis, à quâ ſi non optimè, at certè meliùs habuit. Hinc ergo factum eſt ut *vicini Germaniæ Medici, quibus ſummum mundi Principem Chinâ uſum eſſe conſtitit, magnificè de hoc remedio & ſenſerint & judicaverint, ſibique multa deficere exiſtimaverint, ſi non & ipſis hujus decocti propinandi ratio comperta haberetur; . . . . . Quocirca ſuis principibus iſtius decocti vires ita laudandas duxerint, ut illi apud Cæſarem Medicorum causâ inſtare urgereque non dedignati fuerint, quò ab Aulicis Medicis univerſus decoctum illud adminiſtrandi modus ipſis exponeretur.*

Sed quam retinuit patùm diu.

Sed quàm fluxa eſt ac mutabilis novorum remediorum fortuna! Radix illa Chinæ tantoperè laudata brevi vileſcere viſa eſt. Veſalius ipſemet in *hac eâdem Epiſtolâ* anno 1542. editâ, fatebatur *ſe compertiſſimum habere Chinæ decoctum in oſſium excreſcentiis tumoribuſve, pravis ulceribus venereis Guaiaci decocto longè inferius eſſe.* Proſtant ſimilia de Chinâ teſtimonia apud Hieronymum Cardanum *in Libro de radice Chynæ ſeu de Decoctis*, anno 1548. Apud Antonium Muſam Braſſavolum, *in Tractatu de radicis Chynæ uſu*, anno 1551. Apud Antonium Fracantianum, *in Libro de Morbo Gallico*, anno 1564. Apud Julium Palmarium, *Lib. 1. de Lue venereâ, cap. 14.* anno 1578. Sed omnium diſertiſſimè apud Gabrielem Fallopium, in Tractatu *de Morbo Gallico, cap. 60.* anno 1560. *Non utor*, inquit, *hac radice in Morbo Gallico, expertus enim ſum ter & quater, & numquam aliquid potui aſſequi.* Sanè jam pridem apud omnes in confeſſo eſt radicem Chinæ podagræ, Iſchiadico dolori, tumoribus œdematoſis, ſtrumis, ventriculi imbecillitati, hemicraniæ, renum & veſicæ ulceribus prodeſſe; at verò ad luem parùm utilem eſſe, & ſi quid forſan valeat, ſaltem Guaiaco virtute plurimùm cedere.

Radix ſarſæ-parillæ in Europam

VI. Famam paulò meliùs obtinuit radix altera nomine Sarſæ-parillæ notiſſima, quæ & ipſa eodem circiter tempore magnificè celebrata eſt, ut liquet ex eâdem Veſalii Epiſtolâ. Cedit quidem Guaiaco, at Chinâ

delata circa idem tempus, tanquam ſpecificum tertium.

virtute multùm ſuperior eſſe creditur communi ſententiâ, imò etiam Guaiaco ipſi præſtare, quotieſcunque poſt adhibitas inunctiones mercuriales, vel adminiſtratum Guaiaci decoctum, ſuperſunt ulcera, rhagades circa anum, tophi, nodi, ganglia, gummata, potiſſimùm verò dolores rheumatici, fixi ſive vagi, ſed ab impurâ venere primùm oriundi, ad quos ſpecifica exiſtimatur.

Illius deſcriptio.

Devehitur ex pluribus Americæ locis, præſertim ex Peruviâ, Mexico, Braſiliâ &c. ubi ſponte & ubertim dicitur adoleſcere in ſepibus (*a*). Tenuis eſt, craſſitie calami, longa, ſarmentoſa, enodis, foris rugoſa & plicata, ex flavo pallida, intùs candida & farinacea, ſaporis & odoris nullius evidentis. Conſtans opinio eſt radicem eſſe plantæ, quæ cum ſmilace aſperâ eadem ſit, vel ſmilaci maximè affinis. Inde factum ut ab Hiſpanis *ſarſa-parilla*, ſeu *çarça-parilla* dicta ſit, hoc eſt *viticula rubo ſimilis*. Id enim nominis eſt ſmilaci aſperæ apud Hiſpanos, ut auctor eſt Andreas Lacuna, nempe quòd ſmilax ſarmentis, foliis, labruſcis *viticulam*; ſpinis, aculeiſque *rubum* referat; *çarça* enim *rubum*, *parilla viticulam* Hiſpanicè ſignificat. Huic opinioni favet & ipſa experientia: Conſtat enim radices ſmilacis aſperæ noſtratis, ut ſarſæ-parillæ formâ proximè ſimiles ſunt, ſic virtute ferè pares eſſe, cùm teſtetur Fallopius *in Tractatu de Morbo Gallico, capite 63. ſe radice ſmilacis aſperæ* in Italiâ effoſſæ *uſum eſſe felici cum ſucceſſu, & plurimos à lue Gallicâ liberaviſſe.*

(*a*) *Paul. Hermannus, & Samuël Dale*, ubi ſuprà.

Et adminiſtrandæ ratio.

Decoquitur ſarſa-parilla eodem modo quo China, ſcilicet unciæ duæ fruſtatim reſectæ macerantur totâ die in aquæ communis lib. vj. Dein coquuntur igne remiſſo in diplomate ollâ operculo benè contectâ, donec tertia vel media pars exhalaverit. Mane ſummo ab ægro in lecto jacente exhauritur hujus decocti cyathus ad decem uncias capax. Quod ſupereſt per diem bibitur pro potu ordinario, ſic quotidie iterando per dies 20. aut 24. Cæterùm diæta paulò largior permittitur, quàm in uſu decocti Guaiacini, eademque quam modò propoſuimus in adminiſtratione Chinæ.

Lignum ſaſſafras, ſpecificum quartum.

VII. Allatum eſt circa idem tempus ex variis Americæ tractibus, ſed maximè ex Floridâ, lignum alterum ad luem veneream efficax, à Floridanis *Pabamive*, teſte Franciſco Coreal *Voyage aux Indes Occidentales, chap. 2.* Europæis verò *Saſſafras* dictum, quod (*b*) ſub cortice tenui, foràs cinereo, intùs ſanguineo, ex ruffo albicat, lignoſum, leve, rarum eſt, ſaporis acris, ſubdulcis & aromatici, odoriſque fragrantis, unde dici ſolet *lignum fœniculi* ſeu *fœniculatum.*

(*b*) *Paul. Hermannus, & Samuël Dale*, ubi ſuprà.

Parabatur & adhibebatur hujus decoctum eâdem methodo ac decocta radicum Chinæ & ſarſæ-parillæ; ſed ut Chinam in abigendis lue venereâ, & luis venereæ ſymptomatis virtute proximè æquat, ſic Guaiaco & ſarſæ-parillæ plurimùm cedit.

Ptiſanæ hidroticæ ſeu ſudoriferæ,

VIII. Mos jam pridem obtinuit ligna illa duo, Guaiacum & Saſſafras, radiceſque totidem Chinam & Sarſam-parillam, quorum natura virtuſque ſimilis eſt, unà ſimul decoquere, plerumque ſine ullo purgante, aliquando verò cum folliculis ſennæ, ut jam ab anno 1550. in uſu fuiſſe teſtatur Braſſavolus *in Tractatu de radicis Chinæ uſu.* Hinc parantur Decocta & Bocheta, quæ modò tantùm diaphoreticâ & diureticâ, modò

verò cathartico-diaphoreticâ vi pollent, & quæ notiſſima ſunt nomine *Ptiſanarum ſudoriferarum*, vel *Ptiſanarum è lignis ſudorificis.*

Varia ſolet eſſe ſingulorum doſis, pro diverſis indicationibus quibus ſatisfaciendum eſt. In genere unciæ ij. ligni Guaiaci in ſcobem vel in fruſtula redacti, unciæque totidem ligni ſaſſafras in fruſtula pariter diviſi, cum radicum Chinæ & ſarſæ-parillæ minutim inciſarum ana unciis totidem, infunduntur tepidè horis 24. in aquæ communis lib. x. vel xij. Inde additis, ſi ita videatur, antimonii crudi craſſiuſculè triti & nodulo laxè concluſi ʒ ij. omnia lento igne in vaſe operculo clauſo decoquuntur ad conſumptionem tertiæ partis. Tunc additur liquiritiæ raſæ uncia j. imò ſi vis purgans in decocto requiratur, folliculorum ſennæ Orientalis ʒß. quæ horæ momento coquenda ſunt. Poſtea decoctum, cùm tepuit, colo tranſmittitur, & in lagenis vitreis benè obturatis ſervatur ad uſum.

Solenne eſt hujus decocti tres hauſtus quotidie propinari per duodecim vel quindecim dies, manè jejuno ventriculo, quartâ vel quintâ horâ poſt prandium, & veſperi ante decubitum: Vel ſaltem duo, manè ſcilicet & veſperi, omiſſo hauſtu pomeridiano, ſi ita è re videatur. Per id tempus æger ad parciorem diætâm addicendus eſt, domique continendus ſi anni tempus aſperius ita exigat.

Tanquam arcana nova & ad morbum quemcumque ſpecifica, ab Agyrtis duobus venditatæ.

Hæc eadem lignorum decocta, quibus nihil notius eſt, vulgatius nihil, Lutetiæ tamen tanquam arcana remedia, & ad morbos quoſvis *panchreſta* venditari non ita pridem vidimus à duobus aretalogis, nec ſine lucro; uſque adeo vulgus & præſertim vulgus Pariſienſe novitatis amans eſt avidumque. Priori, qui Chirurgus fuit, nomen erat *Calat:* Hic cæteris lignis dicebatur adjicere lignum Phyllyreæ anguſtifoliæ; egregium ſanè & verè efficax additamentum! Imò etiam prædicabat ſe calcem auri unà incoquere, quod quidem ſine diſpendio fieri potuit, quod tamen factum vix credo, ex quo demum ſi factum fuerit, efficaciam nullam decocto acceſſiſſe certus ſcio.

Alter, artifex liquandi æris, dictus *Vinache*, ſuperbiebat præparato antimoniali neſcio quo, cujus additione ſuam ptiſanam cæteris præſtare gloriabatur. Habuit hic unum atque alterum Medicum, non conniventem modò, ſed etiam ſuffragantem, quod quidem in artis medicæ opprobrium redundavit aliquandiu, at verò ſimul in multorum perniciem ceſſit, & tandem, ut æquum fuit, in perpetuum ipſorummet approbatorum dedecus.

Remedia varia, lui venereæ olim adhibita, ſed quæ tamen huic curandæ impatia ſunt.

IX. Reſtat tandem, ut huc congeramus remedia non pauca, quæ quidem ad luis venereæ curationem planè inefficacia ſunt, ideoque jam dudum obſoleta, ſed quæ tamen à Medicis, nec incelebribus, olim & laudata & uſurpata fuiſſe certum eſt. Inde ſaltem manifeſtum fiet exemplo alieno quantâ prudentiâ in rebus medicis, anticipatis aut temerè conceptis conjecturis parcendum ſit, quantoque labore ad veritatem pedetentim ſit enitendum.

1°. Lignum Hetechen, de quo Avicenna *Lib. 3. Tractat. 2. cap. 33.* & cujus decocto, ut refert Joannes Leonis, *in deſcript. Afric. Lib. 1. in fine*, apud Afros lui venereæ medicina parabatur, à nonnullis tanquam

egregium & ſpecificum remedium * laudatum olim fuit. Conſtat autem hoc lignum idem planè fuiſſe cum junipero majore baccâ rufeſcente ſive oxycedro, tum ex deſcriptione ipſiuſmet Joannis Leonis, *loco laudato*, tum ex auctoritate Julii Cæſaris Scaligeri in Cardanum de Subtilitate, *exercitatione* 181. *n°*. 19. Quale autem judicium ferendum ſit in curandâ lue venereâ de ligno juniperino, Guaiaci ſuccedaneo, videſis ſuprà *articulo hujuſce capitis* 4. Cæterùm notandum eſt vocem hanc Hetechen, quæ vera hujus ligni apud Arabes nomenclatura fuiſſe videtur, variè depravatam eſſe in Heſtedeen à Proſpero Borgarutio, & in Hebſtedehen vel Heddeen à Gabriele Fallopio.

2°. Decoctum ſaponariæ officinarum, ſeu lychnidos ſaponariæ dictæ, quod Joannes Baptiſta Zappata, Empiricus, tanquam ſpecificum laudabat *li maravigliosi ſecreti cap* 9. & quod commendatum fuiſſe legimus à Daniele Sennerto *Practicæ Lib. 6. parte* 4. *cap.* 17. & ab Euſtachio Rudio, *de Morbo Gallico*. Sed quod jam pridem penitus obſolevit, ceu nullius pretii.

3°. Joannes Fernelius, Medicus Pariſienſis clariſſimus quidem, ſed ab hydrargyri uſu alieniſſimus, quem pernitioſum Empiricorum inventum eſſe putabat, ſine Mercurio & Guaiaco perfectam luis venereæ curationem pollicebatur, ope duarum opiatarum, quarum alteram majorem, minorem alteram vocabat. Componebatur utraque ex vulnerariis & purgantibus variis, ſed neutra ad luem veneream profligandam ſatis efficax erat. Illarum opiatarum formulæ, quas piget hic exſcribere, obviæ ſunt apud ipſum Fernelium *De curatione luis Venereæ, cap.* 15. aut apud Julium Palmarium *Lib.* 1. *de Lue venereâ, cap.* 7. ubi apertiùs proponuntur.

4°. Julius ille Palmarius, celeber Fernelii diſcipulus, ſed eâ in re in verba Magiſtri jurare nimiùm paratus non ſuſtinuit quidem Mercurii uſum cum illo damnare, ut cujus utilitas in dies exploratior eſſet, at verò exiſtimavit cum illo luem debellari poſſe ſolo opiatæ uſu, quam *ibidem* proponit, quâ dicit *neminem hactenus falſum eſſe*, quam venalem proſtare monet Lutetiæ *in vico Antoniano* apud Pharmacopœum quem nominat, quam fatetur ex duabus modò memoratis Fernelii opiatis compoſitam eſſe, *adjectis etiam*, ut ille ſubjungit, *aliquot aliis medicamentis, quæ adverſus venena valere & ad ſudores ciendos aptiſſima eſſe compererat*; ſed quam certo certius eſt optato effectui imparem fuiſſe.

5°. Guillelmus Rondeletius Profeſſor & Cancellarius Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ, aſſerit *in Tractatu de Morbo Italico, ſe in pauperibus uſum eſſe ſyrupo ſancti Ambroſii, qui ex decocto milii paratur & ramentis ligni ficuum*. Proſtat ſimile remedium in Pharmacopœa Bateanâ ſub titulo *Decocti Ambroſiani*, diciturque *Diaphoreticum nobile*. Refert Nicolaus Cheſneau *in ordine remediorum alphabetico* ad calcem Obſervationum ſuarum adjecto tertiam ejuſdem remedii formulam, juxta quam milium cum paſſulis & ficubus decoquitur, aitque decoctum illud laudari *ab Otthone*

* Gabriële Fallopio, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 40.
Antonio Fracantiano, *Lib. de Morbo Gallico.*
Bernardino Tomitano, *Lib.* 1. *de Morbo Gallico, cap.* 16.
Proſpero Borgarutio, *Method. de Morbo Gallico, cap.* 14.

Heurnio tanquam nobile ſudoriſicum & diureticum. Sed liquet hoſce ſyrupos ſive decocta, ſi quid ad ſudorem movendum conferant, ad plenam luis venereæ curationem haud quidquam valere.

6°. Demùm narrat Samuël Formius, Chirurgus Monſpelienſis, in Obſervationibus cum Lazaro Riverio communicatis, *Obſervat.* 41. « Henricum III. Gallorum Regem, lue venereâ laborantem, cùm à Medicis ordinariis curari non potuiſſet, monitum fuiſſe Penam (Petrum) « tunc temporis Lutetiæ Medicinam facientem multos ab hoc morbo liberare remedio peculiari, quod à quodam Turca didicerat, ideoque « juſſiſſe Penam vocari, à quo curatus fuit. » Illud autem peculiare remedium nihil erat præter radicis Bardanæ in talleolas ſectæ decoctum in æqualibus aquæ fontanæ & vini albi partibus, additis ſub decoctionis finem folliculis ſennæ, cujus decocti ſelibra manè jejuno ventriculo propinabatur in lecto per dies 15. vel 20. admotis ad diverſas corporis partes ſilicibus majoribus calidis, & linteo obvolutis, ad ſudorem proliciendum.

Non neſcius ſum quoſdam eſſe, qui affirment Henricum III. uſu radicis Bardanæ, quam Petrus Pena adhibuerit, non ex lue venereâ, ſed ex febre quartanâ convaluiſſe. Ita ſanè ſentiunt Tancredus Robin, apud Joan. Jacob. Mangetum, *in Bibliothecâ Pharmaceuticâ, in verbo* Bardanâ, & J. B. Chomel, Doctor Medicus Pariſienſis, *Abbrégé de l'Hiſtoire des Plantes Uſuelles.* Sed eos falſos eſſe opinor & in errorem ideo fortè inductos, quòd minus attentè legerint Obſervationes Georgii Hieronymi Velſchii, ubi narratur eadem hiſtoria. Ille ſcilicet poſtquam dixit *in Obſervationum Medicinalium Epiſagmate*, Obſervat. 4. *Empiricum quemdam Pariſienſem plurimos quartanarios decocto radicis Lappæ majoris ſeu Bardanæ ex vino albo magno ſucceſſu curare ſolitum fuiſſe*, mox addit *eadem quartanæ & luis venereæ quandoque remedia obſervari. Sic illam*, pergit idem; *cùm tibiarum ulceribus hydrargyroſi curatam narrat Guillelmus Ballonius*, 2. Epidem. & Ephemerid. pag. 131. *hanc verò in Henrico III. Galliarum Rege eodem decocto Bardanæ à Petro Pena deletam eſſe teſtatur Samuël Formius apud Lazarum Riverium*, Obſervatione 41. Inde ergo factum fuiſſe videtur, ut præ oſcitantiâ, nec ſatis adversâ pronominum *illam* & *hanc* relatione creditum ſit luem veneream cum ulceribus tibiarum in ægro Ballonii, hydrargyroſi; quartanam verò in Henrico III. decocto Bardanæ curatam fuiſſe, cùm tamen ex ipſo orationis contextu contrarium manifeſtum ſit.

Itaque tantum abeſt ut ex Velſchio auctoritatem Formii elevare jure liceat, ut contrà Velſchius ipſe Formii obſervationem apertè confirmet. Neque in contrarium pugnat ullomodo Pena ipſe, quicquid à non nemine dictum fuerit, cùm nullum exſtet hac de re teſtimonium, quod equidem ſciam. Quapropter credibile eſt virus venereum ab Henrico III. olim contractum, dum è Poloniâ rediens Venetiis gonorrhœâ virulentâ malè habuit, aliquot pòſt annis repullulaſſe, quo tempore Petri Penæ conſilio decocto Bardanæ retuſum fuerit, ut refert Formius. *Retuſum* dico, neque enim puto Bardanæ decoctum ad extirpandum virus venereum valere; imò neque cum decocto Guaiaci ullatenus conferendum

esse, quicquid de Bardanæ virtute adversùs morbos venereos prædicent tum Simon Pauli, *Quadripartiti Botanici, cap.* 3. tum Georgius Baglivius, *Praxeos lib.* 1. §. *De Lue venereâ.*

CAPUT VII.

De diverso Mercurii & Mercurialium usu ad luis venereæ curationem ab ipso morbi ingressu ad hæc usque tempora.

GRÆCIS ὑδράργυρος, Latinis *aqua argenti* vel *argentum vivum*, recentioribus Chimicis *Mercurius*, est substantia metallica, mobilis, fluida, ponderosissima, globosam vel globosæ proximam figuram affectans, coloris ex cæsio albicantis, auro jungi amans. Duplex habetur, *Naturalis* alter, qui in formâ vivâ è mineris eruitur, & dicitur *Mercurius virgineus:* Alter *artificialis*, qui ex minerâ cinnabarinâ excoquitur, *& Mercurius cinnabarinus* appellatur. Reperitur uterque in variis Europæ locis, sed optimus censetur, qui ex Hispaniâ aut Hungariâ devehitur.

Hydrargyrum ab antiquis damnatum tanquam deleterium.

Mercurius olim Aristoteli notus, *Meteorologicor. Lib.* 4. *cap.* 8. & Theophrasto ejus discipulo, *Libro de Lapidibus*, nomine *argenti fusi*, ἄργυρος χύτος, Plinioque, *Historiæ Naturalis Lib.* 33. *cap.* 6. nomine *argenti vivi*, ab usu medico diu exclusus est, ut qui diceretur venenosus. Sic olim creditus fuit à Dioscoride, *de Medicinali materiâ Lib.* 5. *cap.* 110. *& Alexipharm. cap.* 28. *vim habere pernitialem potus, suoque pondere interna exedere:* Sic à Galeno, *de simplic. Medicam. Facultate, Lib.* 4. *cap.* 19. *& Lib.* 5. *cap.* 19. *& in* 6. *Epidem. comment.* 6. *textu* 6. relatus est inter deleteria, quamvis hoc Galeni de Mercurio judicium aliorum sententiâ potiùs quàm suâ niti videatur, cùm fateatur ipse alibi, *de simplic. Medic. Facultate, Lib.* 9. *cap.* 3. *artic.* 32. *se nullum unquam Mercurii periculum fecisse, interimatne internè sumptum, an externè admotum?* Sic demum ab universâ Medicorum posteriorum turbâ cum Dioscoride & Galeno consentiente proscriptus fuit, ut videre est apud Oribasium, *Medic. Collect. Lib.* 13. Paulum Æginetam, *de re Medicâ Lib.* 5. *cap.* 64. & *Lib.* 7. *in voce* ὑδράργυρος. Aëtium, *Tetrabib. I. sermone* 1. *cap.* 1. *& Tetrabib.* 4. *sermone* 1. *cap.* 79. Actuarium, *Lib.* 5. *Methodi medendi, cap.* 12. *&c.*

Ab Arabibus medicis in usus medicos sed exteriores vocatum.

Primi omnium Medici Arabes ausi sunt Mercurium exteriùs adhibere: Tum ad pediculos enecandos, ut constat de Rhase, *Lib.* 9. *ad Almansorem*; de Serapione, *Libro de simplici Medicinâ, cap.* 385. de Avicennâ, *Lib.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 47. & de Isaaco, *Lib.* 4. *Practic. c p.* 9. ubi proponitur adversùs pediculos unguentum ex argento vivo, plerumque cum additis cineribus filicis & aceto: Tum ad scabiem, herpetem, cæterasque cutis defædationes sanandas, ut liquet ex Avicennâ & Serapione, *locis jam laudatis* & ex Mesue, *in Antidotario, distinctione* 11. ubi ad scabiem, impetiginem & *phlegma grossum*, ut aiebant, duo adducuntur unguenta ex multis quidem aliis composita, sed quibus immixtum inest argentum vivum salivâ extinctum.

In quo sce-

In utroque Mercurii usu Arabes Medicos ferè omnes sectatores habue-

runt, qui in Europâ ante renata litterarum ſtudia claruêre. Sic in pediculorum perniciem unguenta mercurialia præſcribuntur à Guillelmo Varignanâ, qui Genuæ Medicinam cum laude fecit circa annum 1300. *in Secretor. ſublimium Tract. 3. cap. 9.* à Bernardo Gordonio, qui Montiſpeſſuli cum famâ docuit anno 1305. *Lilii particul. 2. cap. 9.* à Guidone de Cauliaco, ſummorum Pontificum Clementis VI. & Urbani V. Capellano & Medico, ab anno 1348. ad annum 1363. *Chirurgiæ magnæ Tractat. 6. Doctrin. 1. cap. 3. in fine.* à Valeſco de Tarantâ, qui Medicinam Monſpelii profeſſus eſt anno 1418. *Philonii Lib. 7. cap. 74.* Sic etiam unguenta ſimilia contra ſcabiem, variaſque ſcabiei ſpecies, ut *malum mortuum, phlegma ſalſum, aſaphati &c.* adhibita fuerunt à Rogerio Parmenſi, Medico circa annum 1250. *Chirurgiæ Lib. 1. cap. 42. de Morphæâ albâ;* à Rollando Capelluto, Medico circa annum 1268. *Chirurgiæ Lib. 1. cap. 15. de Rimâ ſeu Ruffâ capitis;* à Theodorico, Medico celebri circa annum 1280. qui dein poſt addictum nomen Ordini Fratrum Prædicatorum ad Epiſcopatum Cervienſem promotus eſt, *Chirurgiæ Lib. 3. cap. 49. de Malo mortuo;* ab Arnaldo de Villanovâ, circa annum 1300. *Medic. Practic. Lib. 2. cap. 43. De ſcabie ſeu pruritu;* à Guillelmo de Varignanâ, eodem circiter tempore, *in Secretis ſublimibus, Tractat. 3. cap. 1.* à Bernardo Gordonio, anno 1305. *Lilii particul. 1. cap. 24. rubric. 1. & cap. 25.* à Guidone de Cauliaco, anno 1363. *Chirurgiæ magnæ, Tractat. 6. Doctrin. 1. cap. 3. rubric. 1. 2. & 4.* à Valeſco de Tarantâ, anno 1418. *Philonii Lib. 7. capp. 35. & 36.*

tatores habuerunt ferè omnes Medicos, qui in Europâ vixêre à ſæculo undecimo.

Inter unguenta mercurialia tunc temporis uſu receptiſſima famoſum fuit unguentum Saracenicum, ideo ſic dictum dubio procul quòd ab Arabibus ſeu Saracenis acceptum haberetur. Extat ſequens hujus formula apud Guidonem loco laudato.

℞. *Euphorb. & Lithargyrii ana lib. ß.*
Staphid. agriæ quartam ß.
Argenti vivi quartam j.
Axungiæ porci veteris lib. j.
Incorporando in mortario fiat unguentum, de quo æger inungat ſe ſemel in ſeptimanâ.

Debuit unguentum illud cuti illitum, ut quod Mercurio conſtaret ad nonam partem, ſalivationem movere in plurimis; & ſanè conſtat etiam nec Guidonem, nec Theodoricum hunc unguenti effectum latuiſſe, nam uterque diſertè monuit *hoc linimentum facere educere ſuperfluitates per os balneando*, (bavando) *& per ſubaſcellas reſudando*, additque Guido *argentum vivum nocere membris principalibus, & dentibus atque gingivis*, ideoque varia proponit gargariſmata, quæ ab ore interiore noxam arcerent. Illos autem ambos primos fuiſſe opinor, qui ſalivationem obſervaverint, cujus antiquiorem nullum Medicum, niſi forſan Alſaharavium, meminiſſe credimus, & quâ tamen notabile incrementum Medicinæ acceſſit, detectâ nempe novâ & antiquioribus Medicis incognitâ novæ evacuationis viâ.

Oportuit hæc ſigillatim memorare, quandoquidem conſtat inde olim petitam fuiſſe ex analogiâ methodam illam curatoriam, ſeu therapeiam mercurialem, quæ nunc ad luis venereæ curationem uſu potiſſimùm vi-

Unde ad curationem luis vene-

reæ accommodatum ex analogiâ.

get. Cùm ſcirent enim Medici, qui primis luis venereæ temporibus vixerunt, unguenta mercurialia ad impetiginem, herpetem, ſcabiem, phlegma ſalſum, malum mortuum, cæteraſque cutis defædationes, tum ab antiquioribus Medicis jam pridem cum ſucceſſu adhibita fuiſſe, tum à ſeipſis quotidie feliciter adhiberi, inde pronum ipſis fuit hæc eadem accommodare ad curationem morbi novi, cujus initio præcipua ſymptomata & maximè obvia puſtulæ erant, ac cacoëthea ulcuſcula, quibus cutis deturpabatur, atque adeo qui à ſcabie, herpete, malo mortuo &c. parùm differre credebatur.

Poſſent in teſtimonium adduci Medici multi & celebres, quibus pleriſque luis venereæ exordia videre contigit, ut Gaſpar Torella, anno 1500. *in Dialogo de Dolore in pudendagrâ*; Wendelinus Hock, anno 1514. *De Morbo Gallico, cap.* 15. Jacobus Cataneus de Lacu Marcino, anno 1516. *Tractatûs de Morbo Gallico cap.* 7. Joannes Manardus, circa annum 1525. *in Epiſtolâ ad Michaelem Santanam, Chirurgum*; Joannes Benedictus, circa annum 1550. *De Morbo Gallico, cap.* 4. Gabriel Fallopius, anno 1560. *De Morbo Gallico, cap.* 76. Sed unum inſtar omnium eſſe cenſeo Joannem de Vigo, qui Chirurgiam cum laude exercuit, qui ipſi morbi venerei ingreſſui coætaneus vixit, qui Tractatum de eodem affectu circa annum 1503. conſcripſit, ubi ſic expreſſis terminis loquitur, *Practicæ Lib.* 5. *de Morbo Gallico, cap.* 3. *Quicquid boni inventum fuit tàm de localibus, quàm univerſalibus auxiliis pro curatione hujuſmodi Morbi Gallici, (& crede mihi tanquam experto in tali re) à Theodorico* Capitulo de malo mortuo, *& Arnaldo de Villanova* Capitulo de curâ ſcabiei *accepimus.*

Hydrargyrum primis luis venereæ temporibus in unguenta admiſſum.

Debuit ſanè Mercurius in unguenta ad luem venereàm citiſſimè admitti, & ab ipſo morbi ingreſſu, cùm Gilinus *in Opuſculo de Morbo Gallico*, anno 1497. Torella *in Tractatu de Pudendagrâ*, anno 1498. Aquilanus *in Tractatu de Morbo Gallico*, anno eodem Benivenius *in Libro de abditis morborum cauſis*, anno 1507. Wendelinus Hock *in Libro de Morbo Gallico, cap.* 15. anno 1514. unguenta varia mercurialia laudent vel proponant.

Idcirco vix in eam opinionem adduci poſſum, ut putem Joannem Carpum, ſeu ut vero nomine appellem, Joannem Berengarium, Carpenſem, Medicum & Profeſſorem Chirurgiæ Ticinenſem, Mercurii in curandâ lue venereâ adhibendi primum inventorem fuiſſe, aut ut ait Fallopius, *De Morbo Gallico, cap.* 76. *ſolum coluiſſe ſecretam hanc medicinam.* Sed facilè crediderim & hunc & Joannem de Vigo huic coætaneum egregios fuiſſe mercurialis therapeiæ promotores, qui eâ methodo ægrotantes quamplurimos curandos ſuſceperint, & perfectè ſanaverint, unde ſibi comparavêre & famam & divitias opimas. Narrat enim Fallopius de Jacobo Carpenſi *loco laudato, ita opulentum redditum fuiſſe ſolo illo quæſtu, ut moriens teſtatus fuerit numeratam pecuniam* 40000. *ſcutatorum, præter argenteam materiam, quæ omnia Duci Ferrariæ reliquit; omnis enim aqua ad mare currit.* Joannes verò de Vigo refert ipſe, *Practica lib.* 5. *cap.* 2. *ſe ceratum* mercuriale *ſuâ deſcriptione ordinatum millies expertum fuiſſe cum honore & utilitate non parvâ.*

Sed parciſ-

Initio quidem Medici Mercurium in unguentis cautiſſimè adhibuêre, poſt

post convenientem præparationem & dosi parcissimâ, ut qui pro ægrotantibus metuerent à remedio nondum satis explorato. Sic in unguento, quod à Torellâ proponitur, Mercurius vix cedebat in quadragesimam partem reliquæ materiei; in decimam quintam vel decimam quartam ad summum in unguentis, quæ à Gilino aut Aquilano proferuntur; demum in unguentis, quæ prostant apud Wendelinum Hock, ad octavam, quod maximum erat. Parcior ea quidem erat Mercurii quantitas, sed quæ potuisset prudenter deinde augeri duce experientiâ, ut auctam fuisse certum est, atque eâ ratione pedetentim ad debitam dosim deduci. Sed placuit Empiricis, improbissimo & inconsideratissimo hominum generi, præcipitantiâ omnia perdere, nullis præmissis universalioribus remediis Mercurium temerè illinendo: Imò cùm Mercurium à Medicis parciùs illitum ad curandam luem veneream plerumque inefficacem esse deprehenderent, in contraria peccando ægrotantes nimiâ & præcipiti hydrargyrosi ita opprimere, ut remedii vehementiâ mortem obirent non pauci, cæteri verò, qui valentissimi vel felicissimi erant, ptyalismo, diarrhœâ, oris ulceribus, capitis inflammatione confecti, macilenti, luridi, squallidi, edentati, balbutientes, ore obligato capistrati post miserias diuturnas & miserrimas lentè convalescerent.

simâ dosi, & cautione maximâ.

Hinc factum, ut Medici in Sycophantas tot miseriarum auctores acriter invecti sint. *Advertant*, inquiebat Gilinus *loco suprà laudato, hi qui confidunt in istis imperitis, ut barbitonsoribus, sutoribus, ac cerdonibus, & maximè viatoribus, qui nostrarum carnium sunt carnifices..... qui humorem facientem morbum non evacuant, sed solùm cum localibus has passiones curare volunt. Aromatarii*, aiebat Torella *in dialogo de dolore in pudendagrâ, herbarum collectores, cæterique mechanici ac vagabundi & impostores his temporibus hujus mali veros & perfectè curatores seipsos esse profitentur, & quia nihil sciunt, nihil dubitant, & mirabilia pollicentur; quos si audires, mortuos suscitare crederes, & paulò post spes inanis erit, nam repentina ac insperata mors intercipit.*

Ea methodus citò infamata fuit Empiricorũ imprudentiâ, in quos Medici acriter invecti sunt.

Neque credes Medicos illos in Empiricos sui temporis acriùs stomachatos fuisse, si Huttenum audire velis narrantem infortunia syphiliticorum, qui Mercurio curabantur, quæ *ipse miserrima vidit & quorum pars magna fuit*, utpote luem veneream per novem annos ipse passus, & undecies unctus. Linimento, inquit ille *De curatione Morbi Gallici per 'administrationem ligni Guaiaci, capite* 4. ex variis remediis præparato *ungebant brachiorum & crurum junctluras*: « Aliqui spinam ac cervicem: « nonnulli tempora etiam, item & umbilicum: Atque iterum alii uni- « versum corpus: Quibusdam semel die, quibusdam bis, nonnullis ter- « tio iterùm die, aut quarto. Claudebantur ægri in æstuario, quod ca- « lebat assiduè atque intensissimè, alii viginti, triginta alii totos dies, « nonnulli plures. Perunctum lecto, qui intra æstuarium sternebatur, ap- « ponebant, ac multâ superinjectâ veste sudare cogebant. Ille vix iterùm « accepto unguento cœpit langueſcere mirum in modum, tanta unguenti « vis erat, ut intra stomachum, quod in summo corpore morbi fuisset, « compelleret, inde sursum ad cerebrum, unde per gulam & os defluebat « morbus, tantâ tamque violentâ injuriâ, ut dentes deciderent, qui «

Neque immeritò, si Huttenum audiamus.

» non accuratè ori intendiſſent. Omnibus certè exulcerabantur fauces, » lingua & palatum, intumebant gingivæ, dentes vacillabant, ſputum » per ora ſine intermiſſione profluebat, omni protinus fœtore olentius, » tanto contagio ut quicquid oluiſſet, ſtatim inquinaret ac pollueret. » Unde & labia ſic contacta ulcus trahebant & intùs buccæ vulnerabantur. » Fœtebat omnis circà habitatio, atque adeo durum erat hoc curationis » genus, ut perire morbo complures, quàm ſic levari mallent. Quamquam » vix centeſimus quiſque levabatur, recidivo ut plurimùm ægro, cùm vix » paucos ad dies duraret ejus juvamentum.

» Hoc autem in unctione miſerrimum fuit, *pergit Idem paulò poſt*, quòd » qui ſic medebantur, medicinam ipſi non callebant. Neque enim Chi- » rurgici hac tantùm utebantur, ſed ut audaciſſimus quiſque, aut aliis » viderat, aut ipſe tulerat, ita circuibat Medicum agens. Uno quopiam » ad omnes unguento utebantur; &, *ut ait ille*, uno calceo omnes cal- » ceabant, uno collyrio omnes ſanabant. Si quid accideret interim ægro, » conſilii inopiâ quid ſuaderent non habebant. Ferebanturque latrones, » ut in publico errore, cùm obmuteſcentibus Medicis experiri omnibus, » quid vellent, liberum eſſet. Itaque nullo ordine aut præſcripto, niſi » quòd æſtu ac vapore cruciabant, ſimiliter omnes nullius neque temporis » neque corporum qualitatis habitâ ratione curabantur ægri. Neque inſ- » cii perunctores, materiam quæ morbi cauſa eſſet, ductâ alvo ſubtra- » hebant, aut circa eſum ac potum temperantiam aut ullum victûs diſ- » crimen indicebant. Tandem eò incommodi res veniebat, ut dentium » uſus adimeretur, ipſis vacillantibus. Os alioqui totum uno occupante » ulcere cibi appetentiam, frigefacto ſtomacho & turbante fœtore, amit- » terent ægri. Cùmque ſitis eſſet intolerabilis, tamen quod ad ſtomachum » faceret, potionis genus nullum inveniebatur. Multis ad vertiginem, » quibuſdam ad inſaniam uſque infeſtabatur cerebrum. Tremebant inde » non manus tantùm, ſed pedes etiam & univerſum corpus, ac lingua » balbutiem trahebat, nonnullis immedicabilem. Multos in mediâ cura- » tione interire vidi, & quemdam novi ſic medentem, qui tres unâ die » viros agricolas, cum intrò hypocauſtum plus æquo æſtuans concluſiſſet, » ac illi ſalutis, quam ſic adepturos ſe ſperabant, ſtudio patientiùs quàm » par erat conſiſterent, donec defectis per caloris vehementiam cordi- » bus mori non ſentirent, miſerè jugulavit. Alios vidi intumeſcente ad » fauces gutture, cùm exitum non haberet ſanies primùm quam in ſputo » dejici oportuit, deinde ipſe etiam ſpiritus, ſuffocari; quoſdam, cùm » meiere non poſſent, mori. Omnino pauci convaluerunt, atque illi hoc » periculo, hac amaritudine, his malis.

Inde factum ut Guaiacum, radix Chinæ, ſarſaparilla, & ſaſſafras miro cum applauſu excepta fue-

Haud igitur mirum eſt ſi Guaiacum & lignum ſanctum, anno 1517. ſi radix Chinæ, anno 1535. ſi Sarſa-parilla eodem circiter tempore; ſi Saſſafras paulò pòſt in orbem noſtrum illata miro cum applauſu excepta fuerint tanquam humani generis ſoteria: Credebantur enim miſerrimos ægrotantes & à morbo difficili & à remedio morbo difficiliore liberatura. Sed ô ſpes hominum fallaces! Brevi compertum fuit lues venereas dari non paucas adeo virulentas, vel inveteratas adeo, ut elusâ omni remediorum illorum exoticorum efficaciâ ſoli cederent hydragyroſi le-

gitimæ. Sic ſtatuebat Alfonſus Ferrus anno 1538. *Lib. de ligno ſancto, cap. 6. Ad inunctiones* Mercuriales *veniendum eſſe, poſtquam ex medicinâ ligni ſancti bis terve ſumptâ cognitum fuerit ægrotum non convaleſcere.* Sic Fallopius *Tractatûs de Morbo Gallico cap. 76.* referebat anno 1560. *ſe vidiſſe adoleſcentem laborantem Gallico, in quo omnia regia,* (hoc eſt medicinæ ex Guaiaco, China &c.) *infeliciter experta ſunt, quem Empiricus hydrargyro curavit. Quare,* pergit ille, *in rebellibus affectibus & deſperatis uſus ſum, & præcipuè, cum tentarim priùs alias vias per omnia genera medicamentorum.*

rint aliquandiu.

Itaque magis exploratâ ſemel iteratis experientiis Guaiaci & Chinæ vi, meliùſque cognitâ eorumdem inefficaciâ, atque adeo remediis illis in dies vileſcentibus, neceſſe fuit Medicis, ut quibus jam nulla alia efficacia remedia ſuppeterent, inunctiones mercuriales, aliquandiu ſi non omiſſas, at certè neglectas, ad uſum revocare. Rem totam ingenuè confitetur Antonius Fracantianus, in Libro de Morbo Gallico, quem anno 1564. edidit. *Alius*, inquit, *ſanationis modus habetur ex inunctionibus hydrargyrum recipientibus, quæ quidem licet quandoque ſanare videantur, tamen tanquam nimis violentum & periculoſum, jam non erat amplius in uſu, ſed nunc ſecundus agitur annus Morbo Gallico rebelli & contumaci maximè facto, quòd multi ſint coacti, & quidem doctiſſimi viri, iterùm ad prædictas inunctiones devenire.*

Sed compertâ lignorum illorũ inefficaciâ ad hydrargyroſim redeundum fuit.

Abhinc Mercurium & omnia Mercuriala præparata ſub Medico cenſu retinere, tanquam vera luis venereæ rhizotoma; iis fidere, iiſque uti, ſed eâ prudentiâ, quâ par erat; denique mercuriales inunctiones adhibere, ſed cautiore & tutiore methodo Medicis omnibus in Europâ ſolenne fuit. Uſus verò decoctorum ex Guaiaco, radice Chinæ, Sarsâ-parillâ, Saſſafras &c. huc tandem omnis recidit, ut ad morbos venereos, locales, incipientes, leves propinentur, vel ad ſummum, nec unquam niſi præmiſſis Mercurialibus, ad eas luis venereæ ſpecies, quæ cum ſtrumoſâ vel ſcorbuticâ conſtitutione implicatæ ſunt, ut ſuo loco videbimus.

Moris fuit Mercurio uti duobus modis, vel foris cuti illito aut quomodocunque admoto, vel intrò ore ſumpto devoratoque.

Duplex Mercurii uſus, exterior & interior.

Primo. Exterior Mercurii uſus ingreſſu luis venereæ antiquior, hujus morbi curationi ex analogiâ tantùm accommodatus eſt, uti modò diximus. Suam in illo adminiſtrando methodum veteres olim habuêre; ſuam recentiores hodie habent non patùm diſparem.

Mercurius foris adhibetur triplici formâ.

I. Mercurius extrinſecùs olim adhibebatur triplici formâ, nempe unguenti ſive linimenti, emplaſtri ſive cerati, & demum ſuffumigii.

Linimenti ſive unguẽti.

1°. Linimenti baſis erat Mercurius extinctus, eâ quantitate ut ſextam vel octavam reliquæ materiei partem conſtitueret. Ne vi frigidâ, quâ pollere putabatur, nervis noceret obſtupefaciendo vel relaxando, adjiciebantur ſexcenta alia è numero calefacientium, attenuantium, diſcutientium, rarefacientium, incidentium &c. ut axungiæ, adipeſve porci, anſeris, urſi &c; medullæ butyrumve; oleum chamæmelinum, anethinum, laurinum, rutaceum, maſtichinum, vulpinum, lumbricorum terreſtrium, petrolæum; ciclamen, ariſtolochia, ſtaphys agria; radices zedoariæ, ebuli, enulæ campanæ, bryoniæ, iridis florentinæ; pirethrum, zingiber; bdellium, euphorbium, ammoniacum, aloë, ſtyrax, maſtiche; lithargy-

rium, ſulfur vivum, tartarum rubrum, cineres ſarmentorum, theriaca &c. quæ ſingula diverſo numero & doſi in variis linimentis variâ, in mortario probè comminuta & commiſta in formam linimenti ſubigebantur. Unguento iſtiuſmodi calidè ad ignem illinebant artuum juncturas, artuſque uſque ad axillas vel inguina, imò corpus univerſum, abſtinendo tantùm à partibus, quas *principales* vocabant, nempe ab abdomine, thorace, & capite, ſic pluries iterando donec manifeſta immineret ptyaliſmi indicia.

Cerati ſive emplaſtri.

2°. Materies cerati ſive emplaſtri mercurialis eadem erat ac linimenti, hoc uno tantùm diſcrimine quòd parcior eſſet axungiæ quantitas, cera verò ſuppleret quod de axungiæ quantitate decedebat, ut eâ ratione emplaſtro debita firmitas conciliaretur. Famoſum & uſu maximè receptum olim fuit Ceratum à Joanne de Vigo deſcriptum, *Practicæ Lib. 5. cap. 2.* quod *ſe millies expertum eſſe ait cum honore & utilitate non parvâ*, & quod dicit eſſe *nobiliſſimæ operationis.* Hujus formula obvia eſt in pharmacopœis omnibus nomine *Emplaſtri de Vigo*, ſed in quo componendo ſolet augeri adhibiti Mercurii quantitas, ſeu ut aiunt, *quadruplicari.* Hoc emplaſtro ſeu cerato ſuper alutam extenſo artuum juncturas, artus ipſos, totumque corporis habitum contegebant, exceptis ut modò dictum de linimento, ventre, thorace & capite, neque detrahebant niſi prima apparerent imminentis ptyaliſmi indicia.

Et ſuffumigii.

3°. Suffitus ex ſimili parabantur materie, nempe ex Mercurio ſalivâ aut terebinthinâ extincto, vel Cinnabari, quibuſcum admiſcebantur alia, quæ oleosâ & pingui qualitate igni concipiendo fovendoque, fumoque emittendo paria eſſent: 1°. Reſinæ vel gummata, ut thus, maſtiche, olibanum, myrrha, ſtyrax, benjuinum, opopanax, gummi juniperi &c. 2°. Aromatica, ut nux moſchata, macis &c. 3°. Ligna pinguia, ut aloës, juniperi, pini, ſantalorum &c. quæ ſingula pulverata vel mucilagine tragacanthi formabantur in trochiſcos, vel terebinthinâ excipiebantur in formam opiatæ. Cùm iis utendum erat, ægrum planè nudum in conopeo, papilione, ſeu laconico, vulgò *l'archet*, ſtantem vel ſedentem, concluſo vel exerto capite pro ratione virium conſtituebant; in appoſitum ad pedes crucibulum prunis candentibus plenum, per feneſtram ad hunc uſum paratam, aliquot ſuffumigii trochiſcos vel tabellas per vices conjiciebant, ita ut fumo exhalanti æger tandiu totus exponeretur, dum ſudor eliceretur copioſus, niſi forſan immineret deliquii periculum. Ægrum inde deductum in lecto calido collocabant, & ſtragulis tegebant, ut ſudor uberior provocaretur, quem poſt horam unam aut alteram probè abſtergebant, ut æger nutrimentum ſumeret, ſic per dies aliquot iterando quotidie, donec ptyaliſmus appareret.

Quid uſu mutatum ſit in triplici illo Mercurii foris adhibendi modo?

II. At verò in illis methodis haud pauca emendata ſunt & in melius revocata rerum uſu & ævi poſterioris diligentiâ.

1°. Sic jam pridem obſolevit uſus obtegendi totum corpus emplaſtris ad provocandum ptyaliſmum, tum quòd inde cutis calens, rubefacta, eryſipelatoſa in puſtulas ſeu ecthymata pruriginoſa exaſperaretur, cum maximo ægri tædio, nec ſine febris periculo; tum maximè quòd ea methodus tarda & ad movendum ptyaliſmum parùm efficax eſſet, propter Mercurium à cerâ cæterâque craſſiore emplaſtri materie ſtrictiùs irretitum. Solent tamen

emplaſtra eadem certis & peculiaribus locis etiamnum applicari, ſi tumor durior, skirrhus, ganglion, nodus, exoſtoſis reſolvenda ſint, aut dolor venereus fixus diſcutiendus.

2°. Sic etiam jam pridem ceſſatum eſt in uſu ſuffumigiorum, ut quæ ægros peſſimè haberent, ſudoribus incaſſum conficerent, ptyaliſmum plerumque inefficacem moverent, maximè verò capiti & pulmonibus plurimùm nocerent, ſi exciperentur capite intra laconicum incluſo, ut moris erat. Suffumigia tamen aliquando etiamnum adhibentur, ſed mitiora ex cinnabari & thure; & ad certa tantùm loca adhibentur, ad reſolutionem skirrhi, ganglii, exoſtoſeos, vel doloris venerei in parte quâdam fixi, ut modò dictum de emplaſtris mercurialibus.

3°. Sic demum linimentum ſeu unguentum mercuriale, quod ſolum nunc uſu viget ad promovendam ſalivationem, ſimpliciore quàm olim methodo dudum præparatur: Exclusâ nempe inutili, imò noxiâ illâ calefacientium & incidentium farragine conficitur ex ſolo Mercurio puriſſimo, & ſi fieri poſſit, è cinnabari redivivo, ſalivâ ſolâ vel pauciſſimâ terebinthinâ extincto, cum axungiâ porcinâ recente, non ſalitâ, in mortario diu trito, piſto, ſubacto. Poteſt autem Mercurii proportio ad axungiam varia eſſe, ut Medico viſum fuerit: Sed niſi in contrarium imperetur, ſolet ut plurimùm eſſe ut 1. ad 1. ita ut unguentum ex æqualibus Mercurii & axungiæ partibus; vel ut 1. ad 2. ita ut unguentum ex unâ Mercurii & duabus axungiæ partibus componatur.

Quæ cautiones jam adhibeantur in adminiſtrandâ hydrargyroſi?

Conſtans nunc eſt Medicorum ferè omnium ſententia illitionibus mercurialibus rariùs vel frequentiùs, pluribuſque vel paucioribus utendum eſſe pro ægri ætate, temperie, viribus; morbi naturâ, gravitate, inveteratione; affectuum unâ implicatorum qualitate aut vehementiâ. Sunt nempe quos oporteat quotidie inungere, ut uber ptyaliſmus proliciatur; ſunt quos altero, tertio aut quarto quoque die, ut ptyaliſmus levior ſit; ſunt demum quos tantùm octavo quoque die, ut nullus cieatur ptyaliſmus: imò quos identidem purgare expediat, ſi ptyaliſmus apparuerit, ut deturbatâ ad inferiora materiâ, arceatur ſalivatio imminens, vel incipiens ſupprimatur.

Cautiones eædem Antiquioribus olim notæ fuerunt, & à pleriſque laudatæ.

Sed eædem cautiones neque olim ignorabantur à Medicis, qui cordati erant, ut abundè liquet ex Wendelino Hock, anno 1514. *De Morbo Gallico cap.* 15. Joanne Almenar, 1516. *De Morbo Gallico capp.* 4. *&* 6. Petro Maynardo, 1518. *De Morbo Gallico cap.* 3. Aloyſio Lobera, 1540. *De Morbo Gallico cap.* 11. Guillelmo Rondeletio, 1560. *De Morbo Italico, cap. de Unguentis.* Nicolao Maſſa, 1563. *De Morbo Gallico, Tractat.* 4. *cap.* 2. *&* 4. Julio Palmario, 1578. *Lib. de Hydrargyro, cap.* 7. Ambroſio Paræo, 1585. *Operum Libro* 19. *cap.* 12. qui omnes jubent & inunctiones fieri tantùm tertio vel quarto quoque die, ne ſalivatio moveatur, & ſalivationem, ſi nimia ſit, imò quandoque ſi appareat, cathartici exhibitione cohiberi.

Uſus Mercurii interior, olim duplex tantùm.

Secundò. Paulò tardiùs cœptum eſt Mercurio uti ad interiora: Obſtabat procul dubio Antiquiorum auctoritas, qui ſtatuerant quaſi ex tripode hydrargyrum *potum vim pernitialem habere, & interanea ſuo pondere perrodere.* Sed demum facto periculo, ubi compertum fuit Veteres eâ in re falſos eſſe, mos ſenſim invaluit Mercurium intrò ſumendi multiplici formâ.

Nempe formâ præcipitati rubri, ſeu pulveris rubei Joannis de Vigo.

I. Debetur locus antiquiſſimus Mercurio præcipitato rubro, hoc eſt ſolutione in aquâ ſtygiâ, vaporatione ad ſiccitatem & candefactione in pulverem rubrum redacto, ſeu ut loqui amant, præcipitato. Ea quidem præparatio deſcripta proſtat apud Joannem de Vigo circa annum 1503. *in Antidotario ſeu Lib. 8. Practicæ, cap. 13.* Sed Joannes de Vigo, cùm corroſivæ hujuſce præparati acrimoniæ probè gnarus eſſet, pulverem hunc *rubeum* inter phagedænica, quæ fungoſis ulcerum carnibus mederentur, referendum eſſe ipſe fatebatur. *Iſte pulvis*, inquit, *licet inter medicamina corroſiva domeſticæ corroſionis poſſit connumerari, quoad ejus effectum inter fortiora corroſiva primi ordinis connumerari poteſt. Et audeo dicere*, pergit ille, *quòd hujuſmodi pulvis inter medicamina corrodentia carnem malam meretur ferre coronam: Et propterea dico quòd eſt ſecretum ſecretorum corrodentium medicamentorum, cum quo in tempeſtate noſtrâ multas lucratus ſum pecunias, & honores non parvos conſecutus.*

Mirum inde forſan videbitur, nec immerito, ut opinor, idipſum remedii genus ab eodem Vigone intrinſecus præſcribi, *Chirurg. Compend. Lib. 5.* adversùs peſtem, tanquam *mirabilem & egregiam Medicinam* ad doſim granorum iij. vel iv. cum theriacâ: Imò verò proponi *ibidem & Copioſ. Lib. 2. cap. 20.* ad dolorem colicum, tanquam acceptum *à fide dignâ perſonâ*, ad doſim granor. ij. cum ſcrupulo j. Diacymini, vel cum ℥ ß. Philonii Perſici. Nullus quidem dubito quin ea opinio de mercurialis pulveris uſu in dolore colico fluxerit primùm à Paulo Æginetâ, apud quem legere eſt, *Lib. 7. de re Medicâ*, argentum quidem vivum *ad medicum uſum non adſumi, cùm venenum exiſtat, verùm uſtum & in cineres redactum aliiſque ſpeciebus permiſtum quoſdam colicis & iliacis bibendum dediſſe.* Sed certiſſimus ſum pulverem ejuſmodi ad famam Mercurio pariendam infeliciſſimè delectum fuiſſe, cùm enim naturâ draſticus ſit, adeoque vehementiſſimæ & periculoſæ operationis, præconceptis præjudiciis fovendis potiùs quàm elevandis comparatus fuiſſe videbatur.

Ignoratur quo ſucceſſu pulvis ille rubeus & in peſte & in dolore colico à Vigone olim adhibitus fuerit, ſi tamen credere eſt adhibitum unquam fuiſſe. At certè conſtat numquam ab eodem in morbis ullis venereis intrò uſurpatum eſſe, ſed foris tantùm, *Copioſæ Lib. 5. cap. 1.* ad virgæ puſtulas ſeu cancroſa penis ulcuſcula, eodem planè modo, quo ſolenne eſt eodem hodie etiam uti.

Notus fuit ejuſdem pulveris proceſſus Nicolao quoque Maſſæ, circa annum 1536. quem Joanni de Vigo ſe non acceptum debere gloriatur, ſed *à quodam alio viro Alchimiſtâ ſene* accepiſſe, qui ut ille ait, *De Morbo Gallico, Tractatu 6. cap. 6. erat mirabilis experimentator.* Hunc quidem pulverem *angelicum* vocandum cenſet *propter mirabilem ejus operationem, & angelicam in Morbo* Gallico. . . . . *Huic enim medicamini*, ſubdit ille, *non eſt par, quoniam ſi cum ipſo procedes, uſque ad perfectam cutis generationem ducit, ut ego ſæpè expertus ſum, & eſt nobile in virgæ ulceribus malignis.* Sed vel inde liquet Nicolaum Maſſam, ſicut Joannem de Vigo, Mercurio præcipitato rubro extrinſecus tantùm uſum fuiſſe.

Primus antiquorum Medicorum, quos noverim, ſi fortè non ſolus, Petrus Andreas Matthiolus fuit, qui in *Opuſculo de Morbo Gallico* circa

annum 1536. pulverem illum ad interiorem uſum adducere auſus ſit, ſed quem priùs ideo jubebat probè lavari aquis ſtillatitiis plantaginis & acetoſæ, & aliquandiu ignis torturâ exſiccari, *quoniam*, ut aiebat, *ex pulvere iſto plurimæ poſſent contingere noxæ aſſumentibus ipſum, niſi priùs debita facta eſſet præparatio.* Hunc autem pulverem ita præparatum in catapotio præſcribebat ad grana v. & illius uſu aſſerebat fore ut *dolores Gallici brevi eliderentur, pituitâ*, ut aiebat, *& atrâ bile vomitu nec non alvi dejectione evaneſcente.* Proponebat etiam uſum ejuſdem medicamenti tanquam efficaciſſimi, ad peſtem, quartanam contumacem, melancholicum morbum, doloreſque colicos & iliacos.

Sed in his ſectatores nullos inter Medicos Matthiolus olim habuit, cenſores verò multos, ut Hieronymum Fracaſtorium, anno 1546. *Lib. 3. de Morbis contagionis, cap.* 10. Gabrielem Fallopium, anno 1560. *Tractatus de Morbo Gallico cap.* 79. Alexandrum Trajanum Petronium, anno 1565. *Lib. 6. de Morbo Gallico, cap.* 23. Michaëlem Joannem Paſchalium, anno 1566. *in Opuſculo de Morbo Gallico.* Julium Palmarium, anno 1578. *Lib. de Hydrargyro, cap. 6. &c.*

II. Præcipitato rubro ſucceſſit Mercurius nativâ formâ, ſeu, ut aiunt, crudus, qui olim adhibitus fuit in famoſis pilulis mercurialibus Barbaroſſæ ideo, ut opinor, dictis, quod iis uſus eſſet Chairedinus ille Barbaroſſa, Rex Algerii & rei maritimæ apud Turcas Præfectus, Franciſco I. Gallorum Regi ſuppar. Et ſanè conſtat teſtimonio Petri Bayri, Medici Caroli II. Ducis Sabaudiæ, in *Enchiridio de medendis corporis affectibus, capite de doloribus muſculorum ex Morbo Gallico genitis*, circa annum 1537. edito, *receptam* illarum pilularum *fuiſſe ex Turchiâ apportatam.* Et nativâ formâ in pilulis Barbaroſſæ.

Hæc autem erat ratio pilulas haſce conficiendi juxta Bayrum.

℞. *Argenti vivi* ʒ xxv.
Rhabarb. elect. ʒ x.
Diagrid. ʒ iij.
Moſchi & ambræ ana ʒ j.
Farinæ frumenti, ʒ ij.
Cum ſucco limonum f. maſsâ pilularum, ex quâ formentur pilulæ magnitudine ciceris, & detur una pro vice omni die per horam ante cœnam.

Refert Bayrus *haſce pilulas contra Morbum Gallicum in aliquibus (ex ulceribus & nodoſitatibus multùm exterminatis) mirabilem feciſſe operationem*; neque tamen diſſimulat *primum, qui inter Chriſtianos his uſus eſt pilulis, cecidiſſe repente mortuum ſuper pontem Avenionis, cùm ipſe ibi profugus eſſet propter prælia, anno* 1537. Grave quidem infortunium! ſed quod pilularum illarum uſui attribui jure nequaquam potuit, cùm unicuique vix ineſſent quatuor grana Mercurii; quod tamen pilulis illis ex præjudicio attributum fuiſſe non miror, cùm Rondeletius, qui & ipſe pilulas eaſdem, ſub aliâ tamen, ſed parum diversâ formulâ proponit in *Tractatu de Morbo Italico*, advertat *quòd, ſi poſt decem annos aliquo morbo corriperentur qui hoc remedio uſi eſſent, huic impingeretur ac imputaretur.*

III. At jam quidem quæcumque ad internum Mercurii aut Mercurialium uſum pertinent, in melius relata ſunt, quandoquidem Pharmaciâ in- Nunc verò multiplex,

tùm Pharmacia inventis Chemiæ locupletata sit.

ventis Chemiæ locupletatâ multa & efficacia Mercurii præparata nunc suppetunt, quibus uti tutò licet, si ita è re esse Medico videatur.

1°. Mercurius sublimatus dulcis, sive Aquila alba, cujus dosis à granis xij. ad xx. vel xxiv. si usus aliquoties repetatur, sanguinem mundificat, virus oppugnat, alvum subducit, ac demum ptyalismum movet.

2°. Panacæa Mercurialis, cujus dosis à granis xv. ad xxx. quæ alvum quidem non subducit, si ritè præparata sit, sed repetita ptyalismum excitat.

3°. Æthiops mineralis vulgaris cum sulfure communi tritu, seu quod præstat, igne paratus. Dosis est à granis xv. ad xxx. non purgat, imò neque salivationem ullam plerumque ciet, præsertim si solo tritu confectus fuerit, quoniam mercuriales atomi tunc malè colligatæ ventriculi calore in guttas facilè coeunt, quæ tum mole tum gravitate ab ingressu in venas lacteas excluduntur.

4°. Æthiopes alii minerales numero multi, qui parantur è Mercurio iterato tritu cum pinguibus, resinosis aut gummosis quibuscunque corporibus subacto & extincto. Solent illi Æthiopes pro diversâ additi remedii facultate diversis notari nominibus non sine ostentationis suspicione, *verbi gratiâ Mercurii alkalisati*, si cum pulveratis ostrearum testis; *Mercurii anti-phthisici*, si cum balsamo Peruviano sicco; *Mercurii anti-scorbutici*, si cum gummate Guaiacino; *Mercurii vivi dulcis*, si cum mannâ calabrinâ; *Mercurii diuretici*, si cum gummate juniperino vel ammoniaco; *Mercurii cathartici*, si cum scammonio aut resinâ jalappii Mercurius subigatur &c. Sed horumce singulorum efficacitas opinione plerumque minor, quòd mercuriales atomi laxè coercitæ sponte reviviscant in ventriculo in majores guttas, quarum paucæ, imò forsan nullæ sanguinem subeunt.

5°. Mercurius violaceus seu Mercurius arte sublimatus ex Æthiope minerali igne præparato & cum æquali salis ammoniaci parte commixto. Hujus dosis à gr. xx. ad xxx. Blandior est, at verò simul penetrantior Æthiope minerali.

6°. Mercurius præcipitatus albus ex Mercurio aquâ forti vel spiritu nitri soluto & affusâ muriâ præcipitato paratus, tepidâque optimè elotus. Remedii quidem genus & efficax & satis tutum, quod si cum quadruplo sacchari commiscеatur & ad dosim vj. ix. vel xij. granorum præscribatur, alvum subducit, & plerumque vomitum blandè movet.

7°. Ptisana sudorifica vulgaris ex decoctis Guaiaco, Salsâ-parillâ, Chinâ &c. præparata, & soluto Mercurio sublimato dulci vel panacæâ Mercuriali saturata ad optatam dosim. Experientiâ enim compertum est præparata Mercurialia istiusmodi, in ptisanâ cæterisque liquidis aqueis ebullitione ex toto dissolvi contra vulgarem opinionem, si quod primâ vice indissolutum supereſt, quodque duas tertias partes totius in summâ æquat, iterùm iterùmque supra porphyriten lævigetur, ac ebullienti liquori iterùm iterùmque infundatur.

8°. Solutio Mercurii per deliquium parata mediante tantùm sale ammoniaco, & aquæ instar pellucida, cujus processus explicabitur infrà *Lib. 4. cap. ultimo.* Potest tutò quidem ea solutio ore exhiberi, ut cui nihil omninò insit, quod facultate, nedum corrosivâ, sed ne acriore quidem

quidem peccet : At verò ſolet nullo vel minimo ſucceſſu plerumque exhiberi , quòd perpaucam Mercurii ſoluti copiam in ſe contineat , quæ nec ipſa fortè tota poteſt in ſanguinem penetrare.

Quantumvis etiam nullo loco habeantur arcana multigena , quæ ab Agyrtis ſatis temerè venditantur.

IV. Haud ſatis novi an inter remedia quæ ad morbos venereos faciunt , connumerari debeant Arcana multigena , quæ ab Agyrtis & Circumforaneis magnificè venditantur , ut ſtolidum vulgus deludant , quippe pleraque vel inefficacia ſunt , atque ideo probati remedii ne nomen quidem merentur , vel quod peſſimum eſt , acriora ſunt & deleteria , atque ideò habent vim veneni. Porrò autem ut varia eſt & multiplex Agyrtarum gens , maximè Lutetiæ , quò velut agmine undique confluunt , ſic etiam varium eſt & multiplex arcanorum genus , quibus ſuperbiunt. Si qua utilia ſint & virtute aliquâ polleant , quod tamen rariſſimum , dudum nota ſunt , & in Medicorum libris paſſim obvia , ſed quæ de induſtriâ fucare ipſi amant , ne poſſint agnoſci. Cætera meræ quiſquiliæ ſunt , vel quod deterrimum , nec tutæ , nec innocuæ. Poſſunt autem ferè cuncta , quæ ab illo hominum genere propoſita novi , ad ſequentia revocari.

1°. Panaceas mercuriales multiplices , quæ licet proceſſu operoſiore præparentur vel præparari dicantur , vulgari nihilo efficaciores ſunt. Inter cæteras commendantur 1°. Panacea ſolaris & lunaris Michaëlis de la Vigne , Medici Regii Pariſienſis à Friderico Hoffmanno laudata , *Pharmacopœæ Medic. Chimicæ Lib. 3. cap.* 15. §. 22. 2°. Panacea N. de la Brune à Gervaſio Ucay D. M. Toloſano deſcripta , *Traité de la Maladie Vénérienne* , ad libri calcem , & à Joanne Devaux Chirurgo Pariſienſi , *Tome 3. de l'Abbregé de la Médecine pratique de J. Allen.* Cujus utriuſque Panaceæ proceſſus infrà proponentur *Lib. 4. cap. ultimo.*

2°. Solutionem Cinnabaris vel præcipitati Mercurii rubri in menſtruo quodam corroſivo ſeu aquâ forti correctâ , qualis eſt ſpiritus ille , qui Lutetiæ *Les Gouttes du General la Motte* dicitur , unde paratur Tinctura rutilans , purpurea , carbunculo concolor , cujus guttæ aliquot aqueo vehiculo , infuſo *verbi gratiâ* foliorum Theæ inſtillantur ad uſum quotidianum per menſem unum aut alterum , nullo quidem quod ſciam periculo , ſed nullo quoque ſucceſſu.

3°. Præparata Mercurialia ex acriorum genere , nempe Mercurium præcipitatum rubrum ; luteum ſive Turpethum minerale ; præcipitatum viridem ſive venereum ; arcanum corallinum &c. quæ ad debellandam luem veneream numquam ſufficiunt , periculi verò ſemper plena ſunt quòd corroſiva , cauſtica , deleteria ſint , atque adeo , niſi cautè & in robuſtis adhibeantur , viſcerum anxietates , inflammationes , eroſiones , hypercatharſes , hyperemetos , cardialgiam , ſpaſmum , ſyncopen lethalem non rarò advocant.

4°. Præcipitatum rubrum ſolarem , per ſe & ſine menſtruo confectum , qualis à Gervaſio Ucay deſcribitur , *Traité de la Maladie Vénérienne , chap.* 8. & cujus proceſſus infrà proponetur *Lib. 4. cap. ultimo.* Quod remedii genus , licet paulò blandiùs agat præcipitato rubro vulgari , neque tamen ipſummet ſatis tutum eſt.

5°. Aquas mercuriales , quas illi parant geminâ methodo. 1°. Guttas viij. x. vel xij. ſolutionis ſublimati corroſivi unciis octo decocti hordei

vel avenæ infundendo & ægris ore exhibendo per aliquot dies, à quo peſſimo facinore non abſtinent Agyrtæ Londinenſes nonnulli, ſi fides adhibenda ſit Richardo Wiſeman, *Treatiſe of lues venerea, chap. 3. pag. 10.* & Danieli Turner, *Diſſertation on the venereal Diſeaſe, pag. 99. 2°.* Semunciam, imò unciam unam aut alteram ſolutionis Mercurii in ſpiritu nitri affundendo libris duabus ptiſanæ ſudorificæ, quas manè jejuno ventriculo ægrotantibus propinandas exhibent, quod ſcelus cum præcedente fermè compar refert de Chirurgo quodam Pariſienſi Joannes Devaux, ipſe quoque Pariſienſis Chirurgus, in præceptis generalibus, quæ ſubjunxit ad calcem *Synopſeos univerſæ Medicinæ J. Allen*, quam è Latinâ Gallicam fecit anno 1728.

CAPUT VIII.

Qualis ſit Mercurii & Mercurialium vis & efficacia, & quæ illius efficaciæ cauſa?

Effectus Mercurii in humano corpore.

EXPERIENTIA compertum eſt, quod ſanè ratio numquam ſuggeſſiſſet, nempe Mercurio, ſeu * intrò ſumatur chimicè præparatus in pulveres tutò potabiles, ſeu extinctus & axungiâ exceptus corpori foris illinatur, varios & multiplices affectus produci.

1°. Sanguinem, ſingulaſque ſanguinis partes atteri, comminui, liquari, atque inde morboſo lentori tum rubræ tum limphaticæ cruoris partis efficacem medicinam fieri.

2°. Vaſa quæcumque corporis, ſanguifera, limphatica, ſecretoria & excretoria, etiam minima & indefinitè parva pervadi; ſi qua infarta ſint, liberari gravamine; ſi qua obſtructa, reſerari; atque adeo omnia liberè pervia effici.

3°. Cordis & arteriarum pulſum majorem, validiorem, pleniorem reddi; at verò ſimul etiam molliorem, æquabiliorem, magis eurithmum, ita ut diaſtoles, ſyſtoleſque, ſingulæ ſingulis magnitudine, duratione, celeritate, intervallo &c. perfectè conſonent.

4°. Secretionum, quæ à ſanguine fiunt, ubertatem promoveri, maximè humorum qui ſeroſi ſunt aut limphatici, ut urinæ, ſudoris, limphæ ſtomachalis & inteſtinalis, ſalivæ &c.

5°. In ore præcipuam ſcenam eſſe, cujus interiora calent, rubent, dolent, in papulas areaſve eryſipelatodæas tument, rimas ulceroſas agunt, phlyctænis phagædenicis dehiſcunt, & ulcuſculis ſerpentibus, quæ in medio candicant, depaſcuntur, unde ſalivæ ſpiſſæ, viſcoſæ, limpidæ & albumini ovorum ſimilis uber effluxus ſeu *Ptyaliſmus.*

6°. Invaleſcente ptyaliſmo ſecretiones cæteras quaſcumque imminui & ſupprimi, exceptis ad ſummum diureſi & diaphoreſi; imò verò ne illis quidem exceptis, quandoquidem conſtat & eas multò uberiores futuras eſſe, ſi ſalivatio vel nulla vel parcior foret.

* Noverat quidem Fernelius ſalivationem hydrargyro foris illito moveri, ſed neſciebat intrò ſumpto perinde excitari. *De Luis venerea Curat. cap. 7.*

7°. Aliquando tamen, sed rarò nullam, vel perexiguam salivationem cieri, & oris interiora nullomodò vel parùm affici, quamvis cæteroqui Mercurius & debitâ dosi & modo debito adhibeatur: Sed tunc plerumque paulò largiores esse vel cæteras omnes secretiones, vel saltem unam alteramve, quæ idcirco sunt velut vicariæ deficientis salivationis.

8°. Inde sive salivatio succedat sive deficiat, dummodo legitima fuerit Mercurii administratio, intra mensem resolvi partium tumores, ganglia, nodos, tubercula, exostoses, hyperostoses; discuti dolores rheumaticos, arthriticos, ischiadicos, qui ab impurâ venere ortum ducunt; sanari cutis pustulas, rhagades, ulcera; cohiberi ossium caries, & ad callum properare; ac demum quod in votis est, sanguinem ab omni seminii venerei labe purum & immunem præstari.

Effectus illi sunt oppidò mirabiles, & in medicinâ non antè visi, nec qui ab insulso & inodoro corpore, qualis est hydrargyrus, viderentur expectandi. Eos tamen è notis Mercurii qualitatibus facili mechanismo deduci posse confidimus; modò diligenter attendatur ad sequentes Mercurii proprietates, quæ usu obviæ & experientiâ confirmatæ sunt.

Explicari possunt ex notis Mercurii qualitatibus.

Postulatum I. Mercurium substantiam esse metallicam, fluidam, mobilem, ponderosam, à vi premente, conterente, comminuente in guttas indefinitè parvas divisibilem.

Postulatum II. Discretas guttas singulas globosam figuram naturâ affectare, eò quidem perfectiùs sphæricam vel ad sphæricam propiùs accedentem, quò mole minores sunt.

Postulatum III. Guttulas illas liquoribus ferè omnibus, sanguini verò maximè immiscibiles esse, unde fit ut Mercurius dici soleat, *Aqua non madefaciens.*

Postulatum IV. At verò invicem facillimè jungi, & in majores guttas coire, si vel unico puncto sese mutuò intimè contingant; sed in novas minutias novâ vi denuò facile resolubiles esse.

Postulatum V. Guttulas omnes, ut-ut indefinitè parvæ supponantur, pro nativo Mercurii pondere aquâ, atque adeo sanguine circiter quater & decies graviores esse in specie.

Inde velut ex postulatis totidem eruenda sunt, quæcumque ad explicandam Mercurii efficaciam pertinent. Nimirum 1°. Quibus viis & quantâ copiâ Mercurius admittatur in sanguinem. 2°. Quâ virtute semel admissus vasorum infartui & sanguinis vitio medeatur unà circulando. 3°. Quâ facultate sanguinem alterando summa petat quasi ex electione, & excitatis in ore fœdis ulcusculis largam & jugem salivationem moveat.

Primò. Ut Mercurius geminâ methodo adhiberi solet, extrinsecùs cuti videlicet illitus unguenti specie, & intrinsecùs ore scilicet haustus pulveris aut catapotii formâ, sic varias geminasque vias esse necesse est, quæ ingressuro præsto sint.

I. Mercurio quidem, si illinatur, haud defuturi sunt aditus, per quos intrò subeat. Vidimus enim suprà *hujus Libri cap.* 3. cutem totam poris innumeris densissimè perviam esse, quibus tanquam emissariis exeant quidem effluvia, quæ corpore vivente jugiter exhalant, sed quibus etiam tanquam immissariis possint motu contrario, si vi superiore urgeantur, introire

Quibus viis Mercurius foris illitus intrò subeat?

quæcumque corporis habitui admoventur. Guttulis ergo illiti unguenti facilis quoque per eosdem poros aditus primus intra cutem, unde possint à ponè sequentibus ultrà promotæ vel in vasa sanguifera capillaria, quæ per cutem numerosè ludunt, rectà pergere, vel quod corporis œconomiæ magis consentaneum videtur, vasis limphaticis exceptæ, quæ ab ipsis emissariis cutaneis ortum habent, unà cum limphâ in majores venas convehi.

Ratio æstimandæ quantitatis Mercurii quæ hac viâ introducitur.

Cùm ea mercurialis linimenti introductio effectus sit correlativus, qui simul dependeat à dispositionibus tum cutis, quæ Mercurium admissura; tum Mercurii, qui cute admittendus est; de conditionibus tum cutis, tum Mercurii ex utrâque parte judicium ferendum est, ut inde certa ratio iniri possit & celeritatis, & copiæ, quâ Mercurius admittendus esse videatur.

Ex parte quidem cutis attendendum est, 1°. Ad amplitudinem partis, quæ unguento mercuriali oblinitur; quò enim latiùs extensa est, eò plures poros offert ingressuro Mercurio.

2°. Ad tenuitatem cutis, quæ quò tenuior, eò pluribus & amplioribus poris pervia est.

3°. Ad ejusdem munditiem: quò enim cutis magis detersa est, eò liberiùs patent illius pori.

4°. Demum ad calorem partis; pori enim partis eò ampliùs hiant, quò ipsa calore impensiùs rarescit.

Sic ergò conditiones omnes, quæ se habent ex parte cutis, futuræ sunt in ratione compositâ 1°. Amplitudinis partis, quæ inungitur; 2°. Tenuitatis; 3°. Munditiei; 4°. Et caloris cutis inunctæ.

Ex parte verò Mercurii pari ratione attendendum est, 1°. Ad quantitatem tum Mercurii, qui unguento inest; tum unguenti, quo cutis illinitur. Quò alterutra enim major est, eò plures cæteris paribus mercuriales guttulas intromissum iri consequens est.

2°. Ad mobilitatem Mercurii latentis in linimento, qui quò purior est, quò pauciore plumbagine inquinatus, quò ad penetrandum expeditior, eò uberiùs intromitti debet.

3°. Ad gradum motûs quo intrò pellitur: Quò enim fortiùs & diutiùs cuti affricatur, eò debet copiosiùs cute imbibi.

4°. Demum ad moram quam trahit in parte inunctâ: Eò enim majore copiâ admittendus est cæteris paribus, quò majore curâ cavetur ne cutis semel illita extergatur.

Sic ergo conditiones alteræ, quæ se tenent ex parte Mercurii, futuræ sunt similiter in ratione compositâ 1°. Quantitatis; 2°. Mobilitatis; 3°. Motûs Mercurii; ac 4°. Moræ quam trahit in parte inunctâ.

Proinde admissæ Mercurii quantitates, cùm ab utroque conditionum ordine perinde dependeant, æstimari debent in diversis individuis ex ratione compositâ tum rationis compositæ prioris ex conditionibus, quæ ad cutem; tum rationis compositæ posterioris ex conditionibus, quæ ad Mercurium spectant. Haud mirum ergo si totuplici conditionum combinatione totuplicia emergant discrimina, atque adeo si contingat aliquando magnâ illiti unguenti quantitate nullum effectum præstari in uno; in altero verò paucâ magnam & inexpectatam salivationem moveri; quæ notare vel ideo

viſum eſt, ut inde tantò certiùs liqueat, quàm cautè vel expertiſſimis procedendum ſit in adminiſtrando eo remedio, cujus effectus tot ac tam variis de cauſis variare poſſunt.

Quibus viis Mercurius intrò ſumptus ad ſanguinem traducatur?

II. Mercurio verò, ſi ore ſumatur pulveris vel pilularum formâ, multæ patent in inteſtinis viæ quas ingrediatur, nemini non notæ. Vaſa enim chylifera, quibus defæcatior dulciorque coctorum alimentorum liquor, ſive chylus à primis viis in ſanguinem traducitur, præſto ſunt, quæ mercuriales atomos unà cum chylo abſorptas communi alveo in ſanguinem convehant.

Ratio æſtimandæ quantitatis Mercurii, quæ hac alterâ viâ introducitur.

Quantitas Mercurii hac alterâ ratione introducti pendet, ſicut in præcedente caſu, à geminis diſpoſitionibus, tum vaſorum quæ admittunt, tum mercurialium partium quæ admittuntur. Hinc ergo uberior vel parcior futura eſt ex alterâ quidem parte, 1°. Pro numero; 2°. Et amplitudine oſculorum, quibus vaſa illa chylifera hiant in inteſtinorum cavum; 3°. Aut gradu ſyſtoles alternæ vaſorum eorundem, quæ fortiùs & celeriùs oſcillando appoſita liquida avidiùs exſugunt. Ex alterâ verò, 1°. Pro quantitate, 2°. Tenuitate, 3°. Mobilitate partium mercurialium, quæ per inteſtina fluunt; aut 4°. Pro gradu pulſionis, quam à contractis inteſtinorum tunicis experiuntur, & quâ in hiulca vaſa chylifera urgentur.

Itaque ſicut in ſuperiore caſu, ſic & in iſto, introducti Mercurii quantitas æſtimanda eſt in individuis diverſis in ratione compoſitâ ex rationibus duabus aliis compoſitis; alterâ quidem conditionum, quæ à parte vaſorum chyliferorum; alterâ verò conditionum, quæ à parte mercurialium atomorum ſe habent.

Mercurium intrò ſumptum parciùs & difficiliùs in ſanguinem traduci, quàm foris illitum.

Paradoxum forſan videbitur, ſi dixero Mercurium ore hauſtum parciùs difficiliùſque in ſanguinem transfundi, quàm ſi cuti illinatur unguenti ſpecie; attamen nihil certius eſt aut experientiâ magis confirmatum. Neque ratio, ſi res introſpiciatur, in contrarium pugnat: Multa enim officiunt ingreſſui mercurialium partium ab inteſtinorum cavo in vaſa chylifera, quæ obſtant minimè ne Mercurius cuti illitus in obvios cutis poros liberè ſubeat.

1°. Mercurialium partium cum chylo immiſcibilitas gravitaſque, quâ eidem præponderant: Cùm enim præcipites ruant ad imam inteſtinorum partem, nec in vaſa chylifera facilè penetrare poſſunt, quæ ſunt in ſuperiore aut laterali facie, ut à quibus deſcenſu abſcedant, nec in ea quæ ſunt in inferiore, ut quæ pondere Mercurii nimio opprimantur & aggraventur. Inde eſt quòd Mercurius crudus, etiam ad aliquot libras intrò ſumptus ſalivationem nullam unquam moveat; paucam verò & rarò Æthiops mineralis, etiam magnâ doſi datus, potiſſimùm ſi ſolo tritu confectus fuerit.

2°. Vis cathartica, quâ plerumque præparata Mercurialia pollent: Cùm enim inteſtinorum tunicas in motus periſtalticos citatiores agant ſtimulando, deorſum deturbari neceſſe eſt motu nimis præcipiti, quàm ut poſſint vaſis chyliferis affatim inſinuari. Inde eſt quòd Mercurius ſublimatus dulcis cieat ut plurimùm paucam ſalivationem.

Panacea una eſt præparatorum mercurialium, quæ cum chylo omnium maximè miſcibilis, leviſſima, nullâ purgandi facultate prædita ſit, atque adeo quæ ore ſumpta omnium copioſiſſimè cum chylo ſanguini transfun-

di, & ſalivationem efficaciſſimè excitare valeat; unde fit ut omnium maximè uſu recepta ſit. Nihilominùs tamen nec ipſius panaceæ efficacia efficaciam unguenti mercurialis æquat ullomodò: Conſtat enim ſemunciâ unâ Mercurii unguenti formâ cuti ex arte illitâ largiorem ſalivationem moveri & cum minore erethiſmo, quàm ſemunciâ pari Mercurii in panaceam arte Chemicâ converſi, & iteratis doſibus exhibiti; quæ ſanè diſcriminis ratio inter uſum interiorem & exteriorem ejuſdem remedii mira eſt, nec unquam aliàs, quod ſciam, obſervata.

Secundò. Atomi mercuriales ſemel admiſſæ, quàcumque introierint aut undecumque veniant, notâ regione viarum, venis ſcilicet vaſiſve limphaticis ad cor citò convehuntur, unde repetito circulationis motu actæ partes ſuas paulatim obeunt ſequenti ordine.

Effectus primarii Mercurii.

Lemma I. Alterno cordis & arteriarum motu jactatæ cum ſanguine promiſcuè ita confunduntur, ut in ſingulas columnas cruoris, qui per magnam arteriam fluit, in ſingulos arteriarum ſurculos, in quos arteria illa diſpertitur, & in ſingulas partes, ad quas minutiſſimi arteriarum ſurculi pertinent, æquali ratione diſtribuantur.

Lemma II. Eliquatis fervore ſanguinis terebinthinæ & axungiæ partibus, ſi quæ tamen Mercurii partes in ipſo ſanguine etiamnum coerceant, nativa Mercurii forma ſponte reviviſcit, in guttulas ſphæricas, lævisſimas, roris inſtar tenuiſſimas. Sic videmus ſub oculis Mercurium regenerari ex unguento mercuriali, quoties levi ignis calore colliqueſcit.

Lemma III. Pari modo pulverulentæ atomi præparatorum Mercurialium, excuſſis ſpiculis ſalinis quibus infixæ horrent, larvam ipſæ quoque deponunt & in nativam Mercurii formam redintegrantur, difficiliùs tamen, tardiùs, minùſque perfectè, quàm guttæ unguenti mercurialis, ut in quas ſpicula ſalina intimiùs penetrent.

Lemma IV. Mercuriales guttulæ ſanguini, qui à corde contracto in aortam excluditur, interſperſæ, pari cum eo velocitate feruntur, dum exeunt. Habent ergo ſingulæ eam motûs quantitatem, quæ ſit ad quantitatem motûs guttarum ſanguinis ejuſdem molis in ratione directâ ponderum reſpectivorum, atque adeo quater & decies majorem quantitatem motûs, quàm guttæ illæ ſanguinis molis ejuſdem, cùm *ex Poſtulato* 5. Mercurius ſit quater decies ſpecificè gravior ſanguine.

Lemma V. Iſoperimetræ tum Mercurii, tum ſanguinis guttulæ inter circulandum de motu primùm indito deperdunt ſingulæ ſingulis inſtantibus pro modo ſuperficiei, atque adeo ex æquo, cùm ſuperficies æqualis in utriſque ſupponatur. Itaque, ſi ea decrementa æqualia ex quantitatibus motûs inæqualibus utrimque detrahantur, ratio quantitatum motûs ſuperſtitis in mercurialibus guttis, ad quantitates reſpectivas motûs, qui ſupereſt in guttis ſanguinis, major futura eſt ſucceſſivè ſinguliſque inſtantibus. Sic ergo velocitas guttarum Mercurii, quæ primùm eadem fuit, major fiet ſingulis inſtantibus velocitate guttarum ſanguinis æqualium & circumfuſarum.

Lemma VI. Ea diſcriminis ratio inter velocitatem guttarum Mercurii, guttarumque ſanguinis unà interſperſarum nec unquam major eſſe poteſt, quàm dum maxima eſt motûs tarditas in guttis ſanguinis; nec ullibi, quàm

in tenuiſſimis extremorum vaſorum capillamentis, ubi conſtat ſanguinem lentiſſimo gradu procedere.

Lemma VII. Sic igitur momentum guttarum Mercurii, quod primo inſtanti, quandiu velocitas una fuit, ſuperabat momentum guttarum æqualium ſanguinis ratione ſolius gravitatis, quâ mercuriales guttulæ guttulis ſanguinis in ſpecie præponderabant, jam eodem intenſius futurum eſt ratione tum ponderis majoris, tum citatioris velocitatis; atque adeo licet abſolutè decreverit à primo gradu eâdem ratione, quâ decrevit primigenia ejuſdem velocitas, nihilominùs tamen reſpectivè majus futurum eſt ſingulis inſtantibus ſucceſſivis. Sic ergo cùm primo inſtanti quater decies majus tantum ſit in aortæ trunco, momento partium ſanguinis ejuſdem molis, plus quàm centies majus futurum eſt momento partium earumdem in extremis arteriarum capillarium ramis.

Lemma VIII. Mercuriales guttulæ agunt in obvia inter circulandum inſtar ſolidi corporis, & ideo majori momento, quo majori mole. Quapropter quò plures in grandiores guttas unà coierint, eò fortiùs in obvia arietaturæ.

Ex his colligi poſſunt Corollaria ſequentia: Effectus ſecundarii.

I. Mercuriales guttulas inter circulandum pervia corporis vaſa cujuſcunque generis, etiam tenuiſſima permeaturas eſſe, cùm præ diviſibilitate poſſint vaſorum quorumcumque anguſtiæ facilè accommodari *ex Poſtulato* 1.

II. Impete facto penetraturas etiam in obſtructa vaſa, quæ ſanguini invia ſunt, modò oppoſita reſiſtentia minor ſit momento, quo Mercurius ſanguini prævalet, per *Lemmata* 4. & 7.

III. Si quod vas obſtructum reſiſtentiam majorem opponat, collectis ad oſtiolum præ hærentiâ & morâ pluribus Mercurii guttis, quæ in unam coituræ ſunt, *ex Poſtulato* 4. velut agmine facto, atque adeo validiore ariete *per Lemma* 8. objectum obicem pulſatum iri, dum fiat via vi.

IV. Sic ergo itu redituque reſeratis ſenſim, disjectis, perruptis obicibus vaſa omnia corporis, etiam anguſtiſſima, liberè permeabilia futura eſſe.

V. Liquida omnia corporis, ſanguinem, limpham, humores recrementitios & excrementitios, ſi qua craſſiora viſcidioraque fuerint, momento majore, quo Mercurii guttæ ubique pollent per *Lemmata* 4. & 7. & celeritate majori, quâ moventur in extremis vaſis per *Lemma* 6. atterenda & comminuenda eſſe, atque adeo eliquanda, & ad nativam fluiditatem paulatim omnia revocanda.

VI. Sic ergo tutam, certam, celerem vitioſo ſanguinis, limphæ, humorum recrementitiorum & excrementitiorum lentori medicinam affore.

VII. Porrò mercuriales guttulæ tunicas quoque vaſorum pro momento & celeritate majori fortiùs impetituras eſſe, atque adeo ad oſcillationis motum efficaciùs ſollicitaturas, unde illorum pulſus major & citatior futurus eſt.

VIII. Sic ergo liquida quævis, ſanguinea, limphatica, recrementitia & excrementitia jam fluidiora, & ab oſcillantibus vaſis fortiùs propulſa progreſſura & circulatura eſſe velociùs, faciliùs, liberiùs, atque adeo in-

farctus quoſvis, quibus vaſa omnigena gravantur, expediendos eſſe.

IX. Sanguinem attritum & comminutum, disjectis in latius ſpatium moleculis, rarefaciendum eſſe, magis quidem minùſve pro majori minorive mercurialium guttarum efficacitate, aut majori minorive partium ſanguinis ſpiſſitudine.

X. Sic ego pulſum 1°. Majorem & pleniorem futurum eſſe, quoniam ſanguine impenſiùs rareſcente arteriarum tunicæ & pleniùs replentur & magis dilatantur : 2°. Frequentiorem, æquabiliorem & magis Eurithmum, quoniam vaſa omnia liberè pervia, ſolitoque tono oſcillantia facilem, conſtantem, æqualem viam fluxuro cruori permittunt.

XI. Singulas, quæ in toto corpore fiunt, ſecretiones inde largiores fore multiplici de causâ, 1°. Pro auctâ humorum fluxilitate, *ex Corollario* 8. 2°. Pro majore vaſorum omnium ſecretoriorum & excretoriorum permeabilitate, *ex Coroll.* 4. 3°. Pro citatiore & frequentiore ſanguinis appulſu *ex Coroll.* 10. & 4°. Pro validiore momento quò appellit *ex Coroll. eodem.*

XII. Sic ergo virus, contagium, ſeminiumve venereum, qualecumque ſit, quantumcumque in corpore ſupponatur, ubicumque lateat in ſanguine, vaſis, glandulis &c. iterato guttularum mercurialium incurſu disjectum, attritum, comminutum, exturbandum, profligandum & ſecretoriis quibuſvis emiſſariis eliminandum eſſe.

XIII. Proinde redditâ fluidis quibuſcumque fluxilitate; reſeratis vaſis, ductibus, poris, emiſſariis; promoto oſcillatorio partium motu; acceleratâ humorum circulatione; attrito, comminuto, eliminato contagio venereo; id eſt ſublatâ causâ morbi antecedente, conjunctâ, continente, diſcuſſum iri morboſos humorum decubitus, atque adeo dolores rheumaticos, arthriticos, rheumatico-arthriticos; Præter-naturales tumores tum mollium, tum oſſearum partium, atque adeo ganglia, nodos, phygethla, gummata, melicerides, atheromata, ſteatomata, ſcirrhos, exoſtoſes & hyperoſtoſes; Ulceroſas partium eroſiones, atque adeo ſerpigines, herpetes, puſtulas, ulcera, caries; Uno verbo omnia luis venereæ ſymptomata ceſſatura eſſe, aut ad perfectam ſanationem properatura.

Virtutem Mercurii certis limitibus coerceri.

Cæterùm, quæ de Mercurii effectibus diximus, nolim ita accipi quaſi verò nullis coercerentur limitibus. Certè cùm momentum, quod maximum mercuriales guttulæ in ſanguinem, vaſa, objectoſque obices poſſunt exercere, finitum ſit, finitam quoque fore ejuſdem momenti efficaciam conſequens eſt. Sic ergo Mercurius reſerandis obſtructionibus, diſcutiendis infarctibus, reſolvendis tumoribus ſatis quidem eſt, quoties impacta hærenſque materies mollis adhuc & cerea Mercurii momento cedere apta eſt : Minimè verò, ſi durior firmiorque pertinaciùs eidem reluctetur; & inde eſt quòd ganglia, nodi, ſcirrhi, exoſtoſes & hyperoſtoſes, ſi inveteratione nimis induruerint inunctionibus mercurialibus, etiam ex arte adminiſtratis aliquando ſuperſint, ſeminio tamen venereo planè profligato.

Quo modo Mercurius ſalivationem cieat.

Tertiò. Jam reſtat ut rationem reddamus ſalivationis, purgationis ſcilicet genere novæ, antiquis planè intentatæ, nec in Medicinâ unquam viſæ ante uſum Mercurii, cui ſoli quidem propria eſt, ſed non ſemper. Licet enim à Mercurio ſolo producatur, & producatur ſæpiſſimè, ab illo

illo tamen ſemper non produci experientiâ compertum eſt ; cùm ægrotantium nonnulli Mercurii efficaeitatem interdum conſtanter eludant, quantâcumque arte adhibeatur. Itaque duo explicanda incumbunt, 1°. Cur Mercurius ſalivationem moveat ſæpiſſimè, quod, ſanè explicatu difficile eſt : 2°. Cur non ſemper moveat, quod explicatu forſan difficilius.

I. Dicebamus modò uſu Mercurii ſecretiones omnes promoveri, *Vid. Coroll. XI.* unde licet colligere & ipſam ſalivæ ſecretionem uberiorem fore. Inde tamen non putamus ſalivationem arceſſi poſſe, qualis inunctis Mercurio ſolet advenire, cùm augmentum illud paucum ſit, neque ſalivæ præ cæteris humoribus peculiare. At ſaltem cenſemus inde ducendum eſſe ſalivationis primordium, quæ deinde ſequentibus de cauſis intendatur.

Itaque 1°. Inter ſecretiones cæteras ſecretio humorum limphaticorum, ſalivæ nempe & humoris ſtomachalis atque inteſtinalis, debet eo nomine uberrima eſſe, quòd ſanguis, dum Mercurio atteritur, in limpham, limphaticumve laticem ferè totus reſolvatur.

2°. Ipſa verò ſalivæ ſecretio præ ſecretione humoris ſtomachalis & inteſtinalis debet ideò largior eſſe, quòd nempe, cùm ſaliva ut in os confluit, ita ſine morâ expuatur, ſecretoria & excretoria glandularum ſalivalium vaſa liberiora inde ſint, atque adeo magis pervia, quàm vaſa ſecretoria & excretoria ventriculi & inteſtinorum, ut quæ à materie ibidem collectâ & ſtagnante, ſive jam antè ſecretâ, ſive aliunde devectâ premantur & offerciantur.

3°. Sic ergo omnibus ſubductis ſaliva ſecernetur uberiùs ab uſu Mercurii cæteris omnibus humoribus, & in os largiter affluet, unde frequens & importuna ſputatio, quæ primis inunctionis diebus plerumque obſervatur, & quæ legitimæ ſalivationi ſolet præludere.

4°. Porrò ſaliva illa copioſior, quæ in os jugiter confluit, quam Mercurii virtus ab attrito ſanguine vi elicit, quæ in ſyphiliticis quidem virulenta, in iis verò qui perfectè ſani ſunt, acris eſt, ſalſaque, tenuiſſimis oſculis vaſorum muciferorum, quibus os interius conſitum eſt, latenter illapſa collecto muco vitioſam acrimoniam impertitura eſt, quâ futurum ut ille ſua tacitè rodat conceptacula. Hinc in locis oris, ubi conceptacula iſtiuſmodi mucifera plurima proſtant, in labiis, buccis, gingivis, palato, imis faucibus, ac præſertim lateralibus linguæ partibus primùm calor, rubor, tumor, ac demùm exulceratio varia, multiplex, ſerpiginoſa, phagedænica.

5°. Doloris autem ſenſus, qui ulceratis partibus perpetuò ineſt, qui ſubinde intenditur acrioris ſalivæ affluxu, linguæ motu, dentium alliſu, potulentorum aut eſculentorum attactu, fortiores citatioreſque motus oſcillatorios in vaſis ſtaminibuſque glandularum ſalivalium, parotidum, maxillarium, raninarum &c. ex notis ſympathiæ legibus ſollicitaturus eſt, unde promotâ uberiore & celeriore ſecretione continuus & largus futurus eſt effluxus rivi inſtar ſalivæ ſpiſſæ, viſcoſæ, limpidæ. Sic pipere linguæ admoto ſalivam extundi, ſic fumo lacrymas elici notum eſt. Hinc ptyaliſmus legitimus tandiu duraturus, donec oris ulcera, quibus fovetur, ſponte vel arte conſaneſcant.

6°. Invaleſcente in hunc modum ſalivæ fluxu imminui, imò ſupprimi neceſſe eſt ſecretiones cæteras omnes ferè; ſanguis enim, quò largiùs ſalivationi ſufficit, eò parciùs cæteris poteſt ſufficere : Unas tantùm excipimus diureſim & diaphoreſim, quæ tamen ſolent etiam ipſæ haud levem deceſſionem inde pati.

Quâ ratione Mercurius ſalivationem ſemper non moveat?

II. Rarum eſt, ſed tamen indubiâ experientiâ compertum, ut modò dictum fuit, Mercurium effectibus ſuis magnam partem quandoque deſtitui, licet arte, methodo, doſi debitis adminiſtretur, fruſtratâque medentium & ægrotantium ſpe nec ulla inferre ulcera in ore, vel pauca, cutanea, levia; nec ullam ſalivationem excitare, vel perexiguam & ſputationi potiùs quàm ſalivationi ſimilem. Mirum profectò tam quietè intra corpus aliquando adeſſe remedium idem, à quo tantas tempeſtates concitari ſolenne eſt. Si quid autem conjecturis valeo, videtur id totum repetendum eſſe ab unâ aut alterâ cauſarum ſequentium.

1°. Si cutis denſa, compacta, vaſis nimiùm turgidis conſtipata ingreſſuro Mercurio minùs pervia ſit, quem ideo parcè, parciſſimè admittat.

2°. Si ſanguis naturâ ſiccior, quantumvis à Mercurio atteratur, paucam, pauciſſimam limpham ſuggerat, quæ ſalivationi fovendæ vix ac ne vix quidem ſufficiat.

3°. Si qua alia evacuatio, *verbi gratiâ* per ſudores, urinam, alvum &c. naturâ, caſu, arte ſolito uberior ſit, unde limphâ aliò aversâ, quâ motus liberior eſt faciliorque, ſalivationem imminui, imò ſupprimi neceſſe ſit.

4°. Si ſalivales glandulæ naturâ vel morbo denſæ, preſſæ, compactæ, duræ, skirrhoidææ limphæ ſalivali appellenti difficilem, ideoque tardam viam permittant.

5°. Si naturali vel vitioſâ ſanguinis diatheſi ſaliva, quæ in os confluit, ita craſſa, viſcoſa, pinguis ſit, ut ſalibus ſtrictè irretitis acrimoniæ expers fiat, nec ullam proinde muciferis oris vaſculis noxam inferre apta ſit.

6°. Si anguſtiora vaſorum illorum oſcula virus latens in ſalivâ non imbibant, vel ita parùm imbibant, ut inde vel nulla vel leviſſima labes conceptaculis inferatur.

7°. Si deſit vel æquo debilior ſit ſympathia, quæ inter oris interiora glandulaſque ſalivales ſolet intercedere. Sic enim nec irritatio, nec exulceratio oris ſalivationem ullomodò moturæ ſunt. Quòd ſi mira forſan videatur ea variatio in ſympathiis, qualem hìc admittimus, attendatur, velim, ſympathias certis nullis teneri legibus, ſed in variis varias eſſe; & hinc non rarò cauſam eſſe cur alii aliis faciliùs difficiliùſve ab emetico vomant, à fumo lacryment, ab errhino ſternuant &c.

Mercurium lui venereæ efficaciter mederi ſine ſalivatione.

Cæterùm experientia omni ratione major Medicos jam pridem docuit Mercurium, etiam dum nullam ſalivationem ciet, cæteroqui tamen eoſdem effectus in ſanguine præſtare, ac ſi ſalivatio legitima mota foret, modò debitâ copiâ ad ſanguinem penetraverit, & proinde attenuatis liquidis, reſeratis vaſis, reſtituto oſcillatorio partium motu, diſgregatis obicibus, profligato ſeminio morboſo luem veneream radicitùs perinde extirpare.

CAPUT IX.

De eligendâ facillimâ, tutissimâ, efficacissimâ medendi Methodo.

HAUD satis est methodos curatorias recensuisse, quas in curandâ lue venereâ hactenus adhibitas fuisse novimus: Præstat insuper expendere quo loco unaquæque habenda sit, & pensatis singularum emolumentis & incommodis, paucis indicare quæ omnium optima, quæ tutissima esse videatur.

Jam dictum est suprà cap. 6. hujus Libri methodos illas curatorias tres omnino esse, nimirum 1°. Therapeiam illam methodicam, quâ Medici olim usi sunt primis morbi temporibus: 2°. Administrationem lignorum, radicumque, quæ vi sudoriferâ pollent: 3°. Usum Mercurii atque Mercurialium. De primâ mora quidem nulla est, neque enim puto quemquam esse, qui hodie arbitretur luem veneream, morbum sanè præ magnitudine herculeum & vulgaribus medicinis planè superiorem, iis remediis debellari posse, quæ neque adversùs scabiem paulò difficiliorem satis valerent.

Id unum ergo in quæstionem primùm venire potest, utra luis venereæ curandæ methodus potior sit, an administratio lignorum & radicum, an Mercurii & Mercurialium usus? Causâ verò Mercurio semel addictâ, ulteriùs dispiciendum erit quænam ex omnibus Mercurii adhibendi rationibus tutissima & efficacissima sit, atque adeo præferenda?

Uter utri præstet, an Mercurii, an lignorum sudoriferorum usus?

Primò. Non miror usum Mercurii administrationi lignorum à plerisque postpositum fuisse decimo sexto sæculo. Vigebant tunc præjudicia in Mercurium pridem concepta, necdum satis nota erat recta illius adhibendi ratio; unde modò parciùs tardiùsque, atque adeo plerumque irrito; modò largiùs celeriùsque administrabatur, atque adeo plerumque funesto successu. Adde Guaiacum, Chinam, Sarsam-parillam, Sassafras nova tunc fuisse remedia, satis temerè quidem, sed maximâ tamen æmulatione vulgò laudata; miramque esse in pleroſque novitatis illecebram, in omnes publici applausûs potestatem.

Mercurius olim à multis damnatus.

I. Inde nata probra illa atque maledicta, quibus tum Mercurium, tum eos qui Mercurio utebantur, olim vexatos fuisse legimus, ut videre est apud Gasparem Torellam, *Dialogo de Dolore in pudendagrâ*, anno 1498. Joannem Baptistam Montanum, *Tractat. de Morbo Gallico*, anno 1550. Benedictum Victorium, *Lib. de Morbo Gallico, cap.* 7. anno 1551. Joannem Fernelium, passim in Operibus, sed præsertim *De luis venereæ Curatione, capp.* 6. & 7. anno 1556. Gabriëlem Fallopium, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 75. anno 1560. Dominicum Leonem, *Methodo curandi febres tumoresque præter-naturam*, anno 1562. Bernardinum Tomitanum, *De Morbo Gallico Lib.* 2. *cap.* 13. anno 1566. Julium Palmarium *Lib. de Hydrargyro, cap.* 7. anno 1578. Joannem Baptistam Silvaticum, *Controversiarum Medicar.* 34. anno 1590. Aurelium Minadoïm, *Lib. de Virulentiâ venereâ, cap.* 39. anno 1596. &c.

Laudatus à plurib. Non defuêre tamen vel hoc eodem tempore, qui de Mercurii uſu rectiùs ſenſerint, ut Hieronymus Fracaſtorius, *Syphilidos Lib. 2. in fine*, anno 1530. Joannes Paſchalis, *Lib. de Morbo Gallico, cap. 6.* anno 1534. Petrus Andreas Matthiolus, *Opuſcul. de Morbo Gallico*, anno 1535. Alphonſus Ferrus, *De ligno ſancto Lib. 1. cap. 6.* anno 1538. Joannes Benedictus, *Libell. de Morbo Gallico, cap. 4.* anno 1550. Antonius Muſa Braſſavolus, *Lib. de Morbo Gallico*, anno 1553. Michaël Joannes Paſchalius, *Tract. de Morbo Gallico*, anno 1555. Antonius Fracantianus, *Lib. de Morbo Gallico*, anno 1564. Augerius Ferrerius, *De Pudendagrâ Lib. 1. cap. 11.* anno 1564. Alexander Trajanus Petronius, *de Morbo Gallico Lib. 6. cap. 7.* anno 1566. Proſper Borgarutius, *Methodi de Morbo Gallico cap. 13.* anno 1566. &c.

Sed inter cæteros conſuli potiſſimùm velim Nicolaum Maſſam, qui *De Morbo Gallico Tractat. 4. cap. 1.* anno 1563. affirmat inunctiones cum argento vivo, *etſi multis ingratæ ſint, profectò tamen, ſi cum obſervatione ipſâ, & conditionibus* requiſitis *quis utatur, eſſe infallibilem & ſecuriſſimam viam ſanandi hanc ægritudinem.* Antonium Chalmetæum, *Method. Morbi Venerei curandi, cap. 5.* anno 1564. ubi poſtquàm *affirmavit eos, qui tantoperè Mercurii uſum improbant, aut numquam, aut non ut decet illius periculum feciſſe*, addit Mercurii uſum *ipſum numquam fefelliſſe, qui quamplurimos ab hac deteſtandâ lue etiam inveteratâ, ... Dei beneficio liberaverit.* Guillelmum Rondeletium, qui anno 1565. Librum *de Morbo Italico* concludit ſequentibus verbis, *Ex ſupradictis*, inquit, *ſatis apparet argentum vivum antidotum & maximè accommodatum remedium ad Morbum Italicum eſſe, quia quomodocunque adminiſtretur, morbum curat.* Leonardum Botallum, qui in Tractatu, cui titulus eſt *De ratione luis venereæ curandæ, cap. 17.* anno 1565. teſtatur *remedia cum hydrargyro arte compoſita curare mirificè humana corpora lue venereâ infecta, ſi arte ſint adminiſtrata, humores è corporibus excludendo ſubtiles & cuti proximos per halitum, viſcidos verò atque intimos per fauces & alvum, ſic ut mirum videatur quàm celeriter bellèque id præſtent.* Ambroſium Paræum, qui *Operum Lib. 19. cap. 9.* anno 1575. ait *inunctionum methodum omnium utiliſſimam & tutiſſimam eſſe*, repetitque *cap. 10.* mox laudata Rondeletii verba, *argentum* nempe *vivum eſſe luis alexipharmaeum propriumque antidotum, quod opportunè exhibitum vires habeat admirandas; curare enim quocumque modo appoſitum partium tenuitate exſiccando & ſudores movendo.*

Omnium tamen diſertiſſimè Mercurii utilitatem prædicavit Epiphanius Ferdinandus, in *Hiſtoriis ſive obſervationibus & caſibus* medicis, quas numero centum edidit anno 1621. ubi ſcripſit *Hiſtoriâ* 17. centum & quinquaginta Gallicos omnis ætatis & ſexûs, temperamenti varii, & in variis anni partibus hydrargyri uſu à ſe perſanatos fuiſſe, nullo ſymptomate ſuperſtite: Nominatque ibidem Medicum alterum Joannem Laurentium Protopapam, qui juratus ipſi retulerit ſe pluſquàm mille Gallicoſos curaſſe feliciſſimo ſucceſſu unguento mercuriali, unde colligit grates Deo agendas eſſe, à quo ad tantum morbum tam efficacem medicinam detegi permiſſum fuerit.

Ab omni- II. At verò, licet Mercurii cauſa tum numero, tum momento ſuffra-

giorum potior olim fuiſſe videatur, fatendum tamen toto ſæculo decimo ſexto quæſtionem illam magnis utrimque Auctoribus controverſam fuiſſe, & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos. Id ſcilicet condonandum illis temporibus, quibus ne latum quidem unguem ab Antiquorum opinione recedere licebat, & nefas eſſe ducebatur remedio uti, quod ab iis infamatum fuiſſet. Sed tandem diſcuſſis præjudiciis prævaluit ſuperiore ſæculo experientia rerum magiſtra, ac repetitis exemplis apertiſſimè compertum eſt lignorum quidem adminiſtrationem ad curandam luem venereamconfirmatam, imparem & inefficacem eſſe; contrà verò uſum Mercurii tutum, certum, efficaciſſimum, modò ritè adhiberetur; unde factum ut Medici; tum qui in Antiquorum verba jurare parati erant ἐκὼν ἀεκοντίῃ θυμῷ vi veritatis omnes tandem adacti ſint Mercurio primas deferre, ejuſque uſum in extirpandâ omni lue venereâ lignorum adminiſtrationi perpetuò præferendum eſſe uno ore confiteri.

bus jam dudum lignorum uſui præfertur, duce experientiâ.

Huic concluſioni ſuffragatur & ipſa ratio, quæ in rebus Medicis, ſi ſola ſit, parvi quidem; ſi verò experientiæ adſtipuletur, magni ſemper facienda eſt. Nam 1°. Partes integrantes, ſeu potiùs guttulæ decocti lignorum, cùm non agant in ſanguinem gravitate, ut quæ ſanguinis partibus proximè æqui-ponderent, non poſſunt in illum agere niſi qualitate alterâ, figuratione nempe ſpecificâ, cujus ope acres, aromaticæ, lixivioſæ, quicquid ſpiſſum, denſum, viſcidum cruori ineſt, ſolvere ac eliquare aptæ natæ partes ſeminio venereo inquinatas corrigant, imò verò ſeminium ipſummet paulatim deſtruant: Ac ſanè ea eſt una agendi ratio, quam in decocto lignorum ab omnibus admitti certum eſt. At inde multiplex mali labes; partes enim illæ decocti debent ſuâ eâdem figuratione tum ſolida tacitè deradere & erodere, tum vitioſam liquidis acrimoniam impertiri: Unde ſumma corporis emaciatio, extenuatio, conſumptio; unde pulmonum calor, irritatio, exulceratio; unde jecinoris, cæterorumque viſcerum æſtus, phlogoſis, inflammatio; unde renum & veſicæ irritatio & phlogoſis cum gravi dyſuriâ; unde in fœminis immoderata menſtruorum eruptio; unde demum, ut paucis contraham, univerſa illa incommoda, quæ lignorum adminiſtrationi ſolent adeſſe vel ſuccedere.

Ratione ipsâ comite.

2°. Guttulæ eædem decocti, cùm momento ſatis debili pellantur, utpote parùm ponderoſæ, nequeunt ſæpè in vaſa aut vaſorum glomeramina ſive glandulas penetrare, quæ ſpiſſiore humore, nimiùmque denſato oppleta ſunt, neque adeo hærentem & vitioſum humorem ibi congeſtum ullomodò corrigere. Hinc ergo labes altera præcedente pejor, ſiquidem humor ille pridem infectus, ſi caſu vel temporis decurſu ſenſim eliquetur & circulationi reddatur, luem venereamalteram non rarò renovat priore malè extinctâ nihilo mitiorem.

Neutrum verò metuendum eſt à Mercurio; nam 1°. Cùm omnis acrimoniæ expers ſit, agatque ſolo pondere, neque liquidis acredinem, neque eroſionem ſolidis ullam ex ſe inferre poteſt. Certè ſi alterutra læſio ex ejus uſu videatur unquam emergere, ea non Mercurio tanquam materiali cauſæ accepta referenda eſt, ſed nimiæ humorum ipſorummet acrimoniæ aut virulentiæ, quam diluentibus & edulcantibus priùs temperare ſatis diligenter curatum non fuit. In ſummâ duplex tantum à Mer-

curio periculum imminet, ne partium pondere nimio viſcera molliora aggravet, & momento validiore vaſorum tunicas nimiùm diſtentas diſcindat. Sed utrumque præcavere facile eſt depletis priùs venæ ſectione vaſis, relaxato emollientium uſu ſolidorum tono, Mercurio parcè & partiter adhibito &c. ſed de his alibi.

2°. Mercurius, cùm momentum exerceat momento ſanguinis decies & quater validius, vaſa quævis tenuiſſima, quæ occluſa & ſanguini ipſi invia ſunt, aperit, recludit, permeat, atque adeo virus omne undique extundit, profligat ubique, extirpat radicitùs. Quòd ſi qua vaſa in toto corpore impervia ſupereſſe poſſint, quod quidem rarum eſt, ſed quod tamen de vaſis duriorum exoſtoſium, gummatum, nodorum &c. interdùm verum eſt, ea certè tantùm, quæ cùm momento Mercurii ineluctabilia ſint, vi nullâ aliâ debiliore unquam in poſterum reſeranda ſunt, & quæ proinde pro vaſis omnino obliteratis haberi debent, humorque iiſdem impactus pro humore numquam reſolubili, & à quo nullum recidivæ periculum futurum ſit.

Quâ ratione olim factum eſt, ut Guaiacum in Hiſpaniolâ pro præſenti luis venereæ remedio habitum fuerit?

III. Mirum fortaſſe videbitur nonnullis Guaiacum ipſum nullo diſcrimine cum cæteris lignis confundi, & nullius efficaciæ ad luis venereæ curationem nunc cenſeri remedium idem, quod olim in Inſulâ Hiſpaniolâ tantoperè initio valuit ad eumdem morbum.

Sed 1°. Non ſatis conſtat de antiquâ illâ Guaiaci virtute. Novi quidem unum eſſe aut alterum Scriptorem, (*a*) qui memoraverint in Inſulâ Hiſpaniolâ Guaiacum ab Indigenis ad luem venéream cum ſucceſſu adhibitum, & Hiſpanis olim indicatum fuiſſe, qui eodem feliciter uſi ſint. Verùm ſuſpicio eſt, neque vana, Scriptores illos morbi mitigationem pro radicali (*b*) curatione habuiſſe, quâ in re à plurimis in Europâ quoque olim peccatum fuiſſe certum eſt.

2°. Eſto tamen. Demus Guaiacum ad curandam luem venéream efficaciter olim valuiſſe: Quid tum? Num potuit Guaiacum recèns exciſum, ideoque ſucci plenum virtute eâ pollere olim in Hiſpaniolâ, quâ deſtituatur in Europâ, ubi exſuccum & evanidum adminiſtratur, quod ſanè videtur ſubodoratus eſſe ipſe, qui primus Guaiaci uſum in orbem noſtrum induxit? Quâ de re vide Ulrichum Huttenum, *ubi ſuprà, cap. 6.*

3°. Adde luem venéream, licet in Europâ Guaiaco non cedat, potuiſſe tamen in Hiſpaniolâ cedere, cùm ibi naturâ mitior ſit & curatu facilior, teſte Gonſalvo Hernandez de Oviedo, *loco mox laudato*, & Fallopio, *Tract. de Morbo Gallico, cap.* 1. quorum hac de re teſtimonium poteſt exemplis confirmari: Exploratum eſt enim luem venéream in auſtrinis regionibus & leniùs ſævire & faciliùs ſanari, quàm in regionibus ad ſeptemtriones propiùs ſitis.

4°. Denique quorſum tam multa? Sperantne, qui hæc objiciunt, ſe unquam effecturos ut experimentis numero paucis, antiquis, malè com-

(*a*) Antonium Muſam Braſſavolum, *in Reſponſ. ad quæſt. Alexandr. Fontana.* Ulricum Huttenum, *De Morbi Gallic. curat. per adminiſtr. ligni Guaiaci cap.* 6. Gonſalvum Hernandez ab Oviedo, *Hiſt. nat. Indicar. region. Lib.* 10. *ſect.* 1. *cap.* 2.

(*b*) Sanè teſtatur Sydenhamius *in Epiſtolâ Reſponſoriâ* 2. uſum Mercurii uſui Guaiaci jam præferri in ipſis Inſulis Antillis.

pertis, in alieno orbe inſtitutis, quæ ambigua ſunt, fidem elevent experimentorum quæ plurima & certiſſima ſunt, quæ nunc, quæ quotidie, quæ apud nos fiunt, & quæ contra Guaiacum apertiſſimè teſtantur.

IV. Ne tamen Guaiacum ſuis laudibus defraudaſſe videar, lubens conceſſero, 1°. Ejus decoctum, quod de ptiſanâ quoque dictum velim, quæ è Chinâ, Sarſâ-parillâ, Saſſafras &c. præparatur, facere ad morbos venereos locales & incipientes, ut ad gonorrhœam, bubonem, ulcuſcula venerea, & porros, in quibus ſeminio morboſo extirpando plerumque ſufficit, cùm & paucum & recens ſit. Cauto tamen opus eſt, ne temerè adhibeatur in macilentis, exſuccis, retorridis, bilioſis, picrocholis, iiſve qui pulmone, renibus, veſicâ jam malè habent. Caſus, ad quos decoctum Guaiaci utile eſt.

2°. Decoctum idem utiliſſimum eſſe, ſed ſub cautione eâdem, ad dolores diſſipandos, ſi qui ab impurâ venere olim oriundi hydrargyroſi ſuperſint, ſive ſolum præſcribatur, ſive addito lacte vaccino ex arte temperetur, pro notâ ſcilicet ægrotantium temperie humidiore vel ſicciore, ſeroſiore vel ſalſiore.

3°. Denique decoctum illud neceſſariò quandoque exhibendum eſſe poſt hydrargyroſim legitimè adminiſtratam, ſi lues venerea cum ſtrumosâ aut ſcorbuticâ cachexiâ ita conjuncta fuerit, ut ſymptomata morboſa ab utrâque causâ dependeant. Mercurius enim, quo virus venereum potenter exterminatur, plerumque ne attingit quidem ſtrumoſum vel ſcorbuticum ſeminium, quod utrumque Guaiaci decocto feliciùs cedit. Sic obſervavi ſyphiliticos nonnullos, qui ſtrumis vel ſcorbuto ſimul laborabant, ab hydrargyroſi legitimâ perfectæ valetudini reſtitui non potuiſſe, niſi poſtquàm per menſem uſi fuerunt decocto meraciore, nunc quidem ſolius Guaiaci, nunc verò Guaiaci cæterorumque lignorum, cum additis plantis quibuſdam anti-ſcrofuloſis, aut anti-ſcorbuticis.

Opinor ad prius luis venereæ genus, ſcilicet ad ſtrumoſum, pertinere obſervationem illam, quam profert in *Præfatione Editioni Lugduno-Batavæ Aloyſii Luiſini præfixâ* vir doctiſſimus Hermannus Boerhaave, ſcriptis ſuis *aureis & perpetuâ ſemper digniſſimis vitâ* de re Medicâ, ſi quis alter, optimè meritus, cujuſdam ſcilicet *ægri, qui incaſſum optimorum Medicorum conſilia ſequutus atque fruſtrà hydrargyroſim expertus pro deſperato relictus fuerat, & qui tamen rectè convaluit* uſu decocti Guaiaci ex Methodo ab Huttenio deſcriptâ in Libro cui titulus eſt *De Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci.* Sanè ut ſuſpicer luem eam, de quâ agitur, è ſtrumoſarum genere fuiſſe, id potiſſimùm facit, *quòd*, ut ipſe Boerhaave narrat, *in diverſis corporis locis oſſa eſſent adeò tabefacta, ut in digito manûs articulus unus exciderit, in crure verò plurima loca carioſa ſpectarentur.* Licet enim ea oſſium labes lui venereæ, quæ ſtrumoſa eſt, non ſit *propria*, ut aiunt, *quarto modo*, experientiâ tamen compertum eſt in illâ frequentiùs uſu venire, quàm in aliâ ullâ. Quòd ſi vera conjicio, jam obſervatio à Viro doctiſſimo propoſita inefficaciam Mercurii in profligandâ lue venereâ nullomodò probatura, quæ tamen ſola in quæſtione verſatur; ſed probatura ſolùm Mercurii inefficaciam in curandis ſtrumis & ſtrumosâ cachexiâ, de quâ nullatenus ambigitur.

Cætera verò argumenta, quæ *in Præfatione eâdem* adverſus vim Mer- Expenditur

sententia viri doctissimi Hermanni Boerhaave de virtute Mercurii.

curii in omni lue venereâ afferuntur, Auctoris nomine magna quidem, re tamen tanta non sunt, ut à sententiâ dimovere valeant. « Argen-» tum vivum, *inquit Vir doctissimus*, solâ vi vitæ actum hoc malum » sanat, motu expellit. Ideo & ejus medicata potestas haud valet cor-» rigere venereum tabum, quando ille figitur in locis, ad quæ actio cor-» dis & arteriarum vix pertingit. Hinc cariem diploës cranii non sanat, » sed in cellulas ejus osseas consumpto pingui vacuas, iners effusus sta-» gnat. Inde & ossium medullam inquinatam hoc malo vix repurgat. » Gonorrhœas in solâ cellulosâ penis fabricâ hærentes, per quas vix ullus » circumeuntium humorum impetus, numquam sanat, licet luem simul » dominantem perfectè eo tempore tollat. Ossicula tenerrima, solis te-» nuibus tecta membranis..... servare nequit, ne excidant..... sed » mala venerea, quæ latitant in locis, per quæ arteriæ rubræ, flavæ, se-» rosæ, pellucidæ, cæteræque per quas liquida cum idoneâ velocitate » ruunt, argentumque vivum admittere in se possunt, atque illud forti-» ter urgere vitali potestate, perfectè sanari queunt Mercurii virtute. *Hactenus ille.*

Sed 1°. Quandiu in parte corporis quâvis, etiam à corde remotissimâ, vita est, hoc est quandiu in illâ solidorum oscillatio & liquidorum motio reciproca viget, quibus vita debetur, tandiu mercuriales atomi liquidis interjectæ & eâdem, quâ ipsa, vi actæ, moventur cum celeritate, quæ major sit celeritate liquidorum ipsorum ex *Lemmate V. præced. capit.* & momentum exercent, quod adhuc multò majus sit momento æqualium partium liquidorum ex *Lemmate VII.* ac proinde tandiu aptissimæ sunt ad atterenda, comminuenda, dissolvenda liquida quævis hærentia, inspissata, impacta in eâ parte; ad solidorum oscillationes promovendas & intendendas; uno verbo ad seminium venereum exturbandum, si quod ibi lateat, & ad reparandos seminii venerei effectus, si qui ibi sint ullâ arte reparabiles. *Valet* ergo *Mercurii medicata potestas*, præ altero quocumque remedio, *corrigere venereum tabum* quâcumque figatur in parte, dummodò ea pars vivat, hoc est dummodò ad illam *actio cordis & arteriarum pertingat.*

2°. Quòd si pars corporis quædam sufflaminatâ solidorum oscillatione & suppressâ motione liquidorum planè emortua sit, aut carie latenter erosa, vel abscessu suffossa, tunc sanè mercuriales atomi, quæ in hærentibus in parte fluidis minutissimæ fluitant, pulsionis defectu sibi applicitæ & pondere deciduæ in guttas conspicuas unà coituræ sunt, quemadmodum in defunctorum cadaveribus observatur post largam hydrargyrosim. Inde frequens est in iis qui Mercurio inuncti fuerunt, Mercurium colligi intra ossa, si qua cariosa sint, aut partes quascumque, si abcessu vel ulcere saucientur: Ut testantur Joannes Langius *Epistolar. Lib.* 1. *Epist.* 43. Joannes Fernelius, *De luis venereæ Curatione cap.* 7. Gabriël Fallopius, *Tractat. de Morbo Gallico, cap.* 76. Alexander Trajanus Petronius, *Lib.* 6. *de Morbo Gallico, cap.* 1. Itaque jure merito ait Hermannus Boerhaave Mercurium *in cellulas cariosæ diploës inertem, effusum stagnare.*

3°. Collecto huic Mercurio via cita plerumque paratur quâ effluat citra noxam, derasâ scilicet carie vel aperto abscessu. At verò, utcumque aliquandiu

aliquandiu retineretur, nihil inde immineret periculi, ut jam pridem docuit experientia, quæ Antiquorum præjudicia de vi argenti vivi venenosâ falsi convicit. Siquidem Mercurius est, teste ipso Boerhaave *loco laudato, omnium fortè cognitorum corporum minimè rodens vel acre.* Ideoque juxta Alexandrum Petronium Trajanum, *De Morbo Gallico Lib. 6. cap. 3.* cujus sententiæ suffragatur experientia, *si post inunctiones in humano corpore intùs relinquitur, propterea tamen, ubi ad se redierit, & alicubi firmus permanserit, non magis obesse, quàm plumbum, ubi fortè in aliquo hominis membro retinetur.*

4°. Minimè potest Mercurio vitio verti, si *cariem diploës cranii non sanet:* si *ossium medullam inquinatam hoc malo vix repurget:* si *gonorrhœas in solâ cellulosâ penis fabricâ hærentes . . . . numquam sanet.* Cùm ea enim symptomata à seminio venereo dependeant non tanquam à causâ conjunctâ continente, sed tanquam à causâ conjuncta simpliciter, posito quidem seminio ipsa poni possunt, sed illo sublato eadem auferenda esse non consequitur. Nempe opus habent ulteriore curatione & diuturniore tempore, caries ossium quidem, ut corrupta ossis facies exfoliari; gonorrhœa verò, ut prostatarum, vesicularum seminariarum & cellulosæ penis fabricæ ulcera detergi; ambo demum ut callus vel cicatrix feliciter coire possit. Satis est si Mercurius *luem dominantem eo tempore perfectè tollat*, ut ab illo tolli testatur ipsemet Boerhaave. Siquidem eâ ratione profligato semel seminio, à quo solidarum partium vitia fovebantur, futurum ut caries & exulcerationes superstites quæcumque, quæ antè venereæ erant & remediis superiores, in meliorem naturam mutatæ remediis ordinariis jam tandem cedant.

5°. Neque meliori jure objicitur in Mercurium, quòd *ossicula tenerrima; solis tenuibus tecta membranis*, putà vomerem & turbinata ossicula interiorum narium, *servare nequeat, ne excidant.* Ea enim ossicula vel totâ substantiâ, quod præ tenuitate ferè perpetuum est, vel alterutrâ tantùm facie corrupta sunt & carioſa, quod rarissimum. Si prius, non magis potest integritas ipsis arte restitui, ne excidant, quàm vita mortuo: Frustrà igitur à Mercurio id exigas, quod à nullo remedio obtinere possis, & quod est supra naturæ vires. Si posterius, decisâ eâ ossis facie quæ carioſa est, potest altera quandoque supereſſe, quod sanè à Mercurio æquè tutò præstari potest, ac ab alio quocumque remedio, atque adeo Mercurii conditio, si non melior, at certè haud pejor inde censenda est.

6°. Quid multa? Licet vel ex ipsius Boerhaave verbis egregium pro Mercurio suffragium elicere, cui lubentes subscribimus. Ille enim ultrò fatetur *perfectè sanari posse Mercurii virtute mala venerea, quæ latitant in locis, per quæ* distribuuntur *arteriæ rubræ, flavæ, seroſæ, pellucidæ, cæteræque per quas liquida cum idoneâ velocitate ruunt, argentumque vivum admittere in se possunt, atque illud fortiter urgere vitali potestate.* Sed per omnia corporis loca distribuuntur *arteriæ rubræ, flavæ, seroſæ*, aut *pellucidæ*; sed in singulas illas arterias, quandiu vitali motu fruuntur, *liquida ruunt cum idoneâ velocitate*; sed in singulas *argentum vivum* liberè *admittitur, ac fortiter urgetur vitali potestate.* Consequens est ergo, vel auctore ipso Boerhaave, *mala venerea posse Mercurii virtute perfectè sanari* in omnibus corporis lo-

cis, quandiu iis vita ineſt; ac proinde ſi fortè Mercurius conceptas ſpes unquam fruſtretur, ut ſanè fruſtratur aliquando, id inde deducendum eſſe, non quòd extirpandæ lui venereæ impar ſit, ſed quòd minùs ſit comparatus ad virus ſtrumoſum vel ſcorbuticum profligandum, quorum alterutrum cum lue venereâ conjunctum tunc lateat, quorum utrumque ſuis propriiſque remediis opus habeat præter Mercurium, ut extirpetur.

Uter utro potior ſit an interior exteriorve Mercurii uſus?

Secundò. Multa egimus, dum primas Mercurio detulimus; ſed non peregimus. Poteſt enim Mercurius ipſe bifariam adminiſtrari; intrò ſcilicet ore hauſtus formâ pilularum aut pulveris; & foris corpori applicitus quomodocunque. Hinc ergo exiſtit hoc in loco quæſtio altera, utra utri præſtet adminiſtrationis ratio, quæ præcedente quidem non minùs gravis eſt, ſed ſolutu facilior, & in quâ dirimendâ interior Mercurii uſus exteriori apud cordatos omnes causâ ceſſurus eſt, multiplici argumento.

I. Quòd præparata Mercurialia deglutita ſpiculis acidis, quibus horrent, ventriculi tunicas pungant, irritent, laceſſant, atque adeo lædant & debilitent. Inde eſt quòd ſtomacho plerumque malè habeant, quicumque Mercurialibus intrò ſumptis diutiùs uſi ſunt.

II. Quòd particulæ præparatorum Mercurialium, pro eâ doſi, quâ aſſumuntur, parcè, quin etiam parciſſimè transfundantur in ſanguinem per venarum lactearum oſcula, *ex capite præcedente*, atque adeo paucam debilemque vim exerant in ſanguinem & in virus cum ſanguine confuſum.

III. Quòd atomi præparatorum Mercurialium in ſanguinem tandem transfuſæ, cum ſpiculis acidis altè adactis configantur, ægrè, tardè, parcè ad nativam Mercurii formam redeant *ex Lemmate III. cap. præcedent.* atque adeo minùs efficaciter ſanguinem corrigant & virus debellent, cùm ex laudato capite tota Mercurii vis ab eâ formâ dependeat, quâ diviſibilis eſt in minutias indefinitè parvas, quarum ſingulæ globoſam figuram liberrimè affectent.

IV. Quòd mercuriales illæ atomi ſpiculis horridæ, dum in ſanguine fluitant, itu redituque tenuiſſima molliorum partium vaſa pungant, irritent, ſtimulent, unde calor, irritatio, phlogoſis, erethiſmus multiplex pulmonum, cerebri, ventriculi, jecinoris, renum & veſicæ, atque etiam uteri in mulieribus.

Hinc itaque liquet præparatis Mercurialibus intrò ſumptis ventriculum quidem lædi, & multiplicem noxam pulmoni, cæteriſque viſceribus inferri, atque adeo illorum uſum numquam planè innoxium eſſe: Inde tamen nec ſanguinem perfectè corrigi, nec virus altiùs repoſtum efficaciter profligari, atque adeo uſum eorumdem lui inveteratæ curandæ imparem eſſe. Quocirca haud mirum ſi interiori Mercurii uſui, ceu minùs tuto & minùs efficaci, præferatur exterior, à quo nihil ſimile metuendum eſt, imò verò à quo contraria omnia expectanda ſunt, utpote quo Mercurius in ſanguinem ſubeat 1°. Intacto ventriculo, 2°. Viâ facili & expeditâ, 3°. Sub nativâ formâ; ac 4°. Omnis acrimoniæ expers, adeoque ingreſſus opem laturus ſit certam, præſentaneam, efficacem & ex ſe planè innocuam.

Ad quos

Faceſſant ergo cum ſuis mendaciis qui panaceis, præcipitatis, magiſ-

teriis, pilulis, pulveribus, arcanis, elixiriis, tincturis ſuis mercurialibus ſe luem veneream confirmatam radicitus curaturos eſſe audent polliceri, ceſſentque demum Medicinam contaminare & abuſu peſſimo egregia infamare remedia, quæ multis ſaluti fuêre, & quæ multis ſaluti futura ſunt ſi ritè exhibeantur. Neque enim is ego ſum, qui præparata Mercurialia intrò ſumpta ullatenus improbem; quin potiùs ea proficua eſſe cenſeo, quoties iis adhibentur morbis, ad quos valent, & eâ adhibentur methodo, quâ par eſt.

casus valeant præparata Mercurialia?

Iis quidem *morbis, ad quos valent*, nempe 1°. Morbis venereis incipientibus & localibus, ut gonorrhœæ, buboni, ulcuſculis, porris &c. quia tunc ſpes eſt nec inanis virus, quod paucum eſt & recèns admiſſum, eâ therapeiâ poſſe eradicari.

2°. Confirmatæ etiam & univerſali lui venereæ non curandæ quidem, ſed ſi nimiùm ſæviat, mitigandæ tantùm, dum otio liceat morbo certiorem medicinam facere; quod ſanè non eſt ſupra notam & exploratam illorum præparatorum vim.

Eâ verò *methodo, quâ par eſt*, ſcilicet 1°. Abſtinendo à præparatis Mercurialibus draſticis mochliciſque, & idcirco à præcipitatis Mercurialibus ferè omnibus, ut quæ vomitiones & catharſes immodicas moveant; ſtomachum pervertant, imò non rarò erodant; convulſivos ſolidorum erethiſmos, & abnormes liquidorum ataxias in variis partibus inducant, quæ numquam periculo vacant.

2°. Inter cætera ea ſeligendo quæ blandiora & leniora ſunt, ut Mercurium ſublimatum dulcem, panaceam mercurialem, Æthiopem mineralem igne præparatum, quæ non minori forſan energiâ agunt, quàm vehementiora, ſed minori certè tumultu, atque adeo ſemper minori periculo.

3°. Diligenter cavendo ne hæc ipſa quamquam blandiora, doſi nimiâ, uſuve diuturniore aut frequentiore pulmonibus, ventriculo, veſicæ, utero &c. noceant; ſed ſingulis modum adhibendo ex artis legibus pro ægrotantium temperie, ſtatu, viribus; morbique naturâ & gradu.

Cæterùm, quantacumque cautio ſit, ne putes vel in allatis ipſis caſibus interiorem Mercurialium uſum uſui exteriori unquam æquiparandum eſſe; hunc enim ſemper tutiorem, & efficaciorem, atque adeo cæteris paribus præſtabiliorem eſſe tum ratione manifeſtum eſt, tum experientiâ exploratum.

Tertiò. Progredientibus ambages novæ. Poteſt Mercurius extrinſecus adhiberi triplici ratione, ſuffumigiorum, ceratorum ſive emplaſtrorum, & linimentorum ſive unguentorum formâ. Conſtituendum itaque quæ omnium facillima, tutiſſima & efficaciſſima, atque adeo quæ ſit optima adhibendi Mercurii methodus.

Quæ optima ſit Mercurii foris adhibendi ratio, ſuffumigiorum, emplaſtrorum, an linimentorũ formâ?

I. Conſtat ex iis quæ ſuprà dicta ſunt *cap. 7. hujus Libri* eam ſanè laudem haud deberi ſuffumigiis, non dico acribus, quæ ab omnibus ſemper damnata ſunt, ſed ne leniſſimis quidem ex ſolâ cinnabari cum thure. Si enim inſtituantur capite intra conopeum concluſo, periculi plena ſunt, cùm fumus mercurialis oculis, capiti, pulmonibus, noceat; ſi exerto, inefficacia plerumque, cùm mercuriales atomi & quantitate paucâ & motu

debili introducantur exhalando; demùm utroque modo ægrotantibus valdè incommoda, ut qui æstu nimio torreantur. Inde factum ut pridem in desuetudinem abierint, nec jam unquam adhibeantur, nisi summùm ad partem aliquam particularem suffiendam, si skirrho, exostosi, ulcere, gummate, aut dolore venereo difficili laboraverit.

II. Idem fermè judicium de ceratis sive emplastris mercurialibus ferendum est ex *laudato capite*. Licet enim minus periculi habeant quàm suffumigia, attamen neque majore pollent efficaciâ, neque salivationem movent feliciorem; quandoquidem atomi mercuriales crassioribus & unguinosis emplastrorum partibus arctiùs irretitæ, nec frictione ullâ, sed calore solo corporis excitatæ & parciùs & lentiùs intrò subeunt. Adde & ægrotantibus incommoda esse, quos inde angi certum est calore, prurigine, varis, erysipelate, imò furunculis, propter nimiam emplastrorum acredinem, aut perspirationis inhibitionem. Ideo jam dudum ab universali eorum usu desitum est, neque jam ea admoveri unquam solent, nisi ad tumores skirrhosos, exostoses, gummata &c. in parte quâdam particulari resolvenda.

III. Unus est linimentorum seu unguentorum usus, in quo optatam tum facilitatem, tum efficaciam unà reperire est. Unguenta enim majorem minoremve recipiunt Mercurii quantitatem ut lubet; inunguntur ad dosim, quæ videtur utilis; repetitur inunctio pro usu; nullam in cute uredinem excitant, sed ad summum levem & fugacem calorem; Mercuriales atomi in unguentis laxè ligantur, extricantur facilè, fricationis motu altè adiguntur &c. Usus ergo linimentorum mercurialium cæteris omnibus præferendus est, ut sanè constat jam dudum præferri, non modò ad curandam luem veneream, quæ confirmata & universalis est, sed etiam ad morbos venereos quoscumque locales, seu ad luem veneream particularem & incipientem.

Leges in administrandis inunctionibus servandæ.

Ut autem præparatio & administratio unguentorum istiusmodi optimè instituatur, sequentibus legibus standum est.

1°. Eligendus Mercurius purus, à sordibus & plumbagine quàm maximè defæcatus, & si fieri possit è cinnabari redivivus, ut inde in tenuissimas atomos tantò faciliùs difflabilis sit.

2°. Extinguendus salivâ solâ in mortario æneo, vel summùm pauciss imis terebinthinæ guttis, ut partes laxiùs irretitæ ad pristinam formam promptiùs redeant.

3°. Admiscendus cum axungiâ suillâ, insulsâ, recente, quæ nullâ acredine, ut à rancidâ quandoque fit, cutem exurat, aut varos prurigino sos ad pilorum radices excitet.

4°. Æger illinendus ad ignem, qui flammâ ardeat, & post fricationem siccam, unde pars rubescat, eo fine ut pori ampliùs pateant, & Mercurium magis imbibant.

5°. Illinendus fricatione cum spissiore unguento, non penicillo pingendus cum liquidiore; ut mercuriales atomi motu & calore fricationis excitatæ altiùs penetrent.

6°. Fricatio quævis tandiu producenda, dum cutis illita videatur exarescere fricando, & fricantis manibus minùs lubrica fiat.

7°. Expedit non ab ægro fricationem fieri, ut à quibuſdam ſuaderi audio, ſed à miniſtris, qui ad opus habiliores & alacriores ſunt; manibuſque nudis, non chirotechâ munitis, ut calor major fricationi accedat. Non clam me eſt miniſtrum ipſum venire in diſcrimen ſalivationis, ſi idem pluribus fricandis in die vacaverit; at nullum periculum eſſe probè novi, ſi uni tantùm ſerviat, præſertim ſi ut primùm finita eſt fricatio, curet manus probè eluere.

8°. Oblita pars calidis femoralibus contegenda, ne illitum unguentum detergatur; & æger per horam unam à frictione lecto calidè continendus, ut Mercurius vi caloris altiùs introducatur.

9°. Sunt quibus placeat unguentum, quod cuti illitum ſupereſt, de induſtriâ extergere finitâ quâvis frictione, ne odore quem ſpirat prodatur remedii genus, quod occultari opus eſt; & id quidem facilè condonandum quoties juſtis de cauſis ægro neceſſe eſt, adhibitam Medicinam cautiſſimè diſſimulare, ac ſe quotidie coram amicis aut propinquis præſentem ſiſtere. At verò ſimul attendendum eſt 1°. Ut paulò major obliniatur unguenti doſis frictione quâlibet; 2°. Ut doſis oblita paulò diutiùs affricetur, donec unguentum videatur penitùs exareſcere, atque adeo duplici illâ viâ penſetur quicquid de remedii efficaciâ detrahitur præproperâ unguenti deterſione.

Quartò. Tandem ſupereſt noviſſima quæſtio, ſcilicet an majoribus, crebrioribus, quotidianis inunctionibus uber ptyaliſmus arte proritandus ſit, an contrà parciores & rariores inunctiones de induſtriâ adhibendæ, ut ſalivationis fluxus præcaveatur, vel parcior fiat. Dudùm habuit, habetque etiamnum opinio utraque auctores ſuos, & utraque quidem egregios. Facillimum tamen litem tantam componere, ſi ad ea, quæ *duobus ultimis capitibus* jam adducta ſunt, æquo animo attendatur. Utrum utra tutius ſit, ſalivationem movere an nullam excitare?

I. Salivationem, modò de admiſsâ intra corpus debitâ Mercurii quantitate conſtiterit, ad exterminandum morbum abſolutè neceſſariam non eſſe, ut ſuprà probavimus, *cap. præced.* contrà quàm olim à multis creditum fuit, & etiamnum à nonnullis creditur.

II. Nihilominus tamen ſalivationem evacuationem eſſe, quâ ceu viâ tutiſſimâ facillimâque virus, quod in ſanguine latet, maximam partem evacuatur; atque adeo cui, ſi deſit, opus ſit evacuationes alias quaſdam quaſi vicarias ſubſtitui, naturâ quidem per ſudorem vel urinam; arte verò per alvum, ut virus quà data porta poſſit effluere.

III. Imò verò ſalivationem medentibus cynoſuræ inſtar eſſe unde poſſint certiùs colligere, tum quanta Mercurii copia admiſſa ſit, tum quantam vim Mercurius admiſſus exerat in ſanguinem; atque adeo unde ſciant remedii efficaciam pro natâ morbi naturâ aut inveteratione tutiùs moderari.

IV. Videri proinde utroque nomine ſalivationem proritandam eſſe, ſi cætera conſentiant, tum ut exiturienti ſeminio morboſo via permittatur facillima, & quam remedii vis ſibi ipſa ſponte facit; tum ut liceat inde Medico conjicere quid jam actum ſit, quid ultrà agendum eſſe videatur, ne andabatarum more cæcâ nocte cogatur in morbum pugnare.

V. Salivationem potiſſimùm requiri, quoties in gravi, antiquâ, inve-

teratâ lue virus penetravit altiùs, ac plurimas partes jam invaſit. Tunc enim cùm morbus difficilior ſit, majori quoque operâ enitendum eſt, ut virus altè repoſtum evellatur radicitùs, & evulſum omninò eliminetur, atque adeo, ut vulgari fertur adagio, malo nodo malus cuneus quærendus eſt.

VI. Cautè tamen ſalivationem ſemper temperandam eſſe, & ſi è re eſſe videatur catharticis coercendam, ita ut & pauca fiant in ore ulcera, nec profunda; & ejectæ quolibet die ſalivæ copia unam aut alteram libram non excedat. Quorſum enim ægros tædio, ærumnis, vigiliâ, dolore, ſalivatione, temerè nec ſine vitæ periculo conficere, macerare, torquere, exhaurire, ſi curari poſſint æquè tutò, & majori compendio?

VII. Quin imò tardâ & parcâ Mercurii adminiſtratione de induſtriâ declinandam, aut ſi appareat arte reprimendam eſſe catharticis, ſi æger ad phthiſim inclinet, aut epilepſiâ laboret; ſi gingivæ ſcorbuto malè habeant; ſi collum, collique confinia glandulis ſtrumoſis obſita ſint; ſi mulier uterum gerat; ſi vires infirmæ diuturno ptyaliſmi tædio tolerando impares eſſe videantur &c. Sed de his fuſiùs alibi.

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER TERTIUS.

De Ætiologiâ, Diagnosi, Prognosi & Therapeiâ Morborum Venereorum localium,

SIVE

De Lue Venereâ incipiente.

CAPUT PRIMUM.

De Gonorrhœâ virulentâ.

§. I. DESCRIPTIO.

Descriptio gonorrhœæ in viris.

I. QUOTIESCUNQUE Gonorrhœa virulenta à conceptu seminio venereo affutura est, toties paucis post impurum coitum diebus, 4. 8. 12. primùm distillat guttatim per urethram non sine aliquo voluptatis sensu serum pingue, limphaticum, viscidum, sed paucum, quo extremæ canalis oræ conglutinantur; summa urethræ rima rubet, calet hiatque præter naturam; inassueta percipitur in genitalibus titillatio, præsertim inter meiendum, sine dolore quidem, sed cum aliquo caloris sensu, qui ad dolorem in dies propiùs accedit.

II. Deinde glisçit paulatim morbus; tenditur, rigescit, induratur nervus sine causâ, at non sine dolore; manant liquidioris seminis aut humoris seminalis guttæ multæ, spissæ, densæ, maximè cùm post emissam urinam vesica fortiùs exprimitur; crescit in dies urinæ difficultas cum mordaci acrimoniæ & caloris sensu in urethrâ totâ.

III. Posteà omnia intensiùs urgent; perineum tumet, calet, dolet; si prematur; ardor urinæ meientem urit, discruciat; erectio frequens est, involuntaria, dolorifica, cum sensu validæ constrictionis, imò verò quandoque cum distorsione penis incurvati; uber adest profluxus seminis, aut seminalis humoris calentis, diluti, acris; modò colore cinerei & puriformis; modò punctis, striis, filamentis sanguineis notati; modò graveolentis, flavi, viridis, verè purulenti.

IV. Demùm deferveſcente caloris vi, paulatim miteſcunt & remittuntur omnia; humor gonorrhoicus placatiùs fluit, magis albicat, ſpiſſior eſt, exhauſtâ ſenſim ſcaturigine penitus exareſcit, ejectis priùs floccis ſeu ramentis pluribus, tenuiſſimis, limphaticis, ſero innatantibus.

Deſcriptio gonorrhœæ in fœminis.

Quæ de viris diximus, pari fermè modo in mulieribus ſuccedunt. Siquidem I. Initio conceptâ labe madent paucis pòſt diebus muliebria inſolito humore, & frequens adeſt in vulvâ pruriginis ſenſus cum calore conjunctus, qui ab urinæ ardore propiùs abeſt in dies.

II. Dein aucto vaginæ calore, ardore, rubore, dolore, veretri admiſſio vix toleratur; urit acrimoniæ ſenſus inter meiendum, plerumque tamen remiſſiùs quàm in viris; profluit copioſus humor ſeminalis, calens, liquidus, acer, modò puriformis; modò ſanguinolentus; modò flavus, viridis, graveolens, verè purulentus.

III. Inde imminutâ ſenſim vaginæ & appoſitarum partium phlogoſi, ac miteſcente dyſuriâ, perſeverat tamen aliquandiù putris, vel purulenti ſeminis aut ſeminalis humoris effluxus, ſed in dies magis magiſque albicantis, donec pedetentim tandem ceſſet poſt emiſſos floccos limphaticos, tenueſque, qui urinæ velut ramenta albicantia innatant.

§. II. SEDES, DIFFERENTIÆ, CAUSÆ.

I. Sedes gonorrhœæ in viris.

I. Manat in gonorrhœâ ex urethrâ in viris, è vulvâ in fœminis, ſeminalis humor non modò calens, acer, mordax, ſed etiam multus, uber, copioſus. Inde liquet ergo ſeminaria conceptacula, quæ ſunt primæ ſeminis aut ſeminalium humorum ſcaturigines, unde ſemen aut ſeminales humores in urethram in viris, in vulvam in fœminis profunduntur, vel omnia vel pleraque vel ex iis unum quodvis malè affici: Siquidem certiſſimum eſt axioma, *Ibi morbi ſedem eſſe, unde profluit humor morbosè vitiatus.*

Hæc autem ſeminis conceptacula in viris quatuor ſunt. 1°. *Veſiculæ ſeminariæ* geminæ, ad latera principii urethræ hinc & inde ſitæ, quæ ſemen prolificum in teſtibus ſecretum in ſuis receſſibus recondunt, ac in uretham gemino, quo patent, oſtiolo juxta caput gallinaginis effundunt cùm opus eſt. 2°. *Geminæ proſtatæ*, ſeu potiùs *proſtata unica*, veſicæ collo ſubſtrata & lateraliter adſita, unde ſeminale fluidum in ipsâ ſecretum & duodecim capſulis coercitum, foraminibus totidem in urethram ejicitur. 3°. Ambæ *glandulæ Cowperianæ* ſub acceleratoribus muſculis propè anum ſitæ, quæ ſeminalem humorem ab ipſis ſecretum longo & obliquo utrimque ductu in eumdem urethræ canalem evomunt ad penis radicem, & uno circiter pollice ultra emiſſaria veſicularum ſeminariarum

&

& proſtatarum. 4°. Demum *cellulæ multiplices*, quibus interna urethræ facies conſita eſt, & quæ ſeminalem humorem vix diſparem ab humore glandularum Cowperianarum ipſæ quoque eructant. Cæterùm harumce cellularum nomine comprehendi velim glandulam ab Alexio Littre (*a*) deſcriptam, quæ citra proſtatam locata, urethræ adnata & inter utramque tunicam ſita, in hunc canalem multiplici foramine patet, unde jugiter manant guttæ aliquot humoris ſeminalis, qui cum humore glandularum Cowperianarum congener eſt.

(*a*) *Mémoires de l'Académie des Sciences*, ann. 1700.

Totidem ſunt in mulieribus conceptacula, unde ſeminales humores in vulvam poſſunt confluere, ſed alio ſitu diſpoſita. 1°. *Proſtatæ*, vel potiùs *proſtata*, quæ in fœminis urethram ambit, & in vulvam ſubter clitoridem dehiſcit duobus oſtiolis, ſive *lacunis* hinc & inde ad urethræ latera. 2°. *Glandulæ Cowperianæ* in perinæo ſive interfemineo propè anum ſitæ, quæ juxta caruncularum myrtiformium radices bino ductu pateſcunt in vulvam ad vaginæ principium. 3°. *Glandulæ botryformes* racematim per vaginam conſitæ, quæ ſecretum humorem tenuibus & diſcretis oſculis eructant in vaginam, unde in vulvam loci declivitate defluit. 4°. Denique *cellulæ* per urethræ faciem diſperſæ, quæ in fœminis tamen paucæ ſunt, cùm urethra brevis ſit, atque adeo quæ ſi fortè unquam, certè rariùs quàm in viris gonorrhœam ſolæ advocant.

Sedes gonorrhœæ in fœminis.

Inde ſequitur 1°. Gonorrhœam in viris quadruplicem eſſe poſſe ratione ſedis, nempe veſicularum ſeminariarum, proſtatarum, glandularum Cowperianarum, & cellularum urethræ, prout partes illæ ſingulæ ſingulatim afficiuntur.

Gonorrhœa multiplex eſt ratione ſedis tum in viris, tum in fœminis.

2°. Gonorrhœam in mulieribus pariter totuplicem eſſe poſſe, nimirùm proſtatarum, glandularum Cowperianarum, glandularum botryformium vaginæ, & cellularum quibus urethræ facies interna conſita eſt, ſi tamen hæc ultima ſedes ſola affici, aut affecta gonorrhœam poſſit unquam ſola inferre.

3°. Inde plures emergere in utroque ſexu gonorrhœæ compoſitæ ſpecies, quoties accidit in utroque ſexu, (accidit autem frequentiſſimè in gonorrhœâ) ut ſimultaneâ vel gradariâ & ſucceſſivâ labe plura feminis conceptacula, duo, tria, imò quatuor, adeoque omnia ſimul afficiantur.

4°. Simplices quidem gonorrhœas rarò dari, quoniam rarum eſt feminis conceptacula, cùm ratione officii, naturæ & humoris, quem continent, inter ſe conveniant omnia, & ſimili cauſarum earumdem efficaciæ ſingula pateant, plura à præſente causâ ſimul non affici.

5°. Si quando verò dentur, rariſſimè ſimplices perſtare toto morbi decurſu, quoniam cùm propè adſint invicem conceptacula ſeminaria, humoreſque inde deflui in urethrâ inter ſe communicent, rariſſimum eſt labem ab altero in alterum non propagari.

6°. Singulas gonorrhœæ tum ſimplicis, tum compoſitæ ſpecies, tametſi ſymptomatis pathognomonicis unà ſemper conveniant; gradu, numero, genere eorumdem ſymptomatum non parùm invicem plerumque diſcrepare.

Quæcumque hactenus de gonorrhœæ ſedibus dicta ſunt certiſſimis confirmantur argumentis. Conſtat enim in viris, qui gonorrhœâ virulentâ la-

Quibus argumentis

confirmentur, quæ de sedibus gonorrhœæ dicta sunt.

borant, perinæum tumere, calere, dolere, quod prostatarum, vesicularum seminariarum aut glandularum Cowperianarum inflammationem arguit. Constat in iisdem malum non rarò in testes devolvi, qui inde tument, calent, intensè dolent, quod probat malum priùs fuisse in vesiculis seminariis, quibuscum arctum testibus intercedit commercium per vasa deferentia seu ejaculatoria. Constat similiter in fœminis gonorrhœâ ægrotantibus extrema lacunarum oscula urethræ hinc & inde apposita manifestâ phlogosi & inflammatione aliquando, imò non rarò ulcere affici, ac in vulvam seminalem humorem semi-putrem infundere, unde liquet prostatas ad quas lacunæ pertinent, tunc morbo tentari. Constat quoque in iisdem vaginam aliquoties calere, dolere, & præternaturaliter madere humore seminali purulento, unde palam est morbi sedem tunc ibi esse. Constat demum observatione in cadaveribus eorum obviâ, qui gonorrhœâ ægrotabant dum mortui sunt, conceptacula seminis modò descripta in utroque sexu, malè semper se habere ex tumore, renitentiâ, rubore, phlogosi, inflammatione, exulceratione, suppuratione vel apostemate, &c.

(a) *Mémoires de l'Académie des Sciences*, ann. 1711.

Sed ne meâ fide loqui videar, consuli velim (*a*) Alexium Littre Doctorem Medicum, qui testatur se compertum habuisse observationibus iteratis in cadaveribus eorum institutis, qui dum fato functi sunt, gonorrhœâ actu laborabant.

1°. In gonorrhœâ virulentâ seminis conceptacula nunc omnia, nunc pauciora, nunc singularia malè affici.

2°. Quæcumque affecta sunt, tensa, dura, tumida, rubra, inflammata deprehendi.

3°. Modò quidem humore putri, albo, flavo, viridi referta esse, sed tamen integra & absque ullo suppurationis aut exulcerationis indicio; quod rarum.

4°. Modò verò suppurata, abscedentia, erosa, multifariam exulcerata, & purulento humore diversicolore turgida, quod frequens est.

5°. Emissaria, quibus conceptacula morbosa in urethram hiant, phlogosi & inflammatione semper, imò non rarò ulcere tentari in extremo fine qui in urethram abit.

(b) *In Epistolâ de luis venereæ historiâ & curatione.*

6°. Denique faciem internam urethræ ab emissariis illis ad summum usque glandis apicem humore eodem obduci, quo morbosa conceptacula turgent, & rubram esse atque phlogodeam, imò verò sæpiùs phlyctænoideam & ulcerosam.

Quid à variis in hoc erratum sit.

Errant proinde 1°. Quicumque credunt (*b*) cum Thoma Sydenhamio *contagionem* veneream in viris *carnosam virgæ substantiam primùm adoriri, quam corrumpens, eidemque primò inflammationem, mox ulcerosam diathesim sensim inducens efficiat, ut sanies, qualis in gonorrhœâ cernitur, in urethram lentè extillet:* quod nullâ ratione cum rei veritate stare posse jam lippis atque tonsoribus notum est.

(c) *L'Art de guérir les Maladies Vénériennes.* Part. 2. chapp. 6, & 10.

2°. Quicumque putant cum (*c*) Nicolao de Blegny gonorrhœæ sedem in mulieribus uterum esse, in quo confundit errore manifesto fluorem album sive muliebrem & virulentam gonorrhœam, affectus quidem specie similes, sed tamen re diversissimos, naturâ, causâ, sede & therapeiâ.

3°. Quicumque existimant cum (*a*) Guillelmo Cockburne Doctore Medico Anglo, gonorrhœæ sedem in viris quidem in urethrâ tantùm esse, numquam in prostatis, vesiculis seminariis, aut glandulis Cowperianis: In fœminis verò in vaginâ tantùm, nunquam in prostatis glandulisque Cowperianis, in quo certissimis observationibus nullo argumento, sed ex præjudicio tantùm repugnat.

(*a*) *De virulentâ gonorrhœâ symptomatis.* Part. 1. capp 3. & 4.

II. Profluit in gonorrhœâ semen aliquando calens, acre, dilutum, puriforme. Prodit ergo tunc è conceptaculis æstuantibus, irritatis, lacessitis, motu systaltico frequenti sese constringentibus, uno verbo è conceptaculis phlogosi vel inflammatione affectis.

II. Causæ conjunctæ gonorrhœæ in utroque sexu.

Profluit in gonorrhœâ semen aliquando calens, acre, puriforme; punctis, striis, filamentis sanguineis notatum, verè sanguinolentum. Prodit ergo tunc è conceptaculis, in quæ variis vasorum circumrepentium scissuris sanguis effunditur, hoc est quæ non modò inflammata sunt, sed quod gravius est, in quæ sanguis extravasatur.

Profluit tandem in gonorrhœâ semen calens, acre, flavescens, virideſcens, graveolens, verè purulentum. Prodit ergo tunc è conceptaculis, quæ non modò inflammata sunt, & inflammata cum extravasatione sanguinis, sed quæ simul erosa sunt & suppurata.

Hinc ergo sequitur 1°. Tres gonorrhœæ species distinguendas esse ratione causæ: *Primam*, quæ à phlogosi vel inflammatione simplici conceptaculorum seminis: *Alteram*, quæ ab eorumdem conceptaculorum inflammatione, sed graviore, & in quâ sanguinea vasa ῥῆξι discindantur, vel διαβρώσι dilacerentur; unde sanguinis extravasario: *Tertiam*, denique, quæ ab eorumdem conceptaculorum exulceratione vel suppuratione dependeat.

Gonorrhœa multiplex est ratione causæ.

2°. Tres illas diversas gonorrhœæ species, cùm solo gradu differant, inter se ita proximè convenire, ut nisi morbi vehementia citò refrenetur, prima in secundam, secunda in tertiam facilè convertatur, ingravescente tum causarum tum symptomatum atrocitate.

3°. Singulas illas gonorrhœæ species suos habere varioſque vehementiæ gradus, majores minoresve, pro extensione vel intensione inflammationis; pro numero vel amplitudine vasorum quæ aperiuntur, & aperturarum unde sanguis manat; tandem pro numero, extensione, altitudine exulcerationum.

III. Phlogosis & inflammatio cujuscumque partis quadruplex esse solet, prout cum cæteris tumorum generibus diversimodè concurrit; nimirùm *phlegmonodæa*, *erysipelatodæa*, *œdematodæa*, aut *skirrhodæa*. Idem ergo statuendum quoque de phlogosi sive inflammatione conceptaculorum seminis, quâ gonorrhœa infertur, atque adeo & ipsa quoque in totidem species pari modo distinguenda est.

III. Differentiæ gonorrhœæ in utroque sexu.

Hinc sequitur 1°. Ratione speciei inflammationis, à quâ gonorrhœa pendere potest, quatuor nova gonorrhœæ genera constituenda esse, nempe gonorrhœæ 1°. Quæ ab inflammatione *phlegmonodæâ*: 2°. Quæ ab inflammatione *erysipelatodæâ*: 3°. Quæ ab inflammatione *œdematodæâ*: 4°. Quæ ab inflammatione *skirrhodæâ* producitur.

2°. Proinde futurum esse, ut symptomata, quæ ad singula illa gonor-

rhœæ genera pertinent, multiplici ratione varient; numero, gradu, genere, pro diversâ inflammationis ſpecie, à quâ pendebunt.

Sic ergo, ut paucis contraham quæ diffusè dixi, plura ſunt ſumma gonorrhœæ genera pro diversâ ſede, causâ, ſpecie cauſæ, quæ quidem ſingula ſuas habent differentias, numero multas, ut modò dictum eſt, ſed ex quibus, ſi bina aut terna unà combinentur, multò plures emerſuræ ſunt.

Quæ dicta ſunt confirmantur exemplis ſimilibus.

Ne quis autem tot ac tam multiplices differentias gonorrhœæ temerè afferri putet, velim attendat totuplices in morbis quibuſvis inflammatoriis à practicis vulgò admitti.

Sic 1°. Inflammatio pulmonum in peripneumoniâ diverſum pulmonum lobum, aut diverſa ejuſdem lobi loca: Sic inflammatio inteſtinorum in dyſenteriâ diverſa inteſtina, aut diverſas ejuſdem inteſtini partes occupat, ut modò dicebamus de inflammatione conceptaculorum ſeminis, quâ gonorrhœa producitur. Et hinc *prima* claſſis differentiarum tum peripneumoniæ, tùm dyſenteriæ, nimirùm *ex ſede morbi.*

2°. Sic aliquando pulmones levi tantùm phlogoſi tentantur, & tunc ſputa copioſa, calentia, acria, puriformia, attamen merè pituitoſa ſeu limphatica tuſſiendo ejici, ut in catarrho; quod reſpondet primæ gonorrhœæ ſpeciei ratione cauſæ: Aliquando verò gravior inflammatio extravaſationem infert, & tunc ſputa calentia, acria, puriformia; ſed ſimul punctis, ſtriis, filamentis ſanguineis notata, aut verè ſanguinolenta expectorari, ut in principio peripneumoniæ; quod cum ſecundâ gonorrhœæ ſpecie quadrat: Demùm aliquando inflammatio in ſuppuratum abit, & tunc ſputa calentia, acria, graveolentia & verè purulenta educi ſolent, ut in peripneumoniâ ſuppuratâ, quod convenit cum tertiâ gonorrhœæ ſpecie.

Idem de inflammatione inteſtinorum dicendum eſt in dyſenteriâ, unde ſi inflammatio ſimplex fuerit, mucus multus, acer, calens, ſed pituitoſus; ut in dyſenteriâ incipiente: Si inflammatio cum extravaſatione ſanguinis conjungatur, mucus multus, calens, pituitoſus, ſed ſanguine perfuſus; ut in dyſenteriâ confirmatâ: Tandem ſi inflammatio ſuppuretur, aut exulceretur, mucus multus, calens, ſed putris, imò verè purulentus excernitur, ut in dyſenteriâ ſuppuratâ vel ulcerosâ. Et hinc *altera* claſſis differentiarum peripneumoniæ & dyſenteriæ *ex causâ.*

3°. Denique ſic inflammatio, quâ pulmones in peripneumoniâ, & inteſtina in dyſenteriâ tentantur, nunc phlegmonodæa, eryſipelatodæa, œdematodæa, aut skirrhodæa eſt, ut modò dictum fuit de inflammatione conceptaculorum ſeminis, quæ gonorrhœam creat: Et hinc *tertia* claſſis differentiarum peripneumoniæ & dyſenteriæ *ex ſpecie inflammationis.*

Cauſa antecedens gonorrhœæ eſt virus venereum.

Jam porrò, ut in explicandâ gonorrhœæ ætiologiâ procedamus, modò deſcripta in utroque ſexu ſeminis conceptacula nec phlogoſi, nec inflammatione, nec ſuppuratione aut exulceratione tentari poſſunt poſt impurum concubitum, ut in gonorrhœâ virulentâ, vel omnia vel pleraque tentari certum eſt, niſi acres, phlogiſticæ, corroſivæ particulæ perverterint naturalem indolem ſeminis, fluidorumque ſeminalium, quæ illa continent, quibus jugiter madent, quibus ſolis poſſunt impeti. Fatendum

ergo in iis, qui ex impuro concubitu gonorrhœam contrahunt, ſemen cæteraque ſeminalia fluida inquinari ab admiſtis infuſiſque partibus acribus, phlogiſticis, & corroſivis, quæ è virulento alterutrius coeuntium ſemine exhalantes, & cum ſano altero communicatæ *venereum* illud *contagium* conſtituunt tantoperè famoſum, quo ſenſim propagato luem veneream diſſeminari ſuprà diximus *Lib. 2. cap. 1.* & quod unicam cauſam efficientem gonorrhœæ & cæterorum affectuum venereorum eſſe credimus.

Quibus viis virus illud venereum ad conceptacula feminis illabatur?

Poteſt autem virus illud ſemini ac ſeminalibus fluidis commiſceri viâ geminâ: *Alterâ breviore* & faciliore, quâ in viro quidem à corruptæ fœminæ vaginâ ad genitalia per urethram aſcendit in ſubſtantiâ vel ſaltem tenuis auræ formâ; in muliere verò ab ejecto & intra vaginam admiſſo corrupti maris ſemine ad vicina ſeminis fœminei conceptacula illabitur vel exhalat: *Longiore alterâ*, quâ corrupti ſeminis guttulæ ſanis genitalibus per coitum applicitæ, ac per multiplices poros ſenſim introgreſſæ, ſanguinem circumfluum primùm, ac inde maſſam ſanguinis totam ita inficiunt, ut ſemini, dum in ſanguine latet, propter analogiam confuſæ, unà ſimul ad memorata conceptacula deferantur, ubi ſibi permiſſæ vires ſuas exerunt eo, quo jam dictum eſt, modo. Neutram quidem ex his communicationis viis rejectam volumus, cùm neutra aliquâ veri ſpecie deſtituatur, quamquam tamen videatur prior, quæ brevior & certior eſt, cum ſtructurâ partium, de quibus quæſtio eſt, & cum modo, quo gonorrhœa contrahitur in utroque ſexu, magis congruere.

Quomodo nunc diverſa ſeminis conceptacula.

I. Poteſt autem contagium venereum, quod genitalibus illabitur in actu venereo, vel aura morbifica, quæ ab eodem tunc exhalat, diverſa ſeminis conceptacula afficere, nunc plura, nunc pauciora; 1°. Pro uberiore aut parciore copiâ, majore aut minore energiâ, ratione quarum vel omnia ſimul vel pauciora tantùm adoriri poteſt: 2°. Pro diverſâ amplitudine oſculorum ſeu emiſſariorum, quibus conceptacula ſingula cum urethrâ in viris, aut cum vulvâ in mulieribus communicant, unde virus venereum auramve morbificam faciliùs uberiùſque admittunt, vel contrà: 3°. Pro diverſo compreſſionis gradu, quo à rigeſcentibus corporibus cavernoſis laudata emiſſaria variè, hoc eſt aut hæc aut illa, magis minùſve conſtringuntur & coarctantur, in actu venereo, dum miaſmata venerea præſto adſunt in obvia quævis impetum factura: 4°. Tandem pro diverſo conceptaculorum tono, quæ quidem, ſi denſa ſint & ſana, afflato veneno magis repugnant, idem verò, ſi mollia ſint & fungoſa, altiùs faciliùſque imbibunt.

Hinc ergo futurum eſt, ut in viris aliquando gonorrhœa in proſtatis, in veſiculis ſeminariis, in glandulis Cowperianis, imò in cellulis urethræ ſingularem ſedem habeat; aliquando verò plurибus locis ſimul inſideat; quæ de fœminis quoque pari modo debent intelligi mutatis mutandis.

Nunc eadem, ſed diverſimodè.

II. Virus conceptum in actu venereo variis conceptaculis ſeminis, in quæ admittitur, labem variam variè illaturum eſt, 1°. Pro diverſa copiâ, aut diverſo energiæ gradu, quocum agit in ſingula: 2°. Pro diverſo tono partium in quas agit, nempe ut molliores vel firmiores ſunt; ſenſu pol-

lent acutiore vel obtusiore ; majore vel minore, citatiore vel tardiore oscillatione exercentur : 3°. Pro diversâ sanguinis indole & quantitate, aut diverso motûs gradu quo truditur, scilicet ut acrior est aut insulsior ; copiâ magis minusve abundat ; celeriùs vel tardiùs movetur ; æstuat impensiùs parciùsve &c.

Hinc ergo futurum est ut in utroque sexu gonorrhœa qualemcumque sedem habuerit, modò phlogodæa tantùm, aut simpliciter inflammatoria ; modò inflammatoria cum adjunctâ sanguinis extravasatione ; modò tandem ulcerosa vel suppuratoria sit.

Nunc demùm cadē & eodem modo, sed gradu intensionis diverso afficiat.

III. Inflammatio, quâ gonorrhœa producitur, diversæ speciei futura est, 1°. Pro tono partis inflammatæ, ut naturâ mollior erit aut densior ; 2°. Pro naturâ & indole sanguinis, ut acrior erit salsiorque, impensiùsve rarescet, aut è contrà : 3°. Pro copiâ sanguinis, quæ vasis inest, uberiore vel parciore : 4°. Pro motûs gradu quo agetur, & pro momento quo appellet, nempe ut impetu nisuque majore vel minore in affectas partes arietabit.

Hinc ergo futura est inflammatio conceptaculorum seminis, à quâ gonorrhœa pendet, phlegmonodæa, erysipelatodæa, œdematodæa, vel skirrhodæa.

§. III. SYMPTOMATA.

Gonorrhœæ, sicut cæterorum morborum, quatuor sunt periodi, *principium*, *augmentum*, *status* & *declinatio*, unde varia est symptomatum ratio, gradus, vehementia.

I. Principio morbi levioris.

I. Initio gonorrhœæ 1°. Acres & corrosivæ contagii partes recèns admissæ conceptacula seminis, in quæ insinuatæ sunt, ad majores & citatiores contractiones sollicitant punctiunculis : Unde uberior secretio, atque inde *stillicidium seminalium fluidorum dilutiorum*. Sic & pari prorsus ratione fumus lacrymas ab oculis, piper salivam ab ore elicit.

1. Stillicidium seminis.

2. Extremæ urethræ rubor & calor.

2°. Stillatitiæ illæ humoris seminalis guttulæ, quæ rarioribus guttis tacitè depluunt, extremas urethræ oras, ubi hærent suspensæ, primùm agglutinant, ac deinde vi phlogisticâ inflant & rubefaciunt, unde *extremæ urethræ calor & rubor*.

In augmento.

3. Titillatio, prurigo, phlogosis genitalium.

3°. In morbi augmento, invalescentibus in dies morsibus à latente seminio illatis, internæ conceptaculorum tunicæ in majores majoresque crispationes gradatim adiguntur, quibus necessum est extremos arteriarum fines comprimi, complicari, constringi, atque ideo sanguinem in arteriis capillaribus hærere, stagnare, congeri ; unde phlogosis conceptaculorum, in quæ seminium venereum introgressum est, atque adeo unà cum phlogosi *calor*, *prurigo*, *titillatio genitalium*.

4. Inflammatio conceptaculorum seminariorum.

4°. Quin imò diuturnâ causarum earumdem præsentiâ consequens est ut singula in dies intendantur ; conceptacula fodicentur altiùs ; stamina, fibræ, membranæ in crispationes adigantur magis enormes ; sanguis à solitis viis penitùs præcludatur, præclususque, quà data porta in lateralia vasa limphatica tandem irrumpat. Hinc ergo *inflammatio* propriè dicta *conceptaculorum seminis, cum acuto caloris & acrimoniæ sensu*.

5. Dysuria.

5°. Contingit plerumque ut urethra simul & eodem modo ipsa quoque

inflammetur. Saltem ubi primùm inflammata ſunt ſeminis conceptacula, debet & ipſa, quæ in utroque ſexu illis contigua eſt, citò inflammari. At verò inflammatâ urethrâ debent fibræ nerveæ, quæ urethræ intertextæ ſunt, magis tendi, atque ideo à præterfluente urinâ vividiùs ſuccuti. Hinc ergo inter meiendum acer, mordax, urens doloris & caloris ſenſus in urethrâ, ſive *dyſuria*.

6°. Acutior doloris ſenſus in urethrâ inter meiendum involuntariam ſphincteris veſicæ conſtrictionem advocat ex noto ſympathiarum mechaniſmo. Hinc ergo ſupprimitur involuntariè urinæ fluxus, ſed qui ſuppreſſus momento temporis denuò permittitur voluntatis imperio, ſimilibus de cauſis iterùm iterùmque deinceps & ſupprimendus & permittendus alternatione eâdem. Hinc ergo fit, ut urina non æquali tenore & fluxu continuo emittatur in gonorrhœâ, ſed laboriosè, interruptis vicibus, ſubſultim, guttatim, & quaſi per ſtillicidium, hoc eſt ut *ſtranguria* cum dyſuriâ conjungatur. 6. Stranguria.

7°. Calentia & inflammata ſeminis conceptacula ipſa quidem acutiùs ſentiunt; vividiùs verò percelluntur à ſemine aut ſeminali fluido, quo turgent, acriore & calidiore. Hinc ergo liquet multiplicari & intendi utrâque cauſâ venereas genitalium titillationes, acceleratores proinde & erectores muſculos ex ſympathiarum legibus in contractiones majores & frequentiores agendos eſſe, penemque ſponte identidem inflandum & tendendum eſſe, unde *frequens & involuntaria erectio*. 7. Frequens & involuntaria erectio in viris.

8°. Simili mechanicâ ſponte & ſine præviis veneris illecebris excitatur in mulieribus, quæ gonorrhœâ laborant, frequens & involuntaria contractio fibrarum carnearum vaginæ, tum longitudinalium, tum circularium, unde frequens & involuntaria *vaginæ rigeſcentia & clitoridis tentigo*, etiam dum libidinosè non cogitant. 8. Vaginæ & clitoridis tentigo in fœminis.

9°. Sed dum penis erigitur, neceſſe eſt urethram diſtrahi, & proſtatas, veſiculas ſeminarias, & glandulas Cowperianas, quæ peni appoſitæ ſunt, comprimi. Illæ verò partes, cùm ex dictis inflammatæ ſint, neque diſtrahi, neque comprimi poſſunt ſine acuto dolore. Ergo neceſſum eſt *erectionem penis*, quæ in gonorrhœâ frequenter ſupervenit, *dolorificam tunc eſſe*. 9. Erectio dolorifica.

10°. Pari quoque modo in fœminis, dum riget & tenditur vagina tentigine, interior illius membrana complicatur, premunturque proſtatæ & glandulæ Cowperianæ, quæ vaginæ adjicent. Sed nec membrana illa complicari, nec proſtatæ glandulæque Cowperianæ premi poſſunt citra dolorem ſævum, quippe quæ inflammatione tentantur. Igitur & in fœminis quoque rigidæ *vulvæ & vaginæ tentigo dolorifica* futura eſt in gonorrhœâ. 10. Vaginæ tentigo dolorifica quoque.

11°. Quandiu inflammatio verendorum actu viget, nec in viro penis erigi, aut erectus intrudi; nec in fœminâ vagina dilatari, aut dilatata ſuccuti poteſt ſine dolore, cujus intenſio inflammationis intenſioni reſpondeat. Non poſſunt ergo, nec vir, nec fœmina, quandiu gonorrhœâ inflammatoriâ laborant, *veneri indulgere ſine dolore*. 11. Difficilis uſus rei venereæ in utroque ſexu.

12°. Quandiu manet inflammatio conceptaculorum ſeminis, tandiu fluida ſeminalia debent uberiùs ſecerni geminâ de causâ, tum quòd majoribus & vehementioribus arteriarum oſcillationibus fortiùs exprimantur per colatoria, tum quòd ab hærente & ſtagnante cruore colatoriis ſugge- 12. Copioſus efflu-xus ſeminis, vel humoris ſeminalis.

rantur uberiùs. Hinc ergo *copiosius & perennis effluxus seminis aut fluidi seminalis*, dilutioris, calidioris, acrioris, cujus jugi distillatione omnia ingravescunt & exacerbantur.

13. Effluxus seminis vel seminalis humoris dilutioris & acrioris, sed qui colorem nativum retinet.

13°. Semen autem, fluidave seminalia, quæ in hac gonorrhœæ specie à genitalibus distillant, quamquam diluta, acria, calentia sint, nativum tamen *colorem* ferè *retinent*, nimirum *albicantem* vel ad summum ex *albo-cinereum*, quoniam sincera sunt nec ullam alieni humoris mixturam experiuntur, quo possit nativa facies corrumpi vel inquinari. Sic in peripneumoniâ incipiente vel levi, ubi nulla adest extravasatio aut suppuratio, sputa licet caleant & acria sint, attamen merè pituitosa sunt, atque adeo è cinereo-albicantia, quandiu sunt impermixta.

Ea solet esse morbi periodus in leviore gonorrhœâ quæ fit à phlogosi vel à simplici conceptaculorum seminis inflammatione sine extravasatione & exulceratione, & quæ maximè in ægrotantibus optimè constitutis, & in quibus tum à sanguine vitium, tum ab affectis partibus abest antecedens labes, intra mensem unum plerumque sanatur, modò inflammatio, quæ affectis partibus inducta est, provido remediorum usu & diætæ regimine sine graviore noxâ resolvatur.

II. In morbo graviore & difficiliore.

II. Contrà verò si nimia fuerit admissi contagii acrimonia vel copia; si inflammationi nullis vel inefficacibus remediis occurratur; si error admittatur in diætâ gravis, multiplex; si sanguis in ægrotante peccet acrimoniâ, aut si loca affecta labe aliquâ malè priùs habuerint, omnia solent inde intendi, in pejus gradatim ruere, & ad eum gradum tandem deduci, qui summus est morbi status.

1. In viris perinæum, in fœminis vulva & vagina calent & dolent.

Nempe 1°. *Perinæum* quidem in viris, in fœminis verò *vulva & vagina impensè calent, tument, dolent*, quòd in viris substrata perinæo, in fœminis adsita sint vulvæ ac vaginæ conceptacula seminis, quæ gravi tentantur inflammatione.

2. Effluxus humoris, flavi, crocei, subflavi.

2°. Interna conceptaculorum facies seminii morsibus objecta violentis crispationibus discinditur, vel iteratis punctiunculis tandem eroditur. Tunc ergo rorant ex hiulcis vasis guttulæ sanguinis, quibus dilutis, confusis, intimè commixtis nativus seminis, aut seminalis fluidi color inficitur. Hinc *crocea, flava*, aut *subflava fiunt fluida illa seminalia*, quæ in gonorrhœâ gravi distillant; haud dispari ratione ac in peripneumoniâ sputa flava, seu potiùs rubiginosa tussi ejiciuntur, quoties infuso sanguine pauco vitiata sunt.

3. Imò viridis, aut ex flavo-virideſcentis.

3°. Ingravescentibus sensim primis illis sciſſuris, ulcuscula in conceptaculis generantur, lata vel exigua, alta vel superficiaria, pauciora vel numerosiora, pro contagii vi, sanguinis acrimoniâ, aut partis ipsius mollitie; unde pus sanieſve jugiter manant, quibus fluida seminalia jam flava viridi vel ex flavo viridi colore tinguntur. Hinc *profluvium humoris spissioris, acrioris, corrosivi, purulenti, viridis aut ex flavo-virideſcentis*, qui ex semine vel seminali fluido, pauciſſimis sanguinis stillis & aliquot puris guttis componitur. Sic in peripneumoniâ sputa solent ex flavo viteſcere, quoties latet in pectore suppuratio vel exulceratio.

4. Acerbiores dy-

4°. Jugi defluxu humoris istiusmodi, uberioris, acrioris, verè purulenti neceſſum est urethram magis ac magis inflammari in dies; imò verò

ulcuſculis

ulcuſculis non paucis interdum affici, potiſſimùm in extremis emiſſariis, quibus ab inflammatis conceptaculis morboſus humor urethræ inſtillatur, & quibus adhæreſcit diutiùs. Hinc ergo futurum eſt ut vividiùs à præterfluente lotio percellatur inter meiendum, unde non leve *augmentum* accedet *dyſuriæ & ſtranguriæ.* — ſuria & ſtranguria.

5°. Urethra graviter inflammata aut ulcuſculis ſaucia non poteſt in erectione penis vi diſtrahi ſine acerbo doloris ſenſu; quantumcumque verò diſtrahatur, non poteſt unquam peni in erectionem nitenti coextendi: Quamobrem neceſſum eſt penem erigi cum dolore ſummo, & cùm maximè riget deorſum inflecti & incurvari quaſi chordâ ſubtenſâ, unde tunc *gonorrhœa chordata* dicitur. — 5. Gonorrhœa chordata.

6°. Quandoque verò accidit, ſed rarò & in graviſſimâ tantùm gonorrhœâ, ut ligamentum membraneum, quo dorſum penis commiſſuræ oſſium pubis alligatur, quin imò alterutrum è corporibus cavernoſis, quæ penem conſtituunt, inflammatione afficiantur; quæ ſi eveniant, neceſſum eſt & penem cum dolore diſtendi, & *diſtentum* vel *ſurſum reflecti*, vel *ad alterutrum latus obliquè declinare.* — 6. Incurvatio vel diſtorſio penis.

7°. Cùm urethra inflammatione vel exulceratione laborat, haud rarum eſt poſt erectionem *guttulas ſtriaſve ſanguinis cum ſemine aut ſeminali fluido*, quæ à genitalibus manant, *commiſceri*, quæ à diſciſſâ urethrâ diſruptiſve ulcerum labris proveniunt. — 7. Efflu-xus ſanguinis poſt erectionem.

8°. Quòd ſi inflammatio ab urethræ ſuperficie altiùs penetret & ad celluloſam uſque ſubſtantiam, quâ urethra cingitur, gradatim promoveatur, inde futurum eſt ut membranaceæ illius ſubſtantiæ cellulæ expanſioni validè repugnent, dùm penis tenditur, & ſi fortè cedant, gravem ab expanſione dolorem experiantur. Unde *dolor ille, ſenſuſque validæ conſtrictionis*, quâ penis ſtringi videtur, cùm in erectionem nititur. — 8 Senſus conſtrictionis in erectione.

9°. Debent hæc eadem de mulieribus intelligi, quæ ipſæ quoque *acutum doloris & adſtrictionis ſenſum ſolent experiri in vaginâ & in vulvâ*, ſi partes illæ involuntariâ tentigine rigeſcant, quandiù inflammatæ ſunt. — 9. Dolor ſimilis in vaginâ.

10°. Proinde neque vir neque fœmina *veneris uſu frui poſſunt* in graviore gonorrhœâ, *niſi cum dolore ac labore ſummo*, & quod plerumque pejus eſt, cum manifeſtâ morbi exacerbatione. — 10. Tunc ergo veneris uſus in utroque ſexu valdè dolorificus.

Cùm gonorrhœæ malitia, vi ſeminii morboſi, ægrotantis incuriâ, medentium culpâ aut alio quocumque fato eò uſque proceſſit, cautâ ac diligenti therapeiâ opus eſt, quæ inflammationi & erethiſmo genitalium occurrat, quæ ſymptomatum vehementiam leniat, quæ conceptacula tabo diffluentia detergat, quæ latentes ſeminii reliquias profliget & eliminet, demùm, quæ ulcera cicatrici repugnantia conſolidet, ſed hæc ſingula, cùm ſint factu difficilia, multi temporis indigent.

III. Si ea ex votis ſuccēdant, 1°. Remittente inflammatione *remittent* pari paſſu *calor, dolor, erethiſmus genitalium.* — III. In morbi remiſſione. 1. Dolor minor.

2°. Seminalis humor, qui profluit, in dies futurus eſt *ſincerior, ſpiſſior, candidior, minùs acer & mordax*, ſemini aut ſeminali fluido magis analogus, cum ſemine tandem perfectè concolor & congener. — 2. Humor ſeminalis, candidior.

3°. Cùm ulcus ad coitionem properat, ferè perpetuum eſt emitti *lymphaticos floccos filorum inſtar ſpiſſos, denſoſque*, qui velut ramenta urinæ in- — 3. Flocci

limphatici in lotio.

natant, & qui limphâ nutritiâ conſtant, quæ dum ulcera reſarcit, in ipſis conceptaculorum canaliculis in floccos inſpiſſata conformatur.

4. Ceſſat ſeminis profluvium.

4°. Denique reſolutâ inflammatione & ulceribus cicatrice obductis, *ſponte ceſſat ſeminis, ſeminalis fluidi puriſve profluvium*, & omnia naturalis œconomiæ munia inſtaurantur.

§. IV. DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

I. Diagnoſis gonorrhœæ in viris.

I. *Diagnoſis* gonorrhœæ virulentæ facilis eſt in viris: In illis enim quidquid ex urethrâ defluit, vel à conceptaculis ſeminariis manat; ut ſemen, ſeminalia fluida, pus &c. in gonorrhœis; vel à veſicâ, uretheribus, renibuſque ut pus, ſanies, mucus, & mucoſa pituita in variis renum & veſicæ affectibus. Utcunque verò materiæ, quæ ex utroque loco ejiciuntur, conveniant aliquando ſpecie, formâ, indole, quod tamen perpetuum non eſt, certè differunt ſemper modo quo ejiciuntur. Hæ ſiquidem numquam niſi cum urinâ defluunt, atque adeò numquam niſi dilatato veſicæ ſphinctere, quòd nempe à loco proveniant ultra ſphincterem poſito; illæ verò ſeorſim ab urinâ prodeunt ſolæ, etiam cùm ſphincter maximè conſtrictus eſt, quòd à conceptaculis manent citra ſphincterem ſitis.

Hinc ergo obvium eſt diſcrimen, quo gonorrhœæ quævis à variis puris aut muci ſtillicidiis ex veſicâ dignoſcantur. Sed neque operoſius eſt quod ſupereſt conficere, nempe gonorrhœas diverſas diſtinguere; *ſimplices*, quæ inaſſuetæ potationi cereviſiæ; equitationi nimiæ; immoderato uſui veneris, etiam puræ; aut clyſteri calidiùs admiſſo ſuccedunt: Et *virulentas*, quæ uſu impuræ veneris contrahuntur contagione. Priores enim ſine erethiſmo invadunt, ſine dolore fluunt, citò & ſponte ceſſant, nec ullâ ſtipantur malignitate. Poſteriores verò gravem dyſuriam advocant in principio, diuturnæ ſunt difficileſque, ac manifeſta acrimoniæ & virulentiæ indicia præbent totâ ægrotatione.

Et in fœminis.

At verò non ita certa eſt in fœminis gonorrhœæ virulentæ diagnoſis. Quæcumque ad vulvam in iis confluunt, vel à veſicâ per urethram, ut in veſicæ, renumque affectibus modò declaratis; vel ab utero per vaginam, ut in fluore muliebri; vel demum à proſtatis, glandulis Cowperianis, glanduliſque botryformibus vaginæ defluunt, ut in gonorrhœis cujuſcumque ſpeciei. Quæ modò quidem diximus circa viros, valent hæc eadem in fœminis quoque, tum ad diſcernenda puris aut muci ſtillicidia, quæ à veſicâ prodeunt, à gonorrhœis quibuſcumque, quæ à conceptaculis ſeminariis manant; tum ad diſtinguendas diverſas gonorrhœæ ſpecies, nempe ſimplicis aut virulentæ. Verùm ſolet in fœminis gonorrhœa cum fluore albo, qui ab utero per vaginam manat, ſæpiſſimè confundi, ad quem ſanè, ut primùm inflammationis vehementia remiſit, videtur ipſa proximè accedere, & cui errori favent mulieres, quæ morbi cauſas, vel ignorant aliquando bonâ fide, vel datâ operâ plerumque malâ fide diſſimulant.

Itaque ſi rei veritas, notitiaque primævæ indolis morbi ex ægrotæ confeſſione elici non poſſit, vel propter ignorantiam, vel propter diſſimula-

tionem peſſimam, tunc una ſupereſt veri indagandi ratio, nimirùm ſi vulva introſpiciatur. Monuimus enim ſuprà tres in mulieribus ſedes eſſe gonorrhœæ, proſtatas, glandulas Cowperianas, & glandulas vaginales. Quamobrem ſi purulenta materies ex proſtatis per lacunas in ſuperiorem vulvæ partem, aut ex glandulis Cowperianis in inferiorem exprimatur, inde palam futurum eſt fœminam gonorrhœâ laborare, non fluore albo, quoniam in illo materies putris ab utero per vaginam promanat. Quod adhuc certiùs conſtabit, ſi qua ſimul appareant inflammationis aut ſaltem phlogoſeos ſigna in iis vulvæ locis, quibus proſtatæ aut glandulæ Cowperianæ adſident, dum cætera vulvæ loca ab omni labe immunia ſunt.

At ſi gonorrhœa vaginalibus glandulis forſan inſideat, ut inſidet ſæpè, ultrò confitendum eſt ne vulvæ quidem inſpectione à fluxu muliebri ullo pacto diſtingui poſſe, quippe qui & ipſe viam eamdem conſpurcet: Unde tunc futurum eſt ut res in ambiguo ſit, donec aperta confeſſio ægrotæ, mariti aut viri cui conſuevit, verum tandem prodat; vel mali natura conjecturis ſaltem definiatur captis ex diuturnitate & difficultate morbi, aut ex ſymptomatis, quæ pedetentim ſuperveniant, & quæ veneream cauſam atteſtari videantur.

Haud me latet tamen quid à Scriptoribus * nonnullis vulgò afferatur ad inſtituendam, ut ipſi putant, certiſſimam utriuſque morbi diagnoſim. Volunt nempe fluxum gonorrhoicum & virulentum eſſe, quoties permanet conſpicuus fluentibus etiam catameniis: Contrà verò fluorem muliebrem ſeu album eſſe, quoties evaneſcit, ſeu potiùs videtur evaneſcere prodeuntibus menſtruis, non rediturus niſi poſtquam menſes ceſſaverint.

Sed hæc, quantâvis proferantur confidentiâ, ad gonorrhœam virulentam fluore muliebri dignoſcendam nequaquam poſſunt conducere: Neque enim ſatis vera ſunt de fluxu gonorrhoico, qui à proſtatarum aut glandularum Cowperianarum labe dependeat; at verò certiſſimè falſa ſunt de gonorrhoico omni fluxu, qui à vaginalibus glandulis ſcaturiat.

1°. *Non ſatis vera ſunt* de gonorrhoico fluxu, qui à proſtatis fœmineis, glanduliſve Cowperianis manat: Licet enim virulentæ materiei ſcaturigo à vaginâ, quæ catameniorum via eſt, nonnihil tunc diſſita ſit, cum iiſdem tamen quandiu profluunt, maximè ſi profluant ubertim, debet ea materies ita commiſceri in vulvâ, atque adeo atro ſeu purpureo colore ita infici, ut plerumque nullâ ratione poſſit jam ampliùs dignoſci in mulieribus, quandiu menſtruantur.

2°. *Certiſſimè falſa ſunt* de gonorrhoico fluxu, quicumque à botryformibus vaginæ glandulis ſcaturit; cùm etenim materia virulenta, quæ inde defluit, cum menſtruo ſanguine ab utero vel à vaginâ depluente & diu & per intima ſubacta confundatur in ipsâ etiam vaginâ haud diſpari modo quàm limpha ipſamet, quæ in fluore albo diſtillat ex iiſdem locis, inde neceſſum eſt ut gonorrhoicus fluxus iiſdem planè viciſſitudinibus obnoxius ſit, quibus fluxus ipſe muliebris, atque adeo de utroque perinde verum ſit, quodcumque de alterutro. Quapropter liquet nulla inde erui poſſe ſigna, quæ morbum à morbo dijudicent & diſtinguant, in quo conſentientem habemus experientiam.

* Præſertim à Charletono *in Genealogiâ Rheumatiſmi uterini, ſive fluoris albi Hiſtoriâ.*

II. Diagnosis sedis gonorrhœæ.

II. De sede gonorrhœæ nullis constat indiciis certis; neque magnopere opus est ad curationem, cùm ubivis gonorrhœa sedem habuerit, eadem ferè remedia ex usu futura sint. Haud inanibus tamen conjecturis potest colligi, gonorrhœam insidere.

1°. *Prostatæ & vesiculis seminariis*, quæ ejusdem mali consortes esse solent propter vicinitatem, nempe quoties materies uber est; tumor dolorque perinæum longè latèque occupant, & altiùs sepulti videntur; testes sine causâ vel saltem levi de causâ in morbi societatem veniunt; denique symptomata omnia, dolor, calor, erethismus genitalium intensè urgent. Conjicitur autem vesicula alterutra tantùm affici, si alteruter tantùm testis caleat, doleat, tumeat, utraque, si uterque.

2°. *Glandulis Cowperianis*, quæ mole parvæ sunt & situ cutaneæ, quoties tumor & dolor minùs extensi, magis superficiarii, & ad anum propiùs adpositi sunt; pauca defluit materies; symptomata remissa sunt. Conjicitur pari modo utramque glandulam Cowperianam simul ægrotare, si tumor, calor & dolor ani confinia occupent ad utrumque latus raphes; alterutram verò, si ad alterutrum tantùm.

3°. *Cellulis urethræ*, quoties pauciſſimus humor distillat, nullusque in toto perinæo tumor, dolor aut calor percipitur. Vix tamen credo ab affectis solis urethræ cellulis gonorrhœam ullam unquam induci posse, præter gonorrhœam illam, quæ sicca dicitur, & de quâ infrà.

4°. Demum *omnibus simul partibus* memoratis, quoties omnia memorata indicia unà concurrunt, atque adeo gonorrhœa intensissimo genitalium calore, ardore, erethismo stipatur.

III. Diagnosis causæ gonorrhœæ.

III. Causa triplex, quâ gonorrhœam produci dictum est, non tam ex diversâ symptomatum naturâ dignoscitur, quæ plerumque æquivoca videri posset, quàm colore diverso humoris distillantis, de quo certum esse potest judicium.

Sic 1°. Humor pellucidus, albicans, vel ex albo cinereus, uno verbo coloris retinens, qui semini aut seminali fluido naturalis est, *phlogosim* aut simplicem tantùm *inflammationem*.

2°. Humor idem croceus, flavus aut obscurè flavescens, atque adeo confusis, dilutis & intimè commixtis sanguinis guttulis tinctus *inflammationem*, quæ *cum extravasatione* conjuncta sit.

3°. Denique humor ex flavo virescens, viridis aut atro-viridis, adeoque puris admixti præsentiâ contaminatus *ulcerosam* aut *suppuratoriam inflammationem* arguit.

IV. Diagnosis differentiarum gonorrhœæ.

IV. Haud dispari ratione de specie inflammationis conjiciendum est.

Nempe 1°. *Oedematodæam esse*, si copiosa manet materia, sed serosa, diluta, parùm mordax; si dysuria, calor, erethismus genitalium mediocres sint, cum molli perinæi tumore.

2°. *Phlegmonodæam*, si materies non quidem minùs uber distillet, sed spissior ac mordacior; si dysuria, calor dolorque genialium acerbiores sint; cum manifesto & firmo perinæi tumore.

3°. *Erysipelatodæam*, si dysuria, calor, dolor & erethismus genitalium intensissimè urgeant; si fluat materies pauca, sed acerrima, mordaciſſima & summè flava; neque tamen perinæi tumor symptomatum vehementiæ respondeat.

4°. Ultimò *Skirrhodæam*, ſi tumor manifeſtus & renitens perinæum occupet; ſi pauca profluat & ſpiſſa materies; ſi dolor, calor, erethiſmus genitalium moderati ſint; ſi remittente dyſuriâ ſuperſit ſtranguria propter compreſſionem à skirrhoſis proſtatis aut veſiculis ſeminariis appoſitæ urethræ illatam.

Prognoſis. I. Cùm gonorrhœa morbus ſit inflammatorius, debet & ipſa pro more cæterarum inflammationum, quatuor modis judicari, *reſolutione*, *ſuppuratione*, *skirrho*, *gangrenâ*. I. Prognoſis gonorrhœæ in genere.

1°. Optimum quidem eſt *reſolvi* inflammationem, quæ gonorrhœam parit: Inde enim cita ac perfecta curatio ſine ullâ labe, quæ in affectis partibus ſuperſit. Sed reſolutio rarò ſuccedit, nec ferè unquam niſi in levioribus gonorrhœis, & in quibus ægri tum iteratis ſanguinis miſſionibus ultrò acquieſcunt, tum à regulâ & præſcriptione diætæ ne latum quidem unguem diſcedunt, quod in ægrotantibus perrarum, præſertim cùm (*a*) *propter adoleſcentiam minùs vident, magis impensè cupiunt, conſulunt parum.*

(*a*) *Terent.* Adelph. Act. 5. Scen. 9.

2°. Gravius eſt verò inflammationem in *ulcus* vel *ſuppuratum abire*, ut in omni gonorrhœâ, ſi à principio negligatur, ferè perpetuum, & in gravi haud infrequens eſt quantacumque cura adhibeatur. Tunc enim 1°. Curatio tardior eſt diuturniorque, quia ulcus vel apoſtema inde genitum pedetentim & gradario progreſſu detergendum, carnibus opplendum, cicatrice obducendum eſt. 2°. Minùs perfecta, quia, etſi cætera incommoda abeſſent, at certè cicatrix ſuperfutura eſt, quæ ſi nimis dura, aut æquo fungoſior fuerit, urethram perinde anguſtatura eſt, unde ſtranguria, gonorrhœæ pediſſequa.

3°. Idem impendet periculum, ſi inflammatio in *skirrhum convertatur*; nam pars skirrhodæa urethram, cui adjacet, ita mole comprimet, ut illa exiturienti urinæ ægrè pervia ſit, unde ſtranguria habitualis in iſchuriam facilè degenerans.

4°. Demùm de ægri ſalute ferè conclamatum eſt, ſi inflammatio *in gangrenam deſinat*, ut cui cùm in occulto lateat, efficaciter mederi difficillimum ſit. Abſit tamen de gonorrhœâ vix unquam tam malè ominari, niſi fato peſſimo inflammatio urens, deleteria, intenſiſſima ſit; niſi omnia omnino auxilia omittantur; quin imò niſi pars inflammata diuturnâ equitatione, aut coitione immodicâ, compreſſa, contuſa, malè habita fuerit.

II. Cæteris paribus *gonorrhœa levior* eſt, ſi quod tamen rarum eſt, *glandulas Cowperianas tantùm afficiat*, quia cùm parvæ ſint & cuti proximiùs ſubjectæ, inde morbus minor eſt, & topicis remediis non inacceſſus; ſeminis purulenti effluxus parcior; & abſceſſus, ſi fortè accidat, curatu facilior cute incisâ. II. Prognoſis gonorrhœæ pro diversâ ſede.

Contrà verò *gravior* eſt *gonorrhœa*, quæ ſedem habet *in proſtatis* aut *veſiculis ſeminariis*, tum quia cùm majores ſint, inde quoque major eſt & latiùs extenſa inflammatio, uberiuſque ſeminis putridi effluvium; tum quia ſi loca affecta abſcedant, ſanatio difficiliùs & lentiùs ſucceſſura eſt.

De prognoſi gonorrhœæ, quæ *ſolis urethræ cellulis* inſideat, vix quidquam dicendum occurrit, cùm hujus tractatio ad ſecundum ſequentis capitis articulum pertineat, ubi *de gonorrhœâ ſiccâ*.

III. Diagnosis gonorrhœæ pro diversâ specie inflammationis.

III. Gonorrhœæ fata, discrimina, therapeiæ differunt quoque inter se pro diversâ inflammationis specie, à quâ morbus dependet.

Nimirùm 1°. Si ab *œdematodæâ*, nec acerba ægrotatio, cùm omnia lenia vel saltem moderata sint, nec curatio difficilis futura est, cùm plerumque nulla, vel ad summum levis tantùm fiat exulceratio. Quamobrem parcior sit sanguinis missio, rarior diluentium & humectantium exhibitio; contrà verò purgatio frequens, iterata, sicut & usus ptisanæ sudoriferæ ex lignis Guaiaci & Sassafras, radicibusque Chinæ & Salsæ-parillæ; alioquin enim metuendum foret, ne per relaxata sero conceptacula, aut conceptaculorum emissaria aquosius semen distillaturum sit, etiam post curatam gonorrhœam.

2°. Si à *phlegmonodæâ*, majus imminet periculum futuræ suppurationis, ideoque præmissis venæ sectionibus pluribus largiter exhibenda diluentia, demulcentia, anodyna, à quorum usu non priùs desistendum quàm genitalium calor & erethismus manifestè remiserint.

3°. Si ab *erysipelatodæâ*, jure metuendum est, ne gravis succedat partium affectarum exulceratio, ideoque præmissis venæ sectionibus, non diluentibus modò, demulcentibus & anodynis insistendum est, ut in casu præcedenti, sed etiam narcoticis, quæ acutiorem partium dolentium sensum obtundant minuantque.

4°. Tandem si à *skirrhodæâ*, non omittenda quidem remedia, quæ hactenus indicata sunt, sed diligentissimè curandum, ut interno usu præparationum mercurialium, ac potissimùm externis perinæi inunctionibus cum unguento mercuriali materia in affectis conceptaculis hærens & impacta discutiatur & resolvatur.

IV. Diagnosis gonorrhœæ pro naturâ symptomatum.

IV. Cæterùm gonorrhœa qualiscumque, modò medicina adhibeatur opportuna, periculo vacat, ac feliciter sanatur, tardiùs citiùsve pro symptomatum vehementiâ, contagii venerei acrimoniâ, variâ sanguinis diathesi &c.

2°. Verùmtamen si gravior fuerit, ac diutiùs repugnaverit remediis, curatæ solet plerumque supereſſe involuntarium & habituale seminis stillicidium, ob erosa, dilatata, vel relaxata prostatarum aut vesicularum seminariarum emissaria.

3°. Gonorrhœa luem venéream numquam inducit, modò semen aut seminale fluidum contagio venereo contaminatum ubertim & liberè profluat, quia admissum virus exhauritur, potissimùm quidem, si simul ea usurpentur remedia, quæ eidem scopo accommodata sunt.

4°. At verò si virulenti seminis aut seminalis fluidi effluxus supprimatur aut imminuatur, tunc refluxu morboſi seminii sanguinem contaminari necessum est, atque adeò luem venéream contrahi. Supprimitur autem vel imminuitur effluxus ille pluribus de causis, 1°. Superventu febris, unde auctâ partium affectarum inflammatione seminis emissaria obstruuntur: 2°. Callo vel fungo in exulceratis conceptaculis seminariis oborto, quo eadem emissaria comprimuntur vel offerciuntur: 3°. Præpostero astringentium usu, quibus emissaria eadem constipantur, 4°. Inflammatorio vel skirrhodæo testium tumore, quo semen congestum retinetur.

5°. Gonorrhœa cujuscumque speciei fuerit, solet in fœminis toleratæ

facilior esse, cæteris paribus, quàm in viris: Quòd illæ nulli vel ad summum levi dysuriæ obnoxiæ sint, *nulli* quidem, si gonorrhœa sedem habeat in glandulis vaginalibus vel Cowperianis, cùm urethra hinc longè distet; ad summum verò *levi*, si ipsi prostatæ insederit, quamvis enim urethra ab omni inflammatione tunc immunis non sit, attamen præceps urinæ rivus per urethræ ductum, qui brevior est latiorque in fœminis, nullâ vel minimâ noxâ facilè transfluit. Contrà verò in viris, cùm affecta conceptacula omnia cum urethrâ communicent, quæ proinde mali semper consors est, fit inde ut in his non modò dysuria perpetuò adsit, sed etiam semper gravior sit acerbiorque, quoniam præterfluens urina eò vividiùs urethræ illidit in viris, quò via angustior est quàm in fœminis, ac illisus eò pluries repetit, quò via eadem longior est.

6°. Pari quoque ratione gonorrhœa cujuscumque speciei sit, minùs gravis est in fœminis, quàm in viris cæteris paribus. In viris enim calor & erethismus genitalium, qui dysuriæ morsu induci vel saltem intendi solent, suppurationem aut exulcerationem difficilem plerumque advocant. Tum verò in iisdem carunculæ, hypersarcoses, cicatrices, fungi, aliaque id genus, quæ in ulcerosâ urethrâ, aut in conceptaculorum emissariis adnascuntur, viam urinæ non rarò præcludunt vel angustant, unde habitualis stranguria, quæ in ischuriam sæpe degener est: Quorum malorum neutrum in fœminas videtur posse cadere, ex iis quæ præcedenti articulo dicta sunt, vel quæ saltem in illas cadunt rarissimè.

7°. Tandem gonorrhœa cujuscumque speciei sit, difficiliùs curatur in fœminis cæteris paribus, quàm in viris; sive quòd muliebria, quæ naturâ molliora sunt, & magis atona, & quæ ut de utero vulgò dicitur, sunt totius corporis veluti sentina, si semel venereo seminio læsa sint, nativo tono difficiliùs restituantur quàm virilia; sive potiùs, ut mihi videtur, quòd fœminæ facilè negligant stillicidia, quæ malè curatis gonorrhœis supersunt, ut quibus plerisque naturali vitio familiare sit vulvam ac vaginam humore perfusas experiri; cùm è contrà viri remediis non parcant, quandiu vel unica humoris guttula è genitalibus profluit, unde sciunt nihil quidquam naturaliter prodire.

§. V. CURATIO.

Curatio gonorrhœæ.

Tres sunt gonorrhœæ periodi in instituendâ curatione cautè distinguendæ; Prima *incipientis* & *consistentis*, in quâ calor & erethismus genitalium intensè urgent cum gravi dysuriâ: Altera *remittentis*, in quâ urina liberiùs ejicitur & cum minori dolore, ac putre semen vel seminale fluidum faciliùs & copiosiùs profluit: Tertia demum *desinentis*, in quâ pacato genitalium fervore purulenti seminis vel seminalis humoris scaturigo incipit exarescere.

I. In primâ periodo.

I. In primâ periodo, simul ac apparet gonorrhœa, omni ope atque operâ minuenda est inflammatio facta vel fiens & futura præcavenda, temperandus urinæ ardor, demulcenda seminis aut seminalis humoris acrimonia, &c.

In hunc finem 1°. Sanguis è brachiorum alterutro statim mittendus est, quod perinde ac in inflammatoriis quibuscunque morbis, debet tunc pri-

mis diebus pluries iterari, pro ægrotantibus viribus ac temperamento, & ſymptomatum vehementiâ. Sic enim depletis vaſis ſanguiferis, & imminuto ſanguinis circulantis momento, minor futura eſt inflammatio & tenſio, adeoque calor & dolor tum conceptaculorum ſeminis, tum urethræ ipſius.

2°. Licet operæ pretium ſit in omni gonorrhœâ ſanguinem mittere, largiùs tamen mitti debet in eis gonorrhœæ ſpeciebus, quæ ab inflammatione eryſipelatodæâ ac phlegmonodæâ dependent, ubi ſummus eſt genitalium calor, ardor, erethiſmus, cum graviſſimâ dyſuriâ, & in quibus proinde haud ſegniùs, parciùſve venam tundendam eſſe opinor, quàm in ipsâ peripneumoniâ vel dyſenteriâ.

3°. Præſcribenda ſimul pro potu ordinario ptiſana ex levi decoctione plantarum aliquot refrigerantium & demulcentium, ut radicum cichorii ſilveſtris, acetoſæ, nymphææ, althææ &c. foliorumque parietariæ, agrimoniæ, lactucæ &c. addendo pro ſingulis decocti libris ſemi-drachmam vel drachmam unam cryſtalli mineralis, ſalis prunellæ vel nitri depurati.

4°. Alvus ſi naturâ aut uſu ptiſanæ liquida non ſit, blandè ſubducenda quotidianâ injectione clyſteris ex eodem decocto, quo ptiſana paratur, vel ſincero, vel cum inſtillato pauco aceto, cum ſoluti ſalis prunellæ vel cryſtalli mineralis ʒ j. vel ʒ ij. aut cum dilutâ medullâ caſſiæ recente ad ℥ j.

5°. Quòd ſi inflammationis ardor tantus ſit, ut huic mitigando non ſufficiat largus ptiſanæ uſus, tunc exhibendæ bis in die manè ſcilicet & veſperi emulſiones ex contritis in mortario marmoreo ſeminibus melonum, agni caſti, cannabis, papaveris albi, lini &c. *ana* ad ʒ ß. vel ʒ j. & dilutis affuſo ad lib. j. decocto florum nymphææ, poſt colaturam diluendo ſyrupi de nymphæa ℥ ij. pro duabus doſibus.

6°. Quin imò ſi omnia intenſiſſimè urgeant, conducet cuilibet doſi emulſionis, ſed præſertim veſpertinæ narcoticum adjici, quo acutior partium dolentium ſenſus ſopiatur vel ſaltem obtundatur, ut *verbi gratiâ* ſyrupi de diacodio unciam ſemiſſem, tincturæ anodynæ guttas xv. aut xx. laudani diſſoluti gr. j. pilularum de cynogloſſo diſſolutarum grana v. &c.

7°. At verò ſi debilior ſtomachus nimium hunc refrigerantium uſum non ferat, ut ſæpiùs accidit, tunc omiſſis emulſionibus ſolâ ptiſanâ utendum erit; imò ſi ptiſana quoque ſtomacho gravis ſit, ſolâ aquâ communi, fontanâ vel fluviatili, paſſatim hauſtâ, & cui aliquantulum cryſtalli mineralis vel nitri purificati admixtum fuerit.

8°. Verùm ſi morbus remedia vincat & videatur in dies ingraveſcere, quod tamen numquam ferè evenit, niſi maximâ ægrotantium intemperantiâ; ſi urethra graviter inflammetur, ut in gonorrhœâ chordatâ; ſi purus putuſve ſanguis ex diſciſſis ruptiſve ejuſdem vaſis promanet; ſi perinæum caleat, tumeat, doleatque præter modum; ſi dyſuria miſerrimè urat; tunc iteratis pro Medici prudentiâ venæ ſectionibus, ac temperato, quantùm fieri poterit, genitalium æſtu internis remediis, nimirùm emulſionibus & ptiſanâ, ut ſuprà dictum eſt, ad externa quoque ſive topica remedia confugiendum erit; itaque 1°. Mentula & genitalia lacte tepido fovenda, imò & lacti immerſa continenda ſunt in inſeſſu: 2°. Perinæo admovendum cataplaſma de micâ panis cum lacte & croco; vel de oryzâ

cum

tum butyro coctâ & infuſo croco alteratâ. 3°. Decoctum radicis althææ; aqua ſpermatis ranarum diſſolutis aliquot ſacchari Saturnini granis leviſſimè albeſcens; vel lac caprillum decocto radicis althææ dilutum & infuſo croco tinctum &c. in urethram ſyphone identidem injicienda ſunt, impulſu leniſſimo, minimo.

9°. Conducit quoque uſus internus camphoræ & ſacchari Saturnini, quæ anodynâ & anti-phlogiſticâ facultate mirè temperant, & æſtum compeſcunt. Uſurpantur autem formâ pulveris, vel etiam boli excepta conſervâ florum nymphææ, vel roſarum, *ana* à gr. vj. ad ϑ ß. ſed cautiſſimè adhibeantur velim, doſique minimâ, præſertim ſaccharum Saturninum, cùm ab omni noxâ non vacet. Prodeſt etiam aqua Rabelii *capite ultimo Lib.* 4. infrà deſcribenda, ſi ptiſanæ refrigeranti ad gratam aciditatem guttatim inſtilletur.

10°. Allato remediorum apparatu gonorrhœa, ſi levior fuerit, intra paucos dies plerumque curatur, reſtitutis ſcilicet ſanguini naturalis circuitûs viis, ac proinde feliciter reſolutâ inflammatione conceptaculorum ſeminis. Tunc evaneſcentibus derepente dyſuriâ, genitalium fervore, dolore, erethiſmo, ſeminiſque effluxu æger tam perfectè convaleſcit, ut dubitet ipſe nonnumquam an gonorrhœâ virulentâ laboraverit.

11°. Cæterum toto hoc primo morbi ſtadio, quod brevius aut longius, gravius aut levius eſſe ſolet pro contagii naturâ & copiâ, aut ægrotantis conſtitutione vel continentiâ, imperanda eſt diæta tenuis & humectans, nimirum æger ptiſanæ non parcat, ſed vinum & liquores omnes ſpirituoſos ex toto ſibi circumcidat, exercitiis vehementioribus & veneri valedicat, ac cibis utatur eupeptis & euchymis, quales ſunt carnes juniorum animantium, pullorum præſertim, elixæ vel aſſatæ, ſalſis piperatiſque condimentis prorſus ablegatis.

II. In alterâ gonorrhœæ periodo, cujus initium dignoſcere facile eſt ex inflammationis remiſſione, dyſuriæ mitigatione, raritate ac leniore dolore erectionum, denique liberiore ſeminis aut ſeminalis humoris effluxu, eò debent indicationes omnes collineare, ut admiſſi contagii pars maxima facili purulenti ſeminis manatione eliminetur; cætera portio purgantibus aliò avertatur; reliquiæ tandem, ſi quæ fortè ſuperſint, ita profligentur ac corrigantur vi adhibiti Mercurii, ut intra ſanguinem tragœdias agere numquam poſſint. II. In ſecundâ periodo.

Itaque 1°. Æger identidem purgandus eſt, principiò quidem cathartico blandiore, ne remiſſa inflammatio recrudeſcat, *verbi gratiâ* cum ℥ ij. medullæ caſſiæ in duobus cyathis ptiſanæ vel ſeri lactis depurati dilutæ pro duabus doſibus intra tres horas manè ſumendis jejuno ventriculo. Poſteà verò ſi ita è re eſſe videatur, addi poterunt ad efficaciorem catharſim movendam jalappium vel diagridium ad gr. x. vel xij. aut aquila alba ad gr. xx.

2°. Valuit olim apud omnes, valetque etiamnunc apud nonnullos uſus exhibendi præparata Mercurialia, quæ catharticæ virtutis expertia ſint, ut Panaceam vulgarem, ſive Mercurium ſublimatum dulcem duodecim laboribus exaltatum; Æthiopem mineralem, ſive Mercurium ſulfure fixatum ignitione; Mercurium violaceum, ſive flores ammoniacales Mer-

curii &c. quorum ſingulorum doſis in adultis à gr. xv. ad ℈ j. ſingulis diebus vel alternis tantùm pro Medici prudentiâ; ſed quæ conſervâ vel ſyrupo excipiebantur ſub formâ boli, ne dentes nigrore inficerent illita, imò quod pejus eſt carie tentarent.

3°. Per uſum præparatorum Mercurialium iſtiuſmodi diligenter cavebatur, ne aeris humiditate aut frigore ventove vehementiore diaphoreſis, quam Mercurialia movebant, cohiberetur, unde fluxiones ac catarrhi graves accidiſſent. Quocirca jubebatur æger, ſi tempeſtas frigidior eſſet, cubiculo ſe continere.

4°. Ubi primùm continuato Mercurialium uſu prima apparebant ptyaliſmi indicia, purgatio exhibebatur præcedenti ſimilis vel præcedente paulò validior cum infuſo folliculorum ſennæ, additis ſale vegetali & mannâ; vel cum diagridio ſulfurato & jalappio ſyrupo aut conſervâ exceptis in formam boli: eo fine ut versùs inferiora deturbaretur materies, quæ ad os irruens ptyaliſmum motura fuiſſet.

5°. Eâ methodo alternans præparatorum Mercurialium & purgantium uſus pluries repetebatur, ut morbi gradus & ſymptomatum vehementia poſcere videbantur, donec fluxus gonorrhoicus omnino evaneſceret, vel abiret tandem in ſimplex ſeminis ſtillicidium aliis remedis coercendum.

6°. Verùm frequentior illa & iterata præparatorum Mercurialium exhibitio videtur in dies obſoleſcere; neque injuriâ, meo quidem judicio. Compertum eſt enim illorum remediorum uſu non modò ventriculi tonum debilitari, vireſque infringi, quod ſanè magnum eſt, ſed etiam quod maximum, ſanguinis acrimoniam ita intendi, ut ulcera, quæ in conceptaculis ſeminis latent, auctâ ſanguinis dyſcraſiâ, nedum ſanentur, ſed maligniora fiant & curatu difficiliora. Certè pluries ipſe expertus ſum, & mecum expertos eſſe Medicos cæteros nullus dubito uſu Mercurialium cautè etiam exhibitorum dyſuriam jam remittentem, fluxumque gonorrhoicum fatiſcentem recruduiſſe, cum novâ humoris manantis virulentiâ, quam flavus viridiſve color, auctaque acrimonia ſatis indicabant.

7°. Ideò ablegatis, vel ſaltem rariùs uſurpatis præparatis Mercurialibus ore exhibendis, uſu jam receptum eſt frictionibus mercurialibus externè uti, perinæum, genitalia, clunes, inguina in viris; in fœminis verò perinæum, clunes, inguina, pudendi labia, imò niſi graviùs inde doleant, vulvam ipſam unguento ſive linimento mercuriali ad ignem inungendo. Solent frictiones iſtiuſmodi tertio tantùm vel quarto quoque die repeti, adhibitâ dumtaxat unâ vel alterâ unguenti drachmâ, ne illitus frequentior aut cum majore unguenti doſi ptyaliſmum concitet. Demùm ut unguenti reliquiæ cuti adhæreant, nec induſio abſtergantur, inducenda ſunt femoralia, quæ toto curationis tempore geſtentur.

8°. Ea ſanè methodus & *efficax* eſt & *commoda*. *Efficax* quidem, quia atomi mercuriales in cutis ſpiracula, in vaſa limphatica à cute oriunda, in ipſum demùm affectarum partium contextum illitu ſenſim inſinuatæ corroſivas contagii venerei particulas, quibus morbus inducitur, efficaciter impetunt, infringunt, deſtruunt: *Commoda* verò, quia eædem mercuriales atomi illitûs ope, viâ breviſſimâ & ſine ullâ ventriculi noxâ ad partes deducuntur, ubi latet ſeminium venereum, quod neutrum con-

venit præparatis Mercurialibus internè ſumptis, vel ſaltem minùs convenit.

9°. Quòd ſi ptyaliſmus videatur inde forſan imminere, adhibitâ leni catharſi cum mannâ vel caſſiâ in ſero lactis aut ptiſanâ ſupprimi debet, antequam invaleſcat; ac poſtea eidem methodo, ſed minore unguenti doſi & longiore frictionum intervallo denuò inſiſtendum eſt per duas aut tres hebdomadas, vel per menſem unum, donec ſeminio venereo penitùs debellato aut eliminato, gonorrhœa tandem perfectè curetur.

10°. Porrò in adhibendâ eâ therapeiâ cauto opus eſt, ſi frigidior tempeſtas fuerit, ut æger domi & cubiculo ſeſe contineat, quandiu frictionibus utetur; nam Mercurius ſanguini per illitum infuſus, diapnoem auget, ut de præparatorum uſu modò dicebamus, quæ ſi frigidioris aëris attactu intempeſtivè reprimeretur, periculum inde foret, ne gravis decubitus aliquò fieret.

11°. Dum frictiones illæ adhibentur, non omittenda cætera auxiliorum genera, quæ ad reliquias inflammationis conceptaculorum ſeminis reſolvendas, ſi quæ ſuperſint; quæ ad detergenda ulcera; quæ ad demulcendam ſanguinis acrimoniam utilia ſunt; ſed è contra eò majore diligentiâ ab ægrotante adhibenda, quòd jam ab interno Mercurialium uſu vacet.

12°. Quòd ſi, dum ea geruntur, recrudeſcat genitalium inflammatio, aut virulenti ſeminis fluxus ſupprimatur, quod utrumque ægrotantium intemperantiâ non rarò accidit, potatione, coitione, aut exercitatione nimiâ; tum omiſsâ inutili imò nocivâ therapeiâ, opus ab integro inſtituendum eſt eamdem telam redordiendo, hoc eſt ea omnia, quæ primo gonorrhœæ ſtadio conferre diximus, in uſum revocanda ſunt, donec mitigatâ inflammatione ſuppreſſus humor liberè denuò profluat.

13°. In hac alterâ gonorrhœæ periodo eadem ac in præcedente victûs continentia ſervanda eſt. Poteſt ad ſummum ægrotantibus, ſi ſtomacho langueant, concedi uſus vini oligophori, & multâ aquâ diluti, modò cætera omnia proſperè procedant, nec ulla ſuperſint fervoris indicia, quamquam tamen, (a) *quia prodeſt rarò, nocet ſæpiſſimè, melius eſſet non adhibere omnino.*

III. Demum ubi primùm ſedato ac reſtincto genitalium æſtu, reſolutâque inflammatione, ægrotans ab erectione involuntariâ, tentigine, dyſuriâ &c. liber eſt, humorque ſeminalis ſpiſſior, lenior, parcior, magiſque albicans diſtillat, tum tertium adeſt morbi ſtadium in quo hæ ſunt Medici partes, ut ulcera interna detergat deterſaque conſolidet, ac tandem acrimoniam, quam ſanguis & ſemen contagii venerei afflatu contraxêre, demulcentium & diluentium uſu temperet & corrigat. III. In tertiâ periodo.

Ad hunc ſcopum conferunt 1°. Balſama & balſamica omnia identidem ore exhibita per tres quatuorve dies continuos, ut Terebinthina Chia vel Veneta à ʒ ß. ad ʒ ij. modò ſola, modò cum Rheo pulverato à ʒ ß. ad ʒ j. aut quæ ſi non re, ſaltem nomine præſtant, Balſamum Copaivanum, vel Balſamum Canadenſe ad guttas ſex, decem, viginti, triginta, hoc eſt à ϑ ß. ad ϑ ij. Hæc autem triplici ratione poſſunt exhiberi, nempe ovi vitello diluta in

(a) Cicero. *De Nat. Deor. Lib.* 3.

liquore quovis diſſolvi; vel ſyrupo cuicumque, *verbi gratiâ* ſyrupo capilli veneris ſuperaffuſa uno hauſtu ex cochleari exſorberi; vel demum ſaccharo pulverato obvoluta boli inſtar deglutiri.

2°. Lac aſininum, caprillum aut vaccinum, purgato priùs corpore manè jejuno ventriculo exhibitum, imò ſi ſtomachus ferat, veſperi etiam ante decubitum, primum quidem & alterum ſincerum & impermixtum; tertium verò alteratum aquâ ſecundariâ calcis, aut levi decocto radicum Chinæ vel Salſæ-parillæ in pituitoſis & adipoſis; & levi decocto radicum tormentillæ, conſolidæ majoris, biſtortæ, vel fragariæ in bilioſis, melancholicis & macilentis.

3°. Aquæ minerales, acidulæ, vitriolicæ, ferrugineæ, quales ſunt in Galliis *les Eaux de Camarets, de Capverd, de Caranſac, de Forges, de Paſſi*, & aliæ conſimilis facultatis, nullibi non obviæ, quibus, ſi per quindecim aut viginti dies epotentur, quidquid acrius ſalſiuſve ſupereſt in ſanguine vel in ſemine eluitur ſenſim & everritur.

4°. Quòd ſi ea curandæ gonorrhœæ imparia videantur, poterunt internè adhiberi aſtringentia, ut corallia rubra præparata, ſuccinum, diaphoreticum minerale, crocus Martis aſtringens, lapis hæmatites, os ſepiæ, ſanguis draconis, terra Japonica, vulgò *Catechu* ſive *Cachou*, alumen rupeum &c. quorum ſingulorum doſis à gr. x. ad gr. xx. vel ℈ j. Ex his numero pluribus vel paucioribus intimè mixtis contritiſque, & conſervâ roſarum rubrarum vel ſyrupo cydoniorum exceptis paratur bolus per duodecim aut quindecim dies devorandus alternis diebus, ſuperbibendo hauſtum infuſi theiformis foliorum ſiccorum menthæ, vel duo aut tria cochlearia aquæ ſtillatitiæ menthæ à Quercetano deſcriptæ *in Pharmacopœâ*, & à Lazaro Riverio ſæpiùs laudatæ *in ſuis Obſervationibus*, cujus proceſſum infrà proferemus ad calcem Libri IV.

5°. Quin imò, ſi humor qui à genitalibus diutiùs aliquando diſtillat, poſt diſcuſſum æſtum ac fervorem paucus ſit, tenuis, albicans, viſcidus, ſeminis inſtar adhærens, verè ſeminalis, tunc licebit impunè uti injectionibus in urethram in viris, in vaginam in fœminis, non quidem aſtringentibus ſtypticiſve, à quibus ſemper cavendum eſſe arbitror, ſed merè deterſivis, ſcilicet ex levi decocto herbarum vulnerariarum, ut bugulæ, faniculæ, marrubii, geranii, alkimillæ &c. cum diſſoluto melle roſaceo; vel ex aquis thermalibus, iis maximè quæ ſulfureæ ſunt, decocto hordei alteratis.

6°. Si quis plura deſideraverit ad exhauriendas contumacioris gonorrhœæ reliquias, adire poterit vel hujuſce Libri *caput III.* ubi *de ſeminis ſtillicidio*, quod gonorrhœæ non rarò ſupereſt, vel ſequentis Libri *caput X.* ubi *de gonorrhœâ, quæ poſt hydrargyroſim reliqua eſt*, agitur.

IV. Quid peccari ſoleat in curandâ gonorrhœâ?

IV. Cùm ad perfectam artis notitiam opus ſit, non ſcire modò, quid in curandis morbis agendum, ſed ſimul etiam noſſe quid cavendum ſit, ideò probè notari velim multa in curandâ gonorrhœâ virulentâ plerumque peccari.

1°. Purgantia mochlica temerè præſcribendo, ut præcipitata Mercurialia, rubrum, album, luteum, viride; Trochiſcos alahandal &c. quæ ventriculi tonum ſemper debilitant ac peſſundant, facultatemque pervertunt; quæ ſupervomitiones, ſuperpurgationes, dyſenteriam, hæmoptoem,

lipothymiam, aſphyxiam, mortem etiam quandoque inferunt; quæ numquam tutò, quæ rarò impunè exhibentur; quæ ſi unquam adhiberi poſſint à prudente Medico, in robuſtis tantùm, athleticis, ruſticis, militibus &c. adhibenda ſunt.

2°. Decocta, quæ vulgò ſudorifica dicuntur, & quæ parantur ex lignis Guaiaci & Saſſafras, radicibuſque Chinæ & Sarſæ-parillæ, omnibus indiſcriminatim exhibendo. Valent ea quidem ad exſiccanda ulcera in pinguibus & pituitoſis, quibus ſanguis craſſior eſt aut nimio phlegmate luxuriat: At verò noxia ſunt in macilentis, melancholicis, bilioſis, quibus ſanguis ſiccior eſt & ſalſo-acrior, unde inſolenti orgaſmo, quem cient in ſanguine, renovant genitalium æſtum & inflammationem, & purulenti ſeminis fluxum augent & acrimoniam intendunt non ſine magno ægrotantium detrimento.

Cæterùm decocta iſtiuſmodi, ſi quando conducere videantur, ſolent ſub ſequenti formulâ præſcribi.

℞. *Lignorum Guaiaci & Saſſafras*, ana ℥ ij.
Radic. Chinæ & Sarſæ-parillæ ana ℥ j ß.
Antimonii crudi craſſiuſculè triti & nodulo incluſi ℥ j ß.

Ligna & Radices incidantur, & infundantur omnia tepidè per noctem in aq. fontanæ lib. ix. Deinde bulliant moderato igne ad tertiæ partis conſumptionem, addendo ſub finem coctionis.

Follicul. ſennæ ℥ ß.
Radicis liquiritiæ raſæ ℥ j.

Colatura ſervetur ad uſum, ter in die uſurpanda ad ℥ viij. manè jejuno ventriculo, horâ quintâ vel ſextâ pomeridianâ, & ante decubitum.

3°. Præparatis Mercurialibus internè immoderatiùs utendo, vel abutendo potiùs, iis etiam quæ blandiora ſunt, ut Aquilâ albâ, Panaceâ, Æthiope minerali, Mercurio violaceo &c. Hinc enim non modò gravis noxa ventriculo infertur, ut ſuprà dictum eſt, ſed etiam maximè in conſtitutione ſalſo-acri, ſanguinis excandeſcentia & ſeminalis humoris acrimonia adeò intenduntur, ut genitalium ulcera, quæ cicatricem proximè tractura videbantur, aliquando recrudeſcant & coitioni pervicaciùs inde repugnent.

4°. Denique adhibendo præpoſterè injectiones aſtringentes in vaginam in fœminis, in urethram in viris, cum lapide medicamentoſo Crollii, Colcothare, aut pulvere *de Verny* infrà deſcribendo *Lib. IV. cap. ultimo*, aliiſve id genus pulveribus ſtypticis, vitriolicis, aluminoſis &c. quibus ſolet tum urethra morbosè conſtringi, unde gravis ſtranguria, quæ gonorrhœæ plerumque pediſſequa eſt, tum etiam lues venerea inferri, quoties ſemini aut ſeminali humori, cujus fluxus ſupprimitur, vel minima contagii pars adhuc ineſt, quandoquidem ſeminium illud intrò coercitum cogitur ſanguini, in quem refluit, latente vitio ineluctabilem noxam inurere.

CAPUT II.

De Empiricis gonorrhœæ curandæ Methodis, ac de commentitiâ ejuſdem Prophylaxi.

§. I. DE EMPIRICIS GONORRHOEÆ CURANDÆ METHODIS.

Varii variis adhibent methodos curatorias ad gonorrhœam.

Primò. Propoſuimus hactenus Therapeiam, quam ad curandam gonorrhœam tutiſſimam, efficaciſſimam, experientiâ maximè comprobatam, atque adeò cæteris omnibus jure præferendam eſſe cenſuimus. Ne quid tamen in re ita gravi omiſiſſe videamur, lubet & cæteras methodos curatorias, quæ veluti compendiariæ à nonnullis commendantur, paucis proferre, ac de iiſdem judicium candidè ſimul apponere, ne inani buccinatorum pollicitatione incautioribus fucus fiat. Sed omiſſis antiquioribus therapeiis, quæ primis luis venereæ temporibus olim adhibitæ ſunt, at verò quas dies jam pridem delevit, iis tantùm inſiſtemus, quæ vigent hac ætate noſtrâ, & quibus novimus ægrotantes etiam nunc ſæpiſſimè deludi.

I. Injectiones in urethram cum diſſolutis præparatis Mercurialibus.

I. Carolus Muſitanus (*a*) laudat quaſi ſpecificum remedium, quo intra triduum gonorrhœa ſanetur, & quod ſpem numquam fruſtretur, injectionem in urethram ſequenti modo præparatam.

℞. *Aq. Plantagin.* ℥ viij. *quibus diſſolv. Mercurii ſublimati dulcis in alkool redacti* ʒ ij.

Agitentur ſimul, & liquoris illius turbidi ac tepidi ℥ j. *ſyphone eburneo in urethram injiciatur ter in die.*

Aſſerit Muſitanus hac injectione ſolâ, citra omnem alium remediorum apparatum, imminentem vel incipientem gonorrhœam ſtatim reprimi ac veluti ſufflaminari, modò abjectâ cunctatione injectio adhibeatur ubi primùm putridum ſemen fluere incipit; imò verò antequam quidquam diſtillet, & ſtatim atque genitalia poſt ſuſpectum concubitum inſolitâ prurigine titillantur.

Proſtat (*b*) *in altero praxeos Mayernianæ ſyntagmate* haud diſſimilis injectionis formula ad gonorrhœam virulentam, quæ ſequentibus verbis exprimitur.

℞. *Aq. calcis* ℥ vj.
Mellis roſati ʒ ij.
Mercurii dulcis in alkool redacti ʒ j.

M. f. inde Injectio in urethram, quâ Mayernius ait *gonorrhœam virulentam certò ſanari præmiſſis præmittendis*, & quâ aſſerit *Equitem* quemdam, nomine *Sir Kenelmum Digby intra quinque dies perfectè curatum fuiſſe ex gonorrhœâ.*

Sed quæ

Facilis profectò & expeditus gonorrhœam curandi vel præcavendi mo-

(*a*) *De morbis venereis, Lib. 3. cap. 2.*
(*b*) *Tractat. 4. De lue venereâ cap. 3.*

dus, si veritate niteretur, sed quem maximo ganeonum infortunio tum ratio, tum experientia perinde falsi arguunt. velut ineficaces rejiciuntur.

1°. *Ratio* quidem. Neque enim verisimile est injectiones istiusmodi contagio venereo jam suscepto mederi posse, tum quòd in urethram tantùm penetrent, atque adeo ad virus usque venereum non pertingant seminariis conceptaculis jam insinuatum, ubi tragœdias incipit agere; tum quòd etsi hucusque forsan penetrarent, vix possent corrosivas contagii partes tam subitò destruere, corrigere vel hebetare, ut mutatâ naturâ ab inflammandis seminis conceptaculis illicò desisterent. Quin potiùs metuendum foret nec inani, ut opinor, fundamento, ne salinæ & punctoriæ panaceæ Mercurialis & crystalli mineralis particulæ, quod de partibus Mercurii dulcis fixioribus magis adhuc verum esset, urethræ interiora & conceptaculorum seminariorum emissaria duriùs vellicando imminentem aut incipientem phlogosim seu inflammationem præcipitarent vel intenderent.

2°. *Experientia* verò; experimentum enim ipsimet fieri aliquoties jussimus sed sine successu, non quidem in incipientibus aut imminentibus gonorrhœis, circa quas Medicos adiri rarum est, sed in recentibus; non iisdem quoque formulis, quas modò tradidimus, sed minore Mercurii dulcis aut panaceæ dosi, eâ scilicet prudentiâ, quæ Medicum semper decet in experiundo. Numquam verò vel detrimentum vel emolumentum ullum insigne inde accessisse observavimus.

Quapropter conjicerem opinionem de efficaciâ illarum injectionum inde conceptam fuisse, quòd adhibitæ fuerint in casu ubi nulla imminebat gonorrhœa, vel si gonorrhœa jam inciperet, in casu ubi gonorrhœa hæc erat è genere leniorum & facilè resolubilium, unde socordiâ aut vaniloquentiâ temerè creditum fuerit, harumce injectionum ope imminentes gonorrhœas præcaveri aut incipientes supprimi, cùm revera tamen laudatæ injectiones nihil ipsæ præstiterint, aut ad summum felicem eventum, qui sponte futurus erat, non corruperint.

Si cui tamen rem denuò experiri lubuerit, per me quidem facilè licebit, modò periculum fiat non in gonorrhœâ admodùm virulentâ, cùm urethrâ & conceptaculis seminis graviter inflammatis dysuria adest urens, mentula velut subtensâ chordâ retracta deorsum incurvatur, abscessus in perinæo imminet &c. sed in leni & incipiente gonorrhœâ, ubi cùm omnia mitiora sint, delictum levius posset minori damno permitti, si forsan committeretur experiundo.

II. Thomas Bartholinus (*a*) commendat in gonorrhœâ virulentâ sequentem infusionem, quam ipse quoque Fridericus Hoffmannus (*b*) approbat. II. Usum internum cantharidum in substantiâ vel in infuso.

℞. *Cantharidum pulveratar.* ℈ j.
Infund. in vini Rhenan.
Vel *spiritus vini.* ℥ iij.
Stent in infusione per aliquot dies, deinde per cartham bibulam filtrentur. Ex colato liquore cochlear unum septem aliis cochlearibus seu vini seu cerevisiæ admisce. Ex hoc mixto primo die cochlear unum, altero die duo, & sic deinceps propinentur.

(*a*) *Histor. Anatomicar. Centur.* 4. *Epistol.* 53. Et *Centur.* 5. *Histor.* 81.
(*b*) *Pharmac. Medic. Chimic. Lib.* 5. *Sect.* 4. §. 76.

Martinus Liſterus quoque *in Exercitatione Medicinali de lue venereâ*; videtur nec ipſe uſum infuſi cantharidum reformidare, quo ſe bis uſum fuiſſe refert in ægrotis ſcilicet 11. & 12. In priore quidem caſu *drachma una cantharidum digeritur cinere calido cum* multis aliis ſpeciebus *in ſpiritûs vini rectificatiſſimi libra ſemiſſe*; Infuſum *filtratum per chartam bibulam bis in die præſcribitur ad guttas* xxxx. *in cereviſiâ tepidâ.* In poſteriore verò *cantharidum drachma una digeritur per diem balneo mariæ cum cochenilia in vini Rhenani lib.* j. & hujus infuſi *cochlear unum cum decocto Guaiaci bis quotidie exhibetur.*

Conſtat ſimiliter cantharides in ſubſtantiâ à Paulo Hermanno (*a*) *in Cynoſurâ materiæ Medicæ* proponi *ad corrigendam gonorrhœam virulentam, incipiendo à doſi minori, ſcilicet à gr. ß. & ſi fiat cum ægri levamine ad gr.* j. *vel* ij. Laudatur etiam ab eodem Infuſum cantharidum, cujus *unciam ſemiſſem* miſcendam cenſet *cum aquarum nymphææ, portulacæ & graminis* ana ℥ ij. *& olei terebinthinæ gutt.* v. quam mixturam *ſucceſſivè exhibendam* eſſe ait *ceu extremum remedium in gonorrhœâ virulentâ inveteratâ cum ulceribus ſordidis,* imò *etiam per penem injiciendam.*

Demum Michaël Albertus, in Academiâ Hallenſi Profeſſor Medicus, (*b*) proponit ipſe quoque *eſſentiam cantharidum Bartholinianam in ſubjectis robuſtioribus* ad gonorrhœam *valdè contumacem & refractariam, modò cum aliquo moderamine adhibeatur.*

Sed qui reprobatur, tanquam pernicioſus.

Miror equidem à tot tantiſque Viris remedium ad gonorrhœam proponi, non dico tam infidum, ſed tam apertè pernitioſum. Cantharides enim, ſi internè uſurpentur vel doſi minimâ, *verbi gratiâ* quartâ parte grani unius, renes, veſicam, veſicæ collum, aut urethram phlogoſi, inflammatione, exulceratione plerumque afficiunt, vel ipſo (*c*) eorumdem teſtimonio, à quibus tam temerè laudantur ad gonorrhœam. Cantharides ergo, ſive in ſubſtantiâ ſive in infuſo internè exhibeantur, conferre numquam, nocere ſemper debent in gonorrhœâ virulentâ, in affectione ſcilicet phlogodeâ, inflammatoriâ, ulcerosâ urethræ.

Inquient forſan, qui contrà ſentiunt, cantharides deterſoriâ pollere facultate, atque adeo conducere in gonorrhœâ contumaciore ad detergenda ulcera dyſepulota. Sed eam detergendi facultatem cantharidibus ipſe numquam conceſſero, qui probè ſciam cantharides ad ulcera tantùm inferenda, ad detergenda verò numquam externè adhiberi. Eſto tamen: Detergant cantharides. Quid tum? An ideo utendum erit remedio detergente iſtiuſmodi, quod inflammationem renovare, quod exulcerationem augere, quod ad gangrænam omnia deducere poteſt; quod ſæpè inflammationem renovat, exulcerationem auget, omniaque ad gangrænam deducit? Non certè, ne quidem ſi alia deficerent omnia detergentia; minimè verò, cùm tot alia ſuppetant efficaciſſima & ab omni periculo planè immunia.

(*a*) Part. 2. in verbo *Cantharides.*
(*b*) *Therapeiæ Medic. Sect.* 8. *cap.* 18.
Et Materiæ Medic. Sectione 2. *cap.* 1. §. 9,
(*c*) Vid. Hoffmann. & Hermannum *loc. ſuprà laud.*
Et Albertum, *in Praxi extemporaneâ, Caſu* 24.

Sed

Sed obvia, ni fallor, erroris cauſa. Nempe in omni gonorrhœâ adeſt dyſuria gravis, quæ cum ſtranguriâ non rarò conjungitur. Utrique viſum fuit occurrere uſu diureticorum, cæteriſque tutioribus cantharides, ut quæ facultate diureticâ egregiè polleant, præferre placuit, errore ſanè peſſimo, cùm loco diureticorum temperantium & demulcentium, quæ frigida dicuntur, & quæ ſola in inflammatoriâ dyſuriâ ex uſu eſſe poſſunt, adhibitum fuerit diureticum phlogiſticum, corroſivum, deleterium, quo omnia exacerbari & ingraveſcere neceſſum ſit.

Cæterùm quamvis neſcius non ſim cantharides internè olim exhibitas fuiſſe cùm (*a*) ab Hippocrate, tùm (*b*) à Galeno, haud diffitebor ab interno earumdem uſu cautè ſemper abſtinuiſſe in gonorrhœâ quâvis virulentâ, nec auctorem eſſe velle cuiquam, ut eaſdem internè exhibeat, cùm tot alia remedia ad gonorrhœam præſto ſint, opportuna, præſentanea, tuta; internuſque cantharidum uſus gonorrhœâ qualicunque ſemper pejor ſit & periculoſior.

III. Idem Martinus Liſterus *in Exercitatione eâdem*, quam modò laudavimus, tum ad gonorrhœam, tum ad affectus alios venereos Cocheniliam adhibet in Obſervationibus *quatuor*, 8. 11. 12. & 14. In primâ præſcribit cocheniliam in ſubſtantiâ, & doſi quidem maximâ, ſcilicet ad ℈ iv. *cum oſſis ſepiæ optimè lævigati* ℈ ij. pro doſi quâlibet, niſi forſan error ſit in numeris. In ſecundâ & tertiâ exhibet *infuſum cochenilæ*; demum in quartâ cocheniliam decoquit in *valentiſſimi Guaiaci decocto*.

III. Exhibitionem cochenillæ in ſubſtantiâ vel in infuſo.

Cùm primus ille ſit omnium quos novi, qui cocheniliam ad curationem gonorrhœæ propoſuerit, haud inanis conjecturæ locus eſſe videtur *medicamentum* illud ſpecificum, quod ait in *Præfatione Exercitationibus præfixâ à ſe editum eſſe in Exercitatione illâ de lue venereâ*, & quo aſſerit *ſe à multis annis cum ſucceſſu uſum fuiſſe ad gonorrhœam comprimendam*, ipſiſſimam eſſe cocheniliam; neque enim reperire eſt in illâ Exercitatione remedium ullum alterum, quod novum ſit, quod jam priùs cognitum non fuerit.

Sed multa ſunt quæ ſuadeant Liſterum hac in re lapſum, & de cocheniliæ efficaciâ in curandâ gonorrhœâ nimia neque ſatis explorata pollicitum fuiſſe. Siquidem compertum eſt cocheniliam nihil eſſe præter animalcula Tunæ, ſive Opuntio majori ſpinoſo innaſcentia in Americâ, ſcarabæis ſimillima, quæ fumo exſiccata, & alis pedibuſque truncata confricatione in globoſa grana conformantur. Debet ergo cochenilia, ut & cætera omnia, quæ ab animalibus, ab inſectis potiſſimùm proveniunt, ſale ſcatere alkalino volatili, quod ſanè inſtituta analyſis teſtatum facit. Hinc deducenda eſt facultas cardiaca, alexiteria, ſudorifica, quâ cochenilia pollet non minore, imò verò efficaciore quàm grana Kermes, quibuſcum colore convenit; ſicut & virtus anti-epileptica, ſi eâ valeat, ut (*c*) Stephano Clerico, Genevenſi Medico, olim viſum fuit. Hinc ergo deducenda quoque vis diuretica, quæ in cochenilià non minùs conſpicua eſt, quàm in

Sed quæ conceptam ſpem planè fruſtratur.

(*a*) *De internis affectionib. cap.* 38. *edit. Charter.*
Et de ratione victûs in acutis, textu 104. *ejuſd. edition.*
(*b*) *Comment. in loc. Hipp. poſteriorem.*
Et de ſimplic. Medicament facult. Lib. 11. *textu* 44. *edit. ejuſdem.*
(*c*) Mangetus Biblioth. Medic. in verbo *Cochenilia.*

pleriſque diaphoreticis, & quâ certè aſellos ſive millepedes cochenilia ſuperat.

Primæ quidem illæ cocheniliæ facultates nullius utilitatis ſunt in gonorthœâ : At verò potuit hæc ultima fucum facere Liſtero, quaſi diuretica cocheniliæ vis ad dyſuriam & ſtranguriam gonorrhoicam valeret. In quo tamen eum errore maximo duci manifeſtum eſt ex ſuprà dictis, quòd dyſuriæ & ſtranguriæ phlogodææ, inflammatoriæ, ulceroſæ, qualis in gonorrhœâ perpetuò adeſt, non frigida diuretica, ſed calida, qualis cochenilia eſt, adhibenda cenſuerit, quibus morbi cauſam intendi, atque adeo morbum ipſum ingraveſcere neceſſe eſt.

Nihilominus tamen, cùm ab exhibitâ cochenilià exigua tantùm noxa immineret, viſum eſt rei periculum aliquoties facere, non quidem primo gonorrhœæ ſtadio, cùm omnia fervore ſummo exæſtuant, ſed ſecundo aut tertio, ubi omnia remiſſiora ſunt; neque verò eâ doſi, quam Liſterus proponit, ſed doſi minore, *verbi gratiâ* ad grana xv. pro doſi quâlibet. Hinc autem experientiâ compertum habui, quod animo priùs conjeceram, nempe cocheniliam curandæ gonorrhœæ prodeſſe nihil, ſed nocere potiùs, quòd dyſuriam, genitalium phlogoſim, ac ſeminalis humoris, qui diſtillat, acrimoniam & virulentiam intendat.

IV. Mercurium præcipitatum viridem ore exhibitum.

IV. Carolus Muſitanus laudat (*a*) ubi ſuprà, quaſi ſpecificum ad veteres gonorrhœas Mercurium præcipitatum viridem, quem exhibendum cenſet à gr. ij. ad iv. & quo recentes gonorrhœas unâ doſi, inveteratas quatuor ad ſummum doſibus curari aſſerit.

Cum eo conſentit Paulus Hermannus, (*b*) qui & ipſe ait iiſdem ferè verbis *Mercurium viridem ſpecificum eſſe in gonorrhœâ virulentâ, ratione fortè cupri propter terram vitriolicam, exhibitum à gr.* iij. *ad* v.

Sed qui numquam ſatis innoxius eſt.

Sanè novi medicaſtros, ſeu potiùs agyrtas non paucos, qui eodem remedio tanquam palmario uti ſoleant ad gonorrhœas extirpandas : Sed quid de illo ſentiendum ſit jam ſuprà abundè indicatum fuit, ubi de uſu purgantium mochlicorum, inter quæ vehementiâ eminet Mercurius ille viridis, cujus vi draſticâ non modò hyperemetos & hypercatharſis, ſed quod magis eſt, cujus vi cauſticâ phlyctænæ & ulceroſæ ſciſſuræ ventriculo inferuntur ſæpenumerò. Adde gonorrhœam, ſi eâ ratione ſiſtatur, ut ſæpè ſiſti experientiâ comprobatum eſt, ſiſti tantùm violentâ humorum metaſtaſi, quam vomitio vel purgatio nimia concitant; non verâ humoris profligatione, cùm unâ aut alterâ doſi præcipitati viridis, ad gr. ij. vel iij. quibus vix unum Mercurii crudi granum continetur, non poſſit ſanguinis maſſa tota pervadi, neque atomi omnes contagii venerei, quæ variis in locis nidulantur, corrigi & eliminari, unde fit ut apparens, non vera ſit gonorrhœæ ſanatio, quæ idcirco vel ſpontè recrudeſcit, vel luem veneream tacitè ingenerat.

V. Reſinam Guaiaci, quæ laudatur quaſi ſpecifica.

V. Reſina Guaiaci, quam alii gummi vocant, & quæ *ex corticibus extracta vel ſponte ſuâ manans, arida eſt, friabilis, ſubnigricans, pellucida, ſaporis acris, odoris grati, præſertim ſi igni imponatur, gonorrhœæ ſpecificum*

(*a*) Tract. de morbis venereis, *Lib.* 3. *cap.* 2.
(*b*) Cynoſura materiæ Medic. Part. 2. in verbo, *Mercurius viridis.*

dicitur (*a*) à Paulo Hermanno, ſi à ℈ j. ad ℈ ij. in ſubſtantiâ exhibeatur. Quin imò non veretur ille ad reſinam Guaiaci præcipitatum viridem adjicere doſi granorum quinque in ſequente formulâ.

℞. *Reſinæ Guaiaci* ℈ j.
Mercurii præcipit. viridis gr. v.
Sacchari Saturnini ℈ ß.
Succini præparat. gr. xv.
Terebinth. ſeu balſam. Peruvian. q. ſ.
M. f. Pilula contra gonorrhœam pro j. *doſi.*

Laudatur quoque uſus ejuſdem reſinæ à Carolo (*b*) Muſitano ad gonorrhœam.

Sed liquet reſinam illam ſeu gummi Guaiaci, nec aliter, nec efficaciùs valere quàm intenſum decoctum ejuſdem ligni, quo quidquid ligno reſinoſum ineſt, coctură diſſolvitur. Vidimus autem ſuprà decoctum iſtiuſmodi nec ad omnes gonorrhœæ ſpecies, nec in omnibus ægrotis conducere: Imò potiùs quandoque nocere, humorum ſeminalium acrimoniam, & genitalium fervorem intendendo, unde morbi vis, quæ jam remiſſa erat, ſolet recrudeſcere. Quocirca idem quoque ſentiendum eſt de reſinâ Guaiaci, quæ ſanè ideò rari usûs eſt.

Sed quæ decocto ligni Guaiaci nec facultate nec uſu præpollet.

VI. Si Fridericus Hoffmannus audiatur (*c*) *Saccharum Saturni in oleo Terebinthina ſolutum & leni calore cinerum digeſtum egregium & ferè divinum præbet in gonorrhœâ remedium, inprimis ſi aliquid addatur camphoræ.*

VI. Saturnina remedia.

Extat apud Mayernium (*d*) compar remedium ad gonorrhœam ſub ſequente formulâ.

℞. *Camphor.* ℈ ß.
Sal. Saturnini ℈ j.
Sal. tartar. gr. xij.
Caſſ. fiſtularis ʒ ß.
Terebinth. Venet. ʒ j.
M. f. bolus qui, ſi in Auctore fides ſit, gonorrhœam curat intra paucos dies.

Denique vidimus modò ſaccharum quoque Saturninum à Paulo Hermanno (*e*) internè exhiberi ad gonorrhœam doſi ℈ ß. pro unâ doſi.

Et profectò Saturnina remedia in ultimo morbi ſtadio nequaquam contemnenda ſunt, ut quæ feliciter adhiberi poſſint in gonorrhœâ habituali ſeu contumaciore ſeminis aut ſeminalis humoris ſtillicidio, quod gonorrhœæ virulentæ aliquando ſupereſt; ſed iis numquam utendum eſſe cenſeo, niſi doſi minimâ, v. g. balſamo Saturnino Hoffmanni ad guttas viij. vel xij. aut ſaccharo Saturnino ad grana iv. vel vj. cautè attendendo num ab exhibitis cardialgia, morſus oris ventriculi, nauſea &c. ægrum angant, quæ ſi fortè acciderent, ab ulteriore exhibitione temperandum eſſet, quandoquidem experientiâ exploratum eſt *Saturnina remedia numquam internè ſatis tuta eſſe*, ut verbis ipſis utar Joannis Boecleri in addi-

Quæ utilia eſſe poſſunt, ſi cautè adhibeantur.

(*a*) Cynoſura mat. Medic. *Part.* 1. *in verbo* Cortex Guaiaci.
(*b*) *Vbi ſuprà.*
(*c*) Pharmac. Med Chim. *Lib.* 3. *cap.* 13. §. 158.
(*d*) *In altero ſyntagm. Tract.* 4. *cap.* 3.
(*e*) *Vbi ſuprà.*

tionibus ad Cynoſuram Pauli Hermanni, *Parte* 2. in verbo *Plumbum.*

VII. Methodum compendiariam Nicolai Cheſneau.

VII. Nicolaus Cheſneau, Medicus Maſſilienſis haud incelebris ſuo tempore, ſequentem methodum propoſuit (*a*) gonorrhœæ virulentæ, ut ille ait, *ſine caſſiâ, ſine emulſionibus, ſine venæ ſectione* curandæ, quam cæteris omnibus *tutiorem & compendioſiorem* credit.

℞. *Mercurii dulcis gr.* xij.
Diagridii vapore ſulphuris caſtigati gr. iij.
M. cum ſ. q. ſyrup. roſarum purgativi. F. bolus manè devorandus, ſumendo juſculum poſt duas horas.

Die inſequente idem bolus iterandus eſt, ſed auctâ tum Mercurii, tum Diagridii doſi duobus granis: Iterandus quoque die tertio, ſed auctâ denuò eorumdem remediorum doſi duobus aliis granis, niſi forſan primâ exhibitione alvus copiosè depoſita fuiſſet.

Poſt triduanam illam purgationem, quæ quò magis ventrem moverit, eò utilior futura eſt, utendum ſequente opiatâ.

℞. *Camphor.* ℈ j.
Cremor. Tartar. ʒ vj.
Sal. Prunellæ ʒ iij.
Terebinth. ℥ ij ß.
M. omnia & dividantur in ſex doſes æquales per ſex dies continuos manè ſumendas tribus horis ante paſtum, pulverato ſaccharo obvolutas.

Si poſt uſum opiatæ perſeveret adhuc penis dolor cum dyſuriâ & fluxu ſeminis purulenti, ſubflavi, aut virideſcentis, iterandæ purgationes, ut priùs, cum Mercurio dulci, auctâ ejuſdem doſi ad grana xx. vel xxiv. non auctâ vero diagridii doſi ultra gr. vj. ſed ſi æger difficiliùs purgetur, addito cochleari uno ſyrupi roſarum ſolutivi.

At verò ubi primùm ſemen profluet albicans & ſincerum, licet aquoſius ſit, potiſſimùm verò ſi jam ceſſaverit dyſuria, ſeriò de ſiſtendâ gonorrhœâ cogitandum, in quem finem Auctor ille plurimùm commendat crocum Martis aſtringentem, ex limaturâ chalybis, cui aqua fortis affuſa ſit, paratum juxta proceſſum Beguini, per triduum doſi ℈ j. quolibet manè exhibendum ſub formâ boli conſervâ roſarum exceptum.

Sed quæ gonorrhœæ perfectè curandæ impar eſſe videtur.

Hactenus Nicolaum Cheſneau diligenter excerpſimus. Jam verò ut ingenuè proferamus quæ ſentimus, videtur propoſita therapeia. 1°. Periculoſa in gonorrhœæ vehementioris principio; neque enim validiora purgantia ſatis tuta ſunt, cùm inflammatio conceptaculorum ſeminis intenſa eſt, cùm genitalia æſtuant, cùm omnia nimio fervore deuruntur & immodico erethiſmo graviter dolent. 2°. Parùm efficax in vetuſtiore gonorrhœâ, in quâ inflammatio in ſuppuratum degeneravit; cùm teſte experientiâ rarò derepente cedat purgantibus niſi mochlicis, inter quæ minimè locum habere poteſt bolus ex viginti aut viginti quatuor granis Mercurii dulcis, & ſex granis Diagridii.

Si cui tamen magnificis Nicolai Cheſneau promiſſis perſuaſo, ſuo periculo ſapere placeat, monitum velim ut ab experiundo abſtineat, dum prima morbi ferocia venæ ſectione, refrigerantibus & demulcentibus remiſerit, poſteà enim vel nulla vel minor noxa metuenda eſt à præpoſtero

(*a*) *Obſervation. Lib. 5. obſerv.* 38.

hujuſce methodi uſu, niſi forſan nimiâ croci aſtringentis doſi gonorrhœæ fluxus citiùs cohiberetur, ſed ab errore tam manifeſto ſibi cavere difficile non eſt.

VIII. Denique uſu receptum eſt apud Medicos (*a*) Chirurgoſque non paucos per octiduum ʒ j. exhibere opiatæ ſequentis.

VIII. Tandem uſum terebinthinæ cum Mercurio dulci, quod remedii genus tutum eſt, & poteſt interdum utile eſſe.

℞. *Terebinth. Veneta* ʒ iv.
Rhei elect. & pulverat. ʒ iij.
Mercurii dulcis ʒ j.
M. ſimul. F. maſſa in octo doſes dividenda.

Quod ſanè remedii genus & tutum eſt & ſalutare, modò tertio vel ad ſummum ſecundo morbi ſtadio exhibeatur, cùm remittente fervore & dyſuriâ opus eſt ut ulcera detergantur, & deterſa obductâ cicatrice ſolidentur. Attamen nullâ ratione præferendum eſſe cenſemus levioribus inunctionibus mercurialibus, quæ externè illiniantur eodem ipſo tempore, quo balſamica ore exhibentur juxta methodum ſuprà propoſitam, unde eadem omnia emolumenta accedunt, quæ ab opiatâ, ſed certiora & efficaciora, minore noxâ, & ſine ullo ventriculi damno.

§. II. DE COMMENTITIA GONORRHOEÆ PROPHYLAXI.

Prophylactica luis venereæ remedia non minori diligẽtia conquiſita ſunt, quàm therapeutica.

Secundò. Jam verò ut de prophylaxi gonorrhœæ cæterorumque morborum venereorum pauca proferamus, conſtat antiquiores Medicos, ubi primùm exploratum habuêre affectiones omnes iſtiuſmodi ſolo veneris uſu contrahi, in id omni ope atque operâ olim incubuiſſe ut ingreſſuro contagio vias arte præcluderent, atque eâ ratione orituros inde morbos remediis averruncarent. Poteſt in exemplum unus inſtar omnium adduci Gabriel Fallopius, qui Operis ſui *de Morbo Gallico capite* 89. ſic præfatur. (*b*) *Ego*, inquit, *nihil feciſſe videor, niſi doceo vos quomodo quis videns pulcherrimam ſirenam, & coiens cum eâ, etiam infectâ, à carie & lue Gallicâ præſervetur. Ego enim ſemper fui hujus ſententiæ, quòd adſit ratio præcavendi ne per contagium hujuſmodi ulcuſcula* (venerea) *oriantur.* Deinde multis ea remedia proſequitur, quæ ad luis prophylaxim valere putat; laudatque inter cætera linteolum decocto remediorum vulnerariorum, aſtringentium, Guaiacinorum & Mercurialium imbutum, quod balano apponi vel principio urethræ intrudi jubet. Ait autem *ſe feciſſe experimentum in centum & mille hominibus, & Deum teſtatur immortalem nullum eorum infectum fuiſſe.*

Cum Fallopio conſentit Petrus Angelus Agathus, qui Fallopii opus Scholiis & Annotationibus auxit anno 1564. Ipſe enim proponit tanquam verè prophylacticum non in viris modò, ſed in mulieribus quoque uſum tum lintei haud diſſimili decocto imbuti, quo balanus aut vulva obtegantur poſt opus, tum ſuffumigii mercurialis, quo ſuffiantur loci venerei poſt opus eloti. Sic ergo gratiſſima ſanè incolumitatis ſpes oſtenſa eſt ho-

(*a*) Devaux in Annotationibus *ad Lib.* 3. Carol. Muſitani *De morbis venereis, cap.* 2.
(*b*) Fallopius ideo duriter vapulat judicio Henrici Stephani. *Apologie pour Hérodote, Liv.* 1. *chap.* 12. ſed an jure an injuriâ infrà videbitur.

minibus libidine perditis, quos nota vulgivagæ veneris diſcrimina terrebant, quam ſpem temerè conceptam ut abhinc foverent, ſuiſque pollicitationibus interdùm incenderent, multis ſemper curæ fuit, quos minimè pudet dubia, inania, falſa confingere atque comminiſci, dummodò ex alienâ credulitate quæſtum faciant qualemcumque.

De illis duo quæri poſſunt an dentur? An liceat eadem divulgare, ſi dentur?

Sed ut tandem aliquando fraudibus ac fallaciis finis fiat, operæ pretium futurum eſſe viſum eſt, paucis ſed diligentiâ, quâ poſſumus, ſummâ ſequentia duo capita ſeorſim expendere, quibus univerſa quæſtio de prophylaxi morborum venereorum circumſcribi & definiri videtur: Nimirùm 1°. An reverà dentur remedia quibus poſſit contagio in ipſo impuræ vel ſuſpectæ veneris uſu certò præcaveri? 2°. An ſi dentur remedia iſtiuſmodi, Medico liceat, qui probus ſit & religionis amans, illa quærentibus indicare, proponere, imò etiam ſcriptis editis vulgare?

Probatur circa prius non dari.

Circa *Prius* 1°. Indubium eſt gonorrhœam, cæteroſque omnes affectus venereos præcaveri non poſſe, niſi remediis quibus curantur: Neque enim ingreſſurum venenum retundi poteſt remediis aliis, quàm quibus conſtat idem jam ingreſſum ac tumultus agens in ſanguine debellari, domari, deſtrui. Itaque in prophylacticorum remediorum numerum ea tantùm venire poſſunt, quæ adversùs virus venereum valere ſuprà diximus: Præparata ſcilicet Mercurialia, vel decocta ſudorifica Guaiaci, Saſſafras, Chinæ & Sarſæ-parillæ ore exhibita: Inunctiones mercuriales externè illitæ genitalibus, ubi potiſſima ac prima impendentis tragœdiæ ſcena futura eſt: Suffumigia & emplaſtra mercurialia iiſdem partibus admota, aut lintea decoctis vulnerariis & anti-venereis imbuta, qualia à Fallopio laudari modò dicebamus: Tandem injectiones cum decoctis ſudorificis lignorum & radicum, aut cum præparatis Mercurialibus blandioribus, ut aquilâ albâ vel panaceâ in decocto hordei vel radicis althææ, in urethram in viris, in fœminis verò in urethram & vaginam ſyphone immiſſæ, quales à Carolo (*a*) Muſitano proponi ſuprà vidimus, quales eſſe probabile eſt illas quæ à Guillelmo (*b*) Cockburne tàm impensè laudantur.

2°. At verò, ut ea remedia optatum effectum præſtare valeant, 1°. Doſi eâdem vel ſaltem doſi ferè proximâ adhibenda ſunt, ac dum morbus præſens adeſt, quandoquidem non minor in remedio exigitur energia, ut contagio ingreſſum molienti obnitatur, quàm ut medeatur jam admiſſo. 2°. Iiſdem quotidie inſiſtendum eſt ſine intermiſſione, quandiù ſuſpectæ veneris uſus frequens eſt & ferè quotidianus, quandoquidem periculum cæteroquin foret, ne quando oblatum contagium in loca indefenſa irreperet.

3°. Sed eâ methodo non tam præcaveretur malum quod reformidatur, quàm perpetuum induceretur, quoniam ne quando forſan opus futurum eſſet remediis anti-venereis ad gonorrhœam jam contractam, quæ porrò rariùs obvenit; iiſdem utendum foret quotidie, ſine intermiſſione, toto vitæ tempore, vel ſaltem quandiu libido effrænata dominaretur; quæ ta-

(*a*) *Vbi ſuprà.*

(*b*) *De gonorrh. virul. ſymptom. natur. causâ & curation.* Par. 2. cap. 1.

men ſine manifeſto nocumento quotidie adhiberi non poſſunt, & quod foret profectò miſerrimum vitæ genus, in quo videlicet ne ægrotatio ſemel incideret, continuò ægrotandum eſſet.

4°. Adde futurum eſſe ut corpus & humores, qui corpori inſunt, Mercurialibus ſenſim aſſueſcerent; atque adeo ut purgantia & narcotica frequentiùs exhibita effectum non præſtant niſi auctâ doſi, ſic & Mercurialia quoque fruſtrà fore, niſi doſi in dies majori ac majori exhiberentur, unde neceſſe futurum ſit ut ne quando brevi temporis ſpatio & doſi moderatâ Mercurialia forſan eſſent adhibenda, iiſdem toto vitæ curſu uti neceſſe eſſet & doſi quidem maximâ, hoc eſt ut exiguum, breve, incertum malum declinaretur, ſeſe præſenti & maximo infortunio mactare quotidie.

5°. Quin imò neque tamen inde, quantâcumque diligentiâ omnia præmunita viderentur, ſatis certa unquam futura eſſet prophylaxis. Cùm enim tam multa loca ſimul munienda eſſent, periculum immineret, ne venenum venereum copiâ vel acrimoniâ prætermodùm invaleſcens impete facto vim aliquà facturum foret. Sic plerumque ſolent, ut exemplo rem patefaciam, quicumque adſtant propugnando vallo, quod longiùs exporrectum eſt, ab hoſtibus ſi denſo agmine incurrant, proſterni & ſuperari, quòd in plura loca diſperſi & diſtributi collectæ turmæ pares ubique eſſe non poſſint.

6°. Ex his itaque colligendum eſt alexiteria, quæ à gonorrhœâ, cæteriſque morbis venereis incolumes præſtent ſine detrimento, nulla dari, certa, tuta, efficacia: Si qua darentur, morbo ipſo vel ſaltem incerti morbi periculo pejora eſſe; neque adeò ab ullo, qui conſultor providuſque ſit utilitatum & opportunitatum ſuarum unquam adhibenda: Unde factum ut lintea illa anti-venerea à Gabriele Fallopio tam impensè laudata, ſuffumigia Mercurialia à Petro Angelo Agatho probata, injectiones in urethram ſimilis virtutis à Carolo Muſitano, & Guillelmo Cokburne propoſitæ, uno verbo prophylactica omnia remedia, ſi qua unquam à credulis in uſum vocata fuerint, jam pridem in deſuetudinem abierint ceu nullius efficaciæ.

7°. Proinde una tantùm eſt ſibi cavendi ratio, quæ certa ſit, nempe ut vita caſta ſit, temperans, ab impurâ, ſuſpectâ, vulgivagâ venere abſtinens: Quòd ſi verò maleſuada libido ſcortationis pericula adire juſſerit, dubia, incerta, formidoloſa omnia ſemper futura ſunt, unde emerſuri ſint pauciſſimi, quantâcumque celeritate opus conficiant, ut ſeſe periculo citiùs ſubtrahant; quantâcumque diligentiâ confecto opere virilia vel muliebria aquâ tepidâ vel urinâ ſuâ eluant, & ab aſperſis ſordibus mundent, ut nulli vel pauco contagio pateant.

Audio à perditiſſimis ganeonibus, qui meretricios amores effrænatè ſectantur, adhiberi (*a*) nuper in Angliâ folliculos è tenui & inconſutili pelliculâ in vaginæ formam confictos, & Anglicè *Condum* dictos, quibus congreſſuri obvolutum penem loricant, ut à periculis pugnæ ſemper dubiæ tutos ſe præſtent. Autumant ſcilicet ita cataphractos haſtiſque eo modo clypeatis ſe vulgivagæ veneris diſcrimina ſubire impunè poſſe.

Sed errant quidem maximè. Etenim 1°. Perit opera ex toto ſi folliculi

(*a*) Daniel Turner. *Diſſertation on the venereal Diſeaſe.* pag. 107.

pellicula alicubi hiulca aut diſciſſa ſit, vel in opere uſquam hiet aut diſcindatur; ſi tenuior allabenti tabo venereo, quo madet, pervia fiat, dum fricatione iteratâ maceratur, ac venenum altè imbibit; quæ ſingula debent frequenter uſu evenire. Memini haud inſcitè olim quæri ab Antiquorum quodam num inter mortuos recenſeri deberent, qui alto mari navigant, ut qui à morte tantùm diſtarent ligneâ tabulâ quatuor digitos latâ: Haud minori jure quæri poſſe arbitror, num inter infectos connumerari debeant, quicumque ab infectione quotidie non abſunt niſi pelliculâ ſubtili, bibulâ, permeabili, plerumque lacerâ. Illis ſanè non pellicula fragilis, ſed *robur & æs triplex* eſſe deberet *circa* penem, qui partem eam tam facilem ad contagionem impuriſſimo meretricum barathro amant *committere.*

2°. Eſto tamen; Perſtet toto opere folliculus & integer & impervius: Nondùm tamen omnia ſatis tuta. Nec pubem enim, nec inguina obveſtit ille: Proſtant ergo loca ea obnoxia attactui illabentis humoris ſpermatici, in quem mulieres colliqueſcunt dum veneri litant, unde ſi veneno infectus ſit, periculum futurum eſt grave ne (*a*) bubones generentur atque inde lues venerea, hoc eſt ne conduplicato fœnore verſura tandem ſolvatur. Quid olim profuit Achilli reliquum corpus vulnerari non poſſe, ſi calcaneum vulneri patuit, unde cecidit? Quid pariter profuturum eſt ganeonibus illis mentulam ingreſſuro contagio imperviam eſſe, ſi contagium idem poſſunt admittere pubes ac inguina, unde ab imbibito veneno bubones & à bubonibus lues ipſa perinde concipiantur?

3°. Sed quid multa? Age porrò, liceat ſcortatoribus illis, ſi ita lubeat, in obſcœnâ ſuâ ſpurcitie ſibi plaudere. Optabat olim Virgilius ut Mævii amarent carmina, quicumque Bavium non odiſſent: Sic ipſe optandum eſſe puto, ut illis quibuſcumque circa jecur ulceroſum maleſanus amor ſævit, venerem eo tantùm pacto experiri detur, quo venerea voluptas, quæ in intimo contactu reſidet, ita obtunditur & hebetatur, ut concumbentium neuter hymenæum canat, vel canat uterque ferè ſine ſenſu. Certè minoris conſtat caſtè vivere, vel permiſsâ ac ſecurâ venere tantùm uti, quàm ita turpi putidoque invento, nec tamen ſine periculo, tam caſsâ, levi & evanidâ voluptate potiri.

Probatur circa poſterius, ſi darentur, licere Medico ea divulgare.

Poſteriori quæſtioni hæc eadem ſatisfaciunt, quæ de priore diximus. Neque enim opus eſt de jure anxiè multùmque quærere, ſcilicet an liceat alexiteria remedia adversùs affectiones venereas indicare, proponere, exhibere, ſi ſemel de facto negativè conſtiterit, nempe nulla dari remedia iſtiuſmodi, quæ cum emolumento certa & efficacia eſſe poſſint.

1°. Attamen ſi qua fortè darentur, liberè dicam & ingenuè videri non modò licere Medicis, quorum eſt opiferos eſſe, ea exhibere & vulgare, ſed illos etiam ne ea celerent, religione ipsâ obſtringi, cùm ea ratione adversùs contagionis pericula præmuniri poſſent, quod in votis bonorum omnium eſſe debet, tot nutrices impuros ſuſpectoſve infantes lactaturæ, tot alumni ab infectis ſuſpectiſve nutricibus lactandi, tot uxores, quæ ex matrimonii debito cum maritis morbo contaminatis tenen-

(*a*) Vid. infrà *cap. 5. hujus Libri.*

tur

tur concumbere, quibus omnibus accidit ſæpiùs, ut ſine culpâ in affectus venereos miſerrimè incidant.

2°. Probè tamen novi quid in contrarium vulgò opponatur, nimirùm vulgatis ſemel alexiteriis illis remediis, libidinis frænos laxari, excuſſo ſalutari morbi metu, quo intemperantia coercetur. Sed quid eſt cur ea, etſi vera forent, reciderent in Medicos, à quibus alexiteria vulgarentur, ſi abusûs nullomodo conſcii ſua remedia ad juſtos tantùm legitimoſque uſus deſtinarent, ſi ſincerè cuperent, ut juſtis legitimiſque tantùm uſibus adhiberentur? Quaſi verò æquum foret inventoribus rerum quæ ad humani generis utilitatem prodeſſe poſſunt, peſſima eorum imputari conſilia, qui rebus iiſdem in pernitiem ſuam ſuamve infamiam abuterentur.

3°. Verùm tamen, ne quid diſſimulem, neque futurum illud effrænatioris libidinis periculum, quantumvis exaggeretur, ad remedia prophylactica proſcribenda ſufficiens eſſe videtur, niſi ſimul eâdemque operâ proſcribere velint remedia quoque therapeutica, quæ & ipſa libidinis intemperantiæ apertè ideo favent, quòd facilior morbi curatio morbi metum minuat. Certè & caſtiùs & temperantiùs viveretur, ſi experientiâ ſemel compertum foret, venereos morbos remediis numquam ſuperari, ac infectis ineluctabilem celeremque mortem ſemper obeundam eſſe.

4°. Sanè nobiſcum ſentire videntur, qui rei publicæ adminiſtrandæ præſunt, cùm ſcortilla triobolaria lue venereâ infecta de medio removeri jubent, ut curentur. Licet enim palam ſit minui eâ ratione pericula, quibus ſcortatores ſubjacent, verentur tamen illi minimè, ne dum conſulunt publicæ incolumitati, inſimulentur unquam, quòd depulſo vel imminuto ſalutari luis venereæ metu, civibus ad nequitiam feneſtram patefecerint.

5°. Quocirca invigilent ii, ad quos cura de moribus pertinet, ut cæcos mortalium animos ab impudicitiâ avocent monitis, præceptis, documentis; at verò liceat Medicis, qui corporis valetudini ſerviunt, concives non modò à præſentibus morbis liberare, ſed ſi qua forte daretur via, ab imminentibus incolumes ſoſpiteſque præſtare.

CAPUT III.

De duabus aliis gonorrhœæ ſpeciebus, quæ rariùs occurrunt.

§. I. DE GONORRHOEA VIRULENTA SICCA, *ſive* DYSURIA VENEREA SICCA.

Deſcriptio gonorrhœæ ſiccæ.

PRÆTER gonorrhœam virulentam modò deſcriptam, eſt & alia urethræ affectio venerea, ad gonorrhœam quodammodo pertinens, in quâ dyſuria acris & urens ægrum diſcruciat ſine ullo liquidioris aut purulenti ſeminis vel ſeminalis tumoris fluxu, vel ſaltem cum fluxu pauciſſimo. Hanc vulgò dicunt *dyſuriam veneream ſiccam*, imò etiam quandoque *gonorrhœam ſiccam*, quæ ultima denominatio verè impropria eſt,

cùm contradictorium sit gonorrhœam sine fluxu esse, sed quam tamen retinere necessum est, quoniam usui parendum, *quem penes arbitrium & jus & norma loquendi.*

Cum dysuriâ urgentissimâ, quæ istius gonorrhœæ signum est perpetuum & essentiale, conjunguntur signa alia, sed quæ inter se variant, imò verò pugnant. Modò enim simul adest cum dysuriâ gravi stranguria, quam calor, dolor, rubor, tumor perinæi, imò sæpè etiam totius penis comitantur; modò verò dysuria sola urit cum leviore stranguriâ, sine ullo nec perinæi nec penis tumore aut rubore manifesto.

Duæ sunt illius gonorrhœæ species.

Hinc palam est gonorrhœam siccam in duas species distinguendam esse, quarum prior ab inflammatione seu phlegmone prostatarum aut vesicularum seminariarum dependeat; & illa vehementiores gonorrhœas virulentas vel incipientes præcedit, vel suppressas sequitur: Posterior verò à phlogosi erysipelatodæâ urethræ producatur, & hæc potest quidem gonorrhœæ virulentæ symptomaticè præludere, sed plerumque essentialis est nec ullius alterius morbi comes aut prænuntia.

I. Symptomata prioris. 1. Dysuria gravis.

I. In priore quidem 1°. Urit dysuria gravis, tùm quòd tensa & inflammata interior urethræ facies vel leviſſimas urinæ præterfluentis morsiunculas acutissimè sentiat; tùm quòd urina, quæ vesicâ concluditur, æstu inflammatarum partium calorem & acrimoniam majorem contrahat.

2. Stranguria frequens.

2°. Stranguria frequens affligit, tùm quòd inflammatæ & tumidæ prostatæ & vesiculæ seminariæ viam exiturientis urinæ angustent urethræ ductum comprimendo; tùm quòd dolor acer quem urina infert exeundo, advocato juxta notas sympathiæ leges spirituum fluxu in sphincterem vesicæ, convulsivas & involuntarias illius contractiones proritet, quæ mictionem interturbant, imò identidem supprimunt.

3. Tumor, calor & dolor in perinæo.

3°. Adsunt tumor, calor, rubor, & dolor perinæi: Hæc enim sunt pathognomonica signa inflammationis, adeoque perinæo ea supervenire minimè mirum est, quando prostatæ & vesiculæ seminariæ, quæ in perinæo latent, gravi tentantur inflammatione.

4. Imò in toto pene.

4°. Imò verò tumor, calor, rubor & dolor totum penem aliquando occupant, cùm venæ pudendæ externæ & internæ gravi prostatarum & vesicularum seminalium tumefactione compressæ, difficiliorem sanguinis regressum permittunt tum à cavernosis corporibus penem constituentibus, tum à cutaneis integumentis cavernosa corpora involventibus.

5. Nullus seminis fluxus.

5°. Demùm nullus est putridi seminis fluxus, quia prostatarum & vesicularum seminariarum emissaria nimiâ harumce partium inflammatione ita constipantur, ut viam omnem denegent semini pauco, quod intrò admitti vel ibidem secerni potuit. Sic pari ratione fermè nulla in peripneumoniâ expectoratio speranda est, quandiù intensior est pulmonum inflammatio.

II. Symptomata posterioris 1. Atrox dysuria. 2. Frequens

II. In posteriore verò gonorrhœæ siccæ specie 1°. Atrox dysuria discruciat ægrotantem sicut in priore & propter eadem causas.

2°. Torquet similiter frequens stranguria, non ideò quidem quòd urethræ canalis multùm angustetur, cùm phlogosis erysipelatodæa, à quâ hæc altera gonorrhœæ species dependet, sensibilem nullum tumorem in-

ferat; ſed ideò tantùm quòd dyſuria involuntarias & convulſivas ſphincteris veſicæ contractiones advocet, quibus urinæ fluxus coercetur, voluntatis imperio in contrarium fruſtà nitente. ſtranguria.

3°. Nullus eſt tumor, aut rubor nec in pene nec in ipſo perinæo, quia phlogoſis eryſipelatodæa, quæ internam urethræ fiſtulam obſidet, ad externa uſque integumenta non protenditur; dolent tamen & calent tùm perinæum, tùm penis, propter viciniam urethræ affectæ, quæ calet ipſa doletque. 3. Sed nullus tumor aut rubor nec in pene, nec in perinæo.

4°. Denique nullus eſt ſeminis fluxus, ſive quòd proſtatæ & veſiculæ ſeminariæ ab omni labe immunes ſint, ſive quòd ut veroſimilius aut ſaltem frequentius eſt, ab eryſipelatodæâ urethræ phlogoſi emiſſaria proſtatarum & veſicularum ſeminalium ita conſtringantur, ut ſemini via non pateat. 4. Neque ullus ſeminis fluxus.

Cæterùm liquet utramque gonorrhœæ ſiccæ ſpeciem, à contagio venereo ſimiliter produci, quod in objectam partem vim ſuam corroſivam, inflammatoriam, phlogiſticam perinde exerat, cùm utraque ab impuro concubitu perinde inducatur; ſed ab eodem veneno diverſas in diverſo caſu partes affici, cùm diverſa ſit morbi ſedes ex dictis. Videtur autem hujus diſcriminis ratio ex triplici fonte repetenda. 1°. Ex diversâ contagii venerei volatilitate, 2°. Ex diversâ anguſtiâ emiſſariorum, quibus veſiculæ ſeminariæ & proſtatæ hiant in urethram, 3°. Demùm ex diverſo coitionis tempore, quo virus ſuſcipitur. Itaque priorem gonorrhœæ ſpeciem contrahi credimus, ſi virus venereum fixius ſit; ſi ideò cùm tardiùs exhalet, urethræ non inſtilletur niſi poſt peractum ejaculationis opus, dum vacuæ proſtatarum & veſicularum cellulæ poſſunt venenum altiùs imbibere; demùm ſi ita hiulca ſint & pervia proſtatarum & veſicularum emiſſaria, ut inſpiratum venenum largiter admittant: Contrà verò poſteriorem gonorrhœæ ſpeciem induci, ſi virus acrius & volatilius ſit; ſi ideò celeriùs & ante emiſſum ejaculatione ſemen urethræ inſinuetur, dum proſtatæ & veſiculæ ſemine turgent & ingreſſuro veneno magis reluctantur; ſi demùm anguſta & nimiùm conſtricta proſtatarum & veſicularum emiſſaria pauciſſimum venenum poſſint intrò ſuſcipere. Cauſæ utriuſque.

Diagnoſis. Gonorrhœam virulentam ſiccam dignoſcere facile eſt, quoties accidit ut acris & urens dyſuria cum ſtranguriâ frequente divexet paucis diebus ab impuro vel ſaltem à ſuſpecto concubitu, ſine ullâ aliâ causâ manifeſtâ: Ab utrâ verò causâ gonorrhœa illa dependeat eruere æquè facile eſt ex præſentiâ vel abſentiâ tumoris & ruboris in perinæo & in pene. Diagnoſis.

Prognoſis. Sicca gonorrhœa gonorrhœâ fluente ſemper periculoſior eſt, tum quia venenum non fluens, ſed intùs retentum radices agit altiores, tum quia affectas partes graviùs rodit & labefactat. Prognoſis.

Prior gonorrhœæ ſiccæ ſpecies, quæ à phlegmone proſtatarum & veſicularum ſeminalium dependet, niſi inflammatio brevi reſolvatur, aut provocato ſeminis fluxu mitigetur, in abſceſſum perinæi facilè degenerat, ob proſtatarum aut veſicularum ſuppurationem.

Poſterior verò ſpecies quæ ab eryſipelate urethræ producitur, niſi citò reſolvatur, in ſphacelum abit ut inflammatis membranis ſolenne eſt, quod in internâ parte ferè perpetuò lethiferum eſt.

Curatio. *Curatio.* Omni operâ annitendum eſt ut phlegmone vel eryſipelatodæa phlogoſis reſolvatur aut mitigetur ; edulcetur urinæ acrimonia, & contemperetur affectarum partium æſtus.

1°. Ad hunc finem prodeſt præcipuè ſanguinis miſſio larga & frequens, & initio ſaltem quartâ quâque horâ celebranda ; neque enim aliud quicquam præſtantius aut efficacius novimus ad inflammationem minuendam, & hærentis ſanguinis reſolutionem promovendam.

2°. Debent genitalia, penis, ſcrotum, perinæum foveri identidem lacte ſubtepido vel decocto radicis althææ & ſeminis lini ; quin imò ex lacte, vel ex hoc decocto debent ſemicupia ſeu inſeſſus parari.

3°. Cùm ægrotans nec ſemicupio ſemper inſidere poſſit, nec dolentes partes fovere ſemper, apponenda ſunt cataplaſmata anodyna, ut de micâ panis cum lacte & ovi vitello ; vel de lactis cremore recenti & ſubtepido ; vel de medullâ caſſiæ &c. quæ affectas partes latè contegant atque comprehendant, & quæ mutentur ſæpiùs in die, ne ſiccitate nimis indurentur.

4°. Alvus ſæpiùs abluenda enemate refrigerante & anodyno, ex decocto radicis althææ & ſeminis lini cum caſſiæ medullâ, addito pauco nitro purificato, vel ſale prunellæ.

5°. Licet mictio dolorifica ſit & difficilis, & ideò non videatur adaugenda urinæ copia, præſtat tamen urinam diluere & temperare, ne ſi acrior eſſet rodendo morbum intenderet dum emitteretur. Conducit itaque frequens potatio ptiſanæ refrigerantis paratæ ex infuſo radicis althææ, ſeminis lini, florum malvæ &c. cujus libris ſingulis grana aliquot nitri depurati vel ſalis prunellæ addi poſſunt.

6°. Injicienda in urethram lac vaccinum aquâ dilutum, vel ſerum lactis, vel decoctum radicis althææ ſubtepidum, vel aqua ſpermatis ranarum, modò poſſit injectio inſtitui ſine inſigni doloris augmento, quod levi & ſuſpensâ manu explorandum eſt.

7°. Demùm narcotica adhibenda ſunt, ut ſyrupus papaveris albi, laudanum, tinctura anodyna &c. doſi conveniente, quæ dolores intolerandos compeſcant, conſtrictiones urethræ convulſivas cohibeant, & liberiorem remediorum uſum permittant.

8°. Hac therapeiâ, ſi cautè & celeriter adhibeatur, morbi ferociâ intra tres quatuorve dies vel ad ſummum intra ſex mitigatâ, vel optatus ſuccedit ſeminis putridi fluxus, qui partium inflammatarum relaxationem denotat, vel ſine fluxu ullo qui conſpicuus ſit, phlogoſis ſenſim reſolvitur.

9°. At verò ſi morbus tenore eodem eâdemque vehementiâ ſex ſeptemve dies excedat, periculum imminet, ne inflammatio in ſuppuratum, aut phlogoſis in gangrænam degeneret.

10°. Quamobrem tunc, ſi qua appareant ſuppurationis incipientis indicia, perinæo admovenda cataplaſmata maturantia & putrefacientia ex pulpâ radicum liliorum alborum & althææ &c. foliorum acetoſæ, malvæ, betæ &c. cum oleo liliorum, quibus fermentum acrius vel unguentum baſilicum adjici poterunt, ſi ità è re eſſe videatur.

11°. Quamprimùm autem vel leviſſima latentis puris fluctuatio perci-

pietur, pars altè incidenda, ne pus diutiùs coercitum ſinus agat periculoſos, ſed de his fuſiùs infrà, *cap.* 4. §. 2. ubi *De abſceſſu perinæi.*

12°. Quòd ſi in alterâ gonorrhœæ ſiccæ ſpecie, quæ ab eryſipelate urethræ dependet, poſt ſex ſeptemve dies, dyſuria & ſtranguria, quæ anteà urgebant intensè, derepente ceſſent, & ſi urethræ ductus in perinæo, qui anteà fortiter tenſus dolebat ex leviſſimo attactu, jam magis obſequioſus & minùs dolens ſit, meritò timendum eſt ne præſens mejendi libertas laxitati urethræ à ſphacelo inductæ accepta debeatur, quod periculi plenum eſt.

13°. Quapropter ſimul ac prima nigroris indicia in perinæo obvia fuerint, vel citiùs, ſi graves de latente ſphacelo conjecturæ urgeant, immiſſo in urethram ſulcato cathetere, perinæum ad Raphes alterutrum latus incidendum eſt, ſicut in lithotomiâ. Dein vulneris labia levioribus vel profundioribus ſcarificationibus pro rei neceſſitate diſſecanda, ac calidè fovenda decocto ariſtolachiæ rotundæ & fuliginis ſplendentis in vino rubro, cujus libræ cuilibet unciæ tres ſpiritus vini camphorati, totidemque tincturæ myrrhæ adjectæ ſint.

14°. Demum vulnus tractandum cum digeſtivo ſequente.

℞. *Digeſtivi vulgaris ex Terebinthinâ lotâ & vitellis ovi parati* ℥ iv.
Add. *Unguent. de ſtyrace* ℥ ß.
Olei Hyperic. ℥ j.
Tinctur. Aloes & Myrrhæ ana ℥ j.
Miſceantur omnia probè. F. Digeſtivum cum linteo carpto vulneri admovendum.

Hocce digeſtivo utendum eſt donec obortâ ſuppuratione eſchara à ſubjectâ parte ſecedat, quo tempore adhibendum eſt digeſtivum ſimplex vel balſamum Arcæi.

15°. Cæterùm probè notandum eſt in gonorrhœâ quâcumque virulentâ ſiccâ anti-venerea, quæ ad gonorrhœam virulentam fluentem ſuprà propoſita ſunt, præſertim verò Mercurialia formâ unguenti perinæo illita, quæ cæteris efficaciâ præſtant, cautè ſed diù uſurpanda eſſe, ubi primùm mitigata ſymptomatum vehementia illorum uſum permiſerit. Siquidem cùm in hac gonorrhœæ ſpecie ſuſceptum virus nullomodò effluat, ſed intra corpus totum cohibeatur, inde tantò diligentiùs attendendum eſt, ut ſpecificis remediis corrigatur & ſuperetur.

Fœminæ quoque eidem gonorrhœæ ſpeciei ſunt obnoxiæ.

Quæ de viris diximus, accidunt eadem in fœminis quoque, ſed mutatis mutandis; Nunc enim omnibus gonorrhœæ virulentæ ſymptomatibus tenentur, dyſuriâ, & dolore, calore, rubore proſtatarum in ſuperiore, vel glandularum Cowperianarum in inferiore vulvæ angulo, ſine ullo tamen humoris effluvio, vel cum effluvio perpauco; & tunc palam eſt proſtatas vel glandulas Cowperianas verè inflammari, quod cum priore gonorrhœæ ſiccæ ſpecie in viris convenit: Nunc verò illæſis cæteris muliebrium locis, laborant tantùm ex vaginâ, quæ calet, dolet, tentigine perpetuâ rumpitur cum dolore acri & importuno; & tunc liquet internam vaginæ faciem phlogoſi eryſipelatodæâ affici, quod cum alterâ gonorrhœæ ſiccæ ſpecie in viris congruit.

Proinde facile eſt eruere ex ſuprà dictis tum cauſas atque ſymptomata,

quæ utrique illi affectioni venereæ propria ſunt in fœminis, tum curatorias methodos, quæ ad utramque faciunt.

§. II. DE GONORRHOEA SPURIA, *ſive* DE VENEREO STILLICIDIO E BALANO.

Gonorrhœa ſpuria, in quâ ſtillicidium venereum à balano manat.

Datur & tertia gonorrhœæ ſpecies in viris non rarò obvia, quæ *ſpuria* dicitur, & in quâ non ab urethrâ, ſed à coronâ balani, quæ dolet & inflammatur, promanat humor limphaticus, ſubviſcidus, purulentus, non ubertim quidem, ſicut in gonorrhœâ vulgari, ſed tamen ſatis copiosè; unde vocari poteſt *venereum ſtillicidium à balano.*

Obſervata fuit tum à Sydenhamio, tum à Vercellono

Conſtat illam gonorrhœæ ſpeciem obſervatam fuiſſe tum olim à Thomâ Sydenhamio, *in Epiſtolâ ſecundâ Reſponſoriâ*, ubi ſic legitur. *Ipſe vidi virulentam hujuſmodi materiam per ſubſtantiam glandis poroſam exudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante vel præputium:* Tum recentiùs à Jacobo Vercellono, *in Tetrabiblio de pudendorum Morbis & Lue venereâ, capite 3. articulo 2. §. 2.* ubi ille ſic ait, *Memini ego etiam plurimorum, qui in membro in ejuſmodi latrinis* (pudendo ſcilicet mulierum lue infectarum) *ſolùm leviter intincto, albâ ſanie poſtmodùm plorarunt per ſubſtantiam glandis poroſam, etiam circa* (lego *citra*) *ullum ulcus.*

Reperitur etiam in mulieribus.

Conjicio mulieres ipſas quoque huic gonorrhœæ ſpeciei obnoxias eſſe, in quâ humor gonorrhoicus non è proſtatis, vaginâ, glanduliſve Cowperianis, ut in vulgari gonorrhœâ, ſed ex ipsâ vulvæ facie ſolâ extillat. Certè vidi nuper puellam decem vel undecim annos natam, quæ anno antè à maleferiato quodam conſtuprata, morboque contaminata, ſed quæ, inacceſsâ propter arctitudinem vaginâ, in vulvâ tantùm vim paſſa fuerat, fluxu gonorrhoico virulento tentari, non à lacunis, vaginâ, aut glandulis Cowperianis, ſed ab ipsâ tantùm vulvæ facie prodeunte, ut facili experimento compertum habui. Vulvâ enim priùs probè detersâ, obſervavi humorem non ex memoratis locis profluere, ſed ex ipsâ vulvæ facie guttatim exudare, ſi pudendi labra molli attactu comprimerentur.

Sedes illius gonorrhœæ in utroque ſexu.

Non eſt dubium quin ea gonorrhœæ ſpecies à venereo contagio originem ducat in utroque ſexu, cùm impuro concubitui ſuperveniat, & anti-venereis remediis curetur. Sedem habet propriam in ſebaceis ſeu odoriferis glandulis, in viris quidem ad radicem ſive coronam balani adſitis, in fœminis verò per totam vulvæ faciem conſitis, quæ acri veneno venereo irritatæ, laceſſitæ, inflammatæ frequenti & iteratâ oſcillatione copioſiorem humoris illius proventum ſuggerunt, viſcidi, glutinoſi, ſebacei, ſed qui tunc dilutior eſt liquidiorque, & cui commiſcentur aliquando nonnullæ puris guttulæ ab erosâ balani vel præputii facie in viris, aut vulvâ in fœminis deciduæ. Sic eodem planè mechaniſmo piper linguæ admotum, ſalivam; fumus oculis exceptus lacrymas movet: Vel potiùs quod ad rem magis facit, ſic inflammatæ & irritatæ in ophtalmiâ glandulæ, quæ palpebrarum oras ambiunt, copioſo viſcidoque humore genas irrorant in lippis.

Cauſæ in viris.

Contrahitur autem hæc gonorrhœæ ſpecies ex causâ triplici. 1°. Si ſebaceæ ſeu odoriferæ glandulæ modò deſcriptæ laxiores fuerint, rariores

& nimis hiulcæ conformationis vitio, adeoque virus venereum, quo madefiunt in impuro concubitu, altiùs & copiosiùs imbibant. 2°. Si præputium nimis longum non abstersas ichoris virulenti guttulas, quæ coronæ balani post coitum hærent, arctiùs constringat & intimiùs applicet glandulis sebaceis. 3°. Demùm si causæ hæ geminæ unà simul concurrant, ac proinde agant ideò tantò efficaciùs.

Nec dispari ratione potest gonorrhœa eadem à fœminis concipi triplici de causâ. 1°. Si sebaceæ vulvæ glandulæ laxioribus osculis patescant. 2°. Si semen ab infecto viro emissum vulvâ tantùm excipiatur, de quo iis plerumque cura est, quæ à prægnatione sibi cavent. 3°. Si utraque causa unà forsan coincidat. Et in fœminis.

Falsa hæc gonorrhœa cum fluente vel siccâ modò conjungi solet, modò verò sola & seorsim accidere. In priore casu adsunt symptomata omnia, quæ suprà recensuimus, & quæ gonorrhœam utramque, fluentem & siccam comitantur: In posteriore verò desunt omninò, & nihil quidquam observatur præter dolorem, tumorem, calorem & levem erosionem inflammatæ coronæ balani in viris, & vulvæ in fœminis.

Diagnosis. Facile est gonorrhœam spuriam dignoscere & in viris & in fœminis, cùm vel ipsâ inspectione tum morbus, tum morbi sedes innotescant. Diagnosis.

Prognosis. Gonorrhœa spuria, modò prudens adhibeatur medela, periculo plerumque vacat. Prognosis.

At verò si omittantur remedia, superficiariæ glandularum sebacearum erosiones, gliscente celeriter labe, in ulcuscula cancrosa degenerant, quibus balani corona cingitur in viris, quibus verò in fœminis vulva obsidetur, unde affectus periculosior.

Imò etiam, si calli ulcusculis undique succrescentes solitum sanguinis & limphæ regressum inhibeant à balano vel à præputio in viris, aut à nymphis, carunculis myrtiformibus vel pudendi labris in fœminis, continget non rarò in utroque sexu phimosis, paraphimosis, vel crystallina, ut infrà suo loco videbitur, unde grave imminebit periculum.

Curatio. 1°. Venæ sectio in brachio alterutro semel atque iterùm celebranda est, pro morbi vehementiâ, scilicet ut præsens balani vel vulvæ inflammatio mitigetur, & præcaveatur imminens. Curatio.

2°. Retracto præputio balanus, corona balani & interna præputii facies in viris, in fœminis verò vulva sæpiùs abluenda sunt decocto hordei, vel foliorum agrimoniæ, vel radicis althææ melle Narbonensi temperato. Poterit quoque, si dolor nimius discruciet, vel serum lactis recens, vel lac ipsum in hunc finem satis commodè usurpari.

3°. Quin imò, si dolor acrior urat, facile erit & alia non pauca paregorica remedia adhibere ad acrimoniam & inflammationem mitigandam. *v. g.* Balanum denudatum præputio in lacte tepido detinere; vel linteo quod lacte perpetuò madeat, contegere; vel cataplasmate de micâ panis, aut cerato refrigerante Galeni supra telam extenso obvolvere &c.

4°. Post dies aliquot pacato inflammationis fervore, anti-venerea omnia, quæ ad gonorrhœam fluentem proposuimus, eodem ordine in usum advocanda, quæ virus venereum subigant, alterent, corrigant, evacuent.

5°. Hac methodo ſolet utplurimùm ſponte ceſſare humoris fluxus, qui à glandulis coronæ balani vel vulvæ promanat. Si quid tamen viſcidius inde extillaverit, ut naturalis tonus & glandulis & glandularum emiſſariis reſtituatur, utile erit balanum vel vulvam per dies aliquot identidem eluere vel fovere decocto ligni ſancti ſive Guaiaci; vino rubro in quo ferrum candens aliquoties extinctum ſit; vel levi ſalis aut ſacchari Saturnini ſolutione in aquâ plantaginis.

6°. Quòd ſi vel remediorum prætermiſſione vel morbi vehementiâ, coronæ aut vulvæ inflammatio in ulcuſcula degeneret, quæ phimoſim, paraphimoſim, aut cryſtallinam inferant, tunc remediis utendum erit, qualia infrà proponemus ad illarum affectionum curationem.

Obſervatio ophthalmiæ venereæ.

Poſſem nec temerè quidem cum gonorrhœâ ſpuriâ modò deſcriptâ conferre ophthalmiam virulentam, quaſi inoculatione contagiosâ propagatam, cujus raram ſed certam obſervationem habeo. Adoleſcens quidam dudùm conſueverat ſingulo mane oculos abſtergere urinâ ſuâ calente, ut oculorum firmaret aciem. Poſt contractam ex infortunio gonorrhœam virulentam, à conſueto uſu minimè abſtinuit, nihil mali ſibi inde metuens. Urina tamen virulentis miaſmatis inquinata labem eamdem cum conjunctivâ & palpebris citò communicavit, quâ genitalium interiora affecta erant; unde ophthalmia gravis & venerea, cum acri & involuntario lachrymarum & lippitudinis fluxu, quæ ambo iiſdem remediis tandem perfectè curata fuerunt, quibus ipſa gonorrhœa.

CAPUT IV.

De morbis, qui gonorrhœæ virulentæ ſolent ſuccedere.

§. I. DE TUMORE TESTIUM VENEREO, *ſive* HERNIA VENEREA.

Deſcriptio tumoris phlegmonodæi teſtium.

CONTINGIT frequenter iis qui gonorrhœâ vel lue venereâ laborant, ut teſticulorum alteruter vel uterque tumeat, infletur, diſtendatur, caleat, doleatque, uno verbo verè inflammetur. Hæc autem ſingula ſymptomata, adeoque morbus ipſemet inflammatorius, à quo dependent, variè variant, tum intenſione, tum extenſione: *Intenſione* quidem, cùm magis vel minùs urgentia ſint: *Extenſione* verò, cùm modò teſtes ambos, modò unum tantùm; modò totam teſtis ſubſtantiam, modò aliquam dumtaxat teſtis partem occupent.

Gemina eſt tumoris illius cauſa.

Hic autem teſtium tumor phlegmonodæus, qualiſcunque ſit, à geminâ cauſâ producitur. 1°. Quidem à ſuppreſſione vel coercitione putridi & virulenti ſeminis, quod à proſtatis & veſiculis ſeminariis manare debet in gonorrhœâ. 2°. A virulentis & venereis miaſmatis, quæ in ſyphiliticis ſemen, quod inficiunt, inſpiſſant in teſtium vaſculis, & ibi congeſtum detinent.

Nempe gonorrhœa

Itaque 1°. Si fluxus gonorrhœæ quomodocunque ſuppreſſus vel cohibitus fuerit, de quo vide quæ dicta ſunt ſuprà *cap.* 1. virulentum ſemen, quod

quod à teſtibus in veſiculas ſeminarias & à veſiculis in urethram profluebat, cogetur ſubſiſtere; retentum eâ ratione ſemen vaſcula teſtium, quibus coercetur, infarciet, diſtendet & tumefaciet; diſtenta & tumefacta vaſa ſpermatica arterias venaſque juxtà repentes compriment; demùm compreſſis venis arteriiſque, ſanguis continuo fluxu appellens in lateralia limphatica vaſa cogetur arietare, & viâ vi factâ novum iter ſibi cudere; ſic ergo à primo ad ultimum inflammatorius teſtium tumor producetur. Hæc eſt prior morbi cauſa, quæ à gonorrhœâ ſemper dependet, quæ cum eâdem ſæpè conjungitur. *ſuppreſſa.*

2°. Si virus venereum, quod ut jam dictum, naturâ ſalſo-acidum eſt, lateat in ſanguine, ſemen, quocum ex analogiâ multum commiſcetur, inde plerumque inſpiſſabitur, ut ab acidis quibuſvis ſolenne eſt ſulphureos humores inſpiſſari; ac inſpiſſatum in numeroſiſſimis, ſtrictiſſimis, & glomeris inſtar multifariam contortis & complicatis vaſis ſpermaticis hærebit & ſubſiſtet; unde nimia illorum vaſorum diſtentio & tumefactio, venarum & arteriarum compreſſio, ſanguinis hærentia & inſolens per limphatica vaſa circulatio, ac demùm inflammatorius teſtium tumor. Hæc eſt altera morbi cauſa, quæ à latente ſyphilide dependet, ſed quæ ſine præſente gonorrhœâ ſolet accidere. *Vel lues venerea latens.*

Liquet inde 1°. *Priorem* quidem tumoris ſpeciem, cùm à ſubitâ ſeminis retentione inferatur, ſeu, ut Antiqui loquebantur, *fluxione* fiat, eſſe magis inflammatoriam. *Symptomata prioris ſpeciei tumoris teſtium.*

2°. Proinde pro more tumorum inflammatoriorum intenſiorem caloris & doloris ſenſum excitare. *1. Teſtis inflammatio.* *2. Intenſior calor & dolor.*

3°. Sed ideò quoque feliciùs reſolubilem eſſe; & ſi reſolvatur, perfectiùs reſolvi, ac plerumque ſine ullâ aut fere ullâ duritie ſuperſtite in teſte, potiſſimùm ſi renovato gonorrhœæ fluxu via fiat inſpiſſato & grumefacto ſpermati. *3. Facilior reſolutio.* *4. Vel ſaltem ſuppuratio.*

4°. Si reſolutio non ſucceſſerit, ſæpiùs in ſuppuratum abire, ruptoque abſceſſu in fiſtuloſum ulcus degenerare.

5°. Cæterùm hanc tumoris ſpeciem dextrum vel ſiniſtrum teſtem occupare, prout ſemen in veſiculis ſeminariis vel dextri vel ſiniſtri lateris retinetur; utrumque verò, ſi in veſiculis utriuſque lateris ſemen coerceatur.

6°. Contrà verò *poſteriorem* tumoris ſpeciem, cùm à tardiore ſeminis hærentiâ producatur, ſeu ut cum Antiquis loquamur, *congeſtione* fiat, minùs inflammatoriam eſſe. *Symptomata poſterioris.*

7°. Proinde minorem in affecto teſte caloris & doloris ſenſum producere. *6. Rarior minorque inflammatio.*

8°. Sed eo quoque nomine nec tam facilè reſolubilem eſſe; nec ſi reſolvatur, tam perfectè reſolvi, & duritiem aliquam in teſte plerumque relinquere, cùm nulla ſit ſpes in provocato ſeminis fluxu per gonorrhœam. *7. Obtuſior dolor, & calor remiſſior.*

9°. Superſtitem duritiem dimiſſis ſenſim tenuioribus partibus frequenter in ſkirrhum indurari, qui hydrocelen, pneumatocelen, ſarcocelen &c. non rarò inducit; imò qui quandoque validioribus arteriarum interrepentium oſcillationibus, fortuito attritu, humorum acrimoniâ &c. lan- *8. Tardior & difficilior reſolutio.*

9. Skirrhus.

cinante dolore tandem percelli & in carcinoma mutari solet.

10°. Hanc alteram tumoris speciem dextrum siniſtrumvè testem invadere, prout laxior contextus, aut fortuitus alterutrius attritus hærentiæ seminis locum dat.

11. Paraſtatæ præ cæteris, testis partibus afficiũtur.

11°. Cæterùm in utroque tumoris genere Epididymides sive paraſtatas promptiùs affici quàm testes, quia vasa Epididymidum laxiora sunt, atque adeò subsistenti semini faciliùs cedunt; contrà verò vasa cætera spermatica testem componentia, quæ tunicâ albugineâ arctè concludunt & firmantur, semini efficaciùs resistunt.

12. Et in paraſtatis globus inferior præ superiore.

12°. In Epididymidibus verò sive paraſtatis globum seu angulum inferiorem frequentiùs inflari, quàm superiorem, quoniam difficilior est seminis regressus ab inferiore angulo, propter majorem declivitatem.

13. Sensus ponderis in teste.

13°. Molestum ponderis sensum percipi, quia tumefactus testiculus reipsâ magis ponderat; sensum autem illum ad inguina usque protendi, quia testiculi pondere funiculus spermaticus qui & ipse inflammationis particeps est, distrahitur.

14. Aliquãdo febris.

14°. Demùm febrem accendi, sive quòd acutus doloris sensus, quo æger torquetur, frequentiores cordis contractiones sympathicè sollicitet; sive quòd sanguis à sanguiferis testis inflammati vasis præclusus, citatiùs per cætera vasa circulet, atque adeò frequentiorem cordis systolen promoveat.

Diagnosis. *Diagnosis* morbi, & gradûs morbi inspectione: Causarum verò ægri relatione manifesta est.

Prognosis. *Prognosis.* Tumor inflammatorius testium numquam periculo vacat, cùm febrem comitem habeat, ac in graves affectus, abscessum, fistulam, skirrhum, hydrocelen, sarcocelen, carcinoma testium possit degenerare.

Tumor, qui ab inhibitâ gonorrhœâ dependet, acutior est, & citiùs proinde stadia sua percurrit: Tumor verò, qui à syphilide latente producitur, magis chronicus est, & lentiùs movetur, sed habet uterque sua sibique propria pericula, de quibus modò satis fusè diximus.

Curatio. *Curatio.* 1°. Venæ sectio è brachio sæpiùs iteranda pro ætate, viribus, temperamento ægrotantis; morbi naturâ & intensione; & febrilis orgasmi incandescentiâ. Sanè nec præstantius nec promptius ullum aliud est auxilii genus, quo inflammatio resolvi, discuti, vel minui & mitigari possit.

2°. Largus potus ptisanæ imperandus est, qualem suprà ad gonorrhœam proposuimus, ægerque diætâ tenuissimâ, hoc est solis jusculis ex pullo & vitulinâ carne confectis nutriendus. Alvus demùm enemate laxanda cum medullâ cassiæ.

3°. Missis remediis internis mochlicis & purgantibus, sicut externis astringentibus & repercutientibus quibuscumque, anodynis tantùm insistendum sub formâ lotionum, fomentorum, cataplasmatum. In hunc finem conducunt decoctum radicis althææ, & seminis lini, vel lac subtepidum, quibus scrotum identidem foveatur; vel cataplasma anodynum de micâ panis, aut emolliens cataplasma ex radicibus liliorum, foliisque hyoscyami, malvæ, brancæ-ursinæ ad putrilaginem coctis, quarum pul-

pæ lini farina, oleumque lumbricorum terreſtrium vel liliorum admiſceatur.

4°. Quòd ſi in hac primâ morbi periodo dolor acutiùs diſcruciet, utendum narcoticis, ut ſyrupo de diacodio, de karabe, laudano, tinctură anodynâ &c. doſi conveniente.

5°. Remittente inflammationis, ac proinde febris & doloris vehementiâ, æger leni cathartico purgandus eſt, *v. g.* diluto decem drachmarum vel unciæ unius & ſemiſſis medullæ caſſiæ in ſeri lactis depurati lib. j. pro duobus hauſtibus.

6°. Tunc poſſunt ſine periculo admoveri cataplaſmata leviter reſolventia, inter quæ laudatur ſequens, ex quatuor farinis reſolventibus.

℞. *Farin. Hordei.*
Lupinorum.
Fœni græci.
Et Secalis ana ℥ ij.
Seminis Cumin. pulverat. ℥ ß.
Coq. in aqua comm. ad formam pultis ſpiſſioris, admiſce olei lumbricorum ℥ j ß. *F. Cataplaſma.*

Laudatur quoque ea terræ cimoliæ ſpecies, quæ colligitur in ſitulis cultrariorum, & quæ cotis & ferri ramentis conſtat; hæc ſupra linteum expanſa, ac debitè calefacta tumenti teſticulo cum ſucceſſu admovetur.

7°. Jam quoque in uſum tutò poſſunt advocari anti-venerea quæcumque internè ſumpta, quæ virus venereum alterando nativam ſemini hærenti fluiditatem poſſint reſtituere. Sed hæc repeti poſſunt ex cap. præcedente, ubi *de gonorrhœâ.*

8°. Tandem reſolutâ teſtium inflammatione ſupereſt utplurimùm durities quædam, major minorve, præſertim in epididymidum angulis, quæ ab indurato inſpiſſatoque ſemine procedit. Huic diſcutiendæ multa poſſunt conducere, 1°. Inunctio ex balſamo ſulfuris ſuccinato, vel ex oleis maſtichino, rutaceo & menthaceo *ana* commiſtis, & ſi ita videatur, additâ cerâ paululum inſpiſſatis in formam unguenti. 2°. Emplaſtrum de vigo quadruplicato Mercurio, emplaſtrum de ranis cum Mercurio, emplaſtrum de cicutâ, emplaſtrum diabotanum &c. quæ poſſunt vel ſeorſim, vel unà ſimul eâ quâ lubuerit proportione temperata, applicari. 3°. Inunctio ſimplex cum Mercuriali ſeu Neapolitano unguento, identidem repetenda cum debitis cautelis, ne ptyaliſmus advocetur. 4°. Imò verò omiſſis reſolventibus fortioribus, mira quandoque præſtant ſola relaxantia ut emplaſtrum de mucilaginibus, de ſpermate ceti vel ranarum &c.

9°. Dùm ea adhibentur medicamina, debent teſticuli ſuſpenſorio cingulo contineri, ne inaſſueto pondere vaſa ſpermatica nimiùm diſtrahant, & extendant, atque ideo ipſi obſtent reſolutioni ſeminis quo turgent.

10°. Quòd ſi adhibitis incaſsùm remediis anodynis, reſolventibus, diſcutientibus, inflammatus teſtis in ſuppuratum vergat, quod patet ex phlegmones diuturnitate & ex ſymptomatum redintegratione, quæ puris confectionem comitari ſolet; tunc iterato venæ ſectionis uſu, ſi morbi vehementia ita exigat, continuandus eſt uſus cataplaſmatum emollientium

qualia præſcripſimus ſuprà *cap.* 3. §. 1. Imò etiam adaugenda eſt maturans eorumdem efficacia, additis unguento baſilico, fermento veteri, vel cochleis terreſtribus teſtâ exemptis & in putrilaginem contuſis.

11°. Deinde ubi primùm levi partis cujuſdam mollitie, vel obſcurâ quâdam fluctuatione, vel ſymptomatum urgentium remiſſione conſtiterit pus jam alicubi confectum latere, via ipſi citò paranda, ne mollem teſtis ſubſtantiam funditùs corrumpat : Solent in hunc finem nonnulli cauterium adhibere potentiale, ſed parùm laudabili conſilio, quoniam deleteriæ cauterii partes teſtis tunicas admodùm ſenſiles rodendo graves convulſiones erethiſmo ſæpenumerò excitant : Quapropter ſatius eſt phlebotomo partem incidere, levi quidem manu, ne teſtis ſubſtantia altiùs ſaucietur, & mediocri aperturâ, quæ puris effluxu ſufficiat quidem, teſtis verò ſubſtantiam nimiùm non peſſundet.

12°. Educto pure, abſceſsûs cavum bis in die detergendum eſt injecto decocto hordei cum melle roſaceo, ac penicillis molliter replendum, qui levi & anodyno digeſtivo madidi ſint ex terebinthinâ Venetâ, vitello ovi & guttis aliquot olei de hyperico, unà miſtis & ſubactis. Dein finitâ ſuppuratione, dum carnes ſuccreſcunt, ulcus eluendum eſt aquis Thermalibus, Balerucanis, Borbonienſibus, Baregianis &c. & curandum balſamo Arcæi, cui guttæ aliquot balſami viridis Metenſium poterunt adjici, ut firmior cicatrix inducatur.

13°. Verùm ſi inflammatus teſtis incipiente gangrænâ corripiatur, ſi ſuppuratione nimiâ funditùs corruptus ſit, aut ſi skirrho jamdudùm affectus carcinomatodes fiat, abjectâ omni cunctatione, abſcindendus erit caſtratione.

14°. Denique ſi fiſtuloſum ulcus in ſuppurato teſte ſuperſit, ſi teſtis totus skirrhodes remaneat, aut ſi notabils & skirrhodæa durities teſtis vel Epididymidis partem aliquam occupet, neceſſariò adhibendæ ſunt inunctiones mercuriales, quæ ſunt in morbis venereis contumacioribus tanquam ſacra anchora : Hac enim methodo ſolâ poteſt ſanguis efficaciter alterari, ſemen craſſius, quod in teſte hæret, atteri, ac demùm corrigi virus venereum, quod vel jam pridem latet in ſanguine, vel eidem ſaltem recenter commiſtum fuit ob gonorrhœam ſuppreſſam, & à quo ſuperſtites morbi reliquiæ foventur.

§. II. DE VENEREO PERINÆI ABSCESSU.

Quot partes inflammentur in gonorrhœâ ?

Tres partes ſunt quæ in Gonorrhœâ inflammatione afficiantur modò ſimul, modò ſeorſim, ut ſuprà vidimus, nimirùm veſiculæ ſeminariæ, proſtatæ, & glandulæ Cowperianæ. Si gravior ergo & nimiùm virulenta gonorrhœa contracta ſit ; ſi conveniens gonorrhœæ curatio diutiùs negligatur ; ſi omiſſis venæ ſectionibus & anodynis remediis, mochlica, draſtica, vehementiora purgantia præpoſterè adhibeantur ; ſi imprudenti veneris uſu, potatione vini meracioris aut liquorum ardentium, equitatione, exercitio nimio &c. morbus exaſperetur ; ſi virulenti ſeminis effluvium injectionibus ſtypticis & aſtringentibus temerè cohibeatur, in his ſingulis caſibus grave periculum imminet, ne partes diſtractæ & inflam-

matæ, ſanguinis hærentis copiâ, arteriarum diſtentarum pulſatione vehementiore, ac collecti ſeminis virulentiâ & acrimoniâ diſcindantur, atque tandem putrefacto ſanguine qui à diſciſſis effluit & virulento ſemini permiſcetur, in verum abſceſſum abeant in perinæo latentem.

Quòt loca ſoleant abſcedere in gonorrhœâ & cur abſcedant?

Poſſunt ergo, imò debent hæc omnia inter cauſas abſceſsûs perinæi enumerari, qui ſupervenit gonorrhœæ, maximè quidem ſi in ægrotante accidant, cujus acrior ſit ſanguinis diatheſis, aut qui veſiculas ſeminarias, proſtatas, glandulaſve Cowperianas prægreſsâ multiplici gonorrhœâ labefactatas habeat.

Attamen experientiâ compertum eſt gonorrhœam quidem, quæ in veſiculis ſeminariis tantùm aut proſtatis ſedem habuerit, rariùs in abſceſſum degenerare; ſive quòd major firmiorque illarum moles dilacerationi, ſine quâ ſuppuratio nulla fit, magis reſiſtat; ſive quòd multa, lata, brevia emiſſaria, quæ ex illis partibus in urethram aperiuntur, liberiorem viam hærenti & corrupto ſemini præbeant, unde minori efficaciâ concludentes cellulas debet erodere: Contrà verò gonorrhœam, in quâ glandulæ Cowperianæ affectæ ſunt, in abſceſſum frequentiùs abire, ratione contrariâ, ſive quòd minor & mollior illarum moles faciliùs corrumpatur; ſive quòd ſemen inibi collectum, cùm longo, obliquo, anguſto ductu in urethram effundatur, diutiùs in ipſis reſtiter, atque adeò ipſarum contextum promptiùs peſſundet.

Symptomata abſceſsûs in perinæo.

Cæterùm 1°. A quâcumque causâ, & in quâcumque perinæi parte ſuppuratio fiat, ſymptomata omnia, quæ gonorrhœam comitantur, ut dyſuria urens; tumor, calor, dolor, tenſio, rubor perinæi, imò ipſius penis multùm intenduntur; nec mirum, cùm ſuppuratio incipiens ſit ultimus inflammationis gradus.

1. Recrudeſcunt ſymptomata gonorrhœæ.

2°. Quin imò accedit dolor pulſativus manifeſtus, quoniam arteriæ per partem inflammatam & ſuppurationi proximam diſtributæ, cùm ſtagnante ſanguine turgeant, ab eo qui jugiter appellit quâlibet cordis ſyſtole, & magis & validiùs dilatantur, ac proinde alternatione eâdem dolentes partes vehementiùs & dolorificè quatiunt.

2. Dolor pulſativus.

3°. At verò factâ ſemel ſuppuratione, remittuntur ſymptomata omnia quæ recruduerant, ceſſatque pulſativus dolor, quia ſolutâ continui unitate, ſauciatæ & diſciſſæ partes jam minùs tenduntur, ac circulanti ſanguini debiliùs obſtant.

3. Factâ ſuppuratione omnia remittuntur.

4°. Pus in abſceſſu latens, pro qualitate magis vel minùs acri, ſinus ſibi cudit varios partium juxtà poſitarum eroſione, vel introrsùm, & tunc ex urethrâ effluit; vel extrorsùm, & tunc à perinæo manat; vel in utramque partem, & tunc utrinque profluit, & ab urethrâ, & à perinæo. Quin etiam vidimus non ſemel cuniculos iſtiuſmodi in urethrâ & in perinæo multiplicari, imò verò pertuſis recti tunicis in podicem aperiri, ita ut urethræ principio & ani extremo cum perinæo per vias latentes communicantibus, urina, pus, fæces alvinæ liquidiores, flatuſque urethrâ, podice, aut perinæi fiſtulis promiſcuè excernerentur.

4. Cuniculi in varia loca.

5°. Calli varii ſinuum latera citò obſident, quoniam hærentis puris particulæ non paucæ limpham per confinia circulantem ita inſpiſſant, ut inaſſueta durities inde concilietur, quod promptiùs ſolet accidere, ſi urina aut fæces in ſinus illos irrumpant.

5. Calli multi.

6. Fiſtulæ multiplices.

6°. Hinc ergo multiplices perinæi fiſtulæ; variè cum urethrâ, cum ano, inter ſe communicantes; quæ modò paucum, modò multum, modò ſeroſum & tenue, modò viſcidum, modò ſanguinolentum pus profundunt; inflammantur modò, modò inflammationis expertes ſunt, pro diverſis erratis in victu aut in uſu rerum non naturalium.

Quæ partes poſſint abſcedere in gonorrhœâ in fœminis?

Quæcumque de viris hactenus dicta ſunt, debent hæc eadem de mulieribus intelligi, ſed mutatis mutandis. Fiunt in illis ex ſuppuratâ gonorrhœâ abſceſſus in proſtatis, quorum pus niſi per lacunas evacuetur, viam ſibi ſenſim cudit vel in urethram vel in vaginam. Idem accidit in interfœmineo, ſi glandulæ Cowperianæ, quæ ibidem in fœminis latent, ex gonorrhœâ virulentâ inflammentur & ſuppurentur, & tunc abſceſſus vel in vaginam, vel in podicem, vel in utramque partem aperiri ſolet. Quòd ad botryformes vaginæ glandulas, quæ in fœminis tertiam gonorrhœæ ſedem præbent, vix permittit conformationis ac ſitûs ratio, ut in abſceſſum abire poſſint, ſed venerea vaginæ ulcuſcula inducunt, ſi inflammatæ ſuppurentur, ut infrà ſuo loco probabimus.

Diagnoſis abſceſsûs in perinæo.

Diagnoſis. Abſceſſus *fiens* dignoſcitur exacerbatione ſymptomatum omnium, quæ inflammationi propria ſunt; *Factus* verò ſymptomatum eorumdem mitigatione, partis inflammatæ mollitie, obſcurâ puris latentis fluctuatione.

Exterior & quaſi ſubcutanea puris fluctuatio ad ani confinia Cowperianas glandulas; Interior & profundior veſiculas ſeminarias, aut proſtatas affici demonſtrat; Has quidem, ſi ano; illas verò, ſi penis radici proximior ſit; dextras ſiniſtraſve, prout in dextro vel in ſiniſtro latere percipitur.

Fiſtuloſa perinæi ulcera externa oculis patent; ſitus, numerus, commercia eorumdem vel ex accidentibus manifeſta ſunt, vel immiſſo ſpecillo explorantur. Interna verò ex frequenti puris effluxu per urethram, ex obſcuro doloris ſenſu in perinæo, ex frequenti urethræ inflammatione cum ſtrangurià, quæ puris exundatione ceſſant, demùm ex prægreſſis gonorrhœis, & methodo quâ curatæ fuerunt abundè conjiciuntur.

Prognoſis abſceſsûs in perinæo.

Prognoſis. Abſceſſus quivis in perinæo periculoſus, quia partes glanduloſas afficit, quas ad cicatricem perducere facile non eſt.

Eò periculoſior, quò major & profundior; hinc periculoſiores abſceſſus veſicularum ſeminariarum & proſtatarum, quàm glandularum Cowperianarum.

Periculoſiſſimus, ſi pus concluſum diutiùs lateat, quia hinc multiplex & calloſus ſinus progerminat, quo urethræ principium, podex & perinæum multifariam corrumpuntur.

Ulcus externum & fiſtuloſum perinæi haud facilè; internum, quod in urethram apertum eſt, difficillimè curatur; & neutrum ferè unquam, niſi inciſo perinæo & detectâ morbi ſede.

Multiplicia & fiſtuloſa perinæi ulcera, quæ cum urethrâ & ano communicant, vix debent curanda ſuſcipi, cùm non liceat intimos morbi receſſus perſcrutari, ſine quo tamen luditur opera, vel ſaltem non liceat, niſi cum maximâ partium deperditione, & inciſione multiplici, quod ſemper periculoſum eſt. Proinde utplurimùm ſatius eſt *palliativam* cura-

tionem adhibere, ne infametur operatio, quæ multis ſaluti fuit, quod maximè verum eſt de ægrotis morbo diuturniore exhauſtis & emaciatis, & in quibus ſanguis vitio non vacat.

Curatio abſceſsûs in perinæo.

Curatio. Therapeia quadruplex ad quadruplicem morbi ſtatum reperiunda eſt. 1°. Ad ſuppurationem imminentem, quam omni ope atque operâ oportet præcavere, ſi præcaveri poſſit; 2°. Ad abſceſſum in perinæo genitum, unde pus ſemel confectum educi debet quàm ocyſſimè; 3°. Ad cuniculos multos, varios, quos pus diutiùs concluſum egit in varia loca finitima, & quos incidere neceſſe eſt; 4°. Ad mitigationem palliativam morbi, ſi ad curationem deſperati aggredi non liceat.

I. Suppuratio præcavenda.

I. Nihil non tentandum eſt ut imminens perinæi ſuppuratio præcaveatur. Venæ ſectiones iterandæ frequenter & largiter; diæta tenuis, & corporis quies imperanda; cauſæ externæ, unde inflammatio recruduit, diligenter amovendæ; larga potatio ptiſanæ refrigerantis, de quâ ſuprà *cap.* 1. præſcribenda; paranda fomenta & ſemicupia emollientia, temperantia, anodyna, ex decocto althææ, brancæ urſinæ, malvæ, violariæ, aut ex lacte tepido; admovenda cataplaſmata anodyna, relaxantia, de micâ panis, aut ex emollientibus pulpis radicum althææ, nymphææ, liliorum alborum &c. foliorumque malvæ, brancæ urſinæ, betæ, violariæ &c. Injiciendi clyſteres cum decocto emolliente, cum ſero lactis, cum medullâ recenter extractâ caſſiæ ad ℥ j. &c. Adhibenda narcotica, ut ſyrupus diacodii, tinctura anodyna, laudanum &c. quæ dolorem leniendo reſolutioni faveant &c.

II. Abſceſſus incidendus.

II. Quòd ſi fruſtrato remediorum ſucceſſu inflammatio in ſuppuratum abierit, puri latenti, ubi primùm certa ſui dederit indicia, via paranda eſt, ne ſinus ſibi cudat, ac varios callos inducat.

Itaque 1°. Immiſſo in urethram cathetere, locus abſceſsûs aperiendus eſt ſectione, quæ ſit ad raphen parallela, breviore vel longiore, magis minùſve altâ pro ipſius abſceſsûs ſitu, extenſione, altitudine, ſed ab urethrâ, quam catheter indicat, cautè declinando.

2°. Immiſſo in vulnus digito, ſi qui ſinus adſint, incidendi; ſi quæ ligaturæ, diſſecandæ, ac omnia quantùm fieri poterit, ex arte ita complananda, ut pus nullibi lateat, ut remedia quòcumque penetrent, ut omnia conſpici, vel ſaltem facilè explorari poſſint.

3°. Quin imò, ſi qui calli lateant, exſcindendi ſi loci ratio permiſerit, vel ſaltem digitis conterendi, aut quod præſtat, ſummo ſcalpello ſcarificandi, ita ut procuratâ ſuppuratione ſpontè evaneſcant, neque adeo opus ſit adhibendis cathæreticis, quæ ulceris oras depaſcendo & ſuppurationem in dies renovando, coitionem impediunt vel morantur.

4°. Vulnus carpto tomento opplendum primâ curatione; deinde curandum cum vulgari digeſtivo, ſi omnia ſatis ſana eſſe videantur; ſin minùs, cum digeſtivo, cui oleum hyperici, tinctura myrrhæ aut Ægyptiacum, admiſta ſint, ſi putrefactio nimia in gangrænam videatur vergere.

5°. Procedente ſuppuratione, ulcus mox injectionibus detergentibus, nempe decocto hordei cum melle roſato, & poſteà vulnerariis, ut decocto hyperici, agrimoniæ, ſaniculæ, bugulæ &c. quotidie eluendum eſt; ac demùm adhibito balſamo Arcæi, imò verò balſamo viridi, ſi molliores carnes ſuccreſcant, ad cicatricem deducendum.

6°. In hac autem curatione ea præcipuè cautio adhibenda eſt, ne quis ſinus, utcumque exilis, curantem Chirurgum ſuperſtes fallat; ideoque perpetuò attendendum eſt ad indolem copiamque puris, quod effluit; ad indolem carnium, quæ progerminant; ad laxitatem duritiemve partium quæ ulceri contiguæ ſunt; ut inde ſigna colligi poſſint, quæ ſinum alicubi latentem arguant, vel quæ ab importuno metu tandem liberent medentes.

III. Ulcera fiſtuloſa diſſecanda.

III. Verùm ſi ægrotantium incuriâ, vel negligentiâ medentium pus diutiùs coercitum cuniculos in finitima loca latenter egerit, tunc non diſſimili, ſed tamen paulò difficiliore operatione opus erit, quam variam pro vario ulcerum fiſtuloſorum ſitu, & vario eorumdem commercio cum vicinis partibus inſtitui neceſſe eſt.

Nam 1°. Si ulcus vel ulcera internè cæca extrorsùm tantùm aperiantur, tunc eâdem planè methodo, quam propoſuimus, operatio inſtituenda eſt, hoc uno tantùm diſcrimine quòd ad cuniculos omnes diſſecandos, & ad callos vel forfice exſcindendos, vel ſuppuratione diſſolvendos, vel abſumendos cathæreticis tantò cautiùs ac diligentiùs attendendum ſit, quantò plures & frequentiores tum hi, tum illi in fiſtuloſis ulceribus adeſſe debent.

2°. Si ulcus vel ulcera utrimque pervia, & extrorsùm & introrsùm in urethram ſimul aperta ſint, ab incidendâ urethrâ tunc abſtinere nullomodo licet: Quapropter immiſſo catheteres ſulcato, ulceratæ pars urethræ & perinæi longitudinali plagâ ſecundùm catheteris ſulcum, ſcalpello ſeu lithotomo diſſecanda, non ſecùs ac in lithotomiâ. Dein cætera omnia, ut in præcedente caſu peragenda; ſinus & cuniculi omnes incidendi; calli exſcindendi, & ſi qui ſuperſint vel ſuppuratione vel cathæreticis abſumendi; vulnus demùm arte eâdem, iiſdemque remediis curandum. Hæc una eſt diſcriminis ratio, quòd cùm diſſecta ſit urethra, catheter in veſicâ detinendus ſit, quemadmodum in lithotomiâ ex uſu eſſe conſuevit, ut eâ arte urina ab ulcere quantùm fieri poteſt avertatur, cui ſale ſuo ammoniacali multùm noceret, donec tandem coalitio internorum labiorum urethræ catheteris uſum inutilem faciat.

3°. Si ulcus vel ulcera externè occluſa introrsùm tantùm in urethram conniveant, planè eadem operatio inſtituenda eſt, ac cautiones eædem adhibendæ, ut morbus perfectam abſolutamque curationem recipiat. Cæterùm notari velim abſceſſum iſtiuſmodi in perinæo, qui illæsâ cute in urethram tantùm pateat, rarum eſſe, ideoque cum purulento proſtatarum aut veſicularum ſeminariarum ſtillicidio ab incautis confundi poſſe, à quo tamen videtur ſatis apertè diſtingui, 1°. Quòd puris profluvium uberius ſit; 2°. Quòd tumor mollis adſit in perinæo cum fluctuatione collecti humoris; 3°. Quòd tumor ille creſcat cùm urina emittitur, parte ſcilicet lotii illuc illabente ab urethrâ quâ difficiliùs decurrit. 4°. Quòd preſſus detumeſcat pure cum lotio per urethram exundante, quæ ſingula abſceſſûs præſentiam, ejuſdemque cum urethrâ commercium abundè arguunt.

4°. Denique ſi ulcus vel ulcera, quæ extrorsùm pateſcunt, non modò cum urethrâ ſed cum podice etiam communicent, operatio, ſi fortè tentanda videatur, eodem modo tunc celebranda eſt ac in caſu præcedente, ſed

ſed cuniculorum ductum ſequendo ad podicem uſque extendenda eſt, ubi ſectio eadem inſtitui debet, ac in ani fiſtulâ. Cæteroquin cautiones omnes eædem ac in præcedentibus caſibus adhibendæ.

IV. Malum ſi inſanabile ſit, palliativis remediis mitigandum.

IV. Demùm ſi malum radicalem & abſolutam curationem admittere non videatur, ut cùm ulceribus multis, obliquis, fiſtuloſis, calloſis, ſinuoſis, cum urethrâ & podice hinc & inde communicantibus perinæum totum ſuffoſſum eſt, maximè ſi æger valetudine infirmus & cachecticus ſit, atque febre lentâ quâ contabeſcit valdè extenuatus, palliativam ſaltem therapeiam adhibere neceſſum eſt, quæ morbi augmento obviam eat, vitamque licet miſerrimam poſſit producere: Ad quem finem valent,

1°. Quæcumque muriaticam ſanguinis acrimoniam minuunt, eluunt, vel demulcent; ut diæta tenuis, humectans, refrigerans; abſtinentia à vino, venere, exercitiis, equitatione, pathematis animi vehementioribus; balnea tepida aquæ dulcis; juſcula aut apozemata refrigerantia; lactis uſus etiam pro omni alimento; iterata cathartica blanda ex diluto ℥ ij. medullæ caſſiæ in ſeri lactis depurati lib. j. vel ex mannæ calabrinæ ℥ ij. in cyatho ptiſanæ diſſolutis, additâ ſalis vegetalis ʒ j. ſi ita è re eſſe videatur.

2°. Quæcumque ulcera detergunt, ut aquæ minerales acidulæ & ferruginei ſaporis; ptiſana vel bochetum ex radicibus & lignis ſudorificis; infuſiones *Traumaticæ* ſeu vulnerariæ, ut ſaniculæ, bugulæ, alkimillæ, ſalviæ, menthæ &c.

3°. Quæcumque balſamica ſunt, adeoque cava ulcera explent & ad cicatricem deducunt; vel ſaltem compeſcunt, cohibentque ne ſerpant, ut Terebinthina Chia vel Veneta ad ʒ j. Balſama de Copaii, Peruvianum, Canadenſe &c. ad gutt. vj. viij. x. xij. ſaccharo pulverato obvoluta in bolos, vel unà cum ſyrupo capillorum veneris confuſa ut uno hauſtu exſorbeantur.

4°. Quæcumque partium affectarum tonum firmant, humoreſque ibidem congeſtos liquefaciunt, ac ideò utroque nomine circulationi tum ſanguinis tum limphæ promovendæ idonea ſunt, ut fotus vel embroche perinæi cum aquis thermalibus, Balerucanis, Baregianis, Borbonienſibus &c. aut inunctiones ſuſpensâ manu identidem repetendæ cum unguento mercuriali.

§. III. DE SEMINIS STILLICIDIO, *ſive* DE GONORRHOEA QUAM HABITUALEM DICUNT.

Deſcriptio præternaturalis ſtillicidii ſeminis.

Qui gravi & diuturnâ, vel frequentiore gonorrhœâ laboravêre, ſolent non rarò menſibus & interdùm annis aliquot, imò quandoque toto vitæ tempore involuntarium ſeminis profluvium pati ſine ullo venereæ voluptatis ſenſu, vel ſaltem cum ſenſu minimo; modò quidem copiâ paucum ſed perpetuum, quod jugi fluxu diſtillet, cùm ambulant, ſedent, aut alia quævis munia obeunt; modò verò rarius ſed ſimul uberius, quod guttis majoribus exundet, cùm ad egeſtionem etiam parùm difficilem nituntur; cùm libidinosè cogitant; aut cùm tento veretro ad venerem ſeſe comparant.

Quomodo semen suis conceptaculis coerceatur in statu naturali?

Constat autem ex Physiologiâ semen fermè totum, quod ab urethrâ defluit, è vesiculis seminariis aut è prostatis manare; fœcundum quidem & prolificum ab illis, in quas à testibus convehitur per vasa deferentia; infœcundum verò & merè limphaticum ab his, ubi secernitur. Vesiculæ autem seminariæ cum urethræ ductu communicant binis emissariis, unaquæque suo, inter quæ exigua interjacet prominentia *caput Gallinaginis* sive *Veru-montanum* nuncupata. Prostatæ verò in urethram hiant osculis duodecim, numerosioribus quidem sed etiam angustioribus, ut serosius tenuiusque semen, quod recondunt, arctiùs concludant.

Cæterùm hæc seminis emissaria interjectis fibris muscularibus, quæ sphincterum vice funguntur, ut multi putant, vel solo circumpositarum partium elatere ita occluduntur in statu naturali, ut ne gutta quidem seminis extillare inde possit, nisi vesiculæ seminariæ aut prostatæ validè comprimantur, tum systaltica membranarum circumvestientium constrictione, tum simultaneâ musculorum erectorum & acceleratorum superincumbentium contractione, ut in ejaculationis opere solenne est.

Quæ sint stillicidii præternaturalis causæ.

Liquet inde seminis stillicidium præternaturale, de quo agitur, gemino emissariorum vitio produci, 1°. Si nimis ampliata & dilatata sint, atque semi-aperta in urethram continenter hient. 2°. Si partium ambientium inertiâ & laxitate debiliùs constringantur, unde nimis laxè conniveant, nec semen vi constrictoriâ coerceant satis efficaci. A priore quidem vitio dependet perpetuum & stillatitium profluvium seminis; à posteriore verò profluvium alterum, quod identidem recurrit, simul ac vesiculæ seminariæ aut prostatæ vel leviter premuntur, ut in egestione paulò difficiliore, vel parumper constringuntur, ut in primâ venereæ voluptatis promulside.

Solet autem vitium utrumque emissariis conceptaculorum seminariorum à gonorrhœâ gravi, diuturnâ, frequente induci, atque adeò nequaquam mirum est alterutrum seminis stillicidium gonorrhœis istiusmodi supereſſe. Nam 1°. Semen purulentum debet in gravi aut diuturnâ gonorrhœâ emissaria, unde effluit, vel copiâ dilatare, vel acrimoniâ corrodere, ac utroque modo eadem prætermodum ampliare; 2°. Partes, quibus emissaria eadem cinguntur, inflammatione adjacentium prostatarum & vesicularum seminariarum tumefactione, continuoque puris copiosi transfluxu distractæ & elongatæ ultra tonum, debent inde debiliùs constringi, atque adeò emissaria ignaviùs occlusa seminis stillicidium ex leviſſimâ pressione frequenter permittere.

Quibusnam causis stillicidium foveatur?

Hæc utraque causa stillicidii seminis plerumque fovetur, tum vitio seminis ipsius, si à veneno venereo aut remediis phlogisticis tantam acrimoniam contraxerit, ut vesiculas & prostatas ad frequentiorem & ferè continuam expressionem irritando sollicitet: tum vitio ipsarum prostatarum & vesicularum, si diuturnâ & assiduâ phlogosi affectæ acutiùs sentiant, ac faciliùs in erethismum adigantur, quo collectus humor ad egressum perpetim urgeatur. Sic notum est lippitudinem, quæ à glandularum palpebras ambientium laxitate dependet, ab earumdem phlogosi & humoris lemosi acrimoniâ non parùm intendi.

Sympto-

Symptomata. 1°. Si perpetuum adsit seminis stillicidium, utcumque pau-

cum, rarior inde futurus eſt ad venerem ſtimulus : quia ſemen in veſiculis ſeminariis & proſtatis parciùs collectum, copiâ, calore, morſiunculis venerem rariùs ſollicitabit. mata ſtillicidii. 1. Segnities ad venerem.

2°. Hoc autem maximè verum eſt, ſi veſiculæ ſeminariæ afficiantur; minùs verò, ſi ſolæ proſtatæ : quia ſemen, quod veſiculis ſeminariis continetur, magis actuoſum, energicum, efficax eſt, & proinde ad venerem magis facit; contrà verò proſtatarum ſemen vappidius eſt inertiuſque, & ideo ad venerem minùs efficax. 2. Ad venerem inertia.

3°. Quòd ſi ſeminis profluvium continuum non ſit, ſed identidem tantùm rariùſque recurrat, haud tanta futura eſt ad venerem frigiditas : quia ſemen in conceptaculis copioſius colligi, ac proinde paulò majori efficaciâ libidinem accendere poterit, præſertim ſi ſemen quod profluit, non à veſiculis ſeminariis, ſed à proſtatis tantùm promanet. 3. Minor aliquando frigiditas ad venerem.

4°. Verùm ſi tento veretro in armis aliquandiù ſtandum ſit, ſemine citiùs quàm par eſſet profluente, atque adeò ſubtracto veneris ſtimulo languidus penis brevi flacceſcet ante aggreſſum opus, unde manifeſta ſaltem ad venerem minùs parabilem impotentia. 4. Erectio tamen neque firma, neque diuturna.

5°. Demùm ſi copioſum ſit ſeminis profluvium, conſequens eſt exhauſtâ ſenſim balſamicâ & ſpirituoſâ ſanguinis parte, marcorem, phthiſim, tabem dorſalem inducenda eſſe, ratione eâdem eâdemque de causâ ac in iis, qui venere immoderatâ ſeſe extenuant. 5. Marcor & tabes.

Diagnoſis. Morbus & cauſa morbi primaria, gonorrhœa ſcilicet, indicantur ægrotantis confeſſione. Diagnoſis.

Geminæ morbi ſpecies ex ſe patent, atque inde colligere facile eſt, quonam vitio ſeminis emiſſaria laborent, cùm ſtillatitium profluvium ab emiſſariorum ampliatione, quæ ſemi-hiulca; profluvium verò intermittens ab emiſſariorum laxitate dependeat, quæ inertiùs occluſa ſunt.

Tandem haud arduum eſt utræ ex veſiculis ſeminariis proſtatiſve in vitio ſint dignoſcere. Semen enim tenue, ſeroſum, limpidum à proſtatis; ſpiſſum verò, viſcidum, albicans à veſiculis defluit.

Prognoſis. Seminis ſtillicidium rarò periculoſum eſt, nec unquam niſi nimium ſit, quod rarum eſt. Prognoſis.

At ſi non periculoſum, ſaltem incommodum eſt, potiſſimùm iis, qui dolent funeratam vel funeri proximam eam partem habere, quâ ſe Achilles eſſe gloriabantur.

Curatu difficilius eſt ſtillicidium ſeminis perpetuum, quàm profluvium identidem recurrens, cùm difficilius ſit latiorum emiſſariorum amplitudinem minuere, quàm partibus inertiâ peccantibus tonum reddere.

Curatio. 1°. Cùm experientia docuerit perpetuum ſeminis ſtillicidium, præter emiſſariorum laxitatem, à levi proſtatarum & veſicularum ſeminariarum, aut earumdem emiſſariorum phlogoſi quandoque foveri, ſicut in lippientibus vitioſam lemarum ſecretionem à ſimili glandularum, quæ palpebras cingunt, affectione dependere diximus, præſtat initio unam aut alteram venæ ſectionem præmittere, quâ methodo vidi non ſemel recens ſeminis profluvium feliciter curatum fuiſſe. Curatio.

2°. Simili de causâ, cùm ſeminis acrimonia à veneno vel à remediis contracta ſtillicidium plerumque intendat, demulcentia adhibenda ſunt,

ut balnea domeſtica, aquæ minerales acidulæ, juſcula vel apozemata diluentia & temperantia, ſerum lactis chalybeatum & ſucco fumariæ alteratum, lac ipſum ſemel aut bis in die, imò etiam pro omni alimento.

3°. Inde ad vulneraria & balſamica deveniendum, quæ ulceris reliquias, ſi quæ in ſeminis conceptaculis lateant, detergant & ad cicatricem perducant. In hunc finem utilia ſunt infuſa levia ex vulnerariis herbis Helveticis, vel ſola vel lacte affuſo temperata; infuſa ſimili modo parata cum foliis menthæ vulgaris & millefolii; bocheta aut decocta ex radicibus & lignis ſudorificis jam ſuprà præſcripta, *Cap. de gonorrhœâ*; Therebinthina Veneta, vel cocta vel ovi vitello diluta à ʒ ß. ad ʒ j. Balſama varia de Copaïi, de Tolu, Peruvianum, Canadenſe &c. à guttis ſex ad duodecim cum ſaccharo pulverato in bolum conformata &c.

4°. Utiliter quoque adhibentur fomenta vel embroches perinæi, aut injectiones in urethram cum decoctis vulnerariis, vel quod præſentius eſt, cum aquis thermalibus, ut hoc modo vitioſa partium laxitas corrigatur.

5°. Quòd ſi hæc univerſaliora minùs benè ſuccedant, advocanda erunt in uſum ſtyptica & aſtringentia interna, quæ virtute ſpecificâ priſtinum tonum emiſſariis reſtituant. Hac virtute pollent corallia rubra præparata, oculi cancrorum fluviatilium, ſuccinum, diaphoreticum minerale, vel quæ efficaciora ſunt, cornu cervi philoſophicè præparatum, ſpodium, terra ſigillata, creta Briançonenſis, lapis hæmatites, ſanguis draconis, alumen rupeum, crocus Martialis aſtringens &c. ex quorum tribus quatuorve tenuiſſimè tritis, *ana* ad doſim quindecim granorum præſcriptis, & conſervâ roſarum vel ſyrupo cydoniorum exceptis boli vel opiatæ parantur, quibus per dies aliquot utendum eſt.

6°. Poſſunt quoque tutò adhiberi injectiones aſtringentes, modò ſemen ab omni ſeminio venereo immune ſit, & proinde poſſit ſine periculo intùs coerceri. Præparantur injectiones iſtiuſmodi ex radicibus biſtortæ, tormentillæ, pimpinellæ, gallis, balauſtiis, malicorio, cupulis glandium &c. in aquâ fabrorum decoctis, unciæ cuilibet decocti addendo grana aliquot ſacchari Saturnini vel aluminis rupei. Celebris eſt ad eumdem ſcopum injectio, quæ fit cum pulvere dicto *de Verny*, cujus ſemidrachma in unciis octo aquæ ſtillatitiæ plantaginis diſſolvitur. Hujus autem pulveris conficiendi proceſſum infrà proponemus ad Operis calcem, in Mantiſsâ quarto libro adjiciendâ. Sed de his omnibus fuſiùs infrà *Lib.* 4. *Cap.* 10. ubi *de curatione gonorrhœæ difficilis*, quæ poſt adminiſtratam hydrargyroſim aliquando ſupereſt.

7°. Ut curatio profluvii feliciter ſuccedat, ſervanda eſt diæta tenuis, humectans, refrigerans; æger venere, vino, exercitio vehementiore, equitatione diù ſe abſtineat, vel iiſdem parcè utatur; urinam diutiùs ne contineat, & alvum, ſi tenera non ſit, enemate emolliente frequenter injiciendam curet.

Mulieres quoque ſeminalis humoris ſtillicidio obnoxiæ ſunt a-

Cæterùm ut in viris, ſic etiam in fœminis gonorrhœa gravis aut diuturna ſolet inferre profluvium ſtillatitium ſeminalis humoris, qui à proſtatis, glandulis Cowperianis, vel botryformibus vaginæ glandulis extillat. Sed ipſæ ſtillicidium iſtiuſmodi parùm curant, quod cum fluore muliebri amant confundere, nec medicam opem expetunt, cùm incom-

modo muliebrium madori providere ſoleant ipſæ fotu ex decoctione lithargyrii in aquâ fabrorum, vel in aceto. Quòd ſi tamen malum adeo ingraveſcat, ut à Medico opem cogantur petere, methodo eâdem, qualem modò præſcripſimus, curandæ venient. Aliquando poſt gonorrhœam.

§. IV. DE STRANGURIA CONTUMACI, FREQUENTIORIS GONORRHOEÆ PEDISEQUA.

Deſcriptio ſtranguriæ, quæ gonorrhœæ pediſequa eſt.

Gonorrhœam virulentam, diuturnam, frequentiorem ſtranguria contumax, & ut vulgò aiunt, *habitualis* non rarò ſequitur, in quâ non pleno alveo, non fluxu æquabili & continuo; ſed filo tenui, ſæpiùs interrupto, & bifido urina redditur; non motu facili longè proſilit, ſed vix prorumpit conatu maximo; non poteſt in veſicâ commodè diù contineri, ſed inquieti & crebrâ ſtimulatione ad mictitandum ſollicitat.

Hæc tamen, quamdiù modum tenent, tolerabilia ſunt. At ſi Baccho, venere, exercitio, equitatione, vigiliis, acriore diætâ, animi pathematis vehementioribus exacerbentur, calere, dolere, teniri perinæum; ſtranguriam in iſchuriam derepente mutari, continuum quidem eſſe micturiendi deſiderium, ſed urinam omninò ſupprimi; & conatu etiam maximo vel nihil, vel pauculum quid mucoſum, pituitoſum, purulentum excerni frequenti obſervatione compertum eſt, unde febris accenditur; tumet, dolet, tenditur veſica ultra modum plena, cum periculo imminentis inflammationis; accidit vomitio urinam redolens, ac tandem cætera omnia ſymptomata ingruunt, quæ ſolent iſchuriâ inferri.

Perſeverat eadem morbi vehementia longiori vel breviori temporis ſpatio, pro cauſarum energiâ, ægrotantis temperaturâ, urethræ & vicinarum urethræ partium labe, remediorum adhibitorum ſucceſſu, donec ſenſim remittente paroxyſmo urina primùm ſtillatim guttis raris & parvis, dein guttis grandioribus & crebrioribus, demùm filo tenui ſed continuo rursùs prodeat. Tunc ubi primùm procedente reſolutione partium tonus relaxatus eſt, ſolet quandoque per unum aut alterum diem quid mucoſum, pituitoſum, purulentum, ſanioſum &c. guttatim emitti.

Hæc ſtranguriæ ſpecies producitur à variis obicibus, qui urethram obſident.

Cæterùm ſi immiſſo cathetere urethræ ductus cautè exploretur, tum etiam cùm omnia maximè libera eſſe videntur, via quidem in ipsâ penis longitudine facilè pervia eſſe ſolet, ſed in perinæo ubi principio urethræ proſtatæ & veſiculæ ſeminariæ adjacent, non unicum, ſed duos, tres, quatuorve obices plerumque reperire eſt, ſucceſſivè & ut ſic dicam gradariè diſpoſitos, urethram annullaribus ligaturis totidem ſtringentes, magis minùſve duris, magis minùſve latis, faciliùs vel difficiliùs ſuperabilibus, tandem majori vel minori intervallo invicem diſſitis.

Inde ergo neceſſariâ conſecutione manifeſtum eſt, ſtranguriam habitualem, quæ à gonorrhœâ ortum habet, memoratis in urethrâ obicibus, ſi urethræ ductum tantùm anguſtent; iſchuriam verò, quæ ſtranguriæ identidem ſuccedit, iiſdem produci, ſi tumefacti urethræ canalem penitùs conſtipent. Docet autem tum Anatomica ſectio eorum, qui dum in vivis erant, ſtranguriâ gonorrhœæ pediſequâ laboravêre, tum natura gonorrhœæ ipſius, à quâ ſtranguria induci ſolet, variorumque ſymp-

tomatum, quæ hunc affectum comitantur, obices iſtiuſmodi in ſex genera diſtinguendos eſſe : 1°. Ulcuſcula calloſa & cacoëthea, quæ in ipſis proſtatarum aut veſicularum ſeminariarum emiſſariis pertinaciùs inſident, 2°. Callos ſive cicatrices duriores & calloſas, quas ſanata ulcuſcula in urethrâ relinquunt, 3°. Carunculas, & excreſcentias ſive hyperſarcoſes, in quas ulcuſcula fungoſa urethræ abeunt, 4°. Veru-montanum prætumidum, quod in urethram ultra modum prominet, 5°. Proſtatas aut veſiculas ſeminarias duras, calloſas, ſkirrhoidæas, 6°. Eaſdem demùm fungoſas, ſpongioſas, & ad frequentem tumefactionem nimiùm faciles.

1. A ulceribus calloſis urethræ.

1°. Ferè quidem perpetuum eſt in gonorrhœâ, ut ſuprà dictum eſt, virulenti ſeminis profluvio ulcera varia produci in variis urethræ partibus, ſed præſertim in extremis proſtatarum & veſicularum ſeminariarum emiſſariis. Frequenter autem accidit, ſi gonorrhœa negligatur vel malè curetur, ut hæc urethræ ulcuſcula perfectè non ſanentur, ea verò maximè, quæ in ipſis proſtatarum aut veſicularum ſeminariarum emiſſariis ſita ſunt vel proximè adſtant, quoniam affluxu virulenti ſeminis, quod exinde jugiter ſtillat, continuò irritantur & foventur. Debent ergo ulcera, quæ initio levia, ſuperficiaria, mollia erant, tractu temporis in ulcera cacoëthea, fiſtuloſa, callis obſita degenerare, quibus urethræ ductum variè anguſtari, & urinæ fluxum magis vel minùs inhiberi continget, prout errore qualicumque diætæ auctâ ſanguinis effervescentiâ vel acrimoniâ, ulcerum labia magis vel minùs intumeſcent.

2. A cicatricibus durioribus.

2°. Quòd ſi enata in urethrâ ulcuſcula ad curationem feliciter tandem perduci ſupponamus, ut ſæpiſſimè contingere minimè negamus, at ſaltem ſanata hæc ulcuſcula in cicatrices non rarò coibunt nimiùm duras, quæ in ſe ſtrictiùs conſtipatæ, quàm eſſet anteà illibata cutis ejuſdem loci, circularem urethræ ambitum anguſtabunt corrugando, potiſſimùm verò ſi ulcera profundiora fuerint, & obductæ eis cicatrices calloſæ ſint, ut in illis partibus frequenter accidit ſufficientis deterſionis defectu. Eo pacto urinæ fluxum ſtranguriâ retardari; imò ſi cicatrices tumefiant, iſchuriâ ſupprimi poſſe manifeſtum eſt. Poſſumus in confirmationem exemplum adducere haud diſſimile, quo conſtat cicatricibus, in quas oris ulcera in ſyphiliticis poſt ptyaliſmum coaleſcunt, manſoriorum muſculorum tendines, quibus ulcera inuſta erant, ita corrugari & inferiorem maxillam ita ſurſùm retrahi, ut os vix diduci poſſit, ſed quaſi fræno adſtrictum videatur, quod gallicè dicitur *être bridé*.

3. A carunculis urethræ adnatis.

3°. Quin imò cùm ulcuſcula venerea in urethrâ progerminantia nedùm detergi poſſint, ſed è contrà jugi ſeminis putridi & acrioris urinæ illapſu magis in dies ſordeſcant, haud adeo rarum eſſe debet ſuperfluâ carnis luxurie in excreſcentias ſive hyperſarcoſes abire, ſeu ut vulgò aiunt, *carunculas*, calloſas aut fungoſas, magnas aut parvas, ſeſſiles aut penſiles, in his aut illis urethræ locis ſitas, numero plures paucioreſve &c. pro vitio vel copiâ ſucci nutritii, & pro latitudine, numero, ſitu ulcerum, unde liquet urinæ fluxum variè retardatum iri.

Novimus quidem omnimodam caruncularum in urethrâ exiſtentiam à plurimis nunc negari, ſed non alio forſan argumento, ut eſt genus hominum varium & mutabile, ac novitatis ſemper cupidum, quàm quòd non

ita pridem antiquiores Medici carunculas urethræ uno ore omnes haberent pro causâ unicâ ſtranguriæ, quæ gonorrhœis ſolent ſuccedere. Sed æquè culpabili præcipitantiâ hinc & inde graviter peccatum eſt. Antiquorum ignorantiæ parcendum non cenſemus, qui cæteras ſtranguriæ venereæ cauſas, & graviores & frequentiores prætermisêre; ſed nec Recentiorum temeritatem excuſatam volumus, qui caruncularum in urethrâ exiſtentiam audent ſine causâ pernegare, cùm analogia ab ulceribus quibuſcunque ſordidis ducta, imò, quod palmarium eſt, cùm ipſa cadaverum ſectio carunculas in ulceribus urethræ quandoque ſuccreſcere demonſtrent, non tam frequenter quidem ac olim ab Antiquis creditum eſt, & ab Agyrtis etiamnùm creditur, ſed ſatis frequenter tamen, ut carunculas inter cæteras ſtranguriæ cauſas recenſere neceſſe ſit.

4°. Saltem veru-montanum ſive caput gallinaginis, quod inter bina veſicularum ſeminariarum emiſſaria medium interjacet, in gravi & contumaci gonorrhœâ ſæpè erodi, tumefieri, inflammari, ac demùm ſi provida inflammationis reſolutio & ulcuſculorum deterſio negligatur, ut in gonorrhœis, quæ injectionibus aſtringentibus ſupprimuntur, in verrucam ſeu excreſcentiam degenerare debet, fungoſam, calloſam, ſkirrhoidæam, ſuperficie tenùs variè exulceratam, quæ variâ, multiplici de causâ magis minùſve intumeſcet, atque adeo fluenti urinæ obicem opponet perpetuum quidem, ſed variè variantem.

4. A veru-montano ſkirrhoſo & verrucoſo.

5°. Conſtat in omni gonorrhœâ proſtatas vel veſiculas ſeminarias, aut utraſque inflammatione aut exulceratione affici. Hinc ſi frequentior morbi ejuſdem iteratio eas partes jam labefecerit, aut ſi conveniens omittatur therapeia, conſequens eſt tacito mali progreſſu calloſa & fiſtuloſa ulcera in illis partibus productum iri, unde auctâ proſtatarum & veſicularum ſeminariarum mole adjacentem urethram comprimi & exiturienti urinæ obicem eâ ratione opponi manifeſtum eſt, ſed pro variâ partium prementium intumeſcentiâ varium.

5. A veſiculis ſeminariis, vel proſtatis induratis & calloſis.

6°. Demùm è contrario, interiora proſtatarum aut veſicularum ſeminariarum, ſi altè eroſa carnium ſuccreſcentium luxuriei locum dederint, niſi cautè detergantur carne citò opplebuntur, molli, rarâ, fungoſâ ſpongiæ inſtar, qualis ſordidis & calloſis ulceribus ſolet interdùm innaſci. Hinc ergo tumefient tum proſtatæ, tum veſiculæ ſeminariæ, & urethram appoſitam prement, majori vel minori momento, prout fungoſas carnes, quæ proſtatas vel veſiculas replent, magis vel minùs efficaciter dilatari & extumeſcere contigerit.

6. Ab iiſdem veſiculis vel proſtatis, carne molli & ſpongioſâ plenis.

Sequitur ex allatâ ætiologiâ, 1°. Urethræ ductum in ſtranguriâ, de quâ agitur, ab obice qualicumque ex ſextuplici genere modò propoſito anguſtari vel comprimi. Ergo urina non jam pleno alveo ut anteà, ſed tenui tantùm filo profluet, magis vel minùs craſſo pro amplitudine viæ ſuperſtitis, quod de ipſo quoque ſemine, dum in actu venereo ejicitur, dictum volumus.

Symptomata ſtranguriæ 1. Urina profluit tenui filo.

2°. Quò major reſiſtentia exiturienti urinæ obnititur, eò veſicam efficaciore momento contrahi neceſſum eſſe, ut urina ſuperatâ reſiſtentiâ emittatur. Ergo urina jam non motu facili reddetur ut anteà, ſed niſu valido, qui reſiſtentiæ urethram anguſtanti reſpondeat gradu; quod etiam de ejaculatione ſeminis verum eſt.

2. Nitendum eſt ad meiendum.

3. Nec tamen urina longè profilit in arcum.

3°. Celeritatem urinæ, poſtquàm obices urethræ jam prætergreſſa eſt, tantò tardiorem eſſe, quantò magis urethræ via, quà tranſivit, ab obicibus anguſtata fuerit. Conſtat enim ex Phyſicis liquidum quodcumque, dum ab anguſtiore in latiorem canalem fluit, eò tardiùs in latiore moveri, quò canalis unde fluit, anguſtior eſt. Ergo urina emiſſa jam non in arcum longè proſiliet, ſed lento reptatu ex urethrâ vix erumpet; idemque de ejaculatione ſeminis dicendum.

4. Plerumque divaricatur in duo fluenta.

4°. Æquabilem urinæ curſum ab obvio in urethrâ obice in duos rivos ſcindi, qui licet unà rursùs coeant, quandiu intra urethræ canalem coercentur, ſinguli tamen ſuam retinent determinationem, quâ ubi primùm ſpatium dabitur, in diverſa loca extra urethram divaricantur. Ergo urina jam non rivo unico & cylindrico ſed bifido profluet, quod magis vel minùs manifeſtum erit, prout obvius obex in urethram magis vel minùs prominebit.

5. Mictio dolorifica.

5°. Fluentum urinæ in oppoſitum obicem eò validiùs arietare, quò urethræ ductus anguſtior urinæ fluento magis obnititur. Ergo ea urethræ pars ab incurrente urinâ tantò fortiùs ſuccutietur, & ſi inflammata vel ulcerata ſit, atque adeo alterutro nomine ſenſu acutiore prædita, tantò magis dolorificè ſentiet, quantò anguſtior erit urinæ via, unde dyſuria frequens vel perpetua. Simili de causâ ſemen ipſum ſolet emitti cum dolore, in ipſo actu venereo.

6. Stranguria per intervalla intermittens.

6°. Dyſuriâ, ſi inter meiendum acriùs urat, validam urethræ conſtrictionem ſympathicè proritari juxta leges naturalis partium conſensûs, quæ voluntatis imperio ceſſet quidem, ſed quæ redeat denuò ſimili urinæ appulſu, ut ſuprà explicatum fuit ubi *de gonorrhœæ ſymptomatis*. Ergo urina jam non fluxu continuo, ſed inæquali & identidem interrupto profluet. Conſtat ſimili de causâ ſemen inæquali & interruptâ ejaculatione tunc ejici.

7. Micturitio.

7°. Collum veſicæ ſeu urethræ principium, contractâ phlogoſi ab affectâ urethræ parte quæ confinis eſt, acutiùs ſentire, ac proinde vividiùs percelli à calente urinâ, quæ veſicæ ineſt, & ejus morſiunculis magis obvium eſſe. Ergo urina jam diù commodè retineri non poterit, ſed ad mictitandum crebrâ ſtimulatione urgebit.

8. Aliquàndo ſtillicidium adeſt, deeſt aliquando.

8°. Urethram anguſtari modò quidem carunculis, aut veru-montano, aut cicatricibus duris & calloſis; vel comprimi proſtatis aut veſiculis ſeminariis ſkirrhoidæis, unde nihil manare poſſit; & tunc ab urethrâ nihil quidquam defluet præter urinam, vel defluet tantùm mucoſum quidpiam, quod à veſicæ collo mictitando deradetur: Modò verò urethram anguſtari ulcuſculis manantibus, carunculis aut veru-montano ulceratis, vel comprimi proſtatis aut veſiculis ſeminariis fiſtuloſis, ſpongioſis, ſuppuratis; & tunc ſub mictionis finem pus aut ſanies excernetur, quæ colore, odore, conſiſtentiâ, copiâ, qualitate variè variant.

9. Omnia ingraveſcunt multis de cauſis.

9°. Hactenùs recenſita ſymptomata intendi omnia & ingraveſcere, ſi acriore aut nimiùm excandeſcente ſanguine ex venere, pravâ diætâ, vigiliis, animi pathematis vehementioribus; ſi ſalſioris lotii acredine ex potatione vini meracioris; ſi fortiore affectarum partium compreſſione ex equitatione vel frequentiore coitione; ſi puris acrioris præſentiâ, quod ſanguis acrior ſuggerit, obices varii, qui in urethrâ vel urethræ confi-

niis

niis latent, inflammentur, tumefiant, urinæ fluxum penitùs intercipiant.

10°. Tunc, quandiu duraverit paroxysmus, calere, dolere, tumere perinæum; stranguriâ in ischuriam mutatâ, continuo sed inutili micturiendi conatu nihil quidquam excerni, vel excerni tantùm quid mucosum vel purulentum, quod ab inflammatis vel suppuratis partibus extillet; demùm ut multa paucis contraham, omnia ingruere symptomata, quæ ischuriæ essentialia sunt. 10. Et tunc supervenit ischuria.

11°. Inde verò remittente paroxysmo, & detumescentibus obicibus urethræ viam pedetentim relaxari, & urinæ cursum sensim restitui gradario progressu: Et tunc tandem guttas aliquot ejici, plures paucioresve humoris mucosi vel pituitosi, si ab inflammatis tantùm obicibus; purulenti vel saniosi, si ab obicibus ulceratis & suppuratis exprimatur. 11. Quæ paulatim remittit.

12°. Cæterùm rarum est mulieres ex prægressis gonorrhœis etiam contumacibus aut pluries repetitis stranguriâ unquam vexari, tum quia in ipsis urethræ canalis brevior est latiorque, quàm ut possit tam facilè angustari vel comprimi ac in viris; tum potissimùm quia conceptacula muliebris seminis, ubi gonorrhœæ sedes est, vel ab urethrâ longè distant, ut glandulæ Cowperianæ & glandulæ botryformes vaginæ; vel si propè adstent, urethræ tamen non inhiant, neque adeò possunt tam commodè cum eâdem vitia communicare, ut de prostatis fœmineis verum est, quæ licet urethræ adnatæ sint & circumpositæ, ductibus tamen ab urethrâ diversis, quos *lacunas* dicunt, in superiorem vulvæ partem aperiuntur. 12. Quæ mala in fœminis rara quidem.

13°. Observavi tamen aliquando mulieres ipsas stranguriâ istiusmodi ex gonorrhœâ laborasse, vitio scilicet prostatarum, quæ tumidæ & callosæ urethræ ductum, quem ambiunt, prætermodum angustarent. Quin imò semel observavi in fœminâ suppuratas & fistulosas prostatas lateralibus sinubus in urethram apertas fuisse, unde jugi puris acrioris in urethræ canalem stillicidio stranguria frequens inducebatur. 13. Sed aliquando tamen visa & observata sunt.

Diagnosis. Morbus per se obvius est ex traditâ descriptione. Obvium est quoque antecedentem morbi causam dignoscere, cùm ægri relatione liqueat quot & quantis gonorrhœis jam antè laboraverit. Diagnosis strangurіæ.

Verùm, quòd ad causas conjunctas, quibus morbus actu foveatur, hoc est quòd ad naturam & qualitatem obicum, qui urethram obsident; cùm hæc in obscuro lateant, meris conjecturis possunt inquiri. Itaque si sub mictionis finem quid purulentum aut saniosum effluat, licet conjicere obices esse è genere suppuratorum, atque adeò vel carunculas suppuratas, vel ulcuscula in urethrâ callosa, vel abscessus & fistulas in prostatis aut vesiculis seminariis callosis, spongiosis, suppuratis &c. Contrà verò si nihil effluat, vel effluat tantùm quid mucosum, licet inde colligere obices esse è genere non suppuratorum, atque adeò vel cicatrices duriores, vel carunculas callosas, vel veru-montanum induratum, vel prostatas SKIRRHOIDÆAS. Diagnosis causarum strangurіæ.

Quòd si pus crebris & grandioribus guttis profluat, adeoque indusia frequenti latâque maculâ inficiat, inde probabile fiet fluxum istiusmodi non à levioribus & superficiariis ulcusculis urethræ, nec à carunculis exulceratis scaturire, quæ pus copiosum non possunt sufficere; sed à prostatis

ipſis aut veſiculis ſeminariis ulceroſis, ſuppuratis, fiſtuloſis, ut evidenter patebit ſi ea perinæi regio, ubi proſtatæ & veſiculæ ſeminariæ ſitæ ſunt, paulò tumidior appareat, aut ſaltem obſcurè & profundè doleat, dum premitur.

Demùm exploratio per catheterem ſuſpensâ & prudenti manu inſtituta, obicum naturam & qualitatem utcumque non demonſtret, tamen aliquando indicat ex qualitate humoris, qui catheteri extremo adhæreſcit cùm extractus eſt. At ſaltem certò docet quot numero ſint, quibus urethræ locis adſiti, quâ vi ſtringant urethram, aut quâ mole oppleant, quis major minorve ſit, quam latitudinem quilibet habeat, quo intervallo invicem diſtent &c. quæ ſingula non modò ad prognoſim, ſed etiam ad curandi methodum ſunt admodùm utilia.

Prognoſis. *Prognoſis.* Stranguria, quæ à gonorrhœis ortum habet, contumax eſt, cùm difficile ſit obices quibus inducitur, vel extirpare vel retundere; & periculoſa, cùm iſchuriam & periculi plena iſchuriæ ſymptomata non rarò inferat.

Quò difficiliùs urina mingitur, & quò frequentiùs ſupervenit iſchuria, eò periculoſior eſt ſtranguria.

Similiter eò contumacior, quò urethræ obices numero plures latioreſque ſunt, aut urethram magis anguſtant, premuntve fortiùs.

Cæteris paribus curatu difficilior eſt & periculoſior, quæ fit ab obicibus ſuppuratis vel exulceratis, quàm quæ ab obicibus calloſis. Hæc enim ab unico tantùm morbo, illa verò à gemino dependet.

Similiter cæteris paribus periculoſior eſt & curatu difficilior ſtranguria, in quâ proſtatæ aut veſiculæ ſeminariæ ſuppuratæ, ulceratæ, calloſæ, fiſtuloſæ, skirrhoidææ ſunt, quàm ea in quâ leviora ulcera urethram tantùm infeſtant, tum quia in priore afficiuntur partes ampliores, tum quia partes, quæ afficiuntur, ejus conditionis ſunt, ut vix ſanari queant ſine gravi operatione.

Tandem iſchuria, quæ ſtranguriæ ſuccedit, ſi gravis, ſi diuturna ſit, ſummè periculoſa futura eſt, cùm urinæ ſuppreſſione, ſuppreſſæ in diverſa loca exundatione, veſicæ plenioris inflammatione, inflammatæ gangrænâ &c. præſens immineat vitæ diſcrimen, niſi naturâ vel arte via citò reſtituatur urinæ.

Curatio. *Curatio.* Cùm geminus ſit morbi ſtatus, gemina quoque proponenda curandi methodus; altera quæ præſenti iſchuriæ, altera quæ ſtranguriæ habituali conducat.

I. Præſentis iſchuriæ. I. In priore caſu, qui urgentior eſt, ea omnia in uſum advocanda, quæ ſanguinis motum & copiam minuendo, æſtum temperando, partem relaxando, fibras nimiùm tenſas emolliendo, ſuppurationem promovendo, inflammatoriæ urethræ coarctationi mederi & urinæ fluxum reſtituere valeant.

Idcirco 1°. Vena incidenda eſt in brachio alterutro, & ſanguis largiter educendus horâ quartâ quâlibet, quandiù morbi vehementia poſtulaverit & ægrotantis vires patientur. Quâ in re monitos velim Medicos, ut pro celeritate invaſionis ipſi in aperiendâ venâ celeres quoque ſint, ac præcipiti morbo citam opem providi ferant; niſi enim principiis obſiſtant, ſerò

medicina parabitur, & ſi dilatâ venæ ſectione, primis morbi diebus oſcitantiùs ſe geſſerint, incaſsùm dein inutili ſanguinis miſſione culpam reparare conabuntur.

2°. Diæta tenuiſſima imperanda eſt ex ſolis juſculis & paucis & dilutis, ut eâ quoque ratione plethorâ ſanguinis magis exhauſtâ, & ejuſdem diatheſi fluidiore factâ, urethræ inflammatio tantò citiùs reſolvi poſſit.

3°. Perinæum jugiter fovendum vel linteis lacte tepido aut decocto althææ & brancæ-urſinæ madidis, vel veſicâ ſuillâ iiſdem liquoribus calentibus plenâ. Quin imò inſeſſus ex iiſdem parandus eſt, in quem tepidum clunes, perinæum, genitalia immergantur.

4°. Clyſteres demulcentes, emollientes, refrigerantes frequenter injiciendi, qui proſtatarum, veſicularum ſeminalium, urethræ inflammationem temperent; ſed ne inteſtinorum venis lacteis abſorbeantur, ac lotii copiam augeant, caſſia identidem admiſcenda eſt, quæ non modò partes efficaciter laxat, ſed quæ facultate eccoproticâ alvum ad egeſtionem blandè ſimul ſollicitat.

5°. Ambigitur anne liceat largam ptiſanæ refrigerantis & demulcentis potationem ægrotanti ſuadere vel permittere. Scilicet negant alii, quia largiore potu lotium uberius ſuggeritur veſicæ, unde omnia iſchuriæ ſymptomata debent ingraveſcere: Alii contrà affirmant, quia calens, acre, ſalſum, muriaticum lotium, niſi potu diluatur, demulceatur, temperetur, veſicæ & urethræ phlogoſim acrimoniâ adaucturum ſit. Ipſe verò, ſi liceat tantas lites componere, crediderim utrique opinioni aliquid condonandum eſſe, ac proinde mediâ procedendum eſſe viâ, ita quidem ut ptiſanæ potus abſolutè non denegetur, ſed nec etiam largiſſimus concedatur.

6°. Similis eſt de uſu balnei quæſtio, quem hi conducibilem, ut qui poſſit partis fervorem compeſcere & tenſionem relaxare; illi contrà noxium eſſe credunt, ut qui ſanguinem inſpiſſando & ad interanea repellendo uberiorem promoveat urinæ ſecretionem. Ego verò miſsâ vitiligatione à balneo abſtinendum eſſe cenſerem, vel eo ſolo argumento, quòd ab inſeſſu, cujus uſum ſuaſimus, emolumenta eadem expectanda ſint, quæ à balneo, ſine ullo nocumenti periculo.

7°. Quòd ſi mucoſæ, ſemi-putres, purulentæ aliquot guttulæ ex urethrâ deciduæ internas partes, quæ inflammatæ ſunt, ad ſuppuratum vergere ſignificent, omni operâ annitendum eſt ut ſuppuratio efficaciter promoveatur, quippe quæ meatum urinarium certiſſimè relaxatura ſit. In hunc finem admovenda perinæo cataplaſmata emollientia & maturantia, ex pulpis radicum liliorum alborum, foliorum althææ, malvæ, brancæ urſinæ, acetoſæ &c. cum oleo liliorum & panis fermento; aut ex contuſis limacibus teſtâ exemptis; aut ex medullâ caſſiæ recenter extractâ confecta, quæ identidem renovari debent, ne ſiccitate indureſcant, & partem lædant ſcabritie.

8°. Si eâ methodo miteſcente inflammationis vehementiâ, urethra incipiat relaxari, & urina jam guttatim profluat, bonum eſt. Tunc enim haud inanis ſpes affulget fore ut eodem remediorum uſu conſtrictoriæ urethræ aut adjacentium partium inflammatio ſuppuratione, vel quod præſtabilius eſſet, reſolutione penitùs tandem evaneſcat.

9°. Verùm ſi morbus diutiùs protrahatur, ſi veſica lotio diſtenta ultrà modum tumeat, ſi urina in ſanguinem reflua ventriculum inundet, & vomitionem concitet, omiſsâ omni cunctatione ope catheteris via urinæ celeriter aperienda eſt. Noluerim quidem hanc operationem primo ſtatim morbi inſultu temerè & præcipitanter tentari, vel ſaltem eâ tentari pertinaciâ, ut vulgò tentari ſolet, quoniam conſtat inutili & imprudenti fodicatione inflammationem non rarò graviter intendi, & ad ſuppurationem deduci, quæ forſan ſibi permiſſa reſolutione feliciter diſſiparetur. Sed noluerim quoque operationem eamdem diutiùs differri, ne veſica ex diſtenſione diuturniore atoniam contrahat, cui mederi facile non eſt; imò verò, quod lethale eſt, ne veſica gangrœnâ afficiatur immedicabili.

10°. Catheter ſolerti & cautâ manu immittendus eſt, non cæco impetu, qui vim inferat, ſed prudenti cunctatione quæ viam ſenſim exploret. Utile eſt meatum urinarium priùs lubricaſſe injectione olei recentis amygdalarum dulcium, vel mucaginis è ſemine lini & pſyllii. Demùm ab inſtitutâ operatione deterrere non debent aliquot guttulæ ſanguinis, quæ profundi ſolent, niſi ſimul dolor gravior inferatur: Vix enim poteſt unquam catheter in anguſtatum canalem inſinuari ſine levi cruentatione. Si eâ methodo catheter ad veſicam uſque tandem perducatur, & urina effluat, omnia derepente remittent; ſed cavendum ut catheter in veſicâ tandiù detineatur, dùm remediorum uſu urethræ inflammatio reſolutione vel ſuppuratione evanuerit; dùm atonia veſicæ, ſi qua adſit, emendata fuerit; uno verbo dùm ad meiendum veſica efficax & urethra libera fuerit.

11°. At ſi catheter in veſicam introduci nullâ prorſus ratione poſſit, urgeat verò grave gangrænæ periculum, tunc ad alia properandum. Itaque ſulcato cathetere, qualis ad lithotomiam adhibetur, in meatum urinarium, quàm altiſſimè fieri poterit, immiſſo, alterutrum perinæi latus ſectione lineæ raphes parallelâ ad extremum catheterem lithotomo incidendum, ut in calculi extractione ſolenne eſt. Dein per inflictum vulnus inſinuandus in urethram catheter, non jam flexuoſus ut in viris opus eſt, ſed rectus, quali fœminæ ſolent explorari. Docuit enim frequens experientia eâ ratione catheteris introductionem feliciùs ſuccedere, tùm quòd breviorem catheterem quaquaversùm detorquere & anguſta viarum certiùs inde explorare liceat, tùm quòd catheter non obliquâ, ut anteà, ſed rectâ impulſione in urethram adigatur, adeòque viam tantò faciliùs ſibi aperiat. Cæterùm ſi ea pro votis ſucceſſerint, catheter in veſicâ detinendus, donec reſoluta ſit urethræ inflammatio, & reſtitutus veſicæ tonus; extracto demùm cathetere vulnus, quod ſupereſt in perinæo, vulgari methodo ſanandum eſt.

12°. Verùm ſi catheter nullo pacto poſſit introduci, unica ſupereſt ratio ægrotantis ſaluti conſulendi, ſi nempe fiſtula argentea cava, cuſpide ferreâ quadrangulari & prominente intùs armata, quod inſtrumentum vulgò *Troiſcar* dicitur, per vulnus perinæi rectà in veſicam demittatur ſecundùm notam urethræ directionem, ac eductâ dein cuſpide, quæ fiſtulam opplet, per mediam fiſtulam via urinæ aperiatur. Non diffitemur intruſam in hac operatione fiſtulam à naturali urethræ ductu aberrare, & diſ-

ciſſis ac vulneratis ejuſdem tunicis in veſicam introduci. Sed quid tum? Si in præſenti mortis periculo ſatiùs ſit anceps remedium experiri quàm nullum, licitum eſt à fortiori, cùm cætera deficiunt, auxilia dura quidem ſed tamen plerumque tuta adhibere; neque enim vulnera urethræ inflicta ejus naturæ ſunt, quæ curationem non poſſint admittere. Cæterùm ut in præcedentibus caſibus, ſic etiam in iſto catheter in veſicâ tandiù detinendus, dùm via urethræ libera, & tonus veſicæ perfectè reſtitutus fuerit; ac demùm educto cathetere vulnera urethræ detergi, carne oppleri, cicatrice obduci debent, juxta artis regulas.

13°. Tandem quomodocunque iſchuria ceſſerit, ubi primùm liber erit urinæ fluxus, ac febris & inflammatio ceſſaverint vel notabiliter remiſerint, æger identidem purgandus diluto caſſiæ ad ℥ j ß. in ſero lactis, quod ſine ullo erethiſmo blandè eluat ſalſuginoſam & muriaticam acrimoniam, quam tùm ſanguis, tùm ventriculus ab urinâ retentâ contraxêre.

II. Habitualis ſtranguriæ.

II. Hactenus de curatione urgentis iſchuriæ. Supereſt nunc ut de remediis habitualis ſtranguriæ diſſeramus, quæ cùm prima ſit morbi cauſa, recidivam iſchuriam facili negotio denuò poſſet inferre, ſi negligeretur. Medentur autem in genere huic ſtranguriæ omnia quæcumque varios in urethrâ obices, quibus inducitur, poſſunt efficaciter & tutò extirpare, abſumere, ſuppurare, delere, comprimere, complanare, aut retundere, in quorum uſum quatuor methodos uſurpatas fuiſſe invenio.

Prima Therapeiæ uſu cathæreticorum.

I. Antiquiores, cùm in meatu urinario alios obices non agnoſcerent, præter carunculas, callos & verrucas, in id unicè ſtudebant, ut ea excreſcentiarum genera urinæ fluxum retardantia abſumerent cathæreticis, quæ ope candelarum cerearum introducebantur, & ulcuſcula quæ in baſi ſupererant conſolidarent epuloticis eâdem methodo. Multa quidem proſtant apud Auctores Medicos Chirurgoſve machinamentorum genera in hunc finem comparata, & multæ unguentorum aut collyriorum cathæreticorum vel exſiccantium formulæ eidem ſcopo deſtinatæ, circa quæ poſſunt inter cæteros conſuli Amatus Luſitanus, *Centuriâ* 4. *Curatione* 19. Daniel Sennertus, *Lib.* 3. *part.* 8. *ſectione* 1. *capite* 9. Ambroſius Paræus, *Lib.* 19. *cap.* 17. *&c.* Sed hæc ſigillatim referre piget nec immeritò, cùm jam ea methodus penitus exoleverit multiplici de causâ.

Rejicitur.

1°. Quia convenit ſolis tantùm carunculis & verrucis meatum urinarium obſidentibus, minimè verò cæteris obicibus eumdem canalem anguſtantibus, à quibus tamen ſtranguriam gonorrhœæ pediſequam, ſi non ſemper, at ſaltem frequentiſſimè produci jam apud omnes in confeſſo eſt.

2°. Quia numquam tuta eſt; nam cathæretica, quæ carunculas abſumunt, debent unà ſimul ſanam urethræ partem inflammare, erodere, exulcerare. Novimus quidem huic incommodo antiquiores obviam ire conatos fuiſſe multiplici inſtrumentorum & remediorum apparatu, ſed novimus quoque cautiones omnes plerumque fruſtraneas fuiſſe, cùm apud ipſos non rara exempla reperire ſit, eorum qui hac methodo virgæ inflammatione, abſceſſibus perinæi, imò gangrænâ correpti ſunt.

3°. Demùm, quia plerumque ita nocet, ut ſtranguria inde gravior

fiat, ſive quòd ulcuſcula, quæ in meatu urinario cathæreticis excitantur; malè deterſa in novas hyperſarcoſes ſive carunculas ſuccreſcant, ſive potiùs quòd coeant in duriores & ſtrictiores cicatrices, quæ fiſtulam urinariam admodùm anguſtant.

Secunda, ſectione urethræ in perinæo inſtitutâ.

II. Huic methodo, quæ jam dudùm infamata eſt, & ab Agyrtis ignaris nunc tantùm uſurpatur, ſucceſſit alia, quæ & ipſa brevi abrogata eſt, quamvis primo intuitu multò utilior eſſe videretur. Explorato videlicet obicum ſitu, qui meatui urinario inerant, & notato perinæi loco ſuperjecto, ſulcatus catheter quàm altiſſimè in urethram immittebatur, ad cujus extremum latus alterutrum perinæi ſecundùm raphes rectitudinem incidebatur lithotomo, ut fieri ſolet ad extractionem calculi; ac inde cathetere viam indicante inciſio versùs anum producebatur. Hoc ergò modo obices omnes, qui locum obſidebant, oculis ipſis jam obvii facilè poterant pro diversâ naturâ diverſis & ſpecificis remediis curari; cathæreticis quidem, ſi carunculæ, calli, excreſcentiæ aderant; detergentibus verò & mundificantibus, ſi ulcuſcula ſordida urethram depaſcebantur. Tandem cùm omnia perfectè ſuppurata, deterſa, cicatrice obducta erant, nec quidquam omnino ſupererat morboſum, perinæi inciſio arte eâdem ſanabatur ac in lithotomiâ.

Improbatur.

Ea ſanè ingeniosè videbantur excogitata & miris encomiis laudari olim memini, ſed experientia rerum magiſtra jam pridem docuit ea omnia fruſtranea eſſe: Conſtat enim ægros plurimos talem operationem paſſos, & à Chirurgis diù excarnificatos, abſolutâ tandem cicatrice, non meliùs inde valuiſſe, imò verò graviore ſtrangurià laboraſſe quàm anteà; ideo ſcilicet quòd urethræ pars, quæ cathæreticis, detergentibus, mundificantibus malè habita fuerat, inductâ cicatrice ita conſtringeretur, ut viam multò anguſtiorem urinæ permitteret.

Tertia, introductione turundarum linteārum in urethram.

III. Omiſſo igitur tùm corroſivorum, tùm operationis cujuſcumque uſu, viſum eſt ea tantùm adhibere auxilia, quæ facili mechaniſmo & ſolâ mole anguſtatam urethram dilatarent, ac dilatando obices in eâdem depactos retunderent. In hunc finem paratur fiſtula argentea, recta, cava, utrimque pervia, quæ in urethram uſque ad obicum principium poſſit commodè introduci. Fiunt ſimul ex telâ lineâ, & tenui, quæ cerâ calente, vel unguento de Vigo quadruplicato Mercurio inuncta ſit, & inter duos afferes lævigatos & calidos ſtrictiſſimè convoluta, turundæ cylindricæ, duræ & firmæ, craſſitie & longitudine variæ, quarum ſingulis filum craſſum & longum aſſuitur.

Eligitur initio turunda exiliſſima & breviſſima, quæ cavo fiſtulæ in meatum urinarium jam immiſſæ inſinuata, ſtylo antrorsùm propellitur, donec fiſtulæ extremum prætergreſſa in anguſtatam urethræ partem ſenſim adigatur. Dein retractâ fiſtulâ, turunda in meatu urinario quàm diutiſſimè retinetur, dùm collecta urina ad mingendum ſollicitaverit, quo tempore facilè poteſt educi per filum aſſutum, quod extrorsùm propendet. Hæc turunda, dùm in urethrâ horis aliquot hæret, humore qui undiquaque depluit multùm intumeſcit, & intumeſcens urethræ canalem pari paſſu dilatat, unde via longiori & craſſiori turundæ ſenſim paratur, quæ & ipſa, ubi ſemel introducta fuerit, ratione eâdem tertiæ longiori &

craſſiori locum faciet, atque ſic deinceps ſimili artificio, donec ampliata ſenſim urethra liberè pervia ſit, & urinam pleno alveo emittat.

Sua patitur incommoda.

Compertum quidem eſt iteratâ experientiâ propoſitam methodum utiliſſimam eſſe, ac facili tutâque ratione ſtrangurias etiam contumaciſſimas pedetentim quidem ſed efficaciter tandem mitigare. Videtur tamen, ut liberè dicam, gemino peccare vitio,

1°. Quòd turunda in meatum urinarium introducta, cùm urethram longitudine non æquet, eam quoque æqualiter non explicet, ſed eum tantùm locum dilatet, quem ipſa replet, conſtrictis eodem tempore hinc & inde extremis partibus ad quas terminatur, & eò fortiùs quidem conſtrictis, quò validiùs pars intermedia dilatatur, ut in ductibus quibuſlibet extenſilibus ſolenne eſt, ſi in unâ tantùm parte diſtrahantur.

2°. Quòd operoſior ſit apparatus, ut turunda in meatum urinarium introducatur, adeoque non poſſit commodè ægrotans huic operationi ipſe ſolus vacare, ſed Chirurgi operâ ſemper egeat, quod in diuturnâ & habituali therapeiâ qualis eſt iſta permoleſtum eſt. Inde factum ut ea methodus faciliori, expeditiori, efficaciori locum tandem ceſſerit, ad quam explicandam ſupereſt ut aggrediamur.

Quarta, operâ virgularum plumbearũ quæ in urethram adiguntur.

IV. Parentur ex plumbo ductili decem aut duodecim virgulæ cylindricæ per inæqualia foramina laminæ multiforis, gallicè *une filiere*, vi trajectæ. Singulæ quidem novem aut decem pollices longæ ſint, ſed craſſitie ita inæquales, ut cùm craſſiſſima calamo ſcriptorio ſit paulò major, cæteræ gradatim decreſcant. Si æger ad operationem paratus ſit, vacuatâ priùs veſicâ, eligatur virgula omnium tenuiſſima, quæ oleo recenti amygdalarum dulcium, vel butyro illita in urethram immittatur, & recto tramite ad obices uſque perducatur, intra quos, quàm altiſſimè ſine dolore gravi licuerit, adigenda eſt. Si eo pacto in veſicam primo die devenerit, optimum; ſed minimè malum eſt, quamvis citrà cogatur ſubſiſtere intra medios obices, ut plerumque accidit. Oportet tantùm diebus ſequentibus opus ita urgere, virgulam plumbeam ulteriùs pedetentim promovendo, ut ad veſicam tandem perveniat. Quolibet autem die virgula tres vel quatuor horas in ſitu detinenda, donec collecta urina ad meiendum ſollicitaverit; & eadem operatio quotidie iteranda eſt, uſque adeò donec virgula & liberè introduci poſſit & liberè eximi ſine dolore.

Tunc virgula alia paulò craſſior eligenda eſt, quæ ſub eâdem cautione per dilatatam urethram in veſicam ſenſim immittatur, atque ſic pari prorsùs ordine ſucceſſivè adhibendæ virgulæ ſingulæ, gradatim ad majores aſcendendo, donec ad omnium craſſiſſimam deventum ſit, quæ ſi ipſa facilè introducatur, meatum urinarium dilatatum & ampliatum; obices repreſſos, complanatos & retuſos; viamque urinæ perviam eſſe arguet.

Cæterùm quamquam contigerit ut urina reddatur pleno alveo, curationi nequaquam confidendum eſt, cùm experientiâ certum ſit compreſſos obices brevi regerminare, complanatos reſurgere & dilatatam urethræ fiſtulam reſtringi, ſi ſemel ab immiſſione frequenti virgularum ceſſatum fuerit. Quocirca diutiſſimè operi inſiſtendum eſt, primùm quidem quotidie per unam alteramve horam, dein bis aut ter in hebdomade,

ac demùm ter vel quater in menſe. Neque enim auſim perfectam, & ut aiunt, *curativam* iſtius ſtranguriæ medicinam unquam polliceri, ſed merè *palliativam*.

Quæ videtur eſſe omnium maximè commoda & compendioſa.

At ſaltem in allatâ methodo id commodi ineſt, quòd ægrotans poſſit ipſe ſibi medicari ſequenti ratione; jacens in lecto ſupinus, complicatis & divaricatis cruribus, virgulam quam elegerit, oleo aut butyro inunctam dextrâ manu immittat in penem, quem ſiniſtrâ continet. Facile quidem eſt hanc recto tramite ad radicem mentulæ deducere, ſed tunc perinæum leviter identidem comprimendum, ut apex flexibilis virgæ complicatus viarum anfractui ſeſe accommodet, lento paſſu eodem modo pergendo, donec ad veſicam ſenſim perventum ſit. Hac methodo virgula, licet recta intruſa fuerit, urethræ tamen flexuras omnes facilè peragrabit, ac dum extrahetur, tortuosâ complicatione omnes meatûs urinarii flexus in viris aptiſſimè exhibebit.

Modò attendatur ad cautiones ſequentes.

Porrò tandem ne quid ſiniſtri accidat imprudentiâ, incuriâ, præcipitantiâ, priuſquàm propoſita medicatio adhibeatur, ad ſequentes cautiones diligenter attendendum eſt.

1°. Ut, ſi indiciis certum, imò verò urgentibus tantùm conjecturis probabile ſit ægrotantem ſeminio venereo infectum eſſe, ſpecifica ad hunc morbum remedia præmittantur, de quibus infrà.

2°. Ut, ſi commodè liceat, eligatur ad ſtranguriæ curationem tempeſtas idonea, verna ſcilicet vel autumnalis, in quâ partium contextus mollior eſt, neque ſanguis ad febrem concipiendam ita comparatus.

3°. Ut præmiſſis univerſalioribus, venæ ſectione videlicet & purgatione, ſanguinis acrimonia juſculis aut apozematis refrigerantibus, ſero lactis, aquis acidulis mineralibus, balneo &c. antè emendetur.

4°. Ut toto curationis tempore ægrotans à vino, venere, exercitatione abſtineat; diætâ ſobriâ, humectante, refrigerante utatur; pro ptiſanâ potet infuſum ſeminis lini & florum malvæ; demùm perinæum relaxet fotu vel inſeſſu emolliente.

5°. Ut virgulæ plumbeæ curioſis oculis perſpiciantur, & reprobentur eæ omnes, in quibus fiſſuræ vel leviſſimæ conſpicuæ ſunt, ne ſi in urethrâ forſan diſſilirent, perinæi inciſione opus eſſet, ut poſſent fragmenta educi.

6°. Ut virgulæ plumbeæ non urgendo, non properando, ſed gradatim & ſuſpensâ manu introducantur, cùm experientiâ notum ſit, ſi ex præcipitantiâ obicibus inferatur violentia, & meatus urinarius duriùs tractetur, ægrum repentino horrore corripi, cui intenſa febris ephemera ſuccedit.

7°. Ut vena illicò tundatur in orgaſmo febrili, ſi eo modo peccatum fuerit, cùm hæc unica ratio ſit vitandæ inflammationis in meatu urinario & adjectis partibus.

8°. Ut ſi gravis urgeat dyſuria aut dolor acrior, anodynæ injectiones identidem fiant in urethram, ad quem finem laudatur decoctum radicis althææ vel nymphææ, cui infuſum ſit ſemen lini; lac vaccinum tepidum decocto hordei dilutum; emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus, ſemine papaveris albi aut hyoſcyami paratæ; aut demùm injectiones ſequentes, quæ ſunt efficaciſſimæ.

℞.

℞. *Semin. Lactucæ*,
Papaveris albi,
Lini,
Hyoscyami albi ana ʒ ij.
Extrahatur mucilago in aquar. Solani,
Plantaginis
Et Rosarum ana ℥ ij.
Add. *Trochiscor. albi Rhasis* ʒ j. *M. F. Injectio.*

Vel

℞. *Succorum depurator. Portulacæ*,
Solani
Et sempervivi ana ℥ ij.
Albumina ovorum n° iij.
Agitentur diu in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo. Ex quâ mixturâ F. Injectio.

9°. Ut exulcerationes, si quæ excitentur in urethrâ aut jam antè adfuerint, unde pus, vel sanies manet, ex arte detergantur, & detersæ cicatrice obducantur. Deterguntur autem injecto decocto simplici hordei, in quo dissolvitur mel Narbonense, vel si impar videatur, decocto sequente.

℞. *Hord. non excorticat. p.* iij.
Radic. Aristolochiæ rotundæ ℥ j.
Foliorum plantagin. m. j.
Coq. in s. q. aquæ.
Colatur. Add. *Mellis rosacei* ℥ ij. *M. F. Injectio.*

Cicatrice verò obducuntur efficacissimè, si ad uncias duas hujus decocti addatur drachma una sequentis amalgamatis, & unà simul tepidè injiciantur.

℞. *Plumbi* ℥ ij.
Liquefacto plumbo adde *Mercurii* ℥ ij.
F. Amalgama, quod in tenuissimum pulverem conteratur & servetur ad usum.

10°. Denique ut curentur morbi reliquiæ, si quæ pertinaciùs supersint, usu lactis asinini aut vaccini, vel potatione aquarum mineralium tempore opportuno; & si quid mucosum vel sanioſum effluat, usu injectionum exsiccantium & astringentium, quales suprà proposuimus ad seminis stillicidium, vel saltem sequente.

℞. *Aquæ secundæ calcis lib.* j.
Lithargyrii argent.
Et cerussæ tenuissimè pulverat. ana ʒ j.
Camphoræ pulverat. ℈ j.
Misceantur omnia, ex quibus injiciantur tepidè drachmæ quatuor vel sex,

CAPUT V.

De Bubonibus venereis, vulgò Poulains.

§. I. DEFINITIO, DESCRIPTIO ET DIFFERENTIÆ.

Deſcriptio Bubonum.

BUBONES venerei ſunt tumores glandularum conglobatarum ſive limphaticarum quæ in inguinibus latent, dolentes, duri, renitentes, ad ſuppurationem lentè tendentes, & ex impuro concubitu oborti mediatè vel immediatè.

Itaque viro ſive mulieri, quibus ex impuro concubitu ea morbi venerei ſpecies immediatè accidit, in alterutro vel utroque inguine aliquot diebus poſt ſuſpectam coitionem glandulæ modò plures, pauciores modò leviter dolent inter ambulandum, ac ſi digitis palpentur, tumidæ obſervantur. Creſcit ſubinde progreſſu tardiore vel celeriore tumor ille, durus fit, tenſus, renitens; indè pars acutiùs dolet, & præter naturam calet, cute tamen nativum colorem retinente; inceſſus laborioſior redditur: Tandem bubo manifeſtè apparet, magis vel minùs faſtigiatus aut profundus; figurâ varius, orbicularis, oblongus, teres; magnitudine nunc ovi columbini aut gallinacei, nunc pugni molem æquans.

Differentiæ Bubonum.

Differentiæ bubonum ex triplici capite repetuntur, 1°. A modo, quo invadunt: Alii enim impuræ copulationi ſoli & immediatè ſuperveniunt, *& morbum eſſentialem:* Alii verò gonorrhœæ virulentæ ſuppreſſæ parciùſve fluentis, aut ulcuſculorum penis cancroſorum comites ſunt, & *morbum ſymptomaticum*; alii demùm citra ullum coitum proximè prægreſſum ſpontè contingunt, & *ſignum latentis luis venereæ pathognomonicum* conſtituunt.

2°. A qualitate, quam præ ſe ferunt: Alii enim multùm dolent, calent, pulſant & renituntur, & *phlegmonodæi:* Alii verò modicè calent, dolent, pulſant, renituntur, imò potiùs molles prementis digiti veſtigia & admittunt & ſervant, & *œdematodæi:* Alii denique doloris, caloris, pulſationis expertes duri ſunt & validè renituntur, & *ſkirrhodæi* nuncupantur.

3°. Ab exitu, quem varium habent: Alii enim vel ſpontè vel remediorum, quæ adhibentur, energiâ ſenſim reſolvuntur & evaneſcunt: Alii verò in ſuppuratum vertuntur, ac pure per aperturam cauterio vel inciſione paratam ſemel evacuato cicatricem recipiunt: Alii tandem maturantium & emollientium vim eludunt, ac duri & retinentes perdurant.

§. II. CAUSÆ.

Cauſæ Bubonum.

Inguinales glandulæ tumere non poſſunt poſt impurum concubitum & in bubonem indurari, niſi limpha, quæ à vicinioribus partibus illuc convehitur ceu in diverſorium commune, & quæ per medias illarum cellulas ſive veſiculas debet transfluere, ut aliò deducatur, ibidem hæreat, ſtagnet & cumuletur. Sed limpha in glandulis inguinalibus hærere non

poteſt & cumulari, niſi ſolito craſſior, ſpiſſior, viſcidiorque ſit. Sequitur ergo ex impuro concubitu limpham, quæ per glandulas inguinum circulatur, craſſiorem & viſcidiorem effici, atque ideò ibidem cumulatam hærere & bubones venereos inde producere.

Deducendæ à contagio limpham inſpiſſante.

At verò nihil novi corpori accidit ex concubitu impuro præter ſimplicem contagii venerei admiſſionem. Debet ergo virus illud intra corpus ſuſceptum, ac cum inguinalium glandularum limphâ commixtum, ſpiſſiorem illam ac craſſiorem efficere, cui quidem effectui producendo ex ſe accommodatiſſimum eſt, cùm ſalſo-acidam naturam obtineat, cujus ad coagulandos ſulfureos humores, qualis eſt limpha, efficacitas nota eſt.

Poteſt autem virus intromiſſum cum limphâ glandularum inguinalium commiſceri duplici viâ, longiore alterâ & intricatiore, nimirùm circulatione ſanguinis; breviore alterâ & magis expeditâ, ope videlicet vaſorum limphaticorum, quæ in glandulas inguinales tendunt. Priorem quidem, ut quæſtioni præſenti reſolvendæ parùm idoneam rejicimus, quoniam eâ ſemel admiſsâ omnes univerſi corporis glandulæ conglobatæ ſive limphaticæ pari modo deberent affici ac inguinales, cùm limpham ab eodem ſanguine perinde haurirent, quod tamen experientiæ repugnat. Poſteriorem itaque ſolam in re præſenti admittendam eſſe cenſemus.

Verùm, cùm triplex ſit, ut ſuprà diximus, bubonum ſpecies ratione invaſionis, una bubonum, qui coitui impuro citò & immediatè ſuccedunt; altera bubonum, qui ſuppreſſæ vel parciùs fluenti gonorrhœæ, aut cancroſis penis ulcuſculis ſuperveniunt; tertia demùm bubonum, qui à latente lue venereâ accidunt ſine causâ ullâ manifeſtâ, debet diverſitas, quæ inde penes communicationis modum intercedit, paulò fuſiùs explicari.

Quod contagium in glandulas inguinales traducitur.

1°. In coitu, externa mulierum pudenda, vulva nimirùm, vulvæ labia, & vagina ſemine à viro injecto irrorantur. Igitur ſi ſemen corruptum ſit, debet contagium in ſubſtantiam partium imbibi & cum limphâ illac circulante commiſceri. Sed illa peculiaribus limphæ ductibus ad glandulas inguinales tendit. Debet ergo admiſſum contagium venereum ad eaſdem glandulas unà ſimul transferri.

1. Ex concubitu impuro.

Pari modo viri coeuntis genitalia, glans, mentula, & pubes ipſa madefiunt viſcido illo & ſeminali humore, quem mulieres inter coeundum ubertim eructant; quamobrem ſi humor ille corruptus fuerit, contagium per genitalium poros inſinuatum limpham illac fluentem pervadet. Hæc autem limpha jugi fluxu ad inguinales glandulas inde contendit. Igitur eòdem quoque contendet contagium ſyphiliticum cum limphâ permiſtum.

2. In gonorrhœâ ſuppreſsâ.

2°. In gonorrhœâ ſuppreſsâ parciùſve fluente, proſtatæ, veſiculæ ſeminariæ, glandulæ Cowperianæ & teſtes in viris; in fœminis verò proſtatæ, glandulæ Cowperianæ, & glandulæ botryformes vaginæ putrido atque corrupto ſemine turgent. Debent ergo ſeminis virulenti partes aliquæ inde exhalantes limphæ ab iiſdem conceptaculis vel à ſuperſtratis partibus, ſcroto videlicet & perinæo in viris, perinæo verò totâque vulvâ in fœminis refluenti inſpirari, atque unà ad inguinales glandulas deferri, quò ipſamet convehitur, bubones ibi citò producturæ, niſi retento ſemini putrido porta denuò citiſſimè detur.

3. In ulcuſculis cancroſis pudendorum.

3°. Nec diſpari ratione in cancroſis penis aut vulvæ ulcuſculis, limpha quæ inde regreditur, unà ſecum debet revehere in glandulas inguinales, quò ipſa traducitur, non paucas virulenti puris guttulas ab ulceratis partibus hauſtas, quæ limpham inſpiſſando & glandulas, quibus continetur, infarciendo, bubonibus locum frequenter dabunt.

4. In lue venereâ inveteratâ.

4°. Tandem in lue venereâ latente, cùm ſemen teſtium, proſtatarum, veſicularum ſeminariarum & glandularum Cowperianarum in viris, in fœminis verò proſtatarum, glandularum botryformium & Cowperianarum glandularum ſeminio venereo infectum ſit, debet contagioſis miaſmatis hinc exhalantibus limpha tùm conceptaculorum ipſorum, tùm partium conceptaculis ſuperjectarum ita vitiari, ut in glandulas inguinum conglobatas delata, limpham ibi congeſtam pari vitio coinquinando, bubones productura ſit, ſi afflatum contagium ſatis efficax fuerit.

Unde bubo nunc in utroque inguine.

Cæterùm à qualicumque causâ, vel impuro concubitu, vel gonorrhœâ ſuppreſsâ parciùſve fluente, vel ulcuſculis cancroſis, vel demùm lue venereâ latente bubo procedat, ſi contigerit ut limpha in utroque inguine ſeminio ſyphilitico æqualiter inficiatur, ac omnia utrimque ad amuſſim æqualia ſint, manifeſtum eſt fore ut in utroque latere bubo perinde ſubnaſcatur; ſi verò ex alterutrâ parte diſparitas quædam interfuerit, in alterutro tantùm, dextro ſiniſtrove.

Nunc in alterutro tantùm producitur.

Deſumitur autem ea diſparitas ex triplici capite:

1°. Ex vitio partis unde virus tranſmittitur. Sic conſtat glandulas dextri ſiniſtrive lateris contagio magis inquinari, prout proſtatæ, veſiculæ ſeminariæ, glandulæ Cowperianæ, teſtis in viro, vel in fœminâ proſtatæ, glandulæ Cowperianæ, botryformes glandulæ vaginæ alterutrius lateris virulento ſemine magis turgent, quia limpha, quæ inde redux eſt & in glandulas ejuſdem lateris convehitur, magis virulenta futura eſt.

2°. Ex vitio partis quâcum virus communicatur. Sic conſtat inguinales glandulas alterutrius lateris magis affici, prout ex nativâ conformatione magis aſtrictæ, magis anfractuoſæ, magis celluloſæ, uno verbo minùs perviæ ſunt, atque adeo inſpiſſatâ limphâ faciliùs infarciuntur.

3°. Ex caſu externo, ut aiunt, merè fortuito. Sic conſtat omnibus cæteroquin paribus, & glandulis utrimque æqualiter ſeminio contaminatis, bubonem in alterutro latere interdùm excitari preſſu vel contuſione inguinis alterutrius, unde limphæ infectæ congeſtio promoveatur in alterutrâ parte; imò etiam ſolo decubitu in alterutrum latus, unde limphæ ejuſdem regreſſus difficilior tardiorque fiat ex parte minùs declivi.

§. III. SYMPTOMATA.

Symptomata, quæ buboni ſuperveniunt.

1. Tumor exiguus in inguine.

1°. Limpha in glandulas inguinales convecta & ſeminii venerei contagio inſpiſſata debet in illis hærere & retineri propter multiplices & anfractuoſas cellularum invicem communicantium vias, quæ exiturienti obſtant. Inde ergo levis initio morbi *glandularum inguinalium tumor*.

2. Dolor in inguine.

2°. Glandulæ inguinis tumere non poſſunt, quin diſtrahantur; nec diſtrahi quin doleant magis minùſve pro tumefactionis modo & impetu. Hinc ergo in bubone præſertim creſcente *inguinalium glandularum dolor*.

3°. Inceſſus fieri non poteſt, niſi muſculi crus tibiamve antrorsùm flectentes cum extendentibus alternatim contrahantur. Sed illi muſculi alternatim non poſſunt contrahi quin ſuprapoſitas inguinis glandulas jam tumefactas premant, ac premendo dolorem excitent. *Inceſſus* ergo *exerceri non poteſt* in bubone venereo, *niſi cum dolore*, atque adeò cum labore. 3. Inceſſus laborioſus.

4°. Glandulæ inguinis ſemel infarctæ novo limphæ appellentis aggeſtu magis magiſque in dies debent ſenſim inflari, donec tandem vis, quâ glandulæ ulteriori dilatationi reſiſtunt, æqualis ſit momento quo appellens limpha eamdem molitur. Sic ergo debet *bubo* incipiens in dies *creſcere*, *indurari*, *extrorsùm prominere in faſtigium*, ac obliquè protendi ſecundùm glandularum inguinalium ſitum, magis tamen minùſve pro diversâ glandularum magnitudine & extenſibilitate, aut vario limphæ appellentis impetu. 4. Creſcit in dies tumor in inguine.

5°. Creſcente bubone ſanguifera vaſa, quæ per mediam glandulæ induratæ ſubſtantiam repunt, derepente comprimi neceſſum eſt. Sed iis derepentè compreſſis ſanguis interfluens tandiù hærere debet & retineri, atque adeò calorem fervidiorem tandiù parti conciliare, dum novas circulationis vias ſibi ſenſim paraverit. Inde ergo ſaltem in principio bubonis intenſior futurus eſt *tumefactæ partis calor*. 5. Calor in bubone.

6°. Quin imò ſi celer glandularum tumefactio & per fluxionem facta ſanguinis curſum ſubitò cohibeat, ſi validus ſit arteriarum pulſus ex naturali corporis fabricâ aut febre adventitiâ, demùm ſi ſanguis naturâ calens & æſtuans impensè rareſcat, extremæ guttulæ ſanguinis validiùs pulſi in lateralia vaſa limphatica vi irrumpent, unde inſtitutâ novâ ſanguinis devii circulatione *bubo fiet* calore, dolore, pulſu, renitentiâ inſignis, uno verbo *phlegmonodæus*. 6. Bubo phlegmonodæus.

7°. Quoniam tamen in ſuperjectâ cute, quæ morbi expers eſt, vaſa ſanguinis nullomodo vel parùm admodùm anguſtantur, ſanguis per ea circuitum ſolitâ ferè facilitate perficiet, unde *cutis* non inflammabitur, imò verò nec *colorem* fermè mutabit, ſed *nativum* aut à nativo parùm diſparem *retinebit*. 7. Sine notabili rubore in cute.

8°. Si verò tumor lentè creſcat, ſi debilis ſit & tardus arteriarum pulſus, ſi cruor naturâ aquoſus ſit & diſſolutus, hinc rivus ſanguinis in vaſa glandulæ infarctæ debiliùs & tardiùs propelletur, & in iiſdem lentiùs, adeoque minùs coercebitur: Non ſtagnabit ergo vel parùm ſtagnabit in vaſis circumfuſis, ac proinde modicum calorem & dolorem, ac debiliorem arteriarum pulſum inferet; ſed vias per quas fluit, ſenſim ita dilatabit, ut anguſtia extrinſecùs inducta compenſetur; vel alias ſibi pedetentim vias aperiet in lateralia vaſa, in quas derivetur, dimiſſis tantùm in tumoris ſubſtantiam vel ſaltem in tumoris confinia ſeroſis & limphaticis partibus tenuioribus, quibus abundat. Inde ergo *bubo* in glandulis inguinalibus obortus modicè calebit, dolebit, pulſabit & renitetur, ſed *mollior*, ſaltem ſuperficie tenùs *prementis digiti veſtigium facilè* admittet & tardè dimittet; uno verbo *œdematodæus* futurus eſt. 8. Bubo œdematodæus.

9°. Demùm ſi ſanguis craſſior & ſiccior craſſiorem & ſicciorem limpham ſuggerat, ſi ea limpha lentiſſimo gradu in glandulas inguinales pedetentim congeratur, bubo qui inde ſubnaſcetur, *ſkirrhodæus* erit; durus 9. Bubo ſkirrhodæus.

ſcilicet & renitens, quia fiet ab impactâ ſpiſſiore limphâ & diuturnitate temporis magis induratâ ; caloris verò , doloris & pulsûs expers, quia nulla circùm adeſt ſanguinis hærentia ; nam cùm lentè fiat in glandulas congeſtio , quâ proportione viciniora vaſa comprimentur , proportione eâdem alia remotiora, quibuſcum communicant, ſenſim dilatabuntur , unde via compenſabitur.

10. Bubo phlegmonodæus, facilè reſolubilis.

10°. Bubo *phlegmonodæus* facilè & perfectè *reſolvitur :* Sanguis enim, cujus ſtagnatione ex parte inducitur , mobilitate nativâ & circulationis reſtitutæ impetu facilè diſſlabilis eſt : Limpha verò quæ glandulis intùs impacta retinetur , calore intenſiore & validiore arteriarum oſcillatione , quæ buboni huic propria ſunt, & fluiditatem pertinaciùs ſuam tuetur , & ad motum circulatorium fortiùs urgetur , ac proinde utroque nomine ad reſolutionem magis comparata eſt.

11. Si non reſolvitur , facilè ſuppuratur.

11°. Quòd ſi non reſolvitur , *ſaltem* iiſdem de cauſis *haud ægrè ſuppuratur :* Nam ſanguis , cujus hærentiâ ex parte fovetur , inſitâ partium ſuarum vi fermentativum putrefactionis motum concipere aptus natus eſt ; limpha verò, quæ glandulas opplet , calore fervidiore, quo agitatur , & fortiore arteriarum pulſu , quo conquaſſatur , ad ſuppurationem efficaciter diſponitur.

12. Facilè ſed imperfectè reſolvitur bubo œdematodæus.

12°. Bubo œdematodæus *facilè* quidem *reſolvitur* , quatenùs ſerum tenuius, quod vaſa tumori circumfuſa inundat , facilè poteſt per limphaticos ductus ſolitas circulationis vias relegere : *Sed reſolvitur imperfectè* , quia limpha craſſior glandulæ cellulis impacta defectu caloris , quo liqueſcat , & ſufficientis oſcillationis arteriarum , quâ atteratur & ultrà urgeatur , quæ ambo in eâ bubonis ſpecie deſunt , reſolutioni ægrè cedit ; unde nucleus durior remanet non facilè reſolubilis.

13. At difficulter ſuppuratur.

13°. Iiſdem de cauſis *difficulter* quoque *ſuppuratur* , quia inſpiſſata iimpha , tum naturâ ſuâ ob ſalinarum & actuoſarum partium penuriam , tum defectu caloris intenſioris , quo diffluat , & validioris arteriarum oſcillationis , quâ ſubigatur , ſuppurationi concipiendæ parùm idonea eſt.

14. Bubo ſkirrhodæus difficillimè reſolvitur & ſuppuratur.

14°. Demùm bubo ſkirrhodæus *nec reſolvitur nec ſuppuratur unquam* ; niſi difficillimè , ſed plerumque in dies magis induratur , tum quia limpha , quæ in glandularum cellulis hæret , craſſior , ſpiſſior , viſcoſior eſt ; tum quia deeſt præternaturalis calor & arteriarum oſcillantium quaſſatio , quibus ad reſolutionem vel ad ſuppurationem poſſit comparari.

§. IV. DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

Diagnoſis bubonis venerei tum à cæteris bubonibus.

Diagnoſis. Bubones venerei cum ſimplicibus , peſtilentialibus , ſcorbuticis & ſtrumoſis bubonibus conveniunt ratione ſitûs & figuræ ; ſed ab iiſdem diſtinguuntur ſignis peculiaribus : 1°. A ſimplicibus quidem & peſtilentialibus , quia in his cutis rubet & inflammatur , ſecùs quàm in venereis : 2°. A ſtrumoſis verò & ſcorbuticis , quia ex noto priùs ægrotantium ſtatu manifeſta ſtrumarum vel ſcorbuti indicia colliguntur : 3°. Certiùs tandem ab omnibus ægrorum relatione , qui fatentur ſe impuro aut ſuſpecto concubitu uſos eſſe ; vel gonorrhœâ aut cancroſis ulcuſculis laborare ; aut qui univoca proferunt argumenta , quibus virus in ſanguine latere evidens ſit.

Minor eſt bubonum venereorum cum bubonocele ſive herniâ inguinali convenientia ; novimus tamen cum eâdem aliquando confundi ; non cum eâ quidem bubonocele, quæ fit ab Omento, & quæ *Epiplocele* dicitur, in quâ tumor mollior eſt, ſed cum illâ, quæ ab inteſtino producitur, & quæ appellatur *Enterocele*, in quâ major adeſt renitentia, ratione cujus cum bubone proximiùs convenit : Neque etiam cum eâ enterocele, in quâ inteſtinum per obliquos muſculorum epigaſtricorum annulos delabitur, quoniam locus quò inteſtinum decidit & ubi tumor excitatur, à glandularum inguinalium atque adeò bubonum venereorum loco nimis diſtat; ſed cum illâ enterocele, in quâ inteſtinum per arcuatum peritonæi fornicem, quà vaſa cruralia tranſeunt, in inguen prolabitur, quæ ratione ſitûs quem occupat à glandularum inguinalium & bubonum in ipſis ſubnaſcentium ſitu parùm vel nihil abludit.

Tum ab enterocele.

Poteſt tamen facilè bubo diſtingui ab enterocele quâcumque ſignis ſequentibus.

1°. In enterocele tumor ſuperficie lævis & figurâ proximè ſphæricus, licet latam habeat ſuperficiem tenuiore baſi, quæ foramini, unde inteſtinum decidit, æqualis ſit, quaſi pediculo inguini adhæreſcit : Contrà verò bubo ſuperficie inæqualis & figurâ plerumque oblongus eſt, & latæ ac expanſæ baſi innititur.

2°. In enterocele, tumor ſi prematur facilè cedit, ſed retracto digito reſtituitur illicò : Contrà verò bubo vel prementi digito renititur, ut bubo phlegmonodes & skirrhodes ; vel ſi cedat, veſtigium retinet, ut bubo œdematodes & ſuppuratus.

3°. In enterocele patet attactu flatus vel ſolos, vel cum liquidiore materiâ confuſos tumore toto contineri, ex facili compreſſione & reſtitutione celeri : Contrà verò in bubone nihil ineſt flatulenti, imò ſi quid liquidi latere percipiatur obſcurâ fluctuatione, id omne & paucum eſt & profundum, & medium tantùm tumorem occupat, ut in bubone ſuppurato.

4°. Enterocele gravia ſecum infert ſymptomata, febrem, dolorem colicum, ſuppreſſionem dejectionis, fæcum alvinarum per ſuperiora vomitionem, iliacam paſſionem &c. quæ omnia in bubone ſemper abſunt.

Adde rarum eſſe, ut impurus vel ſuſpectus concubitus, quo bubo, cum lapſu ab alto, ictu in ventrem, aut vehementiore motu, quibus enterocele poſſit induci, tam aptè ſimul coincidant, ut attendenti dubitare liceat, utra ſit tumoris in inguine oborti natura, & utri cauſæ adſcribenda videatur.

Porrò ubi ſemel conſtat bubonem venereum adeſſe, facile eſt differentias, quibus diſtinguitur, ſignis in deſcriptione propoſitis dignoſcere. Nam ſi tumor intensè caleat, doleat, pulſet & renitatur, *phlegmonodem* ; ſi moderatiùs caleat, doleat, pulſet & renitatur, imò verò mollior prementis digiti veſtigium retineat, *œdematodem* ; ſi tandem caloris, doloris, pulsûs fermè expers durus ſit & validè renitens, *skirrhodem* bubonem eſſe manifeſtum eſt.

Demùm cauſæ bubonum venereorum erui debent, vel ex ægri relatione vel ex antecedentium notitiâ, unde liqueat an ſeminium venereum impuro concubitu ? An gonorrhœâ ſuppreſsâ, parciùſve fluente,

aut cancrosis penis ulcusculis ? An latente syphilide cum glandulis inguinalibus communicatum sit.

Prognosis. *Prognosis.* Bubo venereus, modò cautè curetur, periculo vacat, sed tamen affectus gravis est, cùm operosam therapeiam semper exigat & sæpe etiam Chirurgicam sectionem.

Potest nihilominùs bubo eo nomine periculosus censeri quòd luem veneream sæpissimè inferat, nisi virus susceptum diuturnâ suppuratione, aut iteratis purgationibus educatur, ac reliquiæ, si quæ supersint in sanguine, diligenter specificis remediis corrigantur.

Minus tamen luis periculum imminet à bubone, qui impuro concubitui aut suppressæ parciùsve fluenti gonorrhœæ aut penis ulcusculis, quàm à bubone qui sine causâ præsente supervenit : Nam prior à seminio recenter admisso, quod cùm nondùm sanguinem infecerit, potest educi vel corrigi ; posterior verò à seminio dependet, quod in sanguine jam dudùm latet, & quem ideò funditùs contaminavit.

Bubo phlegmonodæus curatu facilior est bubone œdematodæo, ac præsertim skirrhodæo, cùm enim prior resolvatur aut in suppuratum facilè convertatur, potest alterutrâ viâ adhibitis cautionibus convenientibus perfectè citò sanari : Posteriores verò in tumorem verè skirrhosum plerumque abeunt, qui remediorum omnium vim diù eludit, ac demùm in carcinomatodem naturam non rarò degenerat.

§. V. CURATIO.

Bubo venereus potest curandus offerri in triplici casu, 1°. Si sine causâ manifestâ invaserit ; 2°. Si cum gonorrhœâ virulentâ vel ulcusculis cancrosis penis conjunctus sit ; 3°. Demùm si impuro concubitui solus & immediatè succedat.

Curatio bubonis, si à lue venereâ. *In primo casu*, cùm bubo luem veneream latere significet, expedit abjectâ cunctatione ad hydrargyrosim statim properare, quâ tum bubo, tum lues, quæ bubonis causa est, radicitùs curentur. At si ægrotanti tam sanum consilium sequi non lubeat liceatve, utendum erit specificis aliis remediis juxta methodos infrà tradendas, ægrum tamen prærnonendo, ut ingenuum Medicum decet, eo pacto non sinceram & efficacem, sed fucatam tantummodò & mitigatoriam medicinam morbo afferri.

Curatio bubonis, si à gonorrhœâ, aut ab ulcusculis cancrosis. *In secundo casu* adhibenda similiter eadem remedia juxta easdem methodos, sed cum aliis, quæ gonorrhœæ aut ulcusculis conveniant, ita maritanda, ut pensatis utilitatibus & consociatâ medicamentorum efficaciâ congeneres illæ affectiones perfectè simul curentur.

Demùm *in tertio casu*, qui cùm simplicissimus sit, cæterorum veluti norma esse potest, in id unicè incumbendum, ut contagium recèns admissum efficaciter destruatur aut educatur, & si quæ in sanguine supersint reliquiæ, quæ morbum renovare aut luem inferre possent, cautè corrigantur aut eliminentur.

Curatio bubonis, si à coitu impuro immediatè proveniat. Usu viget gemina methodus, quâ ea omnia perinde præstari possint ; altera quidem, quâ curantur bubones venerei sine suppuratione aut ullâ maturantium applicatione, solo nempe Mercurialium & purgantium usu,

Prior me-

donec

donec reſolutus tumor ſenſim evaneſcat. Altera verò, quæ bubonibus medetur ſuppuratione, quam topicorum maturantium appoſitio promoveat, & cum interno Mercurialium uſu ita conjuncta, ut ſeminium morboſum utrimque ſimul efficaciſſimè oppugnetur. thodus curatoria, quæ reſolutione.

Prior methodus operatione vacat, brevior eſt, doloris expers, & æquè tuta, ac proinde multorum judicio alteri jam præferenda videtur, ſed id ſimul habet incommodi, quòd æger domi & in cubiculo toto curationis tempore continendus ſit, niſi frigidioris aëris attactu grave periculum velit incurrere. Poſterior quidem plerumque longior, multùm tædioſa, & cùm operationem exigat, dolorifica eſt, ſed cùm ægrum officia implere utplurimùm permittat, nondum omnium ſuffragiis deſtituitur; quin imò eò nonnumquam res ſponte recidunt ſuppuratione jam incœptâ, ut Medico eamdem vel invito ſequi neceſſum ſit. Quocirca ne quid omiſiſſe videamur, utramque methodum proferre operæ pretium eſt, ſed utramque paucis.

I. Itaque ſecundùm priorem methodum.

1°. Sanguis initio mittendus eſt, ut nimius glandularum infarctus minuatur, & intenſior earumdem inflammatio præcaveatur. Liberaliùs quidem, ſi bubo ſit phlegmonodes, parciùs verò ſi ſit œdematodes vel skirrhodes. Hac de re ergo non audiendi Antiquiores, qui ex præjudicio, quod experientia falſi convincit, à ſecandâ venâ abhorrebant in curatione bubonum, quaſi ſcilicet virus inde ad interiora retractum luem veneream inducturum fuiſſet.

2°. Æger deinde purgandus, tùm ut via paretur uſui cæterorum remediorum, tùm ut contagii pars quàm citiſſimè educatur: *Leniore* quidem & *antiphlogiſtico cathartico*, ſi bubo inflammatorius ſit, ex medullâ Caſſiæ, decocto Tamarindorum, ſale quodam purgante, cum moderatâ doſi Mercurii dulcis ſive Aquilæ albæ, ſub formulis ſequentibus.

℞. *Mercurii ſublimat. dulcis optimè præparat. gr.* xv.
Medull. caſſ. recenter extractæ ℥ j.
M. F. bolus ſumendus jejuno ventriculo.

Vel

℞. *Tamarindor. pinguium* ℥ j ß.
Sal. vegetal. ʒ j.
Bulliant in aq. comm. lib. j ß.
Colatura divid. in duas doſes ſumendas partitis vicibus & interjecto trium horarum intervallo, devorato priùs bolo ex Mercurii ſublimati dulcis gr. xv. *conſervâ roſarum ſiccâ exceptis.*

Fortiore verò *& draſtico purgante*, ſi bubo œdematoſus vel ſcirrhoſus fuerit, ſcilicet Jalappio, Diagridio, majore doſi Aquilæ albæ, additis etiam, ſi ita è re eſſe videatur Trochiſcis alahandal, ſub formulis ſequentibus.

℞. *Aquil. albæ gr.* xx.
Jalappii
Et diagrid. ſulfurat. ana *gr.* xij.
M. cum ſ. q. conſerv. roſarum ſicca. F. Bolus.

Vel

℞. *Aquil. albæ gr.* xx. *aut* ℈ j.
Diagridii ſulfurat. gr. x.
Trochiſcor. alahandal gr. iv.
Olei aniſi gutt. iij.
M. cum ſ. q. conſerv. roſarum ſiccæ. F. Bolus.

3°. Poſthac præſcribenda præparata Mercurialia, quæ nullâ purgandi facultate polleant, atque adeò cum ſanguine diutiùs confundantur, viruſque venereum efficaciùs oppugnent. Iſtiuſmodi ſunt panacæa Mercurialis duodecim laboribus ſublimata; Mercurius violaceus, ſive Flores antimoniales Mercurii optimè loti; Æthiops mineralis cum Mercurio & ſulfure triturâ, vel ignitione paratus, vel qui cæteris præſtat, Æthiops mineralis alter, cum Mercurio & Balſamo Peruviano aut Canadenſe triturâ confectus. Singulorum doſis eſt à gr. xv. ad xx. aut ad xxiv. quæ conſervâ roſarum excepta aſſumuntur bis in die, manè & veſperi, aut ſemel tantùm quâlibet die, aut alternis tantùm diebus, prout celerior eſt aut tardior eorumdem efficacia, huic methodo tandiù inſiſtendo uſque dùm inflentur gingivæ, incaleſcat os & proximus immineat ptyaliſmus.

4°. Tunc autem imminenti ptyaliſmo cautè occurendum eſt purgatione, qualem modò præſcripſimus, ut per inferiora deturbetur ſeminii morboſi pars, quæ per ſalivales glandulas exitura eſſet. Quod ut feliciùs ſuccedat ab omni Mercurialium uſu per dies aliquot abſtinendum erit, nec quidquam ultrà movendum, donec omnia quietè denuò compoſita ſint; quin imò, ſi res ita exigat, purgatio eadem iterùm ſæpiùſque repetenda, ut ſalivatio tantò efficaciùs cohibeatur.

5°. Pacato ſemel ſalivationis motu ad Mercurialia redeundum ſimili methodo, atque adeo ptyaliſmus denuò provocandus, qui ut primùm apparuerit, rurſus ut primâ vice coercebitur iteratâ purgatione, ac ceſſatione ab omni Mercurialium uſu; ſic per vices repetendo donec tandem bubo reſolutus ſenſim evanuerit.

6°. Reſolutioni promovendæ conferunt topica emollientia & reſolventia, ut emplaſtrum de ranis cum Mercurio, vel ſine Mercurio; emplaſtrum de mucilaginibus; emplaſtrum de ſpermate ceti; aut quod conducibilius, leves inunctiones bubonis & inguinum cum unguento mercuriali à ℈ j. ad ʒ ß. quotidie, alternis diebus, aut tertio quoque die, prout uſus poſtulaverit aut permiſerit ptyaliſmi periculum. Conſtat enim eo pacto limpham, quæ in glandulis inguinum hæret præ ſpiſſitudine, efficaciter liquefieri, ac inde faciliùs reſolvi.

7°. Imò jam receptum eſt loco Mercurialium internè aſſumptorum, quæ ſtomachum gravant vel pervertunt & noxam ſanguini plerumque inferunt, externas inunctiones, quæ innocuæ ſunt, cum unguento mercuriali à ʒ ß. ad ʒ j. adhibere ſupra nates & inguina, modò alternis diebus, modò tertio quolibet die, pro vario gradu morbi, & diverſâ indole effectuum, qui inde conſequuntur. Sed ubi prima ſalivationis indicia apparuerint, non modò à frictionum uſu cautè abſtinendum eſt, ſed etiam ægrotans per inferiora ſtatim purgandus, ut materia per os exituriens aliò divertatur, quemadmodum ſuprà monuimus. Inde verò pacato orgaſmo frictiones iterùm renovandæ, ac imminens ptyaliſmus denuò cohibendus ſimili artificio, donec bubo perfectè reſolvatur.

8°. Nullum autem periculum eſt, ne eâ methodo contagium venereum in ſanguinem cum limphâ reſolutâ refluens per limphaticos ductus, veneream luem inducturum ſit ; tùm quia virus, quod ſanguini remiſcetur, Mercurialium energiâ cicuratum & correctum eſt, atque adeò jam inefficax ; tùm quia, etſi virulentum foret, ſanguinem non poſſet morâ inficere, cùm eâdem proportione purgantibus eliminetur, quâ in ſanguinem refunditur.

9°. Cæterùm toto curationis iſtius ſtadio æger domi & in cubiculo temperato continendus eſt ; alioquin enim periculum impenderet ne cutaneis & ſalivalibus glandulis frigidiore aëre derepente conſtrictis, adeoque ſubitò ſuppreſſis tùm diaphoreſi tùm ptyaliſmo, quæ à remediis concitantur, difficilis decubitus fieret in pectus vel cerebrum.

10°. Diæta quoque imperanda eſt tenuis, diluens, humectans, ex offis, panatellis, cremoribus orizæ, gelatinis, juſculis, & ad ſummum ovis ſorbilibus, interdicto vel parcè admodum permiſſo uſu carnium, etiam eupeptarum, ut pullorum aut gallinarum juniorum. Tandem curandum ut æger venere, exercitio, animi contentione, ac præſertim vino abſtineat, ac largo ptiſanæ potu utatur, ut Mercurii guttulæ & liberiùs cum ſanguine circulante commiſceantur, & in lentorem limphæ à morboſo ſeminio inductum efficaciùs arietent.

II. Hactenus de priore methodo. Quòd ſi altera ægrotanti magis arrideat, ut qui à negotiis tandiù abeſſe non poſſit, aut ſi dùm Medicus advocatur, bubonis materies jam ad ſuppurationem ita proximè inclinet, ut eò deducenda ſit, poterit ea poſterior methodus ſequenti proceſſu adminiſtrari. Methodus poſterior, quæ ſuppuratione obtinetur.

1°. Præmittentur univerſaliora, venæ ſectio ſcilicet & purgatio, cum iiſdem cautionibus, quas ſuprà propoſuimus.

2°. Adhibebuntur inde totâ curatione præparata Mercurialia, quæ purgandi facultatis expertia ſint, minori quidem doſi & intervallis longioribus quàm in præcedente methodo, ſed tamen doſi quæ ſufficiat ad virus venereum profligandum. Quòd ſi verò ptyaliſmus inde forſan immineret, cathartico cautè averruncandus eſſet, ut ſuprà dictum eſt.

3°. Topica ſimul buboni applicabuntur, quibus tumoris materia emolleſcat & ad ſuppurationem perducatur, in quem finem conferunt ſequentia cataplaſmata.

℞. *Cæpæ coctæ ſub cineribus* ℥ ij.
Saponis nigri
Et unguenti diachylon. cum gummi ana ℥ j ß.
Baſiliconis ℥ j.
Conterantur omnia in mortario marmoreo ad formam pultis. F. Cataplaſma.

Vel

℞. *Radic. Althææ*,
Bryoniæ
Et Liliorum alborum ana ℥ j.
Incidantur omnia & coquantur.
Add. *Foliorum malv.*
Et branc. urſinæ ana *m.* j.

Coquantur omnia ad putrilaginem, contundantur in mortario & ſetacea trajiciantur;

Pulpæ trajectæ adde *fermenti veteris*

Et unguenti Baſilicon. ana ℥ ß. *aut* j.

Cæpam albam ſub cineribus coctam in mortario contuſam n. j.

Olei Liliorum q. ſ.

F. Cataplaſma parti admovendum & identidem renovandum.

4°. Cataplaſmatum loco poterunt admoveri emplaſtra maturantia, quæ parti adhærent & ideò commodiùs geſtantur. Inter hæc primas tenent Diachylum ſimplex; Diachylum cum gummi, cui nempe Galbanum, Ammoniacum, Sagapenum, Opopanax commiſta ſunt; Diachylum oleo Galbani & Ammoniaci dilutum; Diachylum cum anaticâ parte Saponis nigri; Pix navalis cum pice Burgundicâ æquatis partibus miſta &c.

5°. Licet certa ſe prodant latentis puris indicia, bubo præcipitantiùs non aperiendus, ſed expectandum aliquandiu, donec protractâ ſuppuratoriâ fermentatione potiſſima bubonis pars ſenſim computruerit, ut eâ ratione abſumptis ſponte callis bubonis curatio & citiùs & feliciùs perficiatur.

6°. Poteſt bubo ſuppuratus duplici ratione aperiri, vel ſcalpello vel cauterio potentiali: Si *priore*, bubo altè incidendus eſt; minor unicâ quidem plagâ, quæ inguinis plicaturam ſequatur; major verò geminâ ad angulos rectos & in crucis formam ductâ, cujus anguli forfice exſcindantur. Si *poſteriore*, appoſitâ tumori ope emplaſtri feneſtrati lapidum cauſticorum catenâ pro bubonis mole longâ & latâ, eſchara altè inurenda eſt, quæ ſi ad abſceſſum non penetraverit, vel novâ appoſitione cauteriorum promovebitur, vel quod ſupereſt, inciſione peragetur.

7°. Conſtat in aperiendo bubone cauteriorum uſum ſectioni plurimùm præſtare, tum quòd cauteria latiorem plagam inferant, unde interiora bubonis perſpicere & curare faciliùs licet; tum potiſſimùm quòd cauteria cathæreticâ facultate callos durioreſque glandularum partes abſumant, vel putrefaciant, unde ulceris ſuppuratio, deterſio & glutinatio feliciùs ſuccedunt.

8°. Educto pure aperti bubonis ſinus linteo carpto ſicco ſtatim replebitur, quo poſtridie detracto adhibebitur Digeſtivum vulgare ex Terebinthinâ cum ovi vitello & oleo hyperici, cui ſi ulceris ſordities ita poſtulet, admiſceri poterit Ægyptiacum, imò Tinctura Myrrhæ & Aloës. Demùm procedente ſuppuratione ulcus curabitur cum Balſamo Arcæi.

9°. Porrò ubi primùm phlogoſis ſuppuratione relaxabitur, ulceris cavum cautè explorandum eſt, & ſi qui lateant ſinus, ſectione vel aperiendi ſi liceat, vel ſaltem ita dilatandi, ut & detergi & curari commodè poſſint. Si qui verò calli ſuperſint, ut ferè ſemper ſolenne eſt, corroſivis ſenſim abſumendi, lapide ſcilicet cauteriali pulveris inſtar plumaceolis inſperſo, aut præcipitato Mercuriali rubro cum unguento baſilicone miſto.

10°. Tandem durior bubonis baſis iterato unguenti mercurialis illitu emollienda & relaxanda; carnis, quâ ulcus completur, firmitas concilianda uſu Balſami viridis Metenſium; ac ſi nimis luxuriaverit, carpto linteo tenuiore & ſicco, vel calcinato alumine reprimenda; demùm laxatis ac detumeſcentibus glandulis ulcus ad optatam coitionem deducendum.

11°. Cæterùm toto curationis hujuſce ſtadio æger à conſueto vivendi more cogitur minùs recedere quàm in præcedente methodo, niſi forſan ſuppurationis tempore febris invaſerit, cujus ratione neceſſe ſit ægro cibis interdici per dies aliquot. Nihilominùs tamen expedit ut vino, venere, exercitio, cibis ſalſis, piperatis, dyſpeptis aut ſucci pravi ſe abſtineat; imò aëri inclementiori ſeſe rarò & cautè offerat, præſertim quamdiù præparata Mercurialia internè adhibebuntur.

Reſolvuntur aliquot problemata.

Ex modò dictis haud arduum eſt ſequentia problemata reſolvere.

1. An bubones alibi ſubnaſcantur quàm in inguinibus?

1°. An bubones ulli venerei alibi ſubnaſcantur quàm in inguinibus? Conſtat enim experientiâ & in axillis, & in jugulo, & ad latera maxillæ inferioris venereos bubones aliquandò enaſci, vel ſaltem tumores *buboniformes*, bubonibus inguinalibus ſimillimos, qui eodem modo invadant, morem eumdem teneant, iiſdemque curentur remediis.

2. Cur alibi ſubnaſcantur?

2°. Quânam de causâ bubones venerei illis in locis aliquando enaſcantur? Nempe geminâ de causâ, ut de inguinalibus modò dictum eſt; 1°. Contagio venereo jam antiquo, quod in lue venereâ limpham inficit & inſpiſſat, unde facilis ejuſdem decubitus in has illaſve glandulas, ubi primum frigus externum, vel ictus, attritus, preſſuſve fortuitus idoneam dederint occaſionem. 2°. Contagio venereo recèns admiſſo, quod certis partibus exceptum in illas glandulas unà cum reduce limphâ circulatione traducitur. Sic nutrices, quæ ab alumno inficiuntur, bubones ſæpiùs habent vel in glandulis conglobatis mammarum baſi ſuppoſitis, quò primùm, vel in glandulis axillaribus, quò poſteà confluit limpha, quæ revehitur à papillis, in quas prima mali ſeminia inſinuantur ſuctu. Sic alumni, qui à nutrice contaminantur, aut amaſia, quæ à proco, procuſve qui ab amaſiâ columbando virus concipit, bubonibus obnoxii ſunt in maxillaribus vel jugularibus glandulis, quò convehitur limpha quæ redit à buccis, linguâ, gingivis, ac ore interno, in quæ prima penetrant contagii miaſmata, cum lacte vel cum ſalivâ permiſta.

3. Quâ ratione curentur bubones illi alibi oborti?

3°. Quomodo curentur bubones venerei iſtiuſmodi? Eâdem planè therapeiâ, quâ bubones ipſi inguinales, quibuſcum in omnibus ita conſentiunt, ut gutta guttæ ſimilior non ſit: Ideoque adhibitis venæ ſectionibus, purgationibus, inunctionibus mercurialibus, ad reſolutionem omni ope atque operâ adigendi, quæ ſi ex voto non ceſſerit, ad ſuppurationem deducendi, incidendi, detergendi, cicatrice obducendi ex artis legibus, quas ſuprà propoſuimus.

4. Num bubones venerei in internis glandulis enaſcantur?

4°. Num in internis glandulis limphaticis bubones venerei aliquando ſuccreſcant? Certè nec ipſe ullos obſervavi bubones venereos internè genitos, nec ullos unquam ab ullo obſervatos legiſſe memini; ſed pervulgatum eſt in Syphiliticis oboriri & tubercula dura ac ſkirrhodæa in pulmonibus, & infarctus duros ac ſkirrhodæos in glandulis Meſenterii, quæ ſi à bubonibus exitu fortè abludant, at verò cum iiſdem causâ conveniunt.

5. Quænam ſit diſcriminis illius ratio?

5°. Unde ea diſcriminis ratio, cùm è contrario ſeminium morbificum cum toto ſanguine, atque adeo totâ limphâ perinde confuſum in lue venereâ, parem ſimilemque labem ſingulis glandulis illaturum eſſe videatur? Ideò forſan quòd in internis glandulis limphaticis, cùm in locis la-

teant calore perpetuo æstuantibus, nativa limphæ liquiditas pertinaciùs foveatur, unde hærentia limphæ rarior, & si fortè accidat, minor, tardior, & ad resolutionem facilior, quàm in externis glandulis, quæ frigus experiri solent. Adde interiores glandulas ab ictu, attritu, pressu tutas esse, quibus è contrà vidimus limphæ decubitum non rarò promoveri in exteriores glandulas.

6. Utrum in cinædis bubones generentur, & si generantur, ubinam appareant?

6°. Denique utrùm in cinædis pathicisque bubones venerei generentur unquam usu veneris impuræ; & si eâ ratione generentur, ubinam tunc enasci soleant? Circa prius quidem, nec ipse vidi, nec ab aliis puto unquam visos esse bubones in cinædis, quos certò constiterit contagio usu impurissimæ veneris recèns contracto obortos fuisse. Neque enim existimo cinædos ullos dari, qui muliebria ita pati ament, ut virilia numquam omnino agant: Partes autem viri vel semel egisse satis est, ut jure ambigatur de primâ bubonis origine, si quis fortè posthac supervenerit.

Circa posterius verò, vix credo fore ut bubones in cinædis, si ab impurâ venere unquam proveniant, in glandulis inguinalibus generentur, quò limpha ab extremo recto anique confiniis vel nulla vel pauciſſima defertur; sed opinio est generandos esse in glandulis illis limphaticis, quæ in abdomine juxta aortæ descendentis bifurcationem adsident, in quas limpha convehitur ab illis partibus; & inde forsan efficitur ut bubones istiusmodi numquam vel rariſſimè producantur, quòd cùm illæ glandulæ lateant in abdomine, calor vicinarum partium, quo æstuant, limphæ inspissationi & hærentiæ repugnet, ut modò dictum est. Sed ne sibi ideo gratulentur, qui tam turpi parent nequitiæ, seu veriùs, infamiæ; siquidem præter morbos peculiares non paucos graviſſimosque, quos sibi flagitio pariunt & de quibus infrà *Cap.* 10. habent etiam & bubones proprios, abortivos quidem sed inguinalibus nihilo leviores, si non & pejores. Nempe iis accidit, ut limpha, quæ ab extremo recto anique confiniis regreditur, miasmatis à virulento semine exhalantibus inspissata glandulas limphaticas mole quidem parvas, numero verò multas, podici adsitas & in adipe sepultas, in quas primo passu illabitur, inflet, distendat, tumefaciat; unde gignitur species quædam bubonis annularis, quo podex circulariter cingitur cum calore, rubore, renitentiâ, ac dolore maximo, præsertim quoties alvus deponenda est; qui remediis iisdem eâdemque methodo curandus est, ac bubones venerei inguinales.

CAPUT VI.

De Morbis, qui Buboni malè curato superveniunt.

§. I. DE BUBONE FISTULOSO.

Bubonis fistulosi definitio.

Definitio & differentiæ. Bubo semel apertus, si negligatur, detersis & coalescentibus labris ac constricto orificio in fistulam degenerat, hoc est in ulcus sinuosum & callosum; hæc enim duo fistula essentialiter complectitur.

Multiplex est fistulæ istiusmodi differentia. Differentiæ.

1°. Ratione aperturæ, quæ modò latior est & ideò perpetuò hiat; modò angustior adeòque vel crustâ vel tenui pelliculâ interdum obducitur.

2°. Ratione sinuum qui intùs latent, latiorum vel angustiorum, plurium vel pauciorum, cutaneorum vel profundiorum, rectorum vel flexuosorum &c.

3°. Ratione humoris qui inde profluit, paucioris vel copiosioris; purulenti, sanioši vel simpliciter ichorosi.

4°. Demùm ratione callorum qui sinuum latera obsident, & magnitudine, numerò, duritie plurimùm variant.

Causæ. Potest quidem apertus bubo in ulcus sordidum, chironium, dysepulotum abire vitiosâ sanguinis dyscrasiâ, potissimùm verò seminii venerei in sanguine latentis præsentiâ, unde pus acrius suggeritur; in fistulam verò numquam, nisi supinâ Chirurgi inscitiâ multis modis peccatum sit. Causæ.

1°. Scilicet si bubonem suppuratum angustiore foramine imperitus aperuerit sive scapello sive cauterio. Inde enim educto pure cùm ulceris superstitis fundus nec oculis nec remediis satis obvius sit, facile non est aut ea quæ intùs geruntur perspicere, aut iisdem mederi: Quamobrem ulceris interiora sordida remanent, dum labra quæ remediorum viribus magis patent, meliùs deterśa ad coalitionem properant, unde fistulam generari necessum est.

2°. Si ulcus, utcumque latâ plagâ aperuerit, ad cicatricem citiùs tendere incautus permittat, nondùm perfectè suppuratâ glandulâ quæ exulceratur, vel infimâ saltem ejusdem portione, quæ ulceris centrum occupat; variisque membranis quibuscum adhæresćit, & quæ sunt instar pediculi, suppuratione nondum delapsis. Experientiâ siquidem notum est nec ulcus perfectè unquam curari, nisi fundus probè detergatur; nec fundum probè unquam detergi, quandiù suppuratæ glandulæ frustulum quodvis, aut adhæresćentium membranarum lacinia intùs remanserint, suppuratione nondum decidua.

3°. Si malè providus non advertat pus ex suppuratâ alterâ viciniore glandulâ, aut ex interjectâ inter viciniores glandulas intercapedine in ulceris fundum latenter instillari, cui jugi puris scaturigini nisi citò occurratur dilatatâ viâ scapello vel cauterio, perfecta ulceris coalitio numquam speranda est, utcumque labra ad cicatricem tendere videantur, sed ulcus in fistulam necessariò desiturum est.

Symptomata. Qualicumque ex propositis modo Chirurgus peccaverit, sequitur inde 1°. Fundum ulcerati bubonis, si remediis non detergatur, si putridis glandulæ aut membranarum laciniis obsideatur, si pure jugiter illabente madeat, nec mundificari, nec probâ carne repleri, nec ad coitionem properare posse, sed chroniâ exulceratione indesinente erosum in cavitatem vacuam, majorem minoremve abiturum esse. Symptomata. 1. Ulcus Chironium.

2°. Labra verò ulceris, quæ cùm remediorum energiæ obvia & cæteris vitiis immunia sint, perfectè elui, detergi, succresćente carne augeri possunt, ulceris oram mutuo accessu ita sensim coarctatura, ut aditus in cavitatem pateat exiguus, qui magis minùsve hiulcus vel perpetuò pervius sit, vel identidem crustâ aut pelliculâ obducatur. 2. Quod nullâ vel parùm firmâ cicatrice obducitur.

3. Sed callis multis cingitur.

3°. Interea pus ulceris cavo coercitum adjectas partes latenter impeti-turum, & earumdem ſtamina comprimendo, fibras diſtendendo, circumfluam limpham inſpiſſando, duriuſculos callos brevi circumquaque generaturum, qui numero, mole, duritie variè variant pro diversâ puris energiâ, fibrillarum eroſarum firmitate & denſitate, aut circulantis limphæ ſpiſſitudine.

4. Et ſinus agit quaquaversùm.

4°. Imò verò, ſi diutiùs retineatur & naturâ acrius ſit, promotâ ſenſim eroſione cuniculos novos in varia loca ſibi brevi cuſurum, numero quidem plures paucioreſve & amplitudine latiores vel anguſtiores pro acrimoniæ gradu; rectos verò vel flexuoſos, profundos vel cutaneos prout objectæ partes puris efficaciam magis vel minùs retundunt, aut eidem variè reluctantur.

5. Humoremque profundit ichoroſum vel ſanioſum.

5°. Cæterùm humorem inde profluxurum naturâ varium; ichoroſum quidem, ſi limpha ſola ex eroſis limphaticis ductibus depluat; ſanioſum, ſi cum limphâ ſanguis è vaſis ſanguiferis ſauciatis in cavum fiſtulæ inſtilletur; purulentum, ſi morâ limpha & ſanguis puris formam adipiſcantur; demùm copioſum vel paucum, pro diversâ humoris confluentis copiâ.

Diagnoſis

Diagnoſis. Fiſtulæ, in quam bubo ulceratus degeneravit, præſentia & ſtatus oculis patent; ſinus quos recondit, ſpecillo explorantur; calli tactu dignoſcuntur; cauſæ demùm ex notâ antecedente bubonis therapeiâ facilè eruuntur.

Prognoſis.

Prognoſis. Fiſtula in inguine ex bubone orta gravis eſt, neque unquam contemnenda, cùm plerumque luem veneream ſupponat, à quâ inducatur aut foveatur; & ex ſe curationem Chirurgicam ſemper exigat, longam, difficilem, laborioſam.

Imò verò periculoſa eſt 1°. Si ſinus habeat, qui ad vaſa cruralia aut majores illorum ramos altiùs penetrent. 2°. Si callorum, quos recondit, nonnulli acutè doleant & ad carcinomatis naturam accedant.

Curatio.

Curatio. Si certis, imò ſi urgentibus tantùm indiciis, qualia infrà proponemus, *Lib.* 4. *cap.* 4. locus ſit conjiciendi fiſtulam, in quam bubo ulceratus degeneravit, conjungi cum lue venereâ quâ foveatur, curationi fiſtulæ hydrargyroſis præmittenda eſt methodo inferiùs tradendâ eodem libro *Capite* 7. Neque enim ſpes ulla eſt futurum ut effectus perfectè unquam curetur, niſi ſublatâ priùs cauſâ. Deinde ſub ptyaliſmi finem, cùm ſanguis jam purgatus fuerit, fiſtulæ ex arte curandæ providebitur, ut eo pacto luis venereæ & fiſtulæ curatio pari paſſu procedat, & ad optatum finem ſimul perducatur.

Si verò liqueat è contrà bubonem in fiſtulam degeneraſſe ſolâ Chirurgi imperitiâ, nec ulla latentis ſyphilidis ſuſpicio ſit, tunc modò tempeſtatis ratio permittat, ad fiſtulæ curationem depoſitâ dilatione quâcumque properandum eſt ſequenti methodo.

1°. Æger quidem ad curationem præparabitur non modò auxiliis univerſalioribus, venæ ſectione ſcilicet & purgatione, pro ægrotantium temperie & viribus, morbique naturâ rariùs ſæpiùſve iteratis; verùm etiam juſculis diluentibus & refrigerantibus ex pullo gallinaceo juniore aut carne vitulinâ cum radicibus & herbis convenientibus; ſero lactis chalybeato; lacte aſinino aut vaccino; imò ſi tempeſtivitas ſuadeat, balneatione in aquâ

aquâ dulci tepidâ, aut potatione aquarum mineralium acidularum.

2°. Dein exploratis priùs numero, longitudine, directione ſinuum, qui cum fiſtulæ oſtio communicant, ſingulorum apertio inſtituenda erit; ac quidem, ſi cutanei & parùm calloſi ſint, uti licebit ſcalpello vel forfice, quorum introductio ſpecillo ſulcato dirigetur; labraque hinc & inde pendula forfice cautè exſcindenda, ut ſinuum fundus detegatur; & deinde ut ſolenne eſt, plaga ſtatim replebitur ad ſiſtendum ſanguinem carpto linamento, quo poſtridie levi manu detracto ulcus digeſtivo ſimplici aliquandiù, ac poſteà Balſamo Arcæi curabitur.

3°. At verò ſi ſinus profundiores fuerint aut nimiùm calloſi, ſatius erit cauterio viam ſibi facere, ut jam monuimus *præcedenti Capite*. Itaque appoſito fiſtulæ emplaſtro quolibet ita feneſtrato, ut potiſſima ſinuum pars emplaſtri foramini ſeu feneſtræ ſubjaceat, lapidum cauſticorum catena ſuperimponetur, ut eſchara altè inuratur: Quæ ſi ad ſinus uſque non penetraverit, inciſæ ad vivum eſcharæ lapides alii indentur, vel quod brevius eſt, ferro diſcindetur ſemi-putris intercapedo, quâ ſinuum receſſus conteguntur.

4°. Dein eſcharæ lapſus quàm ocyſſimè promovebitur emollientibus & relaxantibus, ut butyro, vitello ovi ſolo, vel cum oleo hyperici, aut baſilicone, aut terebinthinâ conquaſſato & linamentis excepto, lapsâque eſcharâ ulcus cum digeſtivo vulgari curabitur, donec ſuppuratio parcior Balſami Arcæi uſum ſuadeat vel permittat.

5°. Relaxatis ſemel ſuppuratione tùm labris tùm confiniis ulceris, omnia diligenter tactu, oculis, ſpecillo exploranda ſunt, nùm alicubi lateat ſinus, calluſve gravior ſuperſit, quibus mederi neceſſum ſit, priùſquam ulcus ad cicatricem coire permittatur, ne error noviſſimus pejor eſſet priore, alteraque fiſtula inde denuò ſoboleſceret.

6°. Igitur ſi ſinus quiſpiam detergatur, ſed in parte quæ ſectionem permittat ſine periculo, totâ longitudine ſtatim incidendus, ſi liceat; vel ſaltem ejuſdem oſtium intruſo eſcharotico ita ampliandum, ut fundus jam obvius liberè detergi, & intruſis medicaminibus perfectè curari poſſit.

7°. Verùm ſi ſinus ad vaſa cruralia vel majorem eorumdem ramum tam propè accedat, ut inciſio periculo vix careat, cathæreticis ſolùm utendum erit, & blandioribus quidem, quæ moderatè agant & os ſinûs roſione ita gradariâ dilatent, ut de eorumdem effectu judicium ferre quotidie liceat; imò etiam cautè attendendum erit, ut cathæretica ad eam tantùm ſinûs oram admoveantur, quæ à cruralibus vaſis longiùs diſiterit, & quæ eorumdem efficaciæ poſſit tutiùs objici.

8°. Si duriores calli ſuppurationem eluſerint, cathæreticis ſenſim abſumendi, lapide ſcilicet infernali, lapide cauſtico vulgari, aut præcipitato rubro cum unguento admiſto, quorum ut efficacior ſit virus, conducit callos ſummo ſcalpelli apice levibus puncturis ſcarificare.

9°. Sinubus ſemel glutinatis, callis abſumptis & ſuppuratis, ſi ſuccreſcens caro firma, denſa, granoſa, roſea ſit, ulcus ad cicatricem deducendum, cui fini conducunt epulotica, quæ ulceris ſuperficiem exſiccando cicatricem inducunt, ut balſamum viride; pompholyx, plumbum uſtum, ceruſſa; parata ex iiſdem emplaſtra; linamentum carptum ſiccum;

alumen uſtum &c. aut colletica, quæ tenui glutine cicatricis rudimenta, donec firmentur, ab aëris erodentis attactu tutantur, inter quæ primas tenent terebinthina pulverata poſtquam coctione induruit, ſarcocolla, thus ſive olibanum, myrrha &c.

10°. Demùm ab ipſo curationis principio diæta conveniens ægrotanti imperanda, tenuis quidem ex offis, panatellis, cremoribus orizæ, & ad ſummum carne pullorum gallinaceorum, cùm omnia pro votis maximè ſuccedunt; tenuiſſima verò & ex juſculis tantùm levioribus, ſi febris invadat, ſi ſuppuratio copioſa & fœtida ſit; ſi ulceris oræ inflammentur; ſi caro mollior & fungoſa luxuriet &c.

§. II. DE BUBONE SKIRRHODE.

Bubonis skirrhodis deſcriptio.

Deſcriptio & differentiæ. Accidit aliquando ut bubo venereus elusâ remediorum omnium efficaciâ nec reſolvatur nec ſuppuretur, ſed totus vel ferè totus arctiùs ſenſim conſtringatur, denſetur, indureſcat, ac in skirrhum propriè dictum, durum, renitentem convertatur, quæ de bubone œdematode, & skirrhode potiſſimùm vera ſunt.

Differentiæ.

Geniti eo modo skirrhi differunt 1°. Ratione figuræ & molis, circa quas plurimùm variant.

2°. Ratione numeri ſitûſque glandularum, quibus inſident; alii enim unam tantùm, & *conglobati*; alii verò plures vel racematim vel catenatim diſpoſitas, occupant, & racematim vel catenatim *congeſti* dicuntur.

3°. Ratione mobilitatis, cùm alii quidem ſubjectæ parti laxiùs cohæreant, hac & illac mobiles; alii verò ita immediatè adnaſcantur, ut nullomodo inde dimoveri poſſint.

4°. Denique ratione ſensûs, cùm alii indolentes ſint & verè *skirrhodes*; alii verò dolorem obtuſum inferant, & ad *carcinomatoden* naturam proximè degenerent.

Cauſæ.

Cauſæ. Ideò bubo in skirrhum convertitur, quòd limpha in veſiculis ſive cellulis glandularum inguinalium hærens ſpiſſatur prætermodùm, unde partibus conſtipatis & ad intimiorem contactum ſenſim adductis duritiem veluti caſeoſam adipiſcitur. Limpha verò in hunc modum ſpiſſatur multiplici de causâ.

1°. Vitiosâ craſſitudine, quâ naturâ peccat, unde fit ut inde à ſuſcepto venereo contagio tantò magis cæteris paribus ſpiſſeſcat.

2°. Nimiâ ſuſcepti veneni venerei copiâ vel energiâ, unde fit ut cæteris paribus limpham, cui inſpiratur, tantò magis coagulet.

3°. Utrâque memoratâ causâ ſimul concurrente, unde fit ut limpha naturâ craſſior à contagio & nimio & efficaciore in compoſitâ utriuſque cauſæ ratione coaguletur.

4°. Uſu præpoſtero topicorum repercutientium, qualia incipienti buboni interdùm applicantur, ut reprimatur, ſed peſſimo conſilio; cùm auctâ limphæ ſpiſſitudine inde skirrhodes fiat bubo, qui ſponte reſolubilis fuiſſet.

5°. Abuſu topicorum reſolventium aut maturantium, quæ ſi liquefaciendæ limphæ hærenti imparia ſint, augent ex accidente ejuſdem craſſi-

tudinem, quatenus diſſipant quodcumque tenuius liquidiuſve inerat.

6°. Tandem abuſu topicorum acriorum, ut ſunt cataplaſmata maturantia, quibus ſemen ſinapi contuſum admiſcetur, quæ irritando ſyſtalticas glanduloſi contextûs conſtrictiones cient, utiles quidem, ſi materia impacta ductilis fuerit & ad reſolutionem comparata; noxias verò ſi durior ſit & expreſſioni reluctetur, quandoquidem vi excluſis tenuioribus partibus craſſamentum, quod ſupererit, in duriorem maſſam coiturum eſt.

Symptomata. Inde liquet pro diversâ limphæ in diverſas inguinum glandulas appellentis naturâ, indole, contagione, vel pro diversâ diverſarum earumdem glandularum laxitate, texturâ, permeabilitate, modò unam tantùm glandulam, mole, figurâ variam affici, unde bubo ac proinde ſkirrhus *conglobatus* mole & figurâ varius; modò plures ſimul racematim vel catenatim diſpoſitas, unde bubo ac proinde ſkirrhus racematim vel catenatim *congeſtus*. Symptomata. 1. Bubo ſkirrhodes conglobatus vel congeſtus.

2°. Pro diverſo glandis infarctæ ſitu magis vel minùs profundo, aut pro diversâ tendinearum fibrarum vel membranarum, quibus glandula cum confiniis adhæreſcit, longitudine & mollitie, bubonem atque adeò ſkirrhum inde natum modò liberè mobilem vacillare, modò contrà ſtabilem cum ſubjectâ parte conglutinari. 2. Mobilis vel adhærens.

3°. Prout limpha in glandulis hærens vel quieta eſt & ſine motu, vel causâ multiplici infrà recenſendâ, §. *ſequente*, rareſcit & expanditur, concludentes glandularum membranas modò immotas permanere, unde tumor verè indolens & perfectè *ſkirrhodes*; modò dolorificè diſtrahi, unde tumor incipit obſcurè dolere atque adeò in *carcinoma* degener eſſe. 3. Indolens vel lancinans.

4°. Demùm in priore quidem caſu, in quo ſanguis & limpha vel vaſa ſua ſenſim jam dilataverunt, vel vias novas in collateralia vaſa ſibi jam fecerunt; cùm ab immotâ indolentis ſkirrhi materiâ nulla nova inferatur vaſis compreſſio, nihil inde quidquam mutari penes colorem & calorem partis, aut limphæ decubitum; in poſteriore verò hæc eadem ſecùs ſe habere, ut infrà videbitur §. *ſequente*. 4. Calens & rubens, vel caloris & ruboris expers.

Diagnoſis. Skirrhi inguinalis tùm præſentia, tùm differentiæ in quas diſtinguitur, oculis & digitis obviæ ſunt: Cauſæ verò quibus productus fuerit, ex præcedente ætiologiâ colligi poſſunt. Diagnoſis.

Prognoſis ſemper mala inſtituenda eſt, cùm bubonem in skirrhum mutatum haud facile ſit vel reſolutione vel ſuppuratione diſſipare. Prognoſis.

Peſſima autem, ſi dolere incipiat, cùm inde manifeſtum ſit ad carcinomatoden naturam ſenſim deſciſcere.

Curatio. Difficillimum eſt, ut modò diximus, bubonem ſkirrhoden reſolvere vel ſuppurare. Suadent quidem nonnulli cucurbitam ſiccam buboni quotidie applicandam eſſe per horæ quadrantem, ut confluxu ſanguinis impacta in ſkirrho materia calefiat, & topicorum reſolventium vel ſuppurantium energiæ faciliùs deinde pareat. Sed docuit experientia eam methodum ferè ſemper fruſtraneam eſſe, imò non rarò periculoſam, cùm ſkirrhus à confluente ſanguine frequentiùs incaleſcens tandem in carcinoma ſæpè degeneret. Curatio.

Alii verò volunt ſkirrhoden glandulam cathæreticis pedetentim abſumendam eſſe, ſi reſolventium & maturantium efficaciam eludat, vel in-

cisâ cute ferro extirpandam. Sed numquam ſuaſerim longas, difficiles, periculi plenas operationes iſtiuſmodi, quandiù ſkirrhus indolens nullam noxam infert: Quod de cathæreticis præſertim dictum volo, quorum uſu præpoſtero ſkirrhus in carcinoma ſæpè convertitur.

Itaque ſatius eſt ad hydrargyroſim confugere, à quâ feliciorem ſucceſſum licet expectare. Partes enim Mercurii, quæ eo pacto in ſanguinem infunduntur, cùm efficaciſſimæ ſint cùm ad attenuandam & diſſolvendam hærentem limpham, tùm ad corrigendas ſeminii venerei particulas, quæ limpham coagulant, poſſunt feliciùs quàm ullum aliud remedium, ſkirrhoden bubonem ſenſim reſolvere, ut qui limphâ viſcidiore & contagio venereo nimiùm ſpiſſatâ producatur.

At verò in adhibendâ hydrargyroſi duo cautè notanda. 1°. Ut æger diuturno diluentium & relaxantium uſu præparetur, tùm univerſalium, tùm particularium; univerſalium quidem, quæ ſanguinem & limpham temperent & liquefaciant, ut à Mercurii partibus faciliùs poſſint comminui & extenuari: Particularium verò ſive topicorum, quæ bubonis contextum emolliant & relaxent, ut limphæ hærenti magis permeabilis fiat.

Priori indicationi conducunt balnea in aquâ fluviatili tepidâ; juſcula aut apozemata refrigerantia; ſerum lactis chalybeatum; lac aſininum; aquæ minerales acidulæ ſive chalybeatæ; &c. Poſteriori verò ſatisfaciunt cataplaſmata de micâ panis, aut ex pulpâ radicum & herbarum emollientium; vel emplaſtra de mucilaginibus, aut ſpermate ceti, quibus diù inſiſtendum eſt.

2°. Ut hydrargyroſis lento paſſu procedat, hoceſt ut pauca unguenti mercurialis doſis illinatur quâlibet frictione; ut frictiones fiant raris intervallis; ut protractis frictionibus Mercurius cum ſanguine confuſus diù retineatur &c. eo ſcilicet fine ut Mercurii partes cum ſanguine diutiùs circulantes, limpham quæ in glandulis inguinalibus hæret impacta, poſſint efficaciùs diſſolvere, & perfectam bubonis ſkirrhodis reſolutionem procurare.

Hac methodo certum eſt inguinales ſkirrhos, quì buboni prægreſſo ſuccedunt, ſi perfectè non reſolvantur, quod rariſſimum eſt, ſaltem ita imminui, ut tumor ſuperſtes amygdalæ aut avellanæ molem vix æquet. Noluerim tamen certum & indubitatum effectum ſemper polliceri, quoniam novi skirrhodes bubones ita rebelles interdum eſſe, ut hydrargyroſi ſummâ etiam cautione adhibitæ pertinaciter reſiſtant.

Quòd ſi hæc accidant, modò bubo lapideam duritiem nondùm adeptus ſit, nec ad cancrum occultum propendeat, proderit Thermas Baregianas adire, ut embrochen ſuper bubonem iterando, inguen morboſum ſtillicidio aquæ fluentis ſupponendo, demùm tumori limum, qui in aquæ fundo colligitur, apponendo quotidie, coagulata limpha ſenſim liquefiat & tandem reſolvatur. Neque enim uſquam alibi Thermas ullas novi, quæ vel leniùs agant, vel glandularum infarctus efficaciùs diſcutiant.

Cauto tamen opus eſt, ac ſi bubo inde rareſcere, calefieri, dolere incipiat, Thermarum uſu æger ſtatim abſtineat, ne skirrhus in carcinoma degeneret. Tunc igitur miſſis remediis omnibus res tota naturæ viribus committenda eſt, convenientem diætam imperando, & tumori emplaſ-

trum imponendo ex æqualibus partibus emplaſtrorum diabotani & de mucilaginibus.

§. III. DE BUBONE CARCINOMATODE.

Deſcriptio & differentiæ. Bubo skirrhodes, dùm in carcinomatoden degenerat. Fubonis carcinomatodis deſcriptio.

1°. Incaleſcit, obſcurè dolet ſi prematur, intumeſcit, duriùs renititur, identidem lancinat, ratò tamen; & tunc *carcinoma incipiens* appellatur.

2°. Inde magis calet, dolet, tumet, renititur; frequentiùs & acutiùs lancinat, mutatâ figurâ in apicem faſtigiatur, quem cutis tenſa, lævis, lucens, ſubrubra obtegit; & tunc *carcinoma confirmatum* quidem, ſed *occultum* dicitur.

3°. Demùm faſtigiatus apex diſciſsâ cute in ulcus dehiſcit, unde ſanguis, ichor, ſanies ſtillatim manant; ulcus incipiens tacito progreſſu ſenſim ampliatur; cancroſa materia expanditur & extumet; ulceris oræ inverſuntur & extrorsùm replicantur; caro ſuccreſcit fungoſa, tabe diffluens; ichor, ſanguis ſanies ubertim profluunt; dolor atrox, urens, lancinans diſcruciat; tumoris confinia livent, uno verbo *carcinoma confirmatum & exulceratum* eſt.

Cæterùm ut de skirrho dictum eſt, ſic quoque carcinoma mobilitatis ratione variat; nam modò vacillat & in ſede mobile eſt, modò contrà ſtabile ſubjectis partibus firmiter adhæreſcit. Cauſæ.

Cauſæ. Carcinomatis ætiologia hoc unico principio hactenùs ignoto, attamen veriſſimo tota nititur, nimirùm limpham in skirrho impactam rareſcibilem eſſe ſi calefiat, conceptoque ſemel fervore ad expanſionem inſito elaterio niti momento tantò majore, quantò magis denſata & conſtipata fuerit. Id ſanè vel ex eo abundè demonſtratur, quòd skirrhodes tumor, cùm in carcinoma incipit degenerare, intumeſcat citra tamen ſuppurationem ullam; quòd creſcente intumeſcentiâ skirrhi pars ſive angulus in apicem faſtigietur; denique quòd diſruptâ ſemel cute cancroſa materia, quæ intùs latet, ubi primùm liberior expanſioni locus datur extumeſcens & veluti exundans ulcus incœptum ſenſim diducat, & dum ſeſe magis magiſque effert, ulceris margines circumquaque extrorsùm invertat.

Inde ſequitur præternaturalem calorem, quem materia in skirrho impacta concipit, proximam eſſe cauſam, quâ skirrhus in carcinoma convertatur. Conſtat autem calorem hujuſcemodi à skirrhosâ materiâ concipi.

1°. Quotieſcunque ſanguis juxtà fluens fervidior ipſe eſt febre ardente aut diuturnâ; diætâ acriore, ſalsâ, piperatâ; abuſu vini meracioris aut liquorum ardentium; venere, exercitatione, vigiliâ immoderatis.

2°. Quotieſcunque ſanguis, licet calore non æſtuet, nimiâ tamen copiâ cogitur hærere in skirrhi confiniis, ut accidit ex frequenti cucurbitularum applicatione, aut skirrhi contuſione, contrectatione, compreſſione &c.

3°. Demùm quotieſcunque tumor skirrhodes prætermodùm calefit ad-

motis topicis actu vel potentiâ calidioribus; præpostera aquarum thermalium embroche; imprudenti abusu escharoticorum &c.

Debent ergo hæc omnia inter remotas sive procatarcticas carcinomatis causas singula recenseri.

Symptomata. 1. Renitentia major. 2. Dolor. 3. Lancinatio. 4. Quæ singula ingravescunt in dies. 5. Apex fastigiatus. 6. Rubor in summo apice. 7. Exulceratio. 8. Suppuratio anomala. 9 Labra ulceris replicantur. 10. Et venæ circum

Symptomata. Ideo ex dictis skirrhus incipit in carcinoma mutari, quòd contenta materia ferveat & rarescat. Debet ergo skirrhus in carcinoma degenerans paulò magis calere, tumere, reniti.

2°. Tumet materia in skirrho degenere. Debent ergo concludentes cellulæ & externa glandulæ skirrhosæ involucra fortiùs inde distrahi, atque idcirco dolere.

3°. Materia eadem validiore nisu identidem rarescens ab externâ causâ qualicumque vasa juxtà repentia fortiùs comprimit. Debent ergo arteriæ retento sanguine magis turgidæ fortiùs inde oscillare, parteşque appositas quatere vehementiùs, unde dolor lancinans.

4°. Quâ proportione in skirrho degenere materia gradario augmento magis fervet & impensiùs rarescit, proportione eâdem debent calor, dolor, tumor, renitentia, lancinatio magis & magis in dies invalescere.

5°. Cùm skirrhosa materia non sit perfectè homogenea & uniformis, sed in variis tumoris cellulis ad expansionem magis minùsve comparata; pari modo cùm nec ipsæ cellulæ, quibus concluditur, expansivo nisui æqualiter resistant, sed momento vario & inæquali pro diverso contextûs modo, debet una aut altera skirrhi degeneris pars alterutrâ vel utrâque causâ extumere præ cæteris, & mutatâ figurâ in apicem fastigiatum sensim protuberare.

6°. Quò magis unus aut alter tumoris degeneris angulus in apicem fastigiatur, eò magis necessum est superextensam cutem distrahi, tendi & explicari. Debet ergo summus apex tensâ, lævi, lucente, tenui cute obtegi; imò & subrubrâ, quoniam sanguis vasa ejusdem nimiùm distracta difficiliùs permeat.

7°. Cutis distractione nimiâ attenuata discinditur cum subjectâ materiâ degenere. Inde ulcus parvum & superficiarium, sed quod causarum earumdem efficaciâ sensim crescit & dilatatur. Sic in malo granato, vel momordicæ pomo, cùm matura sunt, vel leviſſima sciſſura solet sponte in ampliorem dehiscere solo involucrorum elaterio.

8°. Manat ex ulcerato carcinomate sanguis, si majora vasa sanguifera discindantur: Limpha sive ichor, si illæsis sanguineis vasa limphatica tantùm disrumpantur: Purulenta materia, si fungosa caro, quæ ulceris superficiem obducit, computrescat: Demùm sanies sive limpha sanguine & pure inquinata, si memoratæ conditiones unà simul concurrant: Numquam tamen pus verum, sincerum, laudabile, cùm skirrhosa materia tum propter naturam limphaticam, tum propter spissitudinem nimiam perfectæ suppurationi impar sit.

9°. Crescente cancrosæ materiei expansione, cùm cutis circumferentia non possit pari ratione extendi, consequens est ut ulceris labra extrorsùm revolvantur & contorqueantur fœdissimo spectaculo.

10°. Tandem compressis circumquaque venis, sanguis non modò hæret in tumoris confiniis, sed depositò ob moram rubore nativo nigriorem co-

lorem contrahit, unde liventes ac varicosæ vasorum propagines, quibus carcinoma cingitur. circà varicosæ tument.

Diagnosis. Natura, status, differentiæ bubonis carcinomatodis facilè patent ex descriptione. Causæ verò erui possunt ex antecedente vivendi more. Diagnosis.

Prognosis. Bubo carcinomatodes morbus est gravis & periculosus, qui rarò curatur, nec unquam nisi ferro & igne : Duro enim nodo durus cuneus apponendus est. Prognosis.

Si bubo subjectis partibus stabiliter adhæreat, cùm neque ferro neque cathæreticis radicitùs extirpari possit, planè incurabilis est, & mitigationem tantùm seu *palliationem* admittit.

Si verò mobilis sit & à subjectis partibus sejunctus, potest perfectè curari extirpatione, modò à cruralibus vasis satis distiterit, ut operatio sine periculo possit institui.

In genere bubo carcinomatodes major minore, acutiùs dolens dolente obtusiùs, exulceratus occulto gravior est.

Curatio. Varia est, ut modò diximus, pro diverso tumoris statu; *curatoria* scilicet si mobilis, *palliativa* tantùm si stabilis sit. Therapeia curatoria.

I. In priore casu hæc præsens urget indicatio, ut tumor cancrosus celerrimè excindatur, ne viciniores partes in consortium trahat, aut mole auctus subjectæ parti stabiliter agglutinetur.

Itaque 1°. Æger, ut jam sæpè dictum est, ad operationem statim præparandus universalioribus remediis, venæ sectione scilicet & purgatione; jusculis aut apozematis alterantibus; lacte asinino, vaccino, aut sero lactis; aquis mineralibus; balneatione &c. quæ pro ægrotantis constitutione, statu, ætate annique tempestate variè variare debent. Imò etiam hydrargyrosis præmittenda est, si qua sit latentis syphilidis suspicio, ut sæpè accidit.

2°. Deinde, si nonnulli audiantur, utendum cathæreticis, potissimùm verò diversis Arsenici præparationibus, correctionibus, calcinationibus, quibus asserunt glandulam cancrosam totam, ut aiunt, *mortificari*, & sponte decidere, dum avellitur. Eâ de re consulendi Fallopius, *Tr. Statu de Tumoribus præter naturam*; Sennertus, *Operum Lib.* 4. *parte* 3. *sect.* 1. *cap.* 7. de Pulvere benedicto Antonii Fuchsii; Joannes Vigierius *in Chirurgiâ magnâ*; Petrus Joannes Faber *in Myrothecio Spagyrico*, de quintâ essentiâ Arsenici; Joannes Baptista Alliot, *Tract. de Cancro.* &c.

3°. Sed eam methodum, quamquam forsan manu parcissimâ in parvis & cutaneis glandulis tentari possit, periculosam tamen censemus & parùm tutam, si grandior aut profundior cancer curandus contigerit. 1°. Quia cathæretica magnâ dosi adhibita, irritando, lacessendo, rodendo, gravem inflammationem excitant cum febre, quæ numquam periculo vacant. 2°. Quia dolore acutiore, quem inferunt, viciniores partes, quæ sanæ erant, in cancri naturam mutant, unde crescit carcinoma & subjectis partibus adhæret, à quibus antè sejungebatur. 3°. Potissimùm tandem, quia numquam tutum crediderim usum Arsenici, quocunque modo præparetur, calcinetur, corrigatur. Notum est enim nec unicâ experientiâ, solo usu externo Arsenici mortem miseram ægrotantibus illatam esse. Quâ de re

vide Fernelium *Method. medendi Lib.* 16. *cap.* 18. ubi refert Arſenicum & Mercurium ſublimatum cancro mammæ impoſita mulierem diebus ſex de medio ſuſtuliſſe, perinde ac ſi eadem ore hauſta fuiſſent.

4°. Igitur ſatius eſt mobilem cancrum ferro exſcindere radicitùs celeri operatione: Scilicet glandula cancroſa digitis, ligaturâ, forcipe circulari aut volſellâ uncinatâ arrepta ſuſpenditur; inde cutis & tumoris baſis novaculâ ad dimidiam longitudinis partem linteo obvoluto armatâ circumquaque ſubtùs circumciditur, donec cancer totus radicitùs extirpetur, ſedulò cavendo ne quid reſiduum remaneat, quod cancroſæ indolis ſuſpectum eſſe videatur. Sanguinis fluxus vel ligaturâ, ſi vaſa unde manat ampliora ſint, vel ſolâ vitriolici fruſtuli applicatione reſtinguitur. Plaga linamento ſicco oppletur & manu aliquandiù comprimitur, donec ſanguis ſubſiſtat. Dein poſterâ tertiâve die poſtquàm linamentum deciderit, ſuperſtes ulcus digeſtivo vulgari, balſamo Arcæi, balſamo viridi ſucceſſivè curabitur, ut artis eſt, & ut feret uſus.

5°. Cæterùm in id unicè Chirurgum intendere neceſſum eſt, 1°. Ut ſi qua puſilla glandula cancroſa vel ad cancri naturam proxima lateat in confiniis, diligenter extirpetur; cancer enim hydra eſt, quæ ſemper reviviſcit, niſi capita omnia refecta ſint. 2°. Ut carnis optimæ regenerationi cautè provideatur, ulcus curando ſummâ diligentiâ, ne in fiſtulam degeneret, quod de cancroſis ulceribus nimiùm frequens eſt.

6°. Sanato demùm ulcere vel ad cicatricem properante, vitioſa ſanguinis diatheſis, quæ à cancro inducta eſt vel quæ cancrum ipſa fovebat, remediis corrigenda eſt, ne ſimili vitio novus cancer in parte alterâ repullulet. Ad hunc autem ſcopum faciet methodus modò proponenda ad *palliativam* cancri ſtabilis therapeiam: Quæcunque enim cancro mitigando conducunt, conducunt eadem cancro præcavendo.

Therapeia palliativa.

II. In caſu altero, nempe ſi cancroſus tumor vicinis partibus jam adhæſerit, neque adeò poſſit radicitùs ullâ ratione extirpari, ab operatione omni abſtinendum eſt tanquam inutili, imò noxiâ, *& palliativis* tantùm remediis inſiſtendum.

1°. Haud deſunt tamen, qui curationem perfectam etiam in eo caſu polliceantur uſu cathæreticorum, præſertim verò arſenicalium; ſed ægrotantes, ſi magnificis promiſſis iſtiuſmodi confidant, temerariæ credulitatis pœnas citò luent morte miſerâ & crudeliſſimâ. Neque enim ſperare licet utilem fore in ſtabili cancro therapeiam, quam noxiam eſſe in mobili modò demonſtravimus.

2°. Tunc ergo una ſalus ægris eſt nullam ſalutem ſperare, & miſsâ inani & periculosâ fiduciâ unicè providere, ut cancri augmentum præcaveatur; vitioſa ſanguinis diatheſis corrigatur, dolores, qui ægrum miſerrimè torquent, leniantur; demùm vita quàm diutiſſimè & quàm mitiſſimè procraſtinetur, in quibus procurandis therapeia palliativa tota verſatur.

3°. Eapropter æger identidem purgandus eſt, non quidem catharticis draſticis, ut nonnullis temerè videtur, ſed blandioribus, ut mannâ, caſſiâ, rhabarbaro, ſyrupo florum perſicorum &c. quæ congeſtam in primis viis cacochyliam & bilioſam amurcam leniter educant ſine graviore orgaſmo.

4°.

4°. Vena quoque in brachio alterutro identidem incidenda eſt, ſi dolor & calor ingraveſcant; eo ſiquidem modo depletis vaſis arteriæ tumori circumjectæ minùs turgebunt, atque adeo debiliùs oſcillando calorem doloremque minorem inferent.

5°. Ægrotanti interdicendum vino, venere, exercitatione nimiâ, animi pathematis vehementioribus, alimentis ſalſis, piperatis, acrioribus, & condimentis quibuſcumque; ac diæta imperanda eſt tenuis, humectans, temperans ex hordeaceis, avenaceis, orizâ, offâ, juſculis levioribus aut gelatinis, demùm ad ſummum pullis junioribus, gallinis, carne vitulinâ &c.

6°. Uſurpanda identidem juſcula vel apozemata refrigerantia & diluentia; aquæ chalybeatæ minerales è claſſe leviorum; balnea vel ſemicupia in aquâ dulci tepidâ; lac aſininum aut vaccinum; ſerum lactis &c. Imò quod præſtabilius eſt, lac vaccinum pro omni alimento vel continenter, vel frequentiſſimè ſaltem, & ne ventriculum gravet, poteſt doſi matutinæ lactis addi aqua ſecunda calcis ab ʒj. ad iij. vel decoctum amarum foliorum abſintii, centaurii, chamædryos &c. ad ʒ iij. iv. vel v. vel ante lactis hauſtum devorari quolibet mane bolus abſorbens ex coralliis rubris, oculis cancrorum, cortice Peruviano, lapide hæmatite, terrâ ſigillatâ, cretâ, aliiſve hujuſce generis, quæ ſingula ad ℈j. exhiberi poſſunt, ſi duo aut tria tantùm exhibeantur.

7°. Carcinomati, ſi occultum ſit, topica nulla remedia admovenda ſunt, nec calida, acria, reſolventia, quæ calefaciendo morbum aggravant; nec refrigerantia, anodyna, pinguia, demulcentia, quæ cutis poros obſtipando & inſenſilem diapnoem inhibendo tumoris calorem, atque adeo morbi progreſſum intendunt per accidens. Sufficit igitur cavere ne tumor frigore conſtringatur, aut humorem extrinſecus contrahat ab aëre humidiore, quod utrumque cavere haud difficile eſt ratione ſedis quam tumor occupat.

8°. Contrà ſi carcinoma exulceratum fuerit, tunc neceſſum eſt ulcus quotidie curare, linamento ſicco molliter extergere, decocto Agrimoniæ aut Geranii Robertiani eluere, & humoris defluentis ferociam retundere vel ſaltem mitigare topicis, quæ virtute anodynâ aut abſorbente polleant, modò oleoſa non ſint. Multigena in hunc finem laudantur remedia, ſed cæteris palmam videntur prærripere ſequentia: Nutritum ex ſucco ſolani hortenſis ſeu vulgaris, vulgò *Morelle*, recenter expreſſo, & ſaccharo vel potiùs Magiſterio Saturnino in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo agitando paratum; oleum ovorum recens in mortario plumbeo conquaſſatum donec nigreſcat; lamina plumbea attenuata vel ſola, vel Mercurio illita; caro cochlearum terreſtrium aut cancrorum fluviatilium elixa & ad putrilaginem in mortario plumbeo contrita; Talleolæ carnis vitulinæ calentis, catelli recèns nati per medium diſſecti, & calentes admoti; oleum è ranis viridibus per deſcenſum diſtillatum, addito exſiccatarum ranarum earumdem, bufonum, aut cancrorum fluviatilium pulvere; remedia omnia ex tuthiâ, pompholyge, Saturno &c.

9°. Debent narcotica, ut opium à gr. j. ad ij. vel iij. iiſdem remediis admiſceri, ſi dolor ſit nimius, acer, mordax, lancinans: Imò verò in-

ternè etiam uſurpari debitâ & conveniente doſi, ut inde dolor efficaciùs deliniatur, quod de cancro mobili, ſi acutè doleat, & de occulto dictum quoque volumus.

10°. Demùm oportet identidem blando cathæretico carnium fungoſarum, quæ ſuccreſcunt, luxuriem reprimere, ad quem ſcopum efficaciſſimum eſſe novimus balſamum, quod chalybis vulgò dicunt, & cujus conficiendi modum infrà proponemus ad calcem *Libri* 4. Unguentum enim ſive balſamum iſtiuſmodi rodendo abſumit carnes fungoſas, leniter tamen, quoniam ſpicula corroſiva ſpiritûs Nitri fermentatione attrita, chalybeatis partibus caſtrata, oleo olivarum irretita ſunt. Quin imò, ſi ita videatur, poteſt balſamum illud inſulſius inſulſiuſque fieri, atque adeo minùs minùſque corrodens, ſi repetitâ ſæpiùs ablutione acida ſpiritûs Nitri ſpicula diligentiùs eluantur.

CAPUT VII.

De Ulcuſculis cancroſis ſive carie pudendorum, vulgò Chancres.

§. I. DESCRIPTIO ET DIFFERENTIÆ.

Ulcuſculorum venereorum deſcriptio.

ULCUSCULA cancroſa ab impurâ venere, quæ pudendorum cariem conſtituunt, ſunt ulcera exigua, ſuperficiaria, parùm cava, rotunda, calloſa, contumacia, quæ ex venereo contagio in pudendis ſuccreſcunt ac frequenter repullulant.

Inſident in utroque ſexu variis genitalium locis; in viris quidem frequenter internæ præputii faciei, & dorſo vel lateralibus partibus balani; frequentiſſimè ejuſdem coronæ vel fræno; quandoque etiam extremo urethræ ductui qui per medium balanum extrorsùm porrigitur: In fœminis verò ſæpè internæ faciei labiorum vulvæ ſeu magnæ fiſſuræ; ſæpiſſimè clitoridi, clitoridis radici, præputio quo clitoris obtegitur, geminæ nympharum ſeu pterygiorum faciei, carunculis myrtiformibus, vaginæ; quin etiam quandoque extremæ urethræ juxta lacunas.

Initio levis extuberat papula miliaris vel miliarem parùm ſuperans, rubra, acuminata, calens, pruriens, cujus apex ſenſim albeſcit & complanatur, ac tandem levi aperturâ dehiſcit, unde ichoris quidpiam ejicitur. Continuatâ dein labrorum eroſione ulcus creſcit, dilatatur, excavatur; callis cingitur magis vel minùs duris denſatiſque; pure craſſo, viſcido, tenace ſcatet, & ſimilia ulcuſcula in vicinis partibus plerumque excitat.

Differentiæ.

Differunt invicem ulcuſcula iſtiuſmodi: 1°. Sede; alia enim ad balanum, ut ea quæ ejuſdem dorſum ſive convexitatem, vel quod frequentiùs, coronam; alia verò ad præputium, ut ea quæ internam ejuſdem faciem, aut extremum marginem; alia demùm ad utrumque pertinent, ut ea quæ frænum hinc vel inde occupant, quo præputium cum inferiore ſeu ſimâ balani parte connectitur.

2°. Numero; nam modò pauca ſunt & diſcreta, modò numeroſa &

confluentia; modò in unum ſimul collecta confertaque adjacent areatim diſpoſita; modò verò circulari ambitu vel balani coronam cingunt vel præputii radices obſident.

3°. Qualitate; nam alia ſunt benigniora, quæ rotunda, ſuperficiaria, parùm calloſa, in fundo albicant, pus laudabile ſuggerunt & labra habent nec rubra, nec extuberantia; alia contrà maligniora, quæ figurâ irregulari & angulosâ; cavitate nigrâ, liveſcente, atro-purpureâ; labris admodùm duris, calloſis, prominentibus, rubris, inflammatis conſpicua ſunt, ichoroſum quid fundunt potiùs quàm pus, & latiùs altiùſque ſerpunt.

4°. Demùm causâ; alia ſiquidem ſuperveniunt impuro concubitui ſine prævia ullâ labe, & proinde à contagio recèns admiſſo; alia verò ſine concubitu ullo ſuſpecto, ſaltem qui recens fuerit, à lue dudùm latente inferuntur, & proinde à contagio jam pridem accepto & inveterato dependent.

Præter modò deſcripta contingit & in aliis quibuſdam partibus ulcuſcula ejuſdem generis quandoque obſervari, ſi fortè per illas partes virus venereum admiſſum fuerit. Sic in catamitis, ſi cum ſyphiliticis conſueſcant, ani confinia tam internè quàm externè; ſic in nutricibus ſi lactent alumnum infectum, mammarum papillæ, & circulares areæ quæ papillas ambiunt; ſic in alumnis ſi ab impurâ nutrice lacteant, aut in procis ſi cum ſyphiliticâ amaſiâ columbent, labia, buccæ, gingivæ, lingua ulcuſculis defædantur cancroſis, quæ à contagio venereo ortum perinde ducunt, & quæ venerea genitalium ulcuſcula ita referunt, ut ovum ovo ſimilius non ſit.

Ulcuſcula in aliis locis quàm in pudendis aliquando enaſcuntur.

§. II. CAUSÆ.

In impuro concubitu non modò balanus præputiumque, quo balanus contegitur, ſed etiam penis totus, imò non rarò pubes ipſa ſolent in viris objici virulento humori, quem mulier infecta emittit dum venere colliqueſcit, vel quo ſordent illota muliebria. Nec diſpari quoque ratione non ſolùm vagina & vulva, & variæ illarum partium rugæ & caruncu-læ, ſed externa quoque pudendi facies; totumque interfœmineum ſolent in fœminis perfundi corrupto ſemine, quod vir ejaculatur, vel virulento pure, quod è cancroſis penis ulcuſculis manat. Verùm licet omnes genitalium partes communi offerantur periculo, conſtat tamen ſingulis parem inde labem nequaquam inferri. Ulcuſcula enim venerea, ut modò dicebamus, in viris balano quidem, balani coronæ, fræno & internæ præputii parti inſident, numquam verò externæ ejuſdem faciei aut reliquæ cuti, quâ penis veſtitur: In fœminis verò vaginæ quidem aut vulvæ interiora occupant, numquam verò pudendi exteriora. Hinc ergo conſequens eſt, latere quid in illis locis peculiare, unde virus quod à cæteris partibus lædendis abſtinet, poſſit in illas efficaciùs agere.

Ulcuſcula venerea certa loca pudendorum affectant.

Obviæ tantùm proſtant cauſæ duæ, à quibus diſcrimen deduci poſſit, ſitus nempe illarum partium, & peculiaris earumdem ſtructura.

I. Fit quidem ſitu, ut balani & interna præputii facies in viris; in fœminis verò vaginæ & vulvæ interiora ſemine virulento in concubitu magis madeſiant, eodem, niſi eluatur, diutiùs perfundantur poſt concu-

Non ratione ſitûs aut decli-

vitatis locorum illorum.

bitum ; & idcircò illius energiæ & efficaciæ inde magis pateant præ cæteris partibus. Sed hanc priorem cauſam , quamquam ad ulcuſcula in memoratis partibus frequentiùs producenda conferre valeat, ſolam tamen ſufficere minimè credimus , ut in illis tantùm locis producantur.

1°. Quòd cutis penis & externa præputii facies in viris ; externa verò pudendi labia & totum interfœmineum in mulieribus , licet virulenti ſeminis contactui non tam forſan pateant in concubitu , nec ſemen vitioſum , quo ſemel madent , tum diù retineant opere confecto , quàm balanus & internum præputium , aut vaginæ & vulvæ interiora ; nec ideò poſſint tam frequenter ulcuſculis infeſtari ; at ſaltem niſi alia obſtiterit ratio , deberent aliquando ulcuſculis & ipſa affici , cùm certum ſit & ipſa ſeminis virulenti contactui & efficaciæ ſatis diù objici , quod tamen repugnat experientiæ.

2°. Quòd hæc ipſa genitalium loca , ubi ulcuſcula pullulant , modò opere confecto ſtatim eluerentur , vix ullum à ſitu detrimentum pati deberent præ cæteris genitalium partibus , quæ in concubitu virulento ſemini perinde obviæ fuêre. Docet tamen experientia etiam cum eâ cautione , quæ videretur diſcrimen æquatura , ulcuſcula in illis locis non rarò , in aliis verò numquam enaſci , quod proinde videtur non ex ſolo ſitu ſed ex aliâ penitiore causâ repetendum eſſe.

3°. Quòd utcumque res ſe habeat in impuro concubitu , & in ulcuſculis quæ concubitu contrahuntur , at ſaltem omnia paria futura ſint ſi ulcuſcula citra concubitum à ſyphilide latente ſponte progerminent. Conſtat tamen etiam in illo caſu ulcuſcula in certis tantùm genitalium locis enaſci intactis aliis , quod tunc evidens eſt à partium ſitu minimè dependere.

Sed ratione ſtructuræ peculiaris , quæ in illis locis conſpicua eſt.

II. Liquet ergo ex causâ alterâ , ſcilicet peculiari ſtructurâ partium quæ ſolent ulcuſculis infeſtari , deducendum eſſe , cur certo diſcrimine partes illæ præ cæteris genitalium partibus huic malo ſingulariter obnoxiæ ſint.

Docet autem Anatomia in viris internam præputii totamque balani faciem , ſed præſertim fræni latera & coronæ peripheriam ; in fœminis verò internam faciem vulvæ & caruncularum omnium quæ in vulvam prominent , ipſumque vaginæ principium & myrtiformes carunculas , quæ vaginæ adſtant , denſiſſimè conſterni vaſculis numeroſis , minutiſſimis , vix ſemi-lineâ profundis , parallelis , cylindricis , cavis , infimâ parte cæcis , alterâ extrorsùm dehiſcentibus tenui oſculo , quæ à circumfluo ſanguine humorem pinguem , album , ſebaceum , viroſum ſecernunt ſecretumque ſtillatim evomunt , unde partium lævitas , ſenſus , mollities , lubricitas jugiter foventur , ſed unde ſi loturæ parcatur ſordes brevi cumulantur ſubalbidæ , oleoſæ , fœtidi & gravioris odoris. Inde ergo pronum eſt conjicere deſcripta vaſcula venereo ſeminio peculiariter objici ; humore ſebaceo quem continent , ſimul ac inſpirato contagio venereo corruptus fuerit , dilatari , inflammari , erodi , exulcerari , uno verbo ulcuſculis cancroſis infeſtari , quorum vera ſint & propria ſedes. Sed de his fuſiùs infrà.

Ut multis

Huic autem conjecturæ multa ſuffragantur. 1°. Quòd venerea ulcuſcula

in iis tantùm genitalium locis obſerventur, quæ deſcriptis vaſculis ſive potiùs incerniculis conſita ſunt; nulla verò in cæteris eorumdem partibus, quorum diſpar ſtructura. probatur.

2°. Quòd ulcuſcula eadem, quæ in aliis quibuſdam corporis partibus quandoque conſpicua ſunt, ſi virus per hæc loca admiſſum fuerit, partes eas tantùm infeſtent, in quibus ſimilis eſt ſimilium incerniculorum ſive vaſculorum fabrica & diſpoſitio; *v. g.* confinia ani, ad quem proſtant ſebaceæ plurimæ glandulæ, unde profluit humor ille ſubpinguis, quo podex oblinitur; mammarum papillas aut papillarum areas, in quibus latent glandulæ conſimiles, quæ humorem fundunt unguinoſum; oris labia, buccas, gingivas, linguam &c. in quibus ſingulis conſtat ſimilem adeſſe ſimilium vaſculorum ſive incerniculorum apparatum.

Ex his ſequitur ſolâ ſupra cutim adhæſione ſeminis vel ſeminalis humoris viſcidi corruptique à coeuntibus emiſſi virus exulcerandis genitalium partibus inſpirari, ſeu ut expreſſiùs dicam, in cava vaſculorum modò deſcriptorum guttatim illapſum humori, quem continent, latenter inſtillari.

Inde eſt 1°. Quòd ulcuſcula iis genitalium partibus potiſſimùm inſideant, quæ vitioſi humoris attactui magis obnoxiæ ſunt, & in quibus virulentus humor pertinaciùs hæret: In viris ſcilicet inter præputium & balanum; in fœminis verò inter vaginæ rugas, variaſque vulvæ plicas ſive carunculas.

2°. Quòd iis viris frequentiùs accidant, quibus longius & amplius præputium balanum & humorem, quo balanus madet, arctiùs comprehendit; rariùs verò circumciſis & apellis, quibus arte præciſo præputio, aut verpis, quibus præputio naturâ breviore glans detecta eſt, unde faciliùs extergitur.

3°. Quòd idem & in fœminis quoque obſervari videatur, quarum cæteris paribus ulcuſculis illas præſertim infeſtari compertum eſt, quibus ampliora pterygia vaginam ſtrictiùs occludunt, ideoque virulentum ſemen, quod infuſum eſt, pertinaciùs retinent.

4°. Demùm quòd ulcuſcula rariſſimè affligant, ſi poſt ſuſpectam coitionem genitalia vino, aquâ vel lotio quàm citiſſimè mundentur & eluantur; contrà verò ſæpiſſimè, ſi illota tradantur pædori & ſpurcitiei.

Modò dicta volumus tantùm de illis ulcuſculis intelligi, quæ ſolent coitui impuro immediatè ſuccedere; nam cætera quæ citra concubitum, ſaltem qui ſuſpectus ſit, à lue jam pridem latente ſponte repullulant, ea ſanè produci manifeſtum eſt, non ab alieno ſeminio, quod extrinſecùs adveniat, ſed à ſeminio venereo quod jam dudùm ſanguini inſit, & quod à vitiato ſanguine humori ſebaceo ſuprà deſcripto circulatione latenter ſubminiſtretur.

Id unum miri ſubeſt à veneno eodem genitalibus ſimili ratione affricto affectiones tam diverſas in diverſis, modò gonorrhœam, modò bubonem, modò ulcuſcula cancroſa, modò hæc omnia ſimul inferri. Sed videtur nodus ille expediri poſſe geminâ differentiâ quæ in veneni efficaciâ intercedit, alterâ penes diverſam vim, quâ pollet virus, quod agit; alterâ, penes diverſam partium, in quas agit, conſtitutionem. Explicatur quo modo contagium idem diverſos diverſimodè afficiat.

1°. *Differentiâ* quidem penes diverſam veneni vim & indolem; nam ſi ita ſpiſſum craſſumque ſit, ut cuti hæreat impactum, nec ulteriùs penetret, in eo caſu poterit ad ſummum ulcuſcula cancroſa producere in vaſcula ſebacea cuti ſubjecta ſenſim illabendo. Si verò tenuius ſit, ideoque ad humorem ſebaceum coagulandum & ulcuſcula producenda minùs efficax, ſed altiùs ſubiens cum limphâ ſubter cutem circulante commiſceatur, bubonem quidem excitaturum eſt in glandulis inguinalibus, quò unà cum limphâ convehitur; nullam tamen gonorrhœam, quoniam præ ſpiſſitudine in vaporoſos halitus reſolvi non poteſt, quibus urethræ interiora & præſertim feminis conceptacula impetantur. Demùm ſi valdè ſubtile fuerit & penetrans, tunc illibatis ſebaceis vaſculis glanduliſque inguinalibus, quia nec humori ſebaceo, nec limphæ coagulandis præ tenuitate compar eſt, vapore halituoſo in quem ferè totum exhalat & attenuatur orgaſmo concubitûs, conceptacula ſeminis aggredietur, atque virulentam gonorrhœam inferet. Quòd ſi multigenum fuerit, parteſque habeat penes tenuitatem variantes, in illo caſu vel tres memoratos affectus, vel binos ſaltem unà ſimul poterit inducere, ut in praxi frequenter obſervatur.

2°. *Differentiâ* verò penes diverſam partium conſtitutionem; nam virus idem in hæc aut illa loca efficaciùs vel inefficaciùs aget, unde ulcuſcula, bubones, gonorrhœam variè illaturum eſt, prout ſebacea genitalium vaſcula, ubi ulcuſcula, magis vel minùs patula aut laxa erunt; inguinales glandulæ, ubi bubones, magis vel minùs denſatæ, compreſſæ, ad infarctum faciles; demùm ſeminaria conceptacula, ubi gonorrhœæ fiunt, magis vel minùs hiulca, aut concipiendæ ulceroſæ inflammationi magis vel minùs comparata erunt; quæ cùm millenis modis & invicem variare, & cum diversâ ſeminii morboſi qualitate & indole poſſint concurrere, inde infinita diverſitas debet emergere, qualis ex eodem concubitu in generandis morbis venereis in variis variè obſervatur.

§. III. SYMPTOMATA.

Ulcuſculorum venereorum ſymptomata. 1. Illapſus contagii venerei in glandulas ſebaceas.

1°. Dum genitalia madent humore virulento, debent tenuiſſimæ quædam guttulæ per anguſta vaſculorum ſebaceorum oſcula intrò ſubire tacito illapſu in hæc aut illa, in plura vel pauciora, in conjuncta vel diſcreta, prout diverſa diverſorum vaſculorum orificia magis vel minùs hiulca ſunt, aut prout humor copioſior certis locis caſu adhæret, vel ad illa declivitate confluit. Idem dictum volumus de veneno venereo quod à circumfluo ſanguine ſebaceis vaſculis latenter ſubminiſtratur, cùm ulcuſcula ſine prævio impuro concubitu oboriuntur in genitalibus.

2. Inſpiſſatio humoris ſebacei à contagio illabente.

2°. Illapſæ ſenſim guttulæ ſebaceum humorem, qui naturâ oleoſus eſt, vitio contaminant gemino, tum acidis aut acido-ſalſis partibus inſpiſſando, tum ſpiculis corroſivis acrem efficiendo.

3. Hinc papula miliaris.

3°. Hinc ergo ſebaceus humor jam viſcidior, cùm è ſolitis oſculis nequeat pro more extillare, ſenſim congeritur, & incernicula ſeu vaſculæ in quæ coacervatur, paulatim diſtendit, inflat, & in papulam miliarem & acuminatam faſtigiat.

4. Cum

4°. Compreſſis inde à dilatato vaſculo extremis arteriarum capillamen-

tis & primis venarum radicibus, quæ juxtà ſerpunt mutuò invicem coaleſcentes, ſanguis interceptâ viâ & in ſuis ductibus hærere & in collateralia vaſa limphatica viâ vi factâ irrumpere cogitur, unde rubor, calor, inflammatio papulæ. calore, & rubore.

5°. At ſimul ex alterâ parte ſebaceus idem humor jam acrior & calore inflammatæ papulæ in motum vehementiorem actus, vaſculi quo concluditur, interiora debet impetere ac ſenſim erodere, unde prima labes apparet in ſummo apice, ut qui tenuior ſit. 5. Quæ ſenſim in apice dehiſcit.

6°. Itaque papulæ faſtigium ſemi-putre nec ampliùs ſanguine circulante perfundi, ideoque depoſito rubore inflammatorio albeſcet; nec laxatis fibris ſemi-laceris tendi ut antè poterit, ideoque in ſe ſubſidet, unde color albus & complanatio ſummæ papulæ. 6. Et tunc ſubſidet.

7°. Decisâ ſenſim albicante pelliculâ, quæ faſtigium conveſtit, papula anguſto oſtiolo dehiſcet. Sic ergo papula in verum ulcus degenerabit, unde manabunt guttulæ ichoris viſcidi & purulenti ex ſebaceo humore corrupto detritiſque vaſculi laciniis. 7. Et exulceratur.

8°. Continuatâ earumdem cauſarum energiâ tenuiſſimum ulcuſculum creſcet & ampliabitur in omnem loci differentiam, atque adeo latius fiet & profundius. 8. Unde ulcus in genitalibus.

9°. Interim partes contagii acido-fixæ ulceris ambitui inſinuatæ limpham circumfluam inſpiſſabunt & callos producent, qui ſenſim ſuppuratione colliqueſcentes ulcus novâ acceſſione ulteriùs proferent. Sic ergo in pudendis ulcuſcula contumacia, callis obſita, ſenſim ſerpentia progerminabunt. 9. Cum callis multis, quibus cingitur.

10°. Pari ſimilique mechaniſmo venerea ulcuſcula ejuſdem generis & in aliis quoque partibus enaſci ſolent, ſi virus illac admiſſum fuerit, ſimiliſque in illis proſtet vaſculorum ſebaceorum apparatus, ut in ani confiniis, mammarum papillis areiſque papillas ambientibus, labiis, buccis, linguâ, palato, columellâ, gargareone &c. 10. Quæ pari ratione & in aliis locis accidunt.

11°. Creduntur vulgò purulentâ materiâ quæ ab uno ulcere exudat, vicinæ partes quibus adhæret, labe eâdem contaminari. Et ſanè cùm huic materiæ virus inſit, quod ex ſe ad gignenda ulcuſcula aptum natum eſt, haud mirum foret nova inde ulcuſcula in eodem ſubjecto produci, cùm certum ſit experientiâ ab eâdem materiâ ulcuſcula in alio ſubjecto excitari, ſi fortè concubitu communicetur. 11. Creditur à pure quod inde exſudat, nova ulcuſcula excitari.

12°. Inde vulgari fertur opinione ab unico ulcuſculo, niſi probè mundetur, plura alia quaſi ex traduce areatim aut circulari ambitu juxtà ſuboriri. Sed ea quamquam forſan vera ſint, non debent pro indubitatis temerè admitti, cùm locus ſit nec inanis conjiciendi ulcuſcula, quæ ſolent aliquando in eâdem parte confeſtim enaſci, ab eodem contagio extrinſecùs admiſſo, tanquam à causâ ſingulis communi, potiùs ſoboleſcere, quàm alia ex aliis generando ſuffici. 12. De quo jure tamen dubitatur.

13°. Cæterùm, ſi virus quod in vaſa ſebacea penetravit, naturâ blandum ſit vel copiâ paucum, 1°. Ulceris ambitum lentiùs rodet; hinc minora & magis ſuperficiaria erunt ulcuſcula, & primævam vaſculorum ſebaceorum figuram orbicularem conſtantiùs retinebunt: 2°. Limpham ulceri circumfluam ignaviùs inſpiſſabit; hinc calli pauciores, minùs duri, 13. Ulcuſcula orbicularia & bicuo mucoo albo plena in medio.

minùs compacti, ideoque labra molliora, minùs protuberantia, quæ limpham ulceribus ſuggerent uberiorem & ſpiſſiorem, unde pus laudabile: 3°. Demùm ſebaceum humorem, qui inſtar muci ſpiſſioris in fundo hæret, minùs alterabit; hinc ergo mucoſa materia, quæ ulceris fundum occupat, colorem album, qui narivus eſt, ſervabit donec ſanatio certa ſit.

14. Ulcuſcula anguloſa & in centro livida.

14°. Contrà verò, ſi virus copiâ nimium vel naturâ acerrimum fuerit, tunc ratione contrariâ 1°. Ulcerum oram citiùs & efficaciùs erodet, unde ulcuſcula profundiora & latiora, imò etiam minùs rotunda, quoniam celeriore eroſione ulcerum labra laciniatim diſcerpentur; 2°. Limpham fortiùs denſabit, unde calli plures, craſſiores, duriores, adeoque labra duriora, magis prominentia, è quibus non limpha, quæ puris formam adipiſci poſſit, ſed ſerum tantùm ichoroſum in ulcera exſudabit. 3°. Denique nativum colorem mucoſi ſeu ſebacei humoris qui in fundo latet, vel pervertet innato vitio, vel infuſis cruoris guttulis, quæ à laceris labris extillant, inficiet, unde fundi nigror vel ſaltem livor.

15. Magis aut minùs maligna pro ſede quam occupant.

15°. Si cætera paria fuerint, at ſaltem debebit ulcuſculorum indoles ex diversâ ſede quam occupant, diversè æſtimari; nempè 1°. Maligniora ſunt in genere ea ulcuſcula quæ præputio in viris, quàm quæ balano; quæ clitoridi aut carunculis myrtiformibus in fœminis, quàm quæ vulvæ labiis aut nymphis: 2°. Maligniora in balano quæ ejuſdem fræno vel coronæ, quàm quæ dorſo aut lateralibus partibus: 3°. Denique maligniora in præputio quæ ſummo ejuſdem margini ſive limbo, quàm quæ mediæ vel infimæ ejuſdem parti inſident. Nec ratio diſcriminis obſcura eſſe videtur, ſiquidem priora loca, cùm magis nervea ſint, ideoque ſenſu gaudeant acutiore, debent faciliùs inflammatione corripi ex dolore & erethiſmo, ſi ulcuſculis infeſtentur: Contrà verò poſteriora, quæ mollioris & magis ſpongioſæ texturæ ſunt, ac ſenſu pollent obtuſiore, ab inflammationis periculo magis tuta ſunt.

16. Phimoſis, paraphimoſis, cryſtallinæ bullæ &c.

16°. Demùm ſi ulcuſcula venerea plura ſint, denſa, conferta & maligni moris, ſolent inde genitalium partes quas depaſcuntur, balanus *v. g.* & præputium in viris, in fœminis verò vaginæ principium, caruncuſæ myrtiformes, nymphæ ſive pterygia, clitoris, vulvæ labia inflari, tumere, inflammari, unde phimoſis, paraphimoſis, cryſtallina, carcinoma balani, gangræna & ſphacelus. Sed de his ſigillatim in ſequentibus.

§. IV. DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

Diagnoſis circa tria verſatur; naturam, cauſam & differentias ulcuſculorum venereorum.

Diagnoſis morbi.

1°. Facilis eſt diagnoſis naturæ morbi ex deſcriptione ſuprà allatâ. Itaque pro venereis habenda ſunt ulcuſcula quæcumque in deſcriptis genitalium locis ſubnaſcuntur, rotunda, orbicularia, calloſa, contumaciæ, ultra cutem profunda, in fundo plena albicantis vel liveſcentis muci.

Solent quidem in iiſdem partibus citra venereum contagium excoriationes interdùm fieri, ſi cum muliere res habeatur, cui menſtrua acriora actu fluant, vel paulò antè fluxerint, aut quæ fluore muliebri mordaciore laboret; imò etiam ſine concubitu, ſi nimia fuerit acrimonia humoris, qui

è ſebaceis

è ſebaceis vaſculis ſcaturit in viris, & ſub præputio in ſordes colligitur, niſi eluatur. Sed excoriationes hujuſcemodi ab ulcuſculis venereis ex eo diſtinguere facile eſt, quòd cutem ſuperficiariè tantùm lambant, quòd latè & irregulariter ſerpant, quòd nullis callis obſideantur, & quòd citò exſiccentur vel ſponte vel ſolâ lotione cum vino ſolo aut cum herbis vulnerariis infuſo.

Contingit etiam, quamquàm rariùs, in iiſdem locis ulcera generari vulnere, abſceſſu, roſione, perinde ac in cæteris quibuſve partibus; ſed hæc ulcera ab ulcuſculis venereis in eo evidenter diſcrepant, quòd lata, irregularia, profunda ſint, ſine callis in ambitu, ſine muco in fundo; uno verbo quòd notis cæterarum partium ulceribus ad amuſſim ſimilia ſint, ideoque ulcuſculis venereis tantò magis diſſimilia.

2°. Quòd ad cauſam, abundè liquet ulcuſcula venerea contagio venereo produci: Ambigitur tantùm utrùm contagio recenter admiſſo impuro concubitu, an verò lue dudùm latente producantur; ſed ea quæſtio ex ægrotantium confeſſione dirimenda eſt. Diagnoſis cauſarum morbi.

Quòd ſi ægrotantes, ut culpam celent, malint lui jam pridem conceptæ morbum adſcribi, quàm recentiori ſtupro, quod crimine non vacaret, ut familiare eſt mulieribus quæ jam viduæ ſunt; imò etiam viris, qui ex nupero vitæ inſtituto caſtitatem voverunt; poterit tamen etiam in eo caſu rei veritas ſi non certè, at ſaltem ex conjecturâ colligi. Itaque ſi ulcuſcula in viris frænum, in fœminis carunculas myrtiformes, nymphas aut clitoridem occupent; ſi multa, maligna & conferta ſint; ſi ſtadia percurrant cum celeritate, hinc probabile eſt recenti concubitu contracta fuiſſe, cùm ea quæ à latente lue dependent præputii frænum, aut vulvæ & vaginæ carunculas non affectent præ cæteris pudendorum partibus; pauca, diſcreta, benigna plerumque ſint; ac tardè ut plurimùm judicentur.

3°. Demùm ulcuſculorum differentiæ obviæ ſunt, & inſpectione ſolâ patet an multa vel pauca; diſcreta vel conferta; areatim diſpoſita vel circulari ambitu diſtributa; multùm vel parùm calloſa; rotunda vel anguloſa, in fundo albicantia vel liventia; uno verbo benigna vel maligna ſint. Diagnoſis differentiarum morbi.

Paulò difficilius eſt ulcuſcula dignoſcere, quæ internum extremæ urethræ ductum occupant, & quæ oculis obvia non ſunt. Et ſanè ideo contingit non rarò cum gonorrhœâ confundi, cùm in utroque affectu ſimilia ſymptomata, dyſuria, dolor in erectione, puris effluxus &c. perinde urgeant. Errorem tamen licebit effugere, ſi attendatur 1°. In ulcuſculis internis extremæ urethræ pus parciùs effluere quàm in gonorrhœâ; 2°. Dolorem tunc non in perinæo ut in gonorrhœâ perſentiri in erectione, ſed in extremo cole; 3°. Doloris & proinde morbi ſedem ab ipſo ægroto plerumque indicari ad radicem glandis; 4°. Imò poſſe commodè ulcus ipſum explorari vel ſolo tactu ſi calloſum ſit, vel ſaltem ſpecillo aut candelâ cereâ in urethram immiſsâ.

Prognoſis. 1°. Ulcuſcula venerea benigna, utcumque contumacia ſint, ex ſe tamen periculo vacant, cùm ea labes, quam partibus inferunt, & exigua ſit, & remediis ſponte obvia. Prognoſis ulcuſculorum venereorum.

2°. At verò gravia & periculoſa ſunt, quoties plura, conferta, mali-

gna, phagædenica ſunt, potiſſimùm ſi præternaturales præputii aut balani in viris; in fœminis verò earum pudendi partium, quas obſident, tumefactiones inferant, unde phimoſis, paraphimoſis, cryſtallina &c. de quibus *cap. ſequenti*, §§. 1. & 2.

3°. Tandem pro deploratis habenda, ſi ex tumefactione nimiâ, aut acrioris contagii venerei roſione prima appareant incipientis gangrænæ ſigna in partibus tumentibus aut exulceratis, cùm huic morbo mederi nullâ arte liceat, niſi periculosâ extirpatione, ut videbitur *cap. ſequenti*, §. 3.

4°. Cæterùm ulcuſcula omnia, utcumque mitiſſima videantur, id proprium habent, quòd luem vel præſentem atteſtentur, vel futuram prænuntient. Præſentem quidem atteſtantur, ſi ſine ſuſpecto concubitu appareant, quoniam à latente veneno ea produci neceſſum eſt. Futuram verò prænunciant, ſi ab impuro concubitu immediatè producantur, quoniam intrò admiſſum virus arguunt, quod à ſanguine ſemel exceptum nec parciore pure ab ulcuſculis manante ſatis unquam exhauſtum, luem venereamtandem aliquando tardiùs citiùſve illaturum ſit.

5°. Nihilominus tamen ultrò confitendum compertum eſſe experientiâ nonnullos, qui venereis ulcuſculis olim laboravêre, vitam deinde omnem tranſigere à quocumque luis ſymptomate planè immunem, ſive quòd ſuſcepta veneni quantitas remediis forſan olim diſcuſſa ſit, ſive quòd optimâ, quâ illi valent, conſtitutione ſenſim in ſanguine domita fuerit atque ſuperata, ut ſuprà vidimus *Cap.* 5. *Libri* II.

6°. Quapropter etſi ulcuſcula venerea, ſi olim prægreſſa ſint, latentis luis venereæ ſuſpicionem jure importare videantur, haud tamen licet hoc unico argumento ægrum frictionibus præcipitantiùs damnare, niſi ſimul acceſſerit adminiculi inſtar pathognomonicum quoddam ſymptoma, vel æquivocorum ſymptomatum talis ſyndrome quæ pathognomonico ſigno æquipolleat, unde poſſit latentis luis veritas certiùs colligi, ut infrà videbitur, *Lib.* IV. *Cap.* 4.

§. V. CURATIO.

Curatio ulcuſculorum,

Si ulcuſcula, quæ cariem pudendi conſtituunt, à latente lue dependeant, infectis una ſalus eſt, morbum quàm ocyſſimè frictionibus eradicare juxta methodum infrà tradendam. Fruſtratio enim non curatio eſſet virus levioribus remediis oppugnare, quod mitigationem nullam, quæ diuturna ſit, admittit, & quod ſi aliquando ſopiri videatur, ſolet inde brevi ferociùs recrudeſcere.

Imò verò ad ipſa ulcuſcula, quæ à recenti concubitu producuntur, tutiſſimum foret eamdem methodum ſtatim experiri, cùm eo tantùm modo virus quodcunque ſanguini ineſt, perfectè educi aut extingui poſſit ſine ullo recidivæ periculo, quod ab aliis methodis haud ita certò expectare liceat.

Attamen quoniam ægrotantes ab operoſiore frictionum methodo plerumque abhorrent, quippe qui leviuſculo malo ſe affectos eſſe arbitrantur, cogimur ut plurimùm breviore viâ curationem aggredi juxta therapeiam modò tradendam, quæ licet ad ulcuſcula, quæ ab inveteratâ lue

dependent, parùm utilis ſit, plerumque ſufficit curandis aliis ulcuſculis, quæ à recentiore causâ producuntur.

Porrò autem juxta eam methodum tribus indicationibus ſatisfaciendum eſt: Primæ; ut phlogoſis pudendorum, qualem uber ulcuſculorum progerminatio inducit, cautè temperetur & compeſcatur, ne balanus aut præputium in viris, vagina aut vulva in fœminis in conſortium inflammationis trahantur: Alteri; ut virus, quod in ſanguinem fortè transfuſum eſt, celeriter alteretur & corrigatur, vel eliminetur, ne morâ invaleſcens ſanguinem labe inficiat: Tertiæ demùm; ut externa genitalium ulcera probè detergantur & mundentur, atque emollitis & diſcuſſis callis cicatrice feliciter obducantur.

I. Primæ quidem indicationi multa conducunt. 1°. Venæ ſectio, quâ præſentius nullum eſt remedium ad inflammationem præcavendam, & quæ ideò, ſpreto inani Antiquorum præjudicio, debet in eo caſu pluries iterari ex alterutro brachio, pro ægrotantis viribus, ætate, temperie &c. & pro morbi vehementiâ, gradu, periculo &c. I. Therapeia ad primam indicationem, hoc eſt ad compeſcendam phlogoſim.

2°. Frequens pudendorum, quæ malè afficiuntur, ablutio, deterſio, fotus cum decocto radicum althææ, nymphææ &c. ſeminis lini, florum malvæ, aut cum lacte tepido.

3°. Admotio topicorum, quæ anodyna ſint, de quibus fusè infrà ubi de inflammatorio præputii aut balani tumore; quæcumque enim præſenti inflammationi medentur, poſſunt hæc eadem tantò faciliùs imminenti occurrere.

II. Ad alteram indicationem 1°. Utilis eſt Mercurialium uſus, qualem ſuprà propoſuimus ad curationem gonorrhœæ *Cap.* 1. ſive internè aſſumantur præparata ex Mercurio, ut Panacæa, Æthiops mineralis, Mercurius violaceus &c. ſive externè tantùm adhibeantur leviores inunctiones cum unguento mercuriali identidem repetitæ. II Therapeia ad indicationem alteram, hoc eſt ad virus debellandum.

2°. Propoſito Mercurialium uſui, qualiſcumque fuerit, eatenus inſiſtendum, donec prima appareant imminentis ptyaliſmi indicia, quæ ut cohibeantur æger ſtatim purgandus eſt. Iterandus deinde Mercurialium uſus & ſuo quoque tempore iteranda purgatio: Sic pluries alternando pro morbi naturâ ac Medici prudentiâ.

3°. Verùm per id tempus cavendum eſt, ut ſuprà monuimus, ne liberior aër frigore aut humore motam à Mercurialibus perſpirationem coerceat: Hinc enim rheumatiſmi, catarrhi, imò & periculoſæ ad interanea fluxiones inducerentur.

4°. Poſt ſufficientem Mercurialium uſum, modò adipoſa ægri conſtitutio permittat, aut ſuadeat pituitoſa temperies, ptiſana ſudorifica de quâ ſuprà, ex radicibus Chinæ & Salſæ-parillæ, ligniſque Guaiaci & Saſſafras, & pulverato antimonio decoctione parata, utilis erit ad exſiccanda ulcera & reliquias contagii everrendas. Cavendum tamen ne cum Chirurgorum vulgo ægrotantes quivis nullo diſcrimine acriore hac ptiſanâ ingurgitentur ſeu potiùs torreantur.

III. Tertia indicatio tria intendit, 1°. Ut ulcera probè detergantur; 2°. Ut calli, ſi qui poſt deterſionem ſuperſint, diſcutiantur & reſolvantur; 3°. Denique ut cicatrix firma obducatur. III. Therapeia ad tertiam indicationem,

hoc eſt ad detergenda & conſolidanda ulcera.

1°. In eo conſiſtit optata deterſio, ut mucoſa ſeu ſebacea materies, quæ ulceris fundo impacta inhæret, avellatur & interna ulceris facies ita renovetur vel ſaltem mundetur, ut roſeo colore ſuffundatur, qui carnis probæ notæ ſuccreſcentis & ad cicatricem properantis indicium eſt.

2°. Si mucor paucus ſit, lævis, albus, mollis & rarus, poterit extirpari levioribus cathæreticis, ut ſolutione ſimplici vitrioli Cyprii; collyrio vulgari Lanfranci; aquâ quæ collyrii Lanfranci vicaria eſt & quæ ad pudendorum cariem paratur ex aluminis rupei partibus iij. & æruginis parte j. in ſ. q. vini rubri decoctis; vel unguento ſequente quod à multis laudatur.

℞. *Lapidis calaminaris*, ℥ ß.
Sulfuris
Et argenti vivi ana ʒ j.
Terebinthinæ q. ſ.
M. In formam unguenti, add. *tantillùm axungiæ ſuillæ non ſalitæ.*

3°. Plerumque tamen ad cathæretica fortiora confugiendum eſt, ut denſus & compactus mucor, qui ulceris fundum pertinaciùs occupat, radicitùs evellatur. Iſtiuſmodi ſunt lapis cauſticus vulgaris, vel lapis infernalis ex ſolutione argenti paratus, quibus ulcera levi & ſuſpensâ manu attinguntur; vel quæ cæteris palmam præripiunt præparata varia Mercurialia, quibus ulcera inſperguntur, ut præcipitatum rubrum vel flavum iteratâ ſpiritûs vini deflagratione priùs mitigatum, & cum æquali ceruſſæ pulveratæ parte commiſtum; imò verò præcipitatum album, non modò pari artificio edulcatum, ſed etiam quoniam acrius eſt, cum ovi vitello igne indurato, & pauco melle Narbonenſi ad unguenti formam in mortario marmoreo piſtum & ſubactum.

4°. Phlogoſis, quam admota ea remedia rodendo inferunt, temperanda, ſi gravior ſit, lacte tepido; decocto radicum althææ & nymphææ; aut mucagine ſeminum pſyllii & lini aquâ roſarum extractâ &c. *fovendo*; vel cremore lactis recentis; vitello ovi aut ſolo, aut cum oleo liliorum ſubacto; albo rhaſis, cataplaſmate de micâ panis &c. *apponendo*. Hæc autem ſæpiùs iteranda, ut pars calens perpetuò & madeat & relaxetur.

5°. Delapſus eſcharæ, ſi lentiùs procedat, promovendus butyro recenti, vitello ovi, digeſtivo ſimplici vel unguento baſilicone cum oleo ovorum temperato: Eidem quoque fini conducunt cætera omnia remedia ex anodynorum familiâ, quæ primo articulo enumerata ſunt, ut quæ emolliendo ſuppurationi faveant, atque adeò eſcharæ putreſcentis ſejunctioni à ſubjectâ carne.

6°. At quanticumque à nonnullis fiant hactenus laudata remedia, uſu communi cæteris omnibus præfertur unguentum ἐυπόειστον ſequens, ex præcipitati rubri probè loti parte j. & unguenti baſiliconis partibus vj. vel viij. in mortario marmoreo piſtis & unà ſubactis, quod cæteris efficacius & tutius eſt; nam ferocia Mercurialium & corroſivarum partium balſamicis unguenti baſiliconis partibus ita temperatur, ut blandâ eroſione ſuperficiariam tantùm eſcharam inurant ſine phlogoſi ullâ, & ſimul eroſa pars à baſilicone ita emollitur, ut inuſta eſchara levior fruſtulatim citò decidat ſine notabili ulceris incremento.

7°. Vitanda ſemper cane pejus & angue eſcharotica fortiora, ut arſenicalia præparata omnia ; Mercurius ſublimatus corroſivus ; oleum glaciale vitrioli ; aquæ ſtygiæ ſive fortes ex nitro, vitriolo, alumine, ſale marino ignis reverberii torturâ diſtillando prolicitæ ; aqua mortua ſive ſecunda aurificum, quâ jam ſolutum fuerit argentum, & dein injecto cupro præcipitatum ; aliaque hujuſce generis multa, quæ eſcharam profundiorem inurunt, & graviorem inflammationem excitant.

8°. Si qui leviores calli in ulcere deterſo & mundificato ſuperſint, præſtabilius eſt eos levi unguenti mercurialis ſeu Neapolitani inunctione per dies aliquot iteratâ ſenſim reſolvere & diſcutere, quàm nimio fortiorum cathæreticorum uſui pertinaciùs inſiſtere, ut conſumantur ; cùm inde & æger inani dolore torqueatur, & parti notabile detrimentum accedat ulceris amplificatione.

9°. Ubi primùm totus ulceris ambitus remoto mucore & emollitis callis, mollis, lævis, roſeus videbitur, à cathæreticis cautè abſtinendum, quæ rodendo ulcus perennarent, imò dilatarent ; ſed traumaticis ſive vulnerariis tantùm inſiſtendum, quæ carnium ſuccreſcentium progerminationi faveant, ut balſamo Arcæi vel unguento ſimplici de baſilicone.

10°. Ulcus ſuccreſcente carne ſemel complanatum in cicatricem facilè coibit eorumdem remediorum uſu. Si tamen è re ita videbitur, poterit inſpergi pulvere tuthiæ, pompholygis, ceruſſæ, terebinthinæ ad duritiem coctæ & pulveratæ, vel foveri elyxirio proprietatum Paracelſi, cujus efficaciam nonnulli ad hanc rem miris laudibus deprædicant.

11°. Quòd ſi morbus ægri negligentiâ aut incuriâ, nimiâ remediorum quæ adhibentur ferociâ, errore diætæ, uſu rerum venerearum, aut aliâ quâcunque de causâ ingraveſcat, & inflammato præputio vel balano in viris, aut pterygiis, carunculis vel clitoride in fœminis, urgentiora accidant ſymptomata ; tunc ab eſcharoticorum uſu deſiſtendum, & intermiſſâ curatoriâ therapeiâ ſolis palliativis aliquandiù utendum eſt, ut videbitur *ſequente Capite.*

12°. Debent ſimili methodo curari ulcera venerea quæ ad urethræ finem ſolent aliquando internè enaſci, ſcilicet remedia eadem eodem ordine eâdemque cautione in urethram guttatim inſtillando, vel ſyphone breviore immittendo, vel penicillo introducendo, quæ toties in die iterari debent, quoties vel loci declivitate vel lotii emiſſione partem abſtergi contigerit. Cavendum enim ne ad continenda unguenta urethræ ductus turundâ obturetur, ut à Chirurgis interdùm peccari novimus magno profectò ægrorum infortunio, cùm virulenta materies quæ ab ulceribus extillat, introrsùm eâ ratione coerceatur, & rodendo quæ ſana ſunt, morbum ſenſim augeat.

13°. Cæterùm toto curationis ſtadio mentula circumligato cingulo linteo ſupina ſuſpendenda eſt, ut viæ declivitate motus liberior ſit ſanguini regreſſuro, quàm ex pronâ ſive pendulâ, adeoque levius immineat inflammationis aut tumefactionis periculum. Quòd ad diætam verò, ſufficit temperantem, humectantem & mediocrem imperare, niſi fortè febris, inflammatio aut aliud quodcumque gravius ſymptoma tenuiorem ſuadeant.

CAPUT VIII.

De Affectibus variis, qui ab Ulcuſculis venereis genitalium dependent, vel iiſdem ſuperveniunt.

§. I. DE TUMORIBUS PRÆPUTII ET BALANI; UBI DE PHIMOSI, PARAPHIMOSI ET CRYSTALLINA.

Deſcriptio.

Deſcriptio. Si ulcuſcula, quæ internam præputii faciem frænumve, aut ipſum balani dorſum coronamve obſident, multa, conferta, maligna, dolorifica ſint, aut fortiorum eſcharoticorum abuſu nimis irritentur, contingit inde gliſcente labe ut vel præputium, vel balanus, vel uterque ſimul brevi infletur, craſſeſcat, tumeat.

I. Tumoris præputii & balani.

I. Præputium autem balanuſque, cùm inflantur, 1°. Modò calent, dolent, rubent, prementi digito ægrè cedunt, & ceſſante preſſione promptè reſtituuntur; atque tumor ille *inflammatorius* ſive *phlegmonodes*.

2°. Modò verò caloris, doloris, ruboris expertia videntur quaſi pellucere ſero turgida, & prementi digito ita cedunt, ut impreſſum veſtigium diù retineant; atque tumor ille *ſeroſus* ſeu *œdematodes*.

3°. Denique modò caloris, doloris & ruboris expertia quidem ſunt, ſed ſimul ita renitentia ac dura, ut digiti preſſionem eludant; atque tumor ille *durus* ſeu *ſkirrhodes* appellatur.

II. Phimoſeos & Paraphimoſeos.

II. Porrò præputium, quâcumque ratione intumeſcat, modò in extremo limbo coarctatum glandem ita ſtrictè concludit, ut ad poſteriora deduci non poſſit, & ille ſtatus græco nomine *phimoſis* dicitur, hoc eſt *ligatura*: modò verò ponè balani coronam retractum ita corrugatur & conſtringitur, ut ad anteriora adduci nullâ arte queat; & ſtatus ille præcedenti contrarius, *paraphimoſis* appellatur, hoc eſt *circum-ligatura*.

III. Et bullarum cryſtallinarum.

III. Pari ratione qualiſcumque fuerit balani tumor, ſolent non rarò, ſi infarctus gravior & diuturnior ſit, ex ejuſdem facie quæ in paraphimoſi denudata eſt, vel ex margine præputii quo contegitur in phimoſi hydatides emergere ſeu *bullæ aquoſæ & cryſtallinæ*, quæ plenæ limphâ tenui vel craſsâ, limpidâ vel ſubruffâ, opacâ vel diaphanâ, ſolâ vel cum aere permiſtâ; numero, magnitudine, prominentiâ variæ, modò ſummum glandis apicem, modò coronam, modò dorſum, modò latera occupant; quin imò efflorescunt quandoque in phimoſi & paraphimoſi ex ipſo præputio præputiive fræno.

Pares ſimilesque affectiones obſervantur tùm in fœminis.

Hæc autem ſingula non virorum tantùm propria ſunt, ſed mutatis mutandis mulieribus quoque communia ex eâdem causâ.

Nam 1°. Vulvæ labia, nymphæ ſive pterygia, clitoris ac clitoridis præputium, & caruncullæ myrtiformes quæ vaginæ oſtium obvallant, ſi ulcuſculis defædentur malignioribus, tument & inflantur pari modo ac præputium aut glans in viris; tumorque inde obortus ſimili prorsùs ratione *inflammatorius*, *œdematodes* vel *ſkirrhodes* eſt.

2°. Quòd ſi caruncullæ myrtiformes aut vaginæ oſtium ulcuſculis gra-

vioribus tentari contigerit, inde gravis ſuperveniet vaginæ coarctatio ligaturam referens, quæ *phimoſeos* nomen jure meretur.

3°. Imò verò prodeunt interdùm ex tumentium partium ſuperficie hydatides ſeu veſiculæ limphâ plenæ, quæ *cryſtallinas* virorum *bullas* figurâ, qualitate, naturâ referunt.

4°. Simile quid in catamitis pathiciſque obſervatur, ſi in ano ex impurâ venere ulcera cacoëthea contrahant: Inde enim, quandiù ulcera ſæviunt, & gravem extremi recti inflammationem, & morboſam podicis arctitudinem ſeu *phimoſim* experiuntur. Tùm in cinædis.

5°. Demùm nec diſpar eſt nutricum conditio, quæ lactando virus concipiunt; nam experientiâ compertum eſt mammarum papillas, ſi ulcuſculis venereis baſim depaſcentibus malè habeant, indè multùm tumere in apice & morboſâ juxta baſim conſtrictione coarctari. Tùm in mammis nutricum, quæ lactando inficiuntur.

Cauſæ. Arteriæ ad præputium & glandem, ſicut ad cæteras corporis partes, communi alveo geminum humorem, ſanguinem & limpham deferunt, qui invicem ſecedentes peculiaribus diſtinctiſque vaſis, ſanguis venis, limpha limphaticis ductibus inde regrediuntur. Quandiù humores illi avehuntur copiâ eâdem quâ advecti ſunt, tandiù præputium & glans nativam formam & mollitiem retinent; ſed ſi quâcumque de causâ minori copiâ revehantur quàm convecti fuerint, tunc pro hærentis & collecti humoris copiâ præputium & glandem inflari & intumeſcere neceſſe eſt. Tument varia genitaliũ loca,

Poteſt autem advecta ſanguinis & limphæ copia copiam revectam excedere causâ geminâ, quam utramque præputium & glans cùm cæteris quibuſcumque partibus communem habent. 1°. Si parcior ſanguinis aut limphæ copia à præputio vel glande deducatur, quàm pro more ſolito, non imminutâ eorumdem humorum copiâ quæ adducitur. 2°. Si ſolito uberior eorumdem humorum copia adducatur, non adauctâ copiâ quæ deducitur, vel ſaltem non adauctâ ad eumdem modum.

I. Ideo quidem ſanguis & limpha parciori copiâ à præputio aut glande recedunt, quàm quâ acceſsêre, quòd vaſa quibus inde devehi ſolent, anguſtatâ jam amplitudine ſolito ſtrictiorem viam regreſſuris permittant, & idcirco eodem velocitatis gradu minorem eorumdem copiam jam deducant. Duas autem cauſas agnoſcimus anguſtatæ amplitudinis vaſorum venoſorum quibus ſanguis, & limphaticorum quibus limpha à præputio vel glande deferuntur. I. Quia ſanguis & limpha revehuntur parciùs.

1°. Compreſſionem, quam ab appoſitis duris ac renitentibus corporibus vaſa illa patiuntur. Inde fit ut ulcuſcula dura, calloſa, conferta, ſi majores venarum ramos aut limphæ ductus ambiant vel obſideant, qui à præputio vel glande redeunt, mole, duritie, numero cavitatem eorumdem premendo difficiliorem reddant regreſſum limphæ aut ſanguinis, ac ideo præternaturali præputii aut balani tumefactioni locum præbeant. 1. Propter compreſſionem.

2°. Conſtrictionem, quam ſanguifera vaſa aut limphatici ductus à circumjectis tendineis aut muſculoſis præputii vel balani fibris ſpaſmodicè contractis experiuntur. Inde eſt quòd ulcera eadem, ſi intenſiùs doleant, vel naturâ vel imprudenti eſcharoticorum abuſu, dum convulſiva inde cietur ex ſympathiâ fibrarum conſtrictio, interſertos vaſorum ductus nimiùm coarctent, & ſanguinis aut limphæ decubitum in præputium vel glandem producant. 2. Propter conſtrictionem.

II. Quia advehuntur uberiùs, nempe quòd à vicinis partibus admitti non possint.

II. Ideo verò sanguis & limpha solito uberiùs ad præputium vel ad glandem affluunt, quòd præcluso ad viciniores partes aditu in vasa collateralia quæ ad præputium vel ad glandem tendunt, cogantur copiosiùs divertere. Hæc locum habent quotiescumque alterutra illarum partium jam antè inflammatur : Cùm enim communes ab arteriâ pudendâ exteriore ramos habeant balanus præputiumque, si sanguis quem truncus arteriæ continenter devehit, non possit surculos qui balano prospiciunt, pervadere, quoniam propter inflammationem sanguine hærente nimiùm turgent, atque ideo facilè permeabiles non sunt, cogetur in collaterales, qui ad præputium pertinent, copiosiùs irrumpere atque adaucto cruoris affluxu præputii phlogosim vel inflammationem advocare. Sic viciſſim si sanguis trunco communis arteriæ advectus non possit in præputium jam inflammatum pro ratâ parte ut antè derivari, totus in balanum congeretur, quem ideo inflammabit. Inde est quòd inflammatio balani cum præputio, aut præputii cum balano mutuò tam facilè communicetur, ut utraque pars, si non æquè citò, at saltem simili labe ex æquo plerumque afficiatur.

Quibus de causis balanus citiùs quàm præputium ?

Contingit autem balanum citiùs quàm præputium, aut præputium citiùs quàm balanum, aut utrumque simul inflammari ex peculiari ulcerum venereorum sede. Si glandis quidem coronam ambiant, comprimendo peculiaria vasa quæ sanguinem à balano revehunt, glandis soliùs; si verò radices præputii occupent, vasa alia quæ à præputio redeunt anguſtando soliûs præputii; demùm si utrique parti insideant, simultaneam balani & præputii inflammationem advocabunt.

Quibus de causis è cõtrà præputium citiùs quàm balanus tumeat?

Cæterùm varia futura est tumoris speciés in præputio aut balano pro variâ restagnantis humoris naturâ : 1°. *Phlegmonodes* quidem, si venis compressis vel constrictis nisu validiore sanguis ipse hæreat, & hærens in vasa limphatica vi irrumpat; 2°. *Oedematodes* verò, si momentum compressionis aut constrictionis debilius sit, & vasa limphatica, quæ molliora sunt, anguſtando, limphæ tantùm coercendæ compar; 3°. Demùm *skirrhodes*, si limpha quæ in præputio aut balano retinetur, spissa, viscida, glutinosa sit, adeòque morâ dimissis sensim tenuioribus partibus in callum facilè indurescat.

Symptomata. 1. Phimosis aut Paraphimosis.

Symptomata. 1°. Inflatum præputium, ut dictum est, modò in extremo limbo coarctatur, & glandem ita comprehendit, ut ad posteriora reduci non possit, unde *phimosis*; modò contrà ponè coronam corrugatur & glandem ita constringit, ut ad anteriora non possit deduci, unde *paraphimosis*. Prius quidem accidit iis, quibus præputium naturâ longius est, præsertim in duobus casibus, 1°. Si ulceribus erodatur vel circa frænum vel circa extremum marginem, unde supremus ejusdem limbus anguſtior fiat. 2°. Si præputii tumefactio balani tumorem tempore præcedat, atque adeò possit tantò faciliùs balanum nondùm tumefactum comprehendere. Posterius verò verpis & apellis, potissimùm in contrariis totidem casibus, 1°. Si ulcera posteriorem præputii partem juxta radicem infestent, unde decurtatum præputium retrorsùm corrugatur; 2°. Si tumor præputii tumefactionem balani tempore subsequatur, neque adeo possit commodè balanum jam tumentem obvolvere.

2°.

2°. In phimoſi, cùm urina dùm mingitur nequeat ex anguſtato præputii ſummo foramine eodem tenore effluere, quo ab urethrâ defluit, neceſſum eſt ut non pauca ejuſdem copia introrsùm regurgitet, & ſubter præputium reſtitans balani & præputii faciem dolorificè irritet & inflammet morâ, acrimoniâ, ſalſugine, unde ulcuſcula latiora, profundiora, maligniora in dies fient.

2. In phimoſi urina ſub præputio interdùm reſtitat.

3°. In paraphimoſi verò, cùm urethra præputio nimiùm conſtricta ægrè pateat urinæ exiturienti, neceſſum eſt 1°. Ut mictio guttatim fiat & quaſi ex ſtillicidio, unde *ſtranguria*; 2°. Ut gravi ſtipetur dolore, quem ciet urina, dùm in inflammatam & anguſtatam partem fortiùs incurrit, unde *dyſuria*; 3°. Ut ſpaſmodico erethiſmo, quem dolor inducit, inflammatorius balani & præputii tumor intendatur, unde *ulcuſculorum incrementum.*

3. In paraphimoſi adeſt dyſuria & ſtranguria.

4°. In utroque caſu manifeſtum eſt vaſa ſanguifera & limphatica præputii & balani ſtagnante humore ultra modum turgere; debet ergo in utroque caſu limpha ſeu ſerum ſanguinis è diſtractis vaſis vi exſudare, & ſubter divulſam cuticulam in unam pluresve hydatides, ſive bullas colligi cryſtalloides, prominentes quidem vel complanatas, latas vel anguſtas pro limphæ copiâ; plenas verò ſero limpido vel ſubruffo, tenui vel craſſo, pellucido vel opaco pro qualitate effuſæ limphæ.

4. In utraque ſuperveniunt buliæ cryſtallinæ.

5°. Imò verò ſi veſiculæ diutiùs integræ duraverint, continget tandem flatu ſemiplenas obſervari, quia nempe bullulæ aereæ, quæ in limphâ intermixtæ latent, ſicut & in cæteris quibuſcumque liquidis, diutinâ caloris inflammatorii efficaciâ ſenſim extruſæ ſeroſi humoris, qui pro parte tandem evaneſcit, locum occupant in bullarum ſummo.

5. Quæ ſucceſſu tẽporis flatulentæ fiunt.

6°. Deſcriptæ bullæ multis variiſque genitalium locis inſident: Scilicet in paraphimoſi denudatæ glandis ſuperficiei aut coronæ, vel rugis frænove corrugati præputii; in phimoſi verò externæ præputii faciei, ſupremo ejuſdem limbo, aut ſummo balani apici, prout pars unaquæque exiturienti ſero debiliùs renititur.

6. Et quæ variis inſident pudẽdorum locis.

7°. Docuit experientia phimoſi & paraphimoſi, bulliſque cryſtallinis frequenter laborare mentulatos & potiſſimùm ſi cum impurâ muliere, quæ junior vel arctior ſit, rem habeant: Frequentiſſimè verò qui venere abutuntur ſodomiticâ. Et ſanè quò præputium & balanus fortiùs perfricantur & fricatione magis atteruntur & quaſi contunduntur, eò cæteris paribus inflammationi virulentæ graviùs patent, & exſudanti limphæ cedunt faciliùs.

7. Ac in pædiconibus frequẽtiſſimæ ſũt.

8°. Quotieſcunque præputii vel balani inflammatio gravior erit, febrem inde accendi toties neceſſe futurum eſt, tum anomaliâ circulationis ſanguinis, quam inflammatio infert; tum dolore urente, quo inflammata genitalia torquentur; tum demùm virulentis miaſmatis in ſanguinem ab ulceratâ parte tacitè exhalantibus, quæ ſingula ſuo quæque modo inducendæ febri ſymbolam conferunt.

8. Inflammato præputio vel balano febris ſupervenit.

9°. Cæterùm quæ de viris dicimus, debent quoque mutatis mutandis de fœminis intelligi, ſi eâ phimoſeos ſpecie laborent, cui poſſunt ipſæ obnoxiæ eſſe. Scilicet 1°. Mictio difficilis & dolorifica futura eſt; *difficilis* quidem, quia urethra ab inflammatis partibus coarctabitur; *dolorifica*

9. Quæ ſingula mutatis mutãdis communia ſũt cum

fœminis. verò, quia urina dùm effluet, inflammatas aut ulceratas partes distrahet aut irritabit. 2°. Inde manifestum accedet augmentum inflammationi & exulcerationi affectarum partium, quas lotium irritando duriùs habebit. 3°. Tandem, si ea nimia sint, serum à stagnante sanguine sensim expressum subter cuticulam colligetur in crystallinas hydatides, bullis, quæ in virorum genitalibus inflammatis emergunt, formâ, qualitate, causâ similimas. Solent autem istiusmodi hydatides in fœminis efflorescere potissimùm in vulvæ labiis, nymphis sive pterygomatis, clitoride, clitoridisque præputio & carunculis myrtiformibus, quoniam partes illæ cùm laxæ sint & pendulæ, hærente sanguine faciliùs turgent.

10. Cum catamitis. 10°. Nec dispar est conditio catamitorum pathicorumque, in quibus ani confinia ulcusculis venereis & phimosi tentantur; inde enim fæcum egestio parca, difficilis, dolorifica est; quin imò crescente in dies morbi malitiâ si negligatur, crystallinæ bullæ ad ani marginem non rarò prodeunt, bullis modò descriptis planè compares.

11. Cum nutricibus. 11°. Tandem nutrices ipsæ, quæ lactatione labem concepêre, & quibus contingit ut mammarum papillæ inflammatæ & ulcerosæ phimosi stringantur, 1°. Experiuntur simili successu lactationem difficilem & dolorificam, quia lac per constrictos inflammatæ papillæ ductus manare non potest, nisi parcissimè & ægerrimè: 2°. Habent plerumque papillas variis hydatidibus obsitas, nisi urgenti morbo prompta adhibeatur medela.

Diagnosis tumoris balani vel præputii. *Diagnosis.* I. Morbi quidem natura evidens est, cùm tumor præputii vel balani in viris; variarum vulvæ partium aut ostii vaginæ in mulieribus; marginis ani in catamitis; demùm papillarum in lactantibus, vel ipsis sensibus obvius sit.

Ac diversæ tumoris speciei. II. Nec difficilius est morbi speciem dignoscere, cùm sensuum testimonio perinde manifestum sit an tumor ille rubeat, caleat, doleat, & inflammatorius; an mollis, laxus, indolens, & œdematodes; demùm an durus, renitens, indolens, & skirrhodes sit?

Phimoseos & paraphimoseos. III. Licet pari modo & tactu & visu diversum præputii situm observare, atque adeò phimosim, in quâ præputium in extremo limbo coarctatum glandem totam contegit, à paraphimosi distinguere, in quâ denudatus balanus à præputio ad glandis radicem retracto constringitur.

Bullarumque crystallinarum. IV. Similiter sensuum eorumdem adminiculo facile est certò pronuntiare de præsentiâ, numero, qualitate & situ bullarum limphaticarum seu hydatidum crystallinarum, quæ in pudendis efflorescunt in utroque sexu.

Singularúmque causarum, quibus inducuntur. V. Demùm nec obscurum esse potest judicium de morbi causâ, cùm oculis quidem pateant ulcuscula, quæ genitalia obsident, & à quibus morbus producitur; aliunde verò manifestum sit ea ulcuscula ab impurâ venere ortum ducere tum ægrotantis confessione de impuro vel suspecto concubitu querentis, tum descriptione ulcusculorum venereorum superiùs traditâ *præcedente Capite.*

VI. Proinde haud difficile est cavere ne venereus præputii & balani aut muliebrium tumor, vel venerea earumdem partium phimosis vel paraphimosis, quæ remediis ægrè cedunt & periculo numquam vacant, temerè confundantur cum tumefactione vel constrictione quâvis, quæ iis-

dem partibus accidunt quandoque ex leviore phlogosi & sine ulcusculorum præsentiâ, scilicet vel petulcâ contrectatione sæpius iteratâ, vel laboriosâ & difficili venere, quantumvis purâ, quâ cum teneriore virgine vir mentulatus sæpiùs usus sit; & quæ proinde periculi immunes sunt, & sponte brevi discutiuntur, modò ægrotantes à causâ quâ inductæ sunt, se abstinere velint.

Prognosis. Tumor qualiscunque præputii & balani, qui ab impurâ venere originem ducit, I. Semper gravis est, tùm ratione symptomatum, cùm dolorem, inflammationem, stranguriam &c. comites habeat; tùm ratione causæ, quæ contumax & maligna vel altas radices jam egit, vel brevi actura est, nisi citò occurratur. Prognosis in genere.

II. Semper periculosus est, cùm in gangrænam & sphacelum plerumque desinat, quibus mederi ferè non licet, nisi circumciso præputio, imò amputato veretro, si labes altiùs penetraverit.

III. Demùm semper curatu difficilis est, cùm vitioso quasi circulo penis quidem ulcuscula à præputii & balani tumefactione, tumefactio verò præputii & balani ab ulcusculis penis vicissim vires mutuentur; & cùm ambo simul ab internâ causâ, nempe seminio venereo ita foveantur, ut artem diù eludant & aliquando superent.

IV. Itaque quamvis prognosis nunquam fausta esse possit, variè tamen varianda est, atque adeò magis vel minùs funesta instituì debet. Quæ in particulari varia instituì debet.

1°. Pro naturâ quidem & specie tumoris; hinc affectus gravior & periculosior censendus est, si tumor inflammatorius sit, ut qui graviora inferat symptomata, & in gangrænam sæpiùs celeriùsque desinat: Contrà minùs gravis & minùs periculosus, si œdematodes fuerit, quia mitioribus stipatur symptomatis, neque tam tristem exitum minatur: Demùm curatu difficilis & maximè contumax, si skirrhodes, quoniam limpha in callos indurata ægriùs discutitur, quàm hærens vel devius sanguis, aut limpha stagnans quidem, sed fluida. 1. Pro tumoris specie.

2°. Pro ratione & gradu tumoris; scilicet eò magis minùsve gravis, periculosus, contumax futurus est tumor qualiscunque præputii & balani inflammatorius, œdematodes, skirrhodes, quò inflammatio, œdema, skirrhus, magis minùsve intensa & gradu majora vel minorâ futura sunt. 2. Pro tumoris gradu.

3°. Demùm pro effectibus, quos tumor advocat; sic morbus periculosæ plenus est aleæ 1°. Si dolor acer, stranguria urgens, febris ardens &c. adsint, unde manifestum fiat, omnia brevi in pejus ruitum ire. 2°. Si in graviore phimosi inflatum præputium glandem ita contegat, ut ulcuscula, quæ sunt prima mali causa, nec detergi nec curari possint, aut si in paraphimosi intensiore glans corrugato ad posteriora præputio tam arctè constringatur, ut præcluso sanguinis regressu inflammatio invalescat cum gangrænæ periculo. 3°. Tandem si in præputio aut balano ex inflammationis intensione & diuturnitate, bullæ seu hydatides crystallinæ efflorescant, quæ sunt veluti prima gangrænæ incipientis indicia. 3. Pro tumoris effectibus.

Curatio. Tribus indicationibus in genere satisfaciendum est, quæ subsidiario veluti ordine sibi succedunt: Primæ, ut pacatis vel temperatis sanguinis motu, fervore, orgasmo, partisque affectæ dolore, tensione & erethismo, fausta promoveatur inflammationis & intumescentiæ resolu- In curatione tres sunt indicationes.

tio : Alteri, ſi ea ſecùs eveniant, ut ſaltem imminens præcaveatur gangræna, remotâ diligenter causâ, à quâ metuenda videretur : Tertiæ denique ſi morbus artem eluſerit, ut incipiens ſphacelus celeriter reprimatur, ſi ita liceat, vel cæteroquin crudeli ſed neceſſariâ operatione citò extirpetur.

Prima, ut inflammationis reſolutio procuretur.

I. Itaque ex legibus primæ indicationis, 1°. Sanguis in principio largiter mittendus eſt ex venis cubiti alterutrius, non modò ter quaterve, ſed etiam ſi morbi vehementia ita poſtulaverit, quartâ quâque horâ per unum aut alterum diem, ut depletis eâ ratione vaſis, fractoque cordis & arteriarum pulſu nimio; cruoris quidem affluxus ad partem dolentem parcior ſit & debilior, refluxus verò uberior faciliorque.

2°. Ab omni eſcharoticorum & cathæreticorum uſu illico cautè abſtinendum, ne gravi dolore quem cient, fibroſa partium ſtamina convulſivè ita criſpentur, ut ſolitus ſanguinis commeatus difficilior inde fiat.

3°. Imò verò contrà adhibenda ſedulò emollientia, relaxantia, paregorica, quæ dolorem compeſcendo & erethiſmum mitigando cruoris circulationi faveant. Conducibile eſt in hunc finem partem affectam fovere, lacte ſubtepido ſolo, vel cui flores & cortex medianus ſambuci incocti fuerint; decocto radicum althææ & nymphææ; infuſo mucaginoſo ſeminum pſyllii & lini in aquâ roſarum &c. vel ſummo peni tepidè admovere cremorem recentem ſeu florem lactis; cataplaſma de micâ panis cum croco & ovi vitello, vel quod efficacius eſt, admiſtâ ſaponis albi raſurâ temperatum &c.

4°. Utile eſt in eumdem finem tum ſomnum, ſi dolore nimio impediatur, narcoticis conciliare, ut Decocto unius alteriuſve capitis papaveris albi, Syrupo de diacodio ab ℥ ß. ad ʒ vj. Opio vel laudano à gr. j. ad ij. Tincturâ anodynâ à gutt. xx. ad xxx. Pilulis de cynogloſſo à gr. v. ad x. &c. tum alvum quotidie laxare enematis emollientibus, diluentibus, eccoproticis, ex aquâ fluviatili tepidâ, purâ; vel oleo amygdalarum dulcium, butyro recenti, melle violaceo aut mercuriali, medullâ caſſiæ &c. temperatâ.

5°. Si febris comes adſit, ut ferè perpetuum eſt quotieſcunque tumor inflammatorius gravior eſt, æger à ſolidioribus cibis interdicendus & juſculis tantùm vel dilutis cremoribus nutriendus eſt; largus ſimul potus imperandus eſt tenuioris juſculi ex pullo gallinaceo, vel ptiſanæ ex decoctis radicibus althææ, nymphææ, acetoſæ, cichorii &c. additâ pro librâ quâlibet ſemi-drachmâ cryſtalli mineralis vel ſalis prunellæ. Demùm bis in die propinandæ emulſiones dilutiores ex ſeminibus frigidis, ſemine lini, papaveris albi & cannabis, ut nimius ſanguinis fervor efficaciter contemperetur.

6°. Cæterùm expedit ægrum, ſi morbus urgentior fuerit, in lecto decumbere ſitu corporis ſupino, tum ut quietus otioſè jaceat, tum ut remedia commodiùs poſſint & admoveri & contineri, tum potiſſimùm (a) *ut coles ad ventrem deligari poſſit, quod in omni curatione ejus neceſſarium eſt*, ut ſuprà docuimus *cap.* 7. §. 5.

(a) Celſus, *de Medic. Lib.* 6. *cap.* 18.

7°. Dum hæc universalia in usum advocantur, topicis simul insistendum est, quæ partis labem corrigant. Quamobrem si phimosis adsit glansque arctiùs contegatur, (a) *clystere auriculario inter eam cutemque inserenda est* vel aqua pura tepida; vel ptisana ex decocto hordei, cui dissolutum sit mel rosaceum, aut ex decocto radicis althææ, cui semen psyllii infusum fuerit; vel aqua calcis dilutissima cum admistis aliquot sacchari Saturnini granis; ut quicquid sordium sub præputio latet, eluatur, ulcera detergantur, phlogosis temperetur, demùm ut rigidiores fibræ relaxentur & emolliantur.

8°. Si verò glans in paraphimosi denudata sit, levi suspensâque manu decoctis iisdem identidem eluenda & fovenda, ulcera singula accuratè ab omni pure abstergenda, tuthiâ vel cerussâ pulveratis inspergenda, complicati præputii rugæ singulatim everrendæ, ut detractâ spurcitie possit inflammatio tantò faciliùs promptiùsque resolvi vel saltem remitti.

9°. At si vel in summo præputii limbo in phimosi, vel ad balani dorsum aut coronam, præputiive frænum aut rugas in paraphimosi bulla seu hydatis limphatica emergat, quam vulgò crystallinam dicunt, locus fovendus est decocto hordei cum melle rosaceo, lacte cui flores sambuci & chamæmeli incocti sint, aquâ calcis cum saccharo Saturnino, vino tepido in quo ferrum ignitum extinctum fuerit, aut aquâ vitæ camphoratâ &c. leniora scilicet vel fortiora seligendo, prout necroseos periculum magis vel minùs urgere videbitur.

10°. Si urina parcè, laboriosè, dolorificè emittatur, aut si cùm emittitur, pars subter præputium regurgitet, expedit in utroque casu cannam plumbeam argenteamve tenuiorem in urethram intrudere, quâ lotium faciliùs exeat, & aptatis funiculis ita continere, ut elabi nullomodo possit. Identidem tamen canna de industriâ removenda est, ut urethræ status exploretur, & ut sordes quæ adhærescunt eluantur.

11°. Ubi primùm partis inflammatio remiserit, ad usum blandorum resolventium properandum est, quæ motum sanguinis & limphæ urgendo, & systalticam partium contractionem sollicitando, affectæ partis contextum pristinæ laxitati, mollitiei, ductilitati restituant. Laudantur ex hoc censu lac decoctum cum floribus meliloti, chamæmeli, sambuci &c. cataplasma ex micâ panis siliginei decoctâ cum vino rubro; puls ex quatuor farinis resolventibus in leni lixivio sarmentorum cocta, addito pulvere florum chamæmeli & meliloti oleoque chamæmelino; puls ex farinâ fabarum in decocto foliorum hyoscyami albi; cataplasma ex terrâ cimoliâ, quæ in samiatorum sive cultrariorum situlis ex ferri & cotis ramentis colligitur; cataplasma ex pulpâ radicis bryoniæ in aquâ coctæ & foliorum hyoscyami sub cineribus maceratorum &c.

12°. Si res pro votis successerit, laxatum semel præputium versùs glandis radicem leniter reducendum est in phimosi, ut ulcera quæ subtùs latent, detergi & mundari possint. Id autem feliciùs numquam obtinetur, quàm si balanus summis digitis ita comprimatur lateraliter, ut antrorsùm protensus ultra summum arctati præputii marginem sensim deducatur vi

(a) Celsus, ibid.

eâdem quâ præputium ipſum eodem tempore, ſed motu contrario retrorsùm reducitur. Detectæ eâ ratione tum balani, tum præputii facies eluendæ, detergendæ, everrendæ ſunt decoctis emollientibus, reſolventibus, detergentibus, quæ variè variare oportet pro diversâ ulcerum conditione. Quòd ſi alicubi præputium glandi forſan coaluerit, levi manu invicem divellenda ſunt, vel diſſecanda ſummo ſcalpello.

13°. Pari conſilio in paraphimoſi corrugatum præputium explicandum & ad anteriora deducendum eſt, ſimul ac reſolutione relaxabitur. Id autem nequaquam tentandum eſt, ut à Chirurgis artis minùs gnaris non ſemel tentatum novimus, ſummum glandis apicem impoſito digito retrorsùm pellendo, cùm eâ ratione glans magis expandatur, adeoque latior ſupra annularem præputii ambitum magis extuberet, ſed contrà balani latera ſummis digitis molliter ita comprimenda, ut glans longior inde fiat & exilior; ſimul verò præputium digitis iiſdem ad anteriora blandè deducendum. Quo ſemel confecto oportet explicatas præputii rugas rugarumque ſulcos ritè fovere, eluere, detergere & relaxare decoctis variis ſuprà propoſitis.

14°. Tunc remittente inflammatione, therapeia qualem ad venerea ulcera propoſuimus *præcedente Capite*, vel redintegranda eſt, ſi jam antè adhibita fuerit, vel jam de novo adhibenda, ut eâ methodo ulcera quæ latebant, ſuppurata, deterſa, mundata cicatrice tandem coaleſcant. Verùm ſeligenda ſuppurantia, detergentia, mundificantia leniſſima; imò etiam anodynis & paregoricis plerumque cautè temperanda, ne inflammationem renovare ullo modo poſſint.

15°. In fine morbi alvus blando cathartico identidem ſubducenda, tum ut eliminetur cacochylia, quæ in primis viis congeſta eſt ex errore diætæ vel coctionis, tum verò ut ſubtrahatur veneni pars quod morbum etiamnum fovet. Utrumque ſcopum feliciter implet medulla caſſiæ ab ʒ j. ad ad ʒ j. ß. cum Mercurii dulcis granis xx. alternis diebus iteranda.

16°. Cæterùm cùm evidens ſit venereas inflammationes præputii & balani vel à contagio dudùm latente produci, quod ſanguinem jam pridem infecerit, vel ſi à recèns admiſſo forſan illatæ ſint, locum ſaltem dediſſe ut haud pauca concepti contagii pars in ſanguinem deduceretur, quandiù inflammationis vehementia debitæ obſtitit puris deterſioni, operæ pretium eſt in utroque caſu, ut curatio feliciùs ſuccedat & perfecta ſit, morbo jam remittente mercuriales inunctiones adhibere, legitimas quidem & ex artis præceptis, quales infrà proponemus *Lib. 4. cap. 7.* ſi certa ſint luis indicia; leviores verò, quales jam ſæpè propoſuimus, ſi haud ita firma fuerit luis ſuſpicio.

17°. Univerſa quæ de viris hactenus attulimus, perinde conducunt ferè ſingula mulieribus, ſive mammarum papillas, ſive muliebria venereo contagio tumentia, inflammata, contaminata habeant. Hæc eadem paucis mutatis de catamitis vera ſunt, quibus anus tumore inflammatorio obſidetur ex ulcuſculis venereis. In his enim ad ſummum duo ſunt, quæ paulò ſcrupuloſiùs attendenda videantur; prius quidem, ut tenuiſſima diæta ex ſolis juſculis ſtatim imperetur, ne fæces, ſi nimiæ aut duriores eſſent, inflammationem augerent dum egererentur; alterum verò, ut alvus enema-

tis quotidie liquetur, quæ ſint ex genere anodynorum & paregoricorum, ſcilicet ex lacte, ex ſero lactis, ex decocto radicum althææ, foliorum verbaſci, cynogloſſi, quatuor ſeminum frigidorum, ſeminis lini, papaveris albi &c. ex juſculo pingui; quibus ſingulis admiſcebitur ovi vitellus, vel ſaccharum album, vel oleum ex amygdalis dulcibus expreſſum; imò etiam præſtabit quandoque oleum amygdalinum ſincerum clyſteris formâ immittere.

Altera ſi ut imminens gangræna præcaveatur.

II. Si verò arte elusâ vel ſuperatâ inflammatorius præputii aut balani tumor in dies ingraveſcat cum doloris, caloris, tenſionis augmento, imò ſi ita perſiſtat, ut uſu propoſitorum remediorum intra ſex ſeptemve dies ad reſolutionem proximè non tendat, meritò timendum eſt in utroque caſu ne ſtagnantis ſanguinis copiâ & virulenti humoris morâ in gangrænam deſiturus ſit. Quocirca advocato Chirurgiæ auxilio diſcindenda ſtatim repagula, quibus ſanguinis circulatio inhibetur vel retardatur, & via vi aperienda eſt ſtagnanti cruori, ut poſſit inde inflammatio vel reſolutione celeri, vel tutâ ſuppuratione feliciter terminari, ac proinde juxta ſcopum ſecundæ indicationis imminens præcaveatur gangrænæ periculum.

Itaque eo fine, 1°. In phimoſi præputium incidendum eſt, non quidem ſupra balani dorſum, quà grandiora vaſa perreptant, ſed ad alterutrum vel utrumque glandis latus: Igitur intruſo ſenſim inter præputium & glandem alterutro forficum ſcapo, qui ſimus ſit & præpilatus, comprehenſa cutis altè diſſecanda eſt, & ſi unica ſectio detegendæ glandi non ſufficiat, compar in parte oppoſitâ inſtituenda eſt ſimili cautione. Quòd ſi commodè non poſſit præ anguſtiâ loci ſcapus forficum ſatis altè intrudi, ſpecillum ſulcatum ſeu ſtriatum priùs inſinuandum eſt, cujus ope facilior certiorque via apici ſcapi aperiatur. Sunt quibus videatur præſtabilius loco forficum cultello tenuiore uti ad formam ſcalpelli ſcriptorii, cujus apex vel ſolus ſed globulo cereo armatus, vel per crenam ſpecilli priùs immiſſi ſubter præputium pedetentim plano ſitu introducitur ad optatam altitudinem, & quo pertuſum ſemel præputium retrahendo diſcinditur: Sed in re iſtiuſmodi, quæ levioris momenti eſt, cuilibet ut ſuo ſapiat ingenio, facilè permittendum cenſemus.

2°. Simili conſilio in paraphimoſi annulares rugæ complicati præputii, quibus glandis corona arctiùs ſtringitur, vulgari ſcalpello, quod *Biſtouri* dicunt, tranſverſim diſſecandæ inciſuris aliquot perpendicularibus, quæ penis rectitudini reſpondeant, adductoque dein præputio ſuper glandem rugæ antè conſtipatæ ſedulò explicandæ ſunt. Oportet autem inciſuras præputii in præſenti caſu, ſicut inciſiones ejuſdem in præcedente opplere ſtatim linamento ſicco ad hæmorrhagiam reſtinguendam, ac poſteà digeſtivo ſimplici & deinde balſamo Arcæi curare, ut artis eſt.

3°. In priore quidem operatione revoluto poſt inciſionem præputio exulcerationes malignæ fœtidæque, quæ ſubtùs latebant; in poſteriore verò explicato præputio, fiſſuræ rhagadeſque omnes, quæ intra ſulcos deliteſcebant, diluentibus, relaxantibus, reſolventibus, vulnerariis, phagædenicis, qualia ſuprà propoſuimus, eluendæ, ſuppurandæ, detergendæ, mundificandæ ſunt, donec ex artis legibus cicatrice tandem obducantur.

4°. Si qua bulla cryſtallina nec reſolutione evaneſcat, nec ſponte diſ-

rupta diffluat, ſummo apice latâ plagâ incidenda erit, viaque paranda contentæ limphæ, ut ſtamina in confinio nimiùm diſtracta relaxentur, atque eâ ratione præcaveatur imminens gangræna, quam humor morâ acrior illaturus eſſet. Deinde ſi qua appareant incipientis livoris ſigna, baſis bullæ ſuperficiariè priùs ſcarificata contegenda eſt penicillo ſeu plumaceolo aquâ vitæ camphoratâ, tinctura myrrhæ, vel collyrio Lanfranci imbuto, quæ identidem renovabuntur, donec advocatâ ſuppuratione & delapsâ ſyderatâ ſuperficie, necroſeos periculum deceſſerit.

5°. Singula, quæ attulimus de inflammatione genitalium in viris, perinde conducunt tùm mulieribus, ſi vulva vel mammarum papillæ; tùm catamitis muliebria paſſis, ſi ani confinia venereâ inflammatione nimiùm tumeant, quæ remediorum efficaciam eludat & in gangrænam brevi abitura videatur. Scilicet partes, quæ dolorificè diſtentæ, cruore turgidæ, ſiderationi proximæ ſunt, ſcarificandæ confertis quidem inciſuris, ſed magis minùſve altis pro contextûs naturâ & ſenſûs conditione. Deinde poſtquam ſanguis ſtagnans, ichorve putreſcens guttatim exſtillaverint, reſolventia, ſuppurantia, traumatica ſive vulneraria, phagædenica adhibenda ſunt ex artis legibus, dùm partes deturgentes & nativam laxitatem adeptæ cicatrice coeant.

Tertia, ut gangræna incipiens reprimatur vel extirpetur.

III. Tandem ſi morbus remediis major ſit, & præcisâ ſpe omni avertendæ gangrænæ, certa jam appareant necroſeos indicia, tunc una ſalus ſupereſt, ut in tertiâ indicatione propoſuimus, incipientem ſcilicet gangrænam celeriter reprimere, vel ſi jam reprimi non poſſit, amputatione partis affectæ radicitùs extirpare, ſed de his infrà, tertio hujuſce capitis artic. ubi *de genitalium ſphacelo*.

§. II. DE PHYMATIS ET TUBERCULIS CALLOSIS, CHORDISVE SKIRRHOIDIBUS BALANI ET PRÆPUTII.

Deſcriptio phymatum & chordarum.

Deſcriptio. Diſcuſſis venereis præputii aut balani tumoribus, vel ſanatis ulcuſculis ſuperſunt interdum duriores & renitentes calli, numero & mole varii, modò in ipſo partis contextu ſepulti & ſolo tactu dignoſcendi, modò prominentes & viſui quoque obvii, qui ſi nodorum inſtar conglobati ſint, *phymata* ſeu *tubercula* appellantur, *chordæ* verò ſi inſtar funiculi in longum porrigantur.

Solent autem conglobata phymata in quacumque præputii aut balani parte adeſſe: Ea tamen potiſſimùm loca affectant, quibus ulcuſcula venerea profundiora inſederunt. Hinc frequentiſſima in extremo præputii margine, in coronâ balani, in fræno quo balanus cum præputio committitur.

Dùm skirrhodæa ſint.

Sic etiam skirrhoides chordæ, etſi quamvis præputii aut balani partem occupare poſſint, frequentiùs tamen obſervantur in extremo præputii circulo, qui anguſtatur in phimoſi; in rugis, in quas præputium complicatur in paraphimoſi; in fræno præputii & in coronâ balani, quæ ulcuſculis gravioribus & catenatim diſpoſitis obſepta fuêre.

Quandiù phymata ſeu chordæ hujuſcemodi naturam calli ſeu skirrhi retinent, dolore, utcumque premantur, ac omnimodo ſenſu carent; ſed

ad

ad ſummum ſi mole nimiâ tumeant, obſtant ne libera ſit præputii ſuper balanum deductio vel adductio, atque adeò phimoſim vel paraphimoſim habitualem inferunt.

At verò accidit interdùm, ut progreſſu temporis ſenſim intumeſcant, incaleſcant, lancinent & obſcurè doleant ſi comprimantur, ſi tento & rigente veretro veneri militandum ſit, aut ſi jam iteratò militatum fuerit, & tunc ad carcinomatoden naturam proximè degenerant. Dùm in carcinomata degenerant.

Quòd ſi periculum inde imminens celeriter non præcaveatur; tractis in conſortium vicinioribus partibus, auctâque in dies mole manifeſtè dolent, lancinant, calent, mutatâque figurâ in apicem faſtigiatum extuberant, quem cutis tenſa, lævis, lucens, rubra obtegit; & tunc carcinoma confirmatum eſt, quod pro diverſis ſitu aut mole phymatum vel chordarum, à quibus initium duxit, modò balanum præputiumve totum, modò partem tantùm balani præputiive occupat. Dùm ſunt carcinomatodea.

Quandiù cutis carcinomati ſuperjecta integra eſt, necdum diſciſſa, carcinoma latens ſive occultum dicitur; verùm ubi primùm tumoris incremento cutis dilacerata in ulcus abiit, carcinoma mutato nomine jam apertum & exulceratum appellatur.

Carcinomati præputii balanive, ſive occulto, ſive exulcerato, omnia eadem accidunt ſymptomata, quæ bubonis carcinomatodis propria eſſe ſuprà diximus (*Cap. 6. §. 3.* & tantò quidem intenſiora, quantò ſenſus præputii & præſertim balani acutior eſt & magis exquiſitus præ ſenſu glandularum inguinalium.

Hæc eadem in mulieribus etiam obſervantur ſimili de causâ, in quibus vulvæ labra, pterygomata ſive nymphæ, clitoris clitoridiſque præputium, & myrtiformes carunculæ phymatis calloſis iſtiuſmodi interdùm conſita ſunt, quæ à prægreſſis ulcuſculis vel inflammationibus venereis ſuperſunt: Imò verò in quibus non rarum eſt vaginæ oſtium chordâ ſkirrhode annuli inſtar arctatum habituali quaſi phimoſi conſtringi, unde fit ut ſcortilla diobolaria, quæ obviis quibuſcumque corpus jam pridem vulgavere, poſt contracta venerea ulcuſcula ementitam virginitatem aliquando præ ſe ferant. Deſcriptio earumdem affectionũ in fœminis.

Sicut autem in viris, ſic & in fœminis calloſa ea phymata & ſkirrhodes chordæ ſolent interdùm in tumores carcinomatodes & vera demùm carcinomata ſenſim abire progreſſu eodem & æquè funeſto ſucceſſu.

Utrumque catamitis etiam familiare eſt, in quibus poſt ulceroſam ani inflammationem venere contractam, tubercula phymataque varia ani marginem interdùm obſident, dura, calloſa & in cancroſam naturam ſæpè degenerantia; & in quibus à causâ eâdem tanta eſt aliquando ani arctitudo, ſeu phimoſis quaſi habitualis, ab annullari chordâ ſkirrhode inducta, ut fæces niſi priùs ſolutæ & enemate quaſi liquefactæ ſint, nequeant egeri, imò etiam nec eo pacto egerantur unquam ſine dolore. Et in cãtamitis.

Cauſa. Calli omnes tumoreſve calloſi fiunt in parte molli ab humore viſcido præternaturam indurato. Debent igitur tubercula, phymata, chordæ ſkirrhodes tùm balani, tùm præputii, quæ ſingula ad callos tumoreſque calloſos pertinent, ab humore iſtiuſmodi in præputii balanive contextu ſpiſſeſcente dependere. Phymata & chordæ ſkirrhodes fiunt à limphâ.

Sunt autem in ſummâ duo tantùm humores, qui præputium balanumve alluant, ſanguis nempe & limpha. Sanguis verò, cùm ad ſuppurationem concipiendam naturâ comparatus ſit, dùm in parte quâvis retinetur, vix unquam poteſt in callum indurari, neque adeò inde arceſſenda videtur cauſa phymatum, tuberculorum chordarumque, quæ in præputio vel balano obſervantur. Supereſt ergo, ut tumores illi repetantur ab induratâ limphâ; cujus ſanè concluſionis veritatem abundè teſtantur & color phymatum, quæ cum limphâ inſpiſsatâ ejuſdem coloris ſunt, nempe albicantis; & phymatum ſitus, quæ iis partibus inſident, ubi potiſſima eſt limphaticorum copia.

Quæ ibidem hæret vel congeſtione, vel extravaſatione,

At verò non poteſt limpha in callos unquam indurari, niſi hæreat; tandiù enim inſpiſſationis impatiens eſt, quandiù jugi fluxu indeſinenter renovatur circulando. Hæret autem duabus de cauſis, 1°. Quia ſtagnat copioſiùs collecta intra ductus diſtentos quidem, ſed tamen integros: 2°. Quia extravaſatur è laceris ductibus effuſa inter vaſorum vicinorum interſtitia. Utrique cauſæ locum, eſſe in venereis præputii & balani tumoribus & ulcuſculis manifeſtum eſt, in quibus 1°. Vaſa limphatica comprimuntur & anguſtantur, unde limpha in tenuioribus horumce vaſorum capillamentis cogitur cumulari & ſtagnare; 2°. Exiles limphaticorum ramuli nimiâ copiâ limphæ congeſtæ diſcerpuntur, unde cogitur collecta limpha guttatim effundi & extravaſari.

Et ibidem ſpiſſeſcit tùm exhalatione partium aquearum, tùm efficaciâ veneni venerei,

Verùm non ſufficit ad callorum geneſim limpham hærere, ſed prætereà opus eſt ut hærendo inſpiſſetur, dimiſſis ſtatim tenuioribus partibus, quæ aquoſæ ſunt, deinde ad intimiorem contactum adductis cæteris, quæ craſſiores ſunt & viſcidæ. Dimittuntur quidem partes tenuiores & aquoſiores, tùm quia copiâ & preſſione limphæ ponè urgentis exſudant, tùm quia calore & æſtu partis exhalant. Ad intimiorem verò contactum adducuntur partes cæteræ, tùm quia jam exulant partes aquoſiores, quarum interventu ſejungebantur, tùm quia ab admiſto contagio venereo acido aut ſalſo-acido denſiùs conſtipantur.

Hæc omnia unà ſimul concurrunt in tumoribus, ulceribuſve venereis, ad producenda in præputio aut balano phymata: Siquidem 1°. Vaſa collectâ limphâ turgent; ergo preſſu debent exſudare partes limphæ tenuiores: 2°. Calet & æſtuat pars inflammata; ergo debent partes eædem exhalare fervore: 3°. Partes craſſiores limphæ dimiſſis ſemel tenuioribus in ſe propiùs accedunt; ergo debent ſtrictiùs denſari; 4°. Demùm inſpiratum limphæ ineſt contagium venereum, cujus natura acida eſt aut ſalſo-acida; debet ergo limphæ craſſamentum magis inde conſtipari. Proinde nequaquam mirum eſt, ſi eâ cauſarum ſyndrome phymata calloſa, poſt diuturnos tumores venereos aut graviora ulcera, in præputio & balano tam ſæpè obſerventur.

Cauſæ diſcriminum, quæ in phymatis & chordis obſervantur.

Modò quidem diſcreta, conglobata, orbicularia, chalaziorum inſtar grandinoſa futura ſunt, ſi ſuccedant vel diſcretis ulcuſculis venereis, vel diſcretis congeſtionibus, quæ ſingulares areas ideo affectaverint, quòd ibi forſan major fuerit texti inertia, ſeu uberior collectæ limphæ copia.

Modò verò in ſkirrhodes chordas porrigentur, ſi ulcera quibus ſuperſunt, unâ ſerie ſibi invicem continua fuerint, vel quod frequentius eſt, ſi

peculiari partis conformatione congeſtio in longum extenſa fuerit. Inde eſt *exempli causâ*, quòd in phimoſi extremus præputii margo, qui anguſtatur; in paraphimoſi ejuſdem rugæ, quæ in ſulcos complicantur; in utrâque frænum & corona balani chordis skirrhodibus ſæpiſſimè obrigeſcant.

Quæcunque de phymatis venereis genitalium in viris dicta ſunt, hæc eadem conveniunt phymatis quæ ex impurâ venere muliebria in fœminis, aut ani confinia in cinædis occupant. Nam & perinde fiunt congeſtione induratæ limphæ; & peculiares quoque eorumdem differentiæ in diſcreta ſeu orbicularia, & catenata ſeu in chordas porrecta à ſimilibus cauſis perinde deducendæ ſunt. Notandum tantùm phymata in mulieribus & cinædis plerumque rariora eſſe quàm in viris, quia ex vaſorum ſitu partiumque conformatione fluxus ſanguinis & limphæ minùs inhibetur in venereis muliebrium aut ani, quàm præputii vel balani inflammationibus & ulceribus.

Quæ ſingula de mulieribus, & de catamitis debent intelligi.

Symptomata. 1°. Quandiù limpha in phymatis chordiſve skirrhodibus indurata nullo cietur motu expanſivo, tandiù nec locus eſt violentæ diſtractioni fibrillarum nervearum juxtà poſitarum, nec compreſſioni vaſorum ſanguiferorum juxtà repentium ſanguiniſve hærentiæ. Ergo per id tempus phymata chordæque tum dolore, tum calore vacare debent.

Symptomata. 1. Abſentia doloris & caloris.

2°. Verùm ſi mole ita nimia fiant, ut præputii ambitus anguſtetur, vel augeatur balani craſſitudo, alterutro vitio perinde obſtitura ſunt deductioni vel adductioni præputii ſuper balanum. Inde ergo inducetur habitualis phimoſis vel paraphimoſis.

2. Phimoſis aut paraphimoſis habitualis.

3°. Itaque ſi anguſtatio ſit in extremo præputii margine, vel ſi tumor in balano ſit coronæ finitimus, in utroque caſu præputium ſemel adductum ægrè deducetur, potiſſimùm ſi longius fuerit. Tunc ergo balanus denudari non poterit vel ægrè denudabitur, atque adeo phimoſis habitualis futura eſt.

3. Aliquãdo phimoſis.

4°. Contrà verò ſi anguſtatio præputii ſit in parte poſteriore, aut ſi balani tumor ejuſdem apicem occupet, deductum ſemel præputium ægrè adducetur, præſertim ſi brevius ſit. Tunc ergo balanus non poterit contegi vel ægrè contegetur, atque adeo paraphimoſis habitualis futura eſt.

4. Aliquãdo paraphimoſis.

5°. Pari modo in fœminis oſtium vaginæ, ſi craſſioribus phymatis vel chordâ skirrhode obſideatur, anguſtiore rimâ patebit. Inde ergo fiet habitualis phimoſis virginitatem mentiens in corruptis, quæ jam virum ſæpiùs expertæ ſunt.

5. Phimoſis vaginæ in fœminis.

6°. Similiter in cinædis, ſi ani confinia aut infima recti pars vel phymatis anguſtentur, vel chordâ skirrhode conſtringantur, tanta ani arctitudo ſeu phimoſis futura eſt, ut fæces alvinæ ægrè egerantur, imò etiam vix egeri poſſint niſi liquidiores & enemate jam ſolutæ.

6. Et ani in cinædis.

7°. Quòd ſi tandem acrimoniâ vel fervore ſanguinis, errore diætæ, contrectatione vel fricatione nimiâ &c. phymata irritata vel agitata fortiùs ſubinde rareſcant, niſu expanſivo tum diſtrahent identidem continentes tunicas fibraſque nerveas intertextas, tum vaſa circumflua comprimendo ſanguinem retinebunt. Inde igitur frequens lancinatio cum caloris ſenſu, unde ſtatus in carcinoma proximè degener.

7. Lancinatio frequens cum calore.

8°. Si limpha quæ in phymata induruit, ſatis mollis ſit ductiliſque, ut

8. Ulce-

tâ, abſceſſus, fiſtulæ.

in putre liquamen poſſit reſolvi, dum iiſdem cauſis fortiùs & frequentiùs atteritur, inde ſuppurationem tacitè conceptura eſt, vel in ſummo phymatum apice, unde renovatio ulcerum venereorum; vel in phymatum centro, unde abſceſſus; imò verò quandoque fiſtulæ, præſertim in mulieribus & cinædis, in quibus abſceſſus hujuſcemodi, cùm altiùs lateant, difficiliùs deterguntur.

9. Carcinoma confirmatum.

9°. Contrà verò ſi limpha eadem ſtrictiùs conſtipata & quaſi cornea ſuppurationi impar ſit, vi earumdem cauſarum ſæpiùs impetentium magis in dies rareſcet citra ſuppurationem. Inde lancinatio, calor, renitentia, tumor intenſiùs in dies urgebunt, vicinioreſque partes in conſortium ſenſim trahentur, unde carcinoma confirmatum ſed tamen adhuc occultum.

10. Imò carcinoma exulceratũ.

10°. Demùm ſi diſruptâ cute ſummum phymatis faſtigium levi fiſſurâ dehiſcat, hinc neceſſariâ ſucceſſione fiet exulceratio maligna, ichoroſa, fungoſa, phagædenica, in dies creſcens, cum duris, granoſis & replicatis labris, ut ſuprà explicavimus *Cap. 6. §. 3.* atque adeo carcinoma jam non modò confirmatum, ſed etiam exulceratum ſeu apertum erit.

Quâ ratione dignoſcatur præſentia phymatum & chordarũ, cùm ſkirrhodea ſunt.

Diagnoſis. 1°. Præſentia, numerus, ſitus &c. phymatum calloſorum & chordarum skirrhodum oculis patent.

2°. Liquet ſimiliter ſenſuum teſtimonio, an phimoſi vel paraphimoſi præputium ſtringatur, & ad qualem gradum in utroque caſu.

3°. Colligitur ex dolore lancinante, ſi recurrat identidem ſed rariùs, phymata ad carcinomatoden naturam latenter deſciſcere; ſi frequentiùs verò & ferè continuò, jam deſciviſſe.

Et cùm in carcinomatoden naturam degenerant.

4°. Viſu tactuque dignoſcitur an carcinoma occultum ſit exulceratumve; an magnum, balanum aut præputium totum in viris, totam vulvam aut totum vaginæ oſtium in mulieribus, totumve ani ambitum in cinædis; an parvum, exiguam tantùm ſingulorum partem occupet; demùm an laxum & mobile ſit & à vicinis partibus ſejunctum, poſſitque proinde radicitùs extirpari ſine labe nimiâ; immotumve & ſtabile vicinioribus partibus ita dudùm accreverit, ut nullo modo poſſit exſcindi ſine earumdem amputatione.

Tùm in viris.

5°. In viris & mulieribus nuptis viduiſve genuina horumce morborum cauſa vel ſitu & indole callorum conjicitur, vel ægrotantium confeſſione manifeſta eſt.

Tùm in fœminis.

6°. At verò fœminæ quæ innuptæ ſunt, & quarum ideo refert flagitia ſua celare, rarò ſatis ingenuæ ſunt, ut ſe contagio contaminatas eſſe fateantur; imò potiùs audent malo dolo morboſam vaginæ arctitudinem impurâ venere contractam pro virginitate oſtentare. Sed tantam impudentiam falſi arguere facile eſt, in iis ſaltem quæ veneri ſæpiùs litavêre, in quibus labia vulvæ & pterygia laxa, mollia, pendula ſunt; foſſa navicularis lævis, complanata, diducta; demùm interior vagina ultra primum limen quod morboſè coarctatur, patula, ampla, attrita eſt, cùm è contrà in integris & virum nondùm expertis anguſta & rugoſa ſit.

Tùm in cinædis.

7°. Pari conſilio cinædi quoque ſimulant non rarò præternaturalem podicis arctitudinem, quam impuræ veneri & muliebri patientiæ acceptam debent, à prægreſſis vel præſentibus hæmorrhoidibus dependere. Sed mendacium vel inde manifeſtum eſt, quòd coarctatio iſtiuſmodi ab hæ-

hæmorrhoidibus vix unquam induci poſſit; potiſſimùm verò quòd ea coarctatio in cinædis qui morbo corrupti ſunt, perpetuò conjungatur cum ficis, mariſcis, criſtis aliiſve ani tumoribus, qui veram coarctationis cauſam abundè denotant.

Prognoſis. 1°. Phymata calloſa chordæque ſkirrhodes genitalium, quandiù exigua, mobilia, pauca ſunt, nullius ferè momenti putantur. Contrà verò incommoda ſunt, ſi numero, mole, duritie præputium aut vaginæ oſtium nimis coarctent & veneris uſui officiant. Prognoſis.

2°. Malum, ſi phymata chordæve incipiant latenter in carcinomatoden naturam deſciſcere; peſſimum, ſi jam deſciverint, cùm carcinoma confirmatum ferro tantùm & igne reprimi poſſit.

3°. Quandiù phymata carcinomatodea mobilia ſunt & ferro radicitùs exſcindi poſſunt, ſupereſt ſalutis ſpes, magis minùſve certa pro modo & gradu operationis quâ utendum eſt ut extirpentur: Sed ſi ob ſitum vel adhæſionem cum vicinioribus partibus nequeant extirpari, tunc miſerâ & ineluctabili morte ſenſim pereundum eſt.

4°. In fœminis & cinædis phymata carcinomatodea rariora quidem ſunt quàm in viris, ut ſuprà vidimus, ſed graviore periculo in iiſdem ſtipantur, quoniam altiùs recondita operationem difficiliùs admittunt, neque remediis æquè obvia ſunt.

Curatio ad tria debet dirigi pro triplici morbi ſtatu. 1°. Ut phymata perfectè diſcutiantur & reſolvantur, ſi merè calloſa ſint & indolentia. 2°. Ut caveatur ne in carcinomata degenerent, ſi eò inclinare videantur. 3°. Ut extirpentur quàm celerrimè, ſi in carcinomata jam deſciverint. Curatio.

I. Ad procurandam phymatum reſolutionem, 1°. Materiei in callos impactæ mollities, & denſiori callorum contextui laxitas concilianda eſt, ut liquidiorem limpham laxiora ſtamina minùs coerceant. Huic fini conducunt diluentia omnia interna, quæcumque ſuprà attulimus *hujuſce Libri cap. 6. §. 2.* ubi *de Tumore teſtium venereo*, fomentaque emollientia varia quæ ibidem propoſita ſunt. Quomodo phymata reſolvenda, ſi indolentia ſint?

2°. Deinde ſi qua ſit latentis & malè curatæ luis ſuſpicio, ut accidit non rarò, adhibenda hydrargyroſis conveniente tempore & debitâ methodo, ex artis legibus infrà proponendis, ut eo pacto virus admiſſum edometur, limphæ nativa fluiditas reſtituatur, atque adeò ſuperſtites calli efficaciter reſolvantur.

3°. Quin imò etiamſi liqueat nullam latere luem, ſi non hydrargyroſi plenæ, quâ tunc opus non eſt, at ſaltem levioribus inunctionibus unguenti mercurialis inſiſtendum eſt, rarò quidem, nempe ſemel quâlibet hebdomade, ſed diù, per tres quatuorve menſes iterandis. Docuit nempe experientia vix alterum remedium ad promovendam reſolutionem callorum illito Mercurio efficacius eſſe, præſertim verò quoties hærentis limphæ ſpiſſitudo ab inſpirato ſeminio venereo primùm orta eſt.

4°. Poſſunt etiam eodem conſilio inunctionum loco in uſum advocari emplaſtra varia ex Mercurio cum reſolventibus vel relaxantibus variè temperato præparata, ut emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, emplaſtrum Vigonis quadruplicato Mercurio &c. modò ſeorſim & ſola; modò ad æquales partes cum emplaſtris de mucilaginibus, de ſpermate ceti aut

diabotano mixta & ſubacta. Notari tamen velim emplaſtra iſtiuſmodi tum virtute reſolventium acriorum, quibus ex parte conſtant, tum glutinosâ & emplaſticâ facultate, quâ poros cutis conſtipant & perſpirationem inhibent, calorem morboſum parti plerumque conciliare, & idcirco inunctionibus mercurialibus minùs tuta eſſe.

Quomodo cavendum ſit, ne in carcinoma degenerent, ſi eò inclinare videãtur?

II. At verò ſi ea remedia fruſtrà ſint, phymataque lancinante dolore identidem corripi contingat, tunc mutato conſilio 1°. A topicorum uſu cavendum eſt, tum reſolventium, quæ impactam materiam attenuando & rarefaciendo ad carcinomatis naturam præcipitant, tum relaxantium, præſertim ſi ſint è genere pinguium & oleoſorum, quæ cutis poros oblinendo perſpirationem intùs retinent, motumque quo materia jam cietur, ex accidente magis augent & accelerant.

2°. Expedit itaque in eo rerum ſtatu vel topicis penitùs abſtinere, & affectam partem tantùm fovere, ut à ſorditie munda moderatè caleat, & ab externo frigore tuta ſit; vel ad ſummùm topicis iis uti quæ merè aquea ſint, ut ſunt decocta radicum althææ, nymphææ &c. vel quæ ad aqueam naturam proximè accedant, ut lac vel ſerum lactis tepens.

3°. Si lancinatio & graviùs & frequentiùs urgeat, ſanguis mittendus eſt ex alterutro brachio ſemel atque iterùm, ut depletæ arteriæ quæ dolentem partem alluunt, ſegniùs inde oſcillent, atque adeo minore momento in objectos callos arietando hærentem materiam tardiore & inefficaciore motu conquaſſent. Narcotica quoque identidem adhibenda, ut ſyrupus de diacodio vel de ſuccino ad ℥ ß. Laudanum ad gr. j. Tinctura anodyna ad gutt. xx. Pilulæ de cynogloſſo ad gr. vj. vel vij. ut compages phymatum per ſomnum debiliùs ſuccutiatur & obtuſiùs doleat.

4°. Intereà verò adhibenda remedia omnia, quæ diluere, temperare, humectare valeant, atque adeò ſanguinis fervorem infringere, acrimoniam ejuſdem mitigare, & expanſivum rareſcentium callorum niſum ſufflaminare, ut lac, ſerum lactis chalybeatum, juſcula diluentia ex pullo gallinaceo & plantis refrigerantibus, aquæ acidulæ leviores &c. internè ſumpta; ſemicupia, balnea in aquâ dulci tepidâ &c. externè adhibita, quæ ſingula jam ſæpiùs recenſuimus.

5°. Imprimis operæ pretium eſt, ut ægrotantes à venere ſe abſtineant, ne dolentia phymata, quæ in pudendis latent, tenſione, calore, fricatione, diſtractione agitata carcinomatoden naturam celeriùs inde contrahant. Curandum etiam in cinædis, ne alvum unquam deponant, niſi emolliente enemate priùs liquefacta fuerit.

Denique quomodo extirpanda, ſi in carcinoma deſciverint?

III. Denique ſi res malè cedat, phymataque duriora, magis dolentia, & in apicem faſtigiata in carcinomata confirmata, ſive exulcerata ſive occulta deſciverint, vel proximè deſcitura videantur, tunc abjectâ omni cunctatione ad certiora præſidia properare neceſſum eſt.

1°. Igitur ſi quod phyma carcinomatodes in præputio in viris, aut in mulieribus in nymphis ſive perygiis lateat, quod mobile, laxum, ab omni nexu liberum ſit, & à ſubjectis partibus ſejunctum, ſummis ſiniſtræ digitis arreptum cultello exſcindendum eſt, neque præputio in viris aut affectæ nymphæ in mulieribus parcendum, ut phyma radicitùs extirpetur. Deinde vulnus ſuperſtes ex artis legibus primùm digeſtivo unguento, deinde balſamo Arcæi curandum eſt.

2°. Si verò phyma cancrosum in balano in viris, in alterutro vulvæ seu pudendi labio in mulieribus, aut in ani margine in cinædis profundiùs quidem sepultum sit, sed suis tamen finibus ita circumscriptum, ut nullâ adhæsione committatur cum partibus ullis aliis, quæ sectionem respuant, pari modo eradicandum est. Igitur pars affecta à ministro distenta & à Chirurgo sinistrâ manu compressa ad phymatis ambitum semi-circulari sectione altè incidetur. Posteà phyma summis sinistræ digitis, vel etiam si ita opus fuerit, uncino aut forcipe arreptum stirpitùs exscindetur cum fibris omnibus, vulnusque, quod inde supereſt, curabitur ut artis est.

3°. Si phyma cancrosum, quod in præputio balanove latebat, mole ita creverit, ut communicatâ per adhæsionem labe contigua corpora cavernosa, quæ penem constituunt, in consortium ducta sint, una jam supereſt salutis ratio, nempe ut penis caput, quantum morbo affectum est, totum celeriter amputetur, amputatique vulnus curetur eâ methodo quam trademus sequente paragrapho.

4°. Verùm si cancrosa phymata in fœminis internam vulvam aut vaginæ ostium occupent, si in cinædis recto altiùs insideant, si in viris ad penis radicem extendantur, de salute conclamatum est, quandoquidem carcinoma nullâ potest operâ tunc radicitùs extirpari; neque enim magnificis Ariolorum promissis ullomodo confidimus, qui cathæreticorum usu se carcinomata adhærentia perfectè sanaturos esse pollicentur, quâ de re vide quæ dicta sunt suprà hujus Libri *Cap.* 6. §. 3.

5°. Tunc ergo spes omnis in eo sita est, ut Therapeiâ, quam *palliativam* dicunt, dolor leniatur, morbus sustineatur, humoris ferocia retundatur, ulceris progressus retardetur, & miserabilis ægrotantium vita quàm diutissimè procrastinetur, mitigatis ut maximè fieri poterit ærumnis, vigiliis, doloribusque, quibus dirum in modum premuntur, quâ de re consuli possunt, quæ suprà proposita sunt, *Cap.* 6. *Artic.* 3. *de Bubone carcinomatode.*

§. III. DE GANGRÆNA ET SPHACELO GENITALIUM.

Descriptio. Nisi genitalia, genitaliumve partes in utroque sexu, anive margo in cinædis, quæ hærentibus sanguine & limphâ impensiùs turgent, perfectâ celerique resolutione detumescant, solent intra paucos dies gangrænâ corripi, quæ tacito, sed gradario progressu brevi invalescit ordine sequenti. Descriptio gangrænæ imminentis.

1°. Tumor vel tumoris apex, qui antè tensus, renitens, lævis, lucidus erat & acutè dolebat, flaccescit, ignaviùs renititur, crispatur, infuscatur, obtusiùs dolet, atque inde urgentia *imminentis* gangrænæ indicia.

2°. Cutis inertior magis magisque relaxatur, subsidit, prementi digito faciliùs cedit, vestigium impressum magis retinet, livescit cum manifesto doloris, sensûs & caloris decremento; & hæc gangrænam *incipientem* significant. Incipientis.

3°. His singulis ingravescentibus accedunt pustulæ seu vesiculæ ex cute emergentes, ichore subflavo vel subrubro plenæ, quarum basis plerum- Confirmatæ.

que nigreſcit, numero, ſitu, magnitudine variæ; & tunc gangræna *confirmata* dicitur.

Deploratæ. 4°. Demùm cutis, parſque cuti ſubjecta corruptæ, emortuæ, lividæ, nigræ, fœtidæ; caloris, ſensûs pulsûſque expertes, in tabum diffluunt graveolens, vel ſi digitis prehendantur, in lacinias à ſubjectâ carne ſeparantur; atque hic ultimus eſt necroſeos gradus, qui Græcis *ſphacelus*, Latinis *ſideratio* dicitur.

Gangrænâ eæ genitalium aut ani partes tentantur, quæ à ſtagnante ſanguine vel limphâ malè habent: Frequenter quidem illæ, quæ naturâ molles ſunt & ſpongioſæ, ut balanus in viris, labia vulvæ in mulieribus, ani margo in cinædis; frequentiùs verò quæ ſunt cutaneæ & magis flaccidæ, ut in viris præputium, in fœminis nymphæ ſive pterygia, in cinædis criſtæ ani; inde brevi altiùs longiùſque ſerpit, & ab affectis partibus in corpora cavernoſa, totumque penem in viris; in vulvæ clauſtra & vaginæ oſtium in fœminis; & in extremum rectum in cinædis celeri paſſu propagatur.

Gangræna inducitur conciſo partis contextu, *Cauſæ.* Perit in gangrænâ & ſphacelo ſenſus, calor, circulatio ſanguinis & limphæ; nexus, cohæſio, firmitas partium. Conciduntur ergo in gangrænâ & per minima dividuntur 1°. Nervi, quibus ſenſus viget; 2°. Arteriæ, venæ, vaſa limphatica, quibus ſanguis & limpha circulando calorem nativum fovent; 3°. Demùm ſtamina omnia tendinea, quibus partis contextus firmitaſque conſtat.

Poteſt ea conſequentia ulteriùs confirmari ex notâ efficaciâ cauſarum præcipuarum, quibus gangræna ſolet efficaciſſimè inferri. Sic ignis comburendo; eſcharotica, cauſtica, & cathæretica remedia erodendo; contuſio nimia conterendo; congelatio, cui partis congelatæ ſolutio citiùs ſuccedit, lacerando; ſingula ſcilicet ſuo quæque modo partis contextum vaſaque parti intertexta concidendo gangrænam & ſphacelum advocant.

Cùm diſcinditur in phlegmone, aut eroditur in œdemate. Id unum ergo ſupereſt, ut miſſis cæterarum gangrænarum cauſis, quarum jam non ſatagimus, in peculiares cauſas inquiramus, quibus videtur partis contextus deſtrui poſſe in præſenti caſu. Duas autem ad ſummum agnoſcimus, *alteram* quidem in *phlegmone*, nimiam ſcilicet ſanguinis & limphæ in parte congeſtionem & turgeſcentiam, unde non modò vaſa nimiùm diſtenta, ſed etiam appoſita ſtamina perrumpi & laciniatim diſcindi neceſſe eſt: *Alteram* verò in *œdemate*, nempe ſalſioris & acrioris limphæ decubitum & ſtagnationem, unde ſero laxata & emollita partis exiliora ſtamina, vaſaque tenuiora ſalinis particulis tandem minutatim diſſolvi & erodi debent.

Prior cauſa citiùs agit, ſed plerumque magis ſuperficiariè; poſterior tardiùs, ſed altiùs; ambæ, ſi jungantur, citiſſimè, efficaciſſimè, altiſſimè

Symptomata. 1. Imminutio caloris, doloris & lævoris. *Symptomata.* 1°. In gangrænâ imminente pauca & exilia ſtamina diſciſſa vel eroſa ſunt: Hinc ergo in affectâ parte parùm relaxatur tonus, tenſio, firmitas; atque adeo caloris, doloris, lævoris imminutio debet tunc eſſe in moderatiſſimo gradu.

2. Partis ſubſidentia cum livore. 2°. In incipiente verò & plura & craſſiora ſtamina dilacerari vel erodi neceſſum eſt ab invaleſcente cauſarum earumdem efficaciâ. Hinc ergo tunc major partis flacciditas, ſubſidentia, livor, cum manifeſto ſensûs & caloris decremento.

3°.

3°. In confirmatâ tenuior latex ſanguinis & limphæ è diſciſſis vel eroſis vaſis exundantium debet ſenſim per ſemilaceram cutim permeare, atque cuticulam ſeu epidermida, ubicunque ſubjectæ cuti laxiùs adhæret, divellere & in hydatides inflare, ſeu veſiculas ſero plenas, ſubflavo, ſi purum ſit; ſubrubro, ſi admiſtis aliquot ſanguinis guttulis inficiatur. 3. Veſiculæ ſero plenæ.

4°. Demùm in ſphacelo craſſamentum ſanguinis & limphæ, quod in ruinosâ partis ſtrue ſupereſt, & minuta fruſtula, in quæ fibræ, membranæ, vaſa conciduntur, unà ſimul permiſta, confuſa, ſubacta tabum conſtituunt putre, atrum, graveolens, quod quidem liquidius eſt, ſi gangræna ſit in parte molli, ubi vaſa copioſiora; ſi ab œdemate fiat; & ſi nullo, ut in œdemate, vel pauco calore ſtipetur, ut in phlegmone œdematode; quod contrà ſpiſſius eſt & craſſioribus partibus ſtrictiùs denſatis corneam duritiem interdùm æmulatur, ſi gangræna ab inflammatione vel eryſipelate oriunda partem duriorem & exſanguem occupet, & ſi cum intenſo calore invadat. 4. Tabum, in quod pars affecta diſſolvitur.

5°. Partes quæ gangrænæ vel ſphacelo ſubjectæ aut contiguæ ſunt, participant ipſæ labem eamdem quâ ſphacelata vel gangrænoſa pars antè laborabat. Debent ergo à virulento tabo, quod à gangrænosâ parte undique defluit & altè imbibitur, in vitii ejuſdem conſortium tantò faciliùs trahi; atque adeo minimè mirum eſt ſi gangræna ſphaceluſque altè latèque celeriter ſerpant, & partes depaſcantur quæ confines ſunt. 5. Celer gangrænæ propagatio.

6°. Vaſa limphatica à gangrænosâ parte prodeuntia in ſanguinem jugiter traducunt guttas tabi quas inde hauriunt, tantò quidem plures, quantò gangræna latior & profundior eſt, & fœtido tabo magis ſcatet. Sed guttæ tabi iſtiuſmodi in venas ſemel infuſæ debent inſitâ proprietate ſanguinem inſpiſſare, & inſpiſſati circuitum retardare. Debent ergo pari quoque proportione nativum ſanguinis calorem imminuere, & cordis motum infringere quod ad vehementiam & magnitudinem, unde pulſus in ſphacelo debilis & parvus futurus eſt cum horrore frequente. 6. Pulſus debilis & parvus cum horrore.

Diagnoſis. 1°. Ex ſignis in deſcriptione propoſitis facile eſt tum imminentem gangrænam prævidere, tum incipientem, confirmatam, in ſphacelum degenerem dignoſcere. Diagnoſis gangrænæ.

2°. Limites quibus gangræna circumſcribitur, viſu tactuque patent ut plurimùm; hinc ergo facile judicium quales quantaſve partes occupet, ſcilicet an præputium, balanum frænumve in viris; an labia vulvæ, pterygia, clitoridem præputiumve clitoridis in mulieribus; an criſtarum aut ficorum faſtigium ipſumve ani ambitum in cinædis? Limitum.

3°. Cavendum tamen ne ex præputii conditione de ſtatu balani qui in phimoſi ſubtùs latet, temerè judicium fiat; conſtat enim experientiâ gangrænoſo præputio illibatum balanum interdùm recondi. Quocirca præputium inciſim diſſectum ad poſtica revolvendum eſt, ut de retectâ glande apertiùs certiùſque ſtatuere liceat.

4°. Ut æſtimetur gangrænæ altitudo, conjecturis minimè fidendum, ſed pars affecta inciſuris eòuſque ſcarificanda eſt, dum inciſionum fundus doleat, & floridum ſanguinem emittat. Hinc enim certò conſtat & de vitali ſubjectarum partium ſtatu, & de ſuperjectæ gangrænæ altitudine. Altitudinis.

5°. Cautio eadem adhibenda, quoties de gangrænâ partis cujuſdam

ambigitur. Si levioribus enim inciſuris punctim ſcarificata doleat & cruorem fluidum & rutilum emittat, omnia ſalva ſunt; contrà verò, ſi ſecùs.

Et cauſarum gangrænæ.

6°. Demùm manifeſtum eſt ex prægreſſis à quâ cauſâ gangræna ortum habuerit; an ab œdemate, an à phlegmone, an complicato vitio ab œdemate phlegmonode?

Prognoſis gangrænæ tùm in genere, tùm in particulari.

Prognoſis. 1°. Gangræna malum eſt quo non alterum periculoſius, cùm necroſim inferat celerique paſſu à parte in partem prorepat.

2°. Poteſt imminens gangræna præcaveri, & incipiens reprimi; ſed confirmata & in ſphacelum degener nullâ arte ſanabilis eſt, niſi extirpetur; unde facile eſt ſingulorum pericula æſtimare.

3°. Bonum gangrænam rubo circulo circumſcribi; id enim inter affectam ſanamque partem certum diſcrimen intercedere ſignificat.

4°. Malum contrà gangrænoſam partem cum ſanâ ita confundi gradariâ colorum diminutione, ut certus gangrænæ terminus aſſignari nullus poſſit; id enim denotat gangrænoſum virus & latenter & latè ad confinia ſerpere.

5°. Sphacelus levi nec difficili exciſione extirpatur, ſi præputium in viris, nymphas in fœminis, criſtas ani in cinædis ſolùm afficiat.

6°. Graviorem & periculi plenam operationem exigit, ſi caput penis, alterutrum labiorum vulvæ, aut portio marginis ani morbo teneantur.

7°. Nullam operationem admittit, ſi ad penis radicem, ad vaginæ oſtium aut intra rectum proceſſerit; ſed res tota naturæ viribus committenda, cui debentur interdùm curationes mirificæ.

8°. De ægrotantis ſalute planè conclamatum eſt, ſi ſphacelo ad interiora prorepente horror, rigor, ſyncope, debilitas parvitaſque pulsûs identidem recurrant; hinc enim lethalem noxam in venas infuſam eſſe evidens eſt.

Curatio.

Curatio. Pro triplici gangrænæ ſtatu triplex therapeia adhibenda eſt; 1°. Nempe gangræna, ſi ſit imminens, præcavenda; 2°. Si incipiens, reprimenda; 3°. Si confirmata & in ſphacelum degener, extirpanda eſt.

Gangræna imminens præcavenda.

I. Ad præcavendam imminentem gangrænam, 1°. Removeantur obices omnes, quibus ſanguinis & limphæ circulatio retardatur, ideòque, niſi jam antè proviſum fuerit, incidantur quàm celerrimè præputium in phimoſi, & complicatæ præputii rugæ in paraphimoſi, baſiſque pterygiorum in mulieribus crebris inciſuris ſcarificetur, ſi nimis adſtricta ſit.

2°. Provideatur celeri operâ nimiæ vaſorum turgeſcentiæ, quâ partis ſtaminibus diſciſſis; & nimiæ limphæ acrioris ſtagnationi, quâ ſtaminibus eiſdem eroſis periculum eſt ne gangræna inferatur; ideòque pars crebris punctiunculis ſeu inciſuris pertundatur magis minùſve altis, prout imminet magis ſuperficiaria vel profundior gangræna.

3°. Simul ac ſanguis ex inciſuris abundè manaverit, atque pars affecta onere levata fuerit, vaſa, quæ prægreſsâ dilatatione atona, vel nimiâ emollitione flaccida ſunt, reddantur tono, firmitati, elaterio naturalibus, ut recuperato motu oſcillatorio conſuetam ſanguinis & limphæ circulationem renovent, à quâ jam feriabantur; ideòque pars poſt ſcarificationem foveatur tepidè ſpiritu vini ſive ſolo, ſive camphorato, ſive etiam

cùm addito ſale ammoniaco; ſpiritu vini theriacali; ſpiritu vini cum æquali parte aquæ calcis &c. linteiſque contecta detineatur, quæ iiſdem liquoribus jugiter madeant, & per modum embroches identidem irrorentur. Conſtat enim calore, partium tenuitate, punctione, doloris ſenſu efficaciter inde ſollicitari oſcillatorium vaſorum motum, humorumque ſingulorum circulationem, in quibus conſiſtit partis vita.

4°. Si qua ſit in partis ſuperficie nota ſeu macula paulò nigrior, ideòque gangrænæ magis ſuſpecta, ut plerumque accidit in baſi bullarum cryſtallinarum, pulvillus ſeu plumaceolus imponatur imbutus tinctură myrrhæ vel ſolâ, vel ad æqualem doſim cum aquâ phagædenicâ permiſtâ, quâ gangrænam incipientem efficaciter reprimi certum eſt.

5°. Eadem tandiù admoveantur, donec pars detumeſcat, & ex inciſuris ſeu ſcarificationibus pus erumpat maturum & laudabile, quæ ſunt certiſſima ſigna non remotæ modò cauſæ, à quâ gangrænæ periculum, ſed etiam planè reſtitutæ in parte *vitalitatis*, quæ ambo expleviſſe in votis erat.

6°. Interim ne negligantur auxilia cætera, quæ antecedentes gangrænæ cauſas poſſunt retundere vel debellare, ſed dùm topica admoventur, ſimul etiam vena ſemel atque iterùm incidatur, ſi ita ferat morbi ratio, atque ægrotantis conditio permittat; largus imperetur potus ex decoctis herbis temperantibus & diluentibus, ut ex cichorio, borragine, buglo ſſo, ſcolopendrio, pimpinellâ, agrimoniâ &c. ſi febrilis æſtus vehemens ſit; ex diaphoreticis verò & cardiacis, ut ex carduo benedicto, ſcabioſâ, ſcorſonerâ, angelicâ, floribus camomillæ &c. ſi pacatior ſit ſanguinis motus; imò verò ſi pulſus depreſſior ſit, cochleatim propinetur quolibet bihorio miſtura, hauſtus, ſeu potio ex aquis cardui benedicti, meliſſæ, ſcabioſæ, angelicæ, ſcorſoneræ, ſcordii aut cinnamomi, quibus diſſolvantur pulveres, electuaria, ſalia volatilia ex attenuantium, diaphoreticorum, cardiacorum familiâ juxta ſequentem formulam.

℞. *Aquar. cardui benedict.*
Et meliſſ. ana ℥ ij ß.
Quibus diſſolv. diaphoretic. mineral. vel bezoardic. jovial. ʒ j.
Sal. volatil. oleoſ. ʒ ß.
Theriac. veteris ʒ j ß.
Add. *Aqu. hordeat. cinnamom.* ℥ j.
M. F. Potio cujus ſumantur cochlear j. *vel* ij. *quolibet bihorio.*

II. At verò ſi morbus medicamenta vicerit & in apertam gangrænam abeat, miſſis remediis illis, quæ urgentiori malo imparia forent, ad efficaciora properandum.

II Gangræna incipiens reprimenda.

1°. Antiquiores quidem, ne noxiorum humorum affluxu gangræna ulteriùs ſerperet, partem ſanam munire ſatagebant *defenſivis*, quæ conſtarent remediis è familiâ aſtringentium, *v. g.* Emplaſtro rubro; cerato à Vigone deſcripto, *Practic. Lib. 2. cap. 17.* aut cataplaſmate olim uſu receptiſſimo ex bolo armenâ, terrâ ſigillatâ; pulveribus gallarum, nucum cupreſſi, corticum granatorum, & myrtillorum; & farinâ hordei unà coctis in oxymelite.

2°. Gangrænoſum deinde locum ſcarificabant, ut ſanguis jam corruptus efflueret, & putridi vapores exhalarent.

3°. Scarificationes calidè abluebant & fovebant aquâ muriaticâ, urinâ, lixivio forti cui lupini incocti fuiſſent, oxycrato ſolo vel in quo unguentum Ægyptiacum diſſolutum eſſet.

4°. Inde admovebant fimum caballinum calentem & oxycrato dilutum, vel cataplaſma ex farinis oroborum, lupinorum, lolii, fabarum &c. coctis in oxymelite, quibus addebant ſuccum abſintii & marrubii, ſal muriaticum, imò etiam myrrham & aloën pulveratas, ſi intenſiori putredini medendum eſſet.

5°. Si quid jam ſideratum eſſe videretur, abſumebant unguento Ægyptiaco, pulvere uſti calcanthi, vel trochiſcis cathæreticis variis, ut Andronis, vel Polyidæ, vel Muſæ, vel ex aſphodelis, qui in antiquioribus diſpenſariis olim obvii è recentioribus jam pridem exciderunt.

6°. Hæc olim fuit Antiquorum therapeia ad gangrænam amoliendam, quam noluerim equidem acerbiùs rejeciſſe, quaſi inefficacem vel noxiam, ne iniquiùs damnare videar methodum, quæ multis emolumento quondam fuit, at certè quam multò minùs auſim vel approbare vel ſuadere, hac præſertim ætate, quâ artem certiorem experientia fecit exemplo monſtrante viam; ſiquidem jam licet exitiali & gravi morbo, quo non periculoſior alter, qualis eſt gangræna, potentiorem, efficaciorem, tutiorem medicinam adhibere ſequenti methodo.

7°. Itaque miſſis *defenſivis*, quæ perſpirationem inhibendo nociva meritò cenſentur, pars gangrænoſa ad vivum ſpiſsè ſcarificetur; imò ſi quid ſideratum ſit, cautè reſecetur & detondeatur, tùm ut tantò magis imminuatur morbi fomes, tùm etiam ut apponenda remedia tantò altiùs faciliùſque penetrare poſſint.

8°. Sanguine priùs largiter educto ſcarificata pars, ſi gangræna lævis ſit & ſuperficiaria, foveatur decocto ariſtolochiæ rotundæ; tincturâ myrrhæ vel aloës; unguento Ægyptiaco, quod ſpiritu vini camphorato diſſolutum ſit, aquâ phagædenicâ; vel quod cæteris præſtat, tincturâ myrrhæ & aquâ phagædenicâ ad æqualem doſim permiſtis & in quibus diſſolutum ſit unguentum Ægyptiacum. Pulvilli ſeu plumaceoli iiſdem liquoribus imbuti admoveantur, locuſque aptè contegatur & deligetur linteis ſpiritu vini camphorato vel ſolo, vel cum addito ſale ammoniaco madentibus.

9°. Si verò gangræna gravior ſit & profundior, pars perfundatur ſpiritu acido ſulfuris per campanam educto; vel contegatur linteis madentibus ſolutione Mercurii in aquâ forti ſeu ſtygiâ aut lapidis cauſtici vulgaris in aquâ communi; vel illinatur oleo glaciali vitrioli, aut butyro antimonii; quæ ſingula pro diverſo gangrænæ gradu vel more parciùs largiùſve affricare decet, & pura adhibere vel oleorum, unguentorum, pomatarum miſcelâ variè temperare.

10°. Quin imò ſi ad mali ferociam & firmiore & celeriore præſidio opus ſit, pars inuratur cauterio actuali, acriùs quidem leniùſve, ferroque magis minùſve candente, prout & morbi ratio poſtulaverit, & permiſerit ſideratæ partis conditio.

11°. Caveatur tamen ab omni uſu arſenici ſeu auripigmenti, & arſenicalium præparatorum, ut ſunt magnes, rubinus, regulus arſenicales;

ſublimatum, oleum, butyrum arſenicalia &c. Siquidem ut ſuprà monuimus *Cap.* 6. §. 3. experientiâ compertum eſt hiſce remediis ſeu potiùs venenis, qualicunque arte adhibeantur, gravia ſymptomata plerumque inferri, ut deliria, ſpaſmos, ſyncopen &c. & deleteriâ, quâ pollent, virtute ſanguinem lethali noxâ infici.

12°. Nota autem & uſu confirmata propoſitorum cauſticorum & cathæreticorum efficacia in amovendâ gangrænâ tota repetenda eſt ex diſcrimine, quod intercedit inter partes, quæ tacitâ labe computreſcunt, parteſque cæteras, quæ putredinem nondùm ſenſêre. Illæ quidem tenuiſſimis cauſticorum particulis, quas præ mollitie altè imbibunt, in liquamen funditùs & actutùm diſſolvuntur: Hæ verò firmitate, tono, motu oſcillatorio quibus etiamnum valent, earumdem particularum non modò attactum diutiùs refugiunt, & energiam pertinaciùs eludunt; quin imò acriùs inde ſtimulatæ in fortiores crebrioreſque oſcillationes agi ſolent, unde faciliori & promptiori ſanguinis & limphæ circulationi conſulitur. Haud igitur mirum eſt cauſticorum facultate ſemi-putres partes, quæ ad interitum præcipitantur, tam apertè diſcerni ab integris, quæ videntur inde majorem *vitalitatem* adipiſci.

13°. At verò hoc opus, hic labor eſt tam cauto prudentique conſilio cauſticorum vim, ac gangrænæ ferociam & denſitatem conferre & penſare, ut neque imbecilliora cauſtica admoveantur, quæ putredinis partem intactam & in jugem mali fomitem ceſſuram relinquant; neque acriora, quæ ſanas partes fruſtrà abſumant. Sed in tam præcipiti malo graviùs peccaretur defectu quàm exceſſu; adeòque ut incolumitati conſulatur, ſatius eſt ſanas partes aliquatenus erodere durâ pietate, quàm gangrænam radicitùs non extirpare culpandâ commiſeratione.

14°. Cæterùm ubi primùm inuſtæ eſcharæ ambitus rubro circulo circumſcriptus obſervabitur, indicium eſt gangrænoſam partem cohibitâ labe à ſubjectis partibus, quæ integræ ſunt, ſejungi, potiſſimùm ſi quæ maturi puris guttæ intermediæ manent. Tunc itaque cruſtæ delapſus quàm citiſſimè procuretur, 1°. Eſcharam ſcarificando, ut emollientia altiùs penetrent, & puri ſubtùs latenti via fiat. 2°. Oleoſa & pinguia adhibendo, quibus cruſta emolliatur & relaxetur, ut butyrum, cremorem lactis, ovi vitellum, adipem ſuillam, digeſtivum vulgare ſimplex vel ovi vitello temperatum &c. 3°. Si nimia ſit partis mollities, pinguibus admiſcendo ea remedia, quæ ad putredinem valent, ut tincturam vel pulverem myrrhæ aut aloës.

15°. Eſcharâ ſemel delapsâ ulcus ſuperſtes, ſi fœtidum ſit, eluatur & foveatur primis diebus decocto radicum ariſtolochiæ rotundæ, vel foliorum abſintii, ruthæ, ſcordii &c. aquâ calcis, tincturâ myrrhæ vel aloës; pro diverſo putredinis gradu. Detergatur deinde unguento Ægyptiaco vel apoſtolorum, aut digeſtivo vulgari, cui tinctura vel pulvis myrrhæ vel aloës admiſta ſint. Demùm uſu balſami Arcæi, & ſi opus ſit, balſami viridis Metenſium ad perfectam cicatricem deducatur, ut artis eſt.

16°. Cæterùm ne negligantur interna remedia, ſaltem gangrænæ initio, dum omnia periculi plena ſunt. Itaque ſi nimius ſit ſanguinis æſtus, vena tundatur in brachio, largus potus imperetur ex decoctis herbis refrige-

rantibus & temperantibus ſuprà propoſitis, enemata infundantur emollientia & demulcentia; imò etiam alvus ſubducatur identidem blandiore cathartico, ut medullâ caſſiæ vel mannâ Calabrinâ in ſero lactis vel decocto cichorii.

17°. Contrà verò ſi contracto arteriarum pulſu horror intercurrat cum periculo ſyncopes, potus præſcribatur ex herbis cardiacis & diaphoreticis, quales ſuprà recenſuimus, ubi de gangrænâ imminente, vireſque refocillentur uſu potionis, miſturæ vel hauſtûs, qualem ibidem propoſuimus, ſed cui tunc addi neceſſe eſt, cùm omnia in pejus ruant, cardiaca efficaciora, ut guttas Anglicanas ad gutt. xv. vel xx. lilium antimoniale Paracelſi ad gutt. xxx. vel xl. ſal volatile viperarum aut ſalis ammoniaci ad gran. xxx. aut pulverem cocheniliæ tenuiſſimum ad gran. xv. aut xx. &c.

III. Gangræna confirmata extirpanda.

III. Tandem ſi ſphacelus confirmatus ſit, neque jam ſpes affulgeat poſſe partem integram ullâ operâ conſervari, neceſſum eſt, ne pars ſincera trahatur, exitiali malo quod moras non patitur, citam opem ferre extirpatione.

Igitur 1°. Si præputii pars quædam ſiderata ſit, pars illa ſtatim abſcindenda; ſi præputium totum corruptum ſit, totum quoque circumcidendum: Locus verò inciſionis deinde curandus eſt vel juxta methodum quam ad imminentem gangrænam, vel juxta illam quam ad incipientem modò propoſuimus, prout exiget morbi ratio.

2°. Similiter ſi pterygomatum alterutrum in fœminis, vel quædam in ano criſta in cinædis necroſi tentetur, forfice ad baſim exſcindenda, baſiſque inciſa curanda eſt, ut modò de inciſi præputii vulnere dictum fuit.

3°. Quòd ſi ſphacelo ad cavernoſa uſque corpora jam progreſſo ſpes nulla ſit poſſe mentulam integram ſupereſſe, ne morbus cunctando ulteriùs prorepat, ſiderata pars quàm ocyſſimè amputanda. Itaque mentula manu ſiniſtrâ ſuſpenſa novaculâ vel ſcalpello reſecetur ad gangrenæ ambitum, ſed tamen in parte ſanâ, ne quid reſidui ſuperſit, quod ſphacelo contaminatum ſit. Deinde leniter expreſſo mentulæ trunco ſanguis, qui manat ab arteriis pudendis interioribus & exterioribus, ſiſtatur vel appoſitione fruſtulorum vitrioli cuprei goſſypio obvolutorum, imò verò, ſi opus fuerit, levi ferri ſemi-cadentis attactu, quo eſchara inuratur ſuperficiaria; reliquo vulneri imponatur defenſivum ſtypticum & aſtringens cataplaſmatis formâ ex bolo armenâ, ſanguine draconis, terrâ ſigillatâ, gypſo, gallis, aloës, maſtiche &c. tenuiſſimè tritis, & ovorum albumine exceptis ad mellis conſiſtentiam. Omnia ex arte deligentur & cooperiantur linteis ſpiritu vini camphorato madentibus, & eodem ſpiritu identidem irrorentur in modum embroches. Altero tertiove die detracto primo apparatu pulvilli digeſtivo, cui tinctura myrrhæ admixta ſit, imbuti apponantur, continuatâ eâdem embroche cum ſpiritu vini camphorato, donec manifeſta appareant ſuppurationis indicia. Inde ulceris ſuppuratio digeſtivo eodem vel ſolo, vel cum additis tincturâ aut pulvere myrrhæ; deterſio verò balſamo Arcæi, pariter vel ſolo, vel cum tincturâ aut pulvere iiſdem; demùm cicatrix epuloticis ex artis legibus procuretur.

4°. Simili modo, si alterutrum vulvæ labium, vel portio quædam marginis ani sphacelo afficiatur, ad vivum resecanda, extirpando si fieri possit, quidquid sideratum est. Inde cohibito sanguine astringentibus, ligaturâ, vel cauterio actuali, pars foveatur & irroretur spiritu vini camphorato cum sale ammoniaco; ac ubi primùm suppuratio apparuerit, suppurantibus, detergentibus, vulnerariis, epuloticis ad cicatricem ex arte deducatur.

5°. Cæterùm si unquam, maximè in casibus modò propositis, interno cardiacorum usui insistendum est, quæ cordis motum, sanguinis circuitum, spirituum influxum tueantur, adeòque horrori, syncope, asphyxiæ efficaciter medeantur, de quibus videantur quæ superiùs dicta sunt.

CAPUT IX.

De Porris, Verrucis & Condylomatis genitalium.

§. I. DESCRIPTIO.

Descriptio porrorum, verrucarũ, & condylomatum.

ACCEDIT præcedentibus jam descriptis quarta morbi venerei species, verrucosæ scilicet excrescentiæ in genitalibus, quæ quandoque coitui impuro, sed plerumque prægressis & malè curatis cæteris affectionibus syphiliticis solent succedere.

In viris in toto pene germinant, sed potissimùm in præputio & in balano, ad coronam aut juxta frænum: In fœminis verò in totâ vulvâ, sed præsertim in pudendi labiis, in clitoride, clitoridis præputio, & nymphis seu pterygiis: Ad ani ambitum efflorescunt in iis qui muliebria patiendo contaminantur: Demùm in nutricibus, quæ lactatione morbum concepere, mammarum papillas, vel papillarum basim obsident.

Figurâ variant, sicut & situ: Si oblongæ, exiles & teretes sint, *porri* dicuntur; *verrucæ*, si teretes quidem sed breviores planioresque; *condylomata*, si complanatiores sint & in oblongam aream extensæ. Demùm *cristæ*, si mole grandiores, in fimbrias seu lacinias latas & foliaceas excrescant.

Modò sponte decidunt exarescendo, sed superstite basi ex quâ repullulant; modò permanent sed flaccidæ, molles, & sensu ferè orbæ; modò duræ, siccæ, rigentes & quasi corneæ sensu carent & verè callosæ sunt; modò verò dolent, ichoris quidpiam ex summo apice eructant & naturam carcinomatoden æmulantur.

§. II. CAUSÆ.

Causæ porrorum, verrucarum, & condylomatum deducendæ ab

Compertum est papillas contextu nerveas, figurâ pyramidales seu potiùs cylindricas, modò sparsim, modò parallelo ordine insidere extimæ cuti, quæ genitalia in utroque sexu vestit, sicut & cuti reliquæ quâ cæteræ corporis partes obteguntur; & numerosas, confertas, prominentes maximè observari in balano, fræno, utrâque præputii facie & extremo

excreſcentiâ papillarum cutanearum.

ejuſdem limbo in viris; in fœminis verò in toto vulvæ ambitu, ariiſque prominentiis, quæ in vulvâ conſpicuæ ſunt, vt in nymphis, caruncul is myrtiformibus, clitoride clitoridiſque præputio. Proſtant pares ſimileſque papillæ & in ani confiniis, & in mammarum papillis, areiſque papillas cingentibus.

Sicut ergo conſtat verrucas, quibus manus aut cæteræ quævis corporis partes quandoque deturpantur, fieri augmento papillarum iſtiuſmodi cutanearum quæ præternaturam indurantur, ſic etiam conſequens eſt porros, verrucas, condylomata, criſtas, quæ genitalia in utroque ſexu infeſtant à causâ venereâ, ſimili ratione deducenda eſſe ab incremento papillarum ejuſdem generis, quæ elongatæ extra contiguam cutem ſuperçreſcunt, quotieſcumque contingit eaſdem uberiùs nutriri.

Patet autem deſcriptas genitalium papillas uberiùs nutriri non poſſe niſi geminâ de causâ; vel quia limpha nutritia copioſiùs convehitur; vel quia retinetur pertinaciùs. Sed priorem cauſam excludendam cenſemus, ut cui locus eſſe non poſſit, quoties agitur de incremento partis peculiaris. Reſtat igitur ut præternaturale papillarum incrementum in porros & verrucas ab hærentiâ ſolâ limphæ nutritiæ repetatur.

Quæ papillæ ideò excreſcunt, quòd earũ baſis occalleſcat energiâ contagii venerei.

Jam verò, ut cæteras cauſas omittamus, quæ papillarum incremento favere ſolent ſine contagii ullius interventu, & quarum in præſenti non ſatagimus, ideò tantùm limpha in papillis pertinaciùs hærere poteſt ex causâ venereâ, quòd papillarum baſis, quæ intra corpus mucoſum ſepulta jacet, occalleſcit energiâ contagii venerei, quo mucoſus humor circumfluus inficitur. Inde enim receſſus limphæ, ut qui per vaſa limphatica mollia & ex ſe inertia fieri debeat, difficilior, ideòque parcior futurus eſt ejuſdem acceſſu, ut cui arteriæ ipſæ deſtinentur, quæ tùm elaterio tùm oſcillatione compreſſioni fortiùs renituntur; ac proinde quantuluſcumque fit limphæ convectæ exceſſus præ revectâ, conſequens eſt fore ut papillæ tacitâ limphæ congeſtione in porros aut verrucas ſenſim excreſcant.

Vel recèns concubitu admiſſi, vel à ſanguine dudùm infecto ſubminiſtrati.

Docet autem experientia poſſe mucoſum humorem, qui ſub genitalium cuticulâ latet, ſeminio venereo contaminari geminâ ratione: 1°. Quia tenuior portio virulenti tabi, quo genitalia madent quotieſcunque res eſt cum infectis, per mediam cuticulam in ſubjectum corpus mucoſum latenter imbibitur; & tunc porri venerei citra præcedentem corporis noxam concubitui impuro immediatè ſuccedunt. 2°. Quia portio ſeminii venerei, quod in ſanguinem dudùm penetravit, mucoſo humori inde ſecedenti infunditur; & tunc porri ſine ullo recente concubitu, qui ſuſpectus ſit, à lue venereâ pridem latente dependent.

Unde pro numero papillarum, quæ afficiũtur, aut pro gradu quo occalleſcũt, diverſa emergit excreſcentiarum facies.

Cæterùm virus venereum in mucoſum humorem quomodocunque infuſum, modò unicam cutis papillam, vel exiliorem papillarum manipulum ſingulatim afficit ſed validè, & *porros*; modò verò papillas plures, juxtà adſitas intra circularem aream ſed debiliter, & *verrucas*; modò papillas plurimas, contiguas & in aream oblongam & faſciolæ ſimilem diſpoſitas inficit ſed debiliter, & *condylomata*. Modò demùm papillas plurimas, ſed validè, & *criſtas* producit.

Diſcriminis hujus ratio ex diverſâ causâ repetenda eſt, prout diverſa ſupponitur prima contagii venerei ſcaturigo: Nempe, 1°. Si virus illud

portio

portio ſit tabi illius virulenti genitalibus affuſi in actu venereo, Ex loci declivitate quâ tabum huc vel illuc copioſiùs confluit, hæretque ibidem pertinaciùs: Ex vitio cuticulæ ſuperjectæ, quæ ſi ſit alicubi ſaucia, abraſa, hiulca, ſuperaffuſum tabum faciliùs intromittit: Ex qualitate tabi venerei, quod eſt magis minùſve acre & energicum &c. 2°. Si verò virus idem ſcaturiat ab ipſo ſanguine pridem inquinato, Ex diversâ laxitate cellularum corporis mucoſi, quæ virus faciliùs copioſiùſve admittunt: Ex diversâ papillarum mollitie, quæ virus in finitimis cellulis latitans altiùs citiùſque imbibunt: Ex diversâ contagii naturâ, unde major minorve efficacia &c.

§. III. SYMPTOMATA.

1°. Si à graviore obice limpha uberiùs retineatur in unâ vel pluribus papillis, verrucoſa excreſcentia in longum producta cuti multùm ſuperemineb it; contrà verò ſi à leviore obice parciùs hæreat, excreſcentia depreſſior ſupra cutim minùs extabit. 1. Excreſcentia longior vel brevior.

2°. Si limpha, quæ in papillis retinetur, tenuis, aquoſa, diluta ſit, excreſcentia mollis; ſi verò viſcida, ſpiſſa, tenax fuerit, excreſcentia dura, calloſa, ſkirrhodes futura eſt. 2. Mollis vel skirrhodes.

3°. Si porrus longus, mollis, exilis, partis cui inhæret calore vel indumentorum affrictu ſenſim exareſcat, ſponte quandoque decidet, ſed ex ſuperſtite baſi citò denuò progerminabit. 3 Interdùm decidua, ſed viva radix.

4°. Si excreſcentia mollis & laxa, vel à fricatione nimiâ, vel ab acriore medicamento doleat, advocato inde conſtrictorio partis erethiſmo ſolitus ſanguinis commeatus intercipietur; unde inflammatio, imò & abſceſſus. 4 Non rarò inflammatur, imò & abſcedit.

5°. Si excreſcentia skirrhodes fricatione nimiâ, vel præpoſtero cathæreticorum uſu identidem irritetur, calore quem dolor advocat indurata limpha ſenſim rareſcet, unde dolor, calor, lancinatio, uno verbo carcinoma incipiens. 5. Quin imò accedit ad carcinoma.

6°. Tandem ſi excreſcentia eadem duriùs aliquandiù tractata in dies pejùs habeat, & ſummo apice dehiſcens ichoroſum quid profundat, fiet inde carcinoma, leve quidem & ſuperficiarum, ſed jam confirmatum & apertum, & proinde nequaquam negligendum. 6. Ac in carcinoma degenerat.

§. IV. DIAGNOSIS.

1°. Præſentia, ſitus, differentia, conditio porrorum, verrucarum, condylomatum, criſtarum tactu & viſu patent. Diagnoſis excreſcentiarum.

2°. An à venereo contagio ortum habeant conjicere eſt ex numero. Rarum eſt enim genitalia unquam obſideri verrucoſis excreſcentiis, quæ multæ ſint, ſine labe venereâ. Et cauſarum à quibus dependent.

3°. Porrorum tamen indoles apertiùs indicatur, ſi ſemel extirpati ſponte & ſine causâ repullulent.

4°. Certò demùm colligitur ex ægrotantis confeſſione, ut cui facile ſit verrucas, quas in pudendis habuit à teneris unguiculis, diſtinguere à porris cæteriſve excreſcentiis, quæ poſt ſuſpectum veneris uſum apparuêre.

5°. Similiter ab ægrotante discendum est an porri aut verrucæ successerint impuro concubitui, qui recens esset, atque adeò à contagio genitalibus nuper affuso progerminaverint? An contrà citra concubitum ullum, qui suspectus esse possit, sponte prodierint, atque adeò à seminio in sanguinem jam pridem infuso dependeant?

§. V. PROGNOSIS.

Prognosis varia instituí debet pro gravitate causæ, à quâ dependent.

1°. Venereæ genitalium excrescentiæ ex se quidem leves sunt, possuntque facili negotio radicitùs extirpari.

2°. At verò ratione causæ graviores esse possunt, nempe si à seminio in sanguinem jam pridem infuso producantur, quoniam tunc luem veneream confirmatam arguunt, cujus hydrargyrosis unica medicina est.

3°. Quin imò licet constiterit easdem inferri à tabo genitalibus recenter superaffuso in impuro concubitu, periculum tamen est ne virus, quod subter cuticulam jam penetravit, nec inde potest ullâ ratione effluere, ulteriùs progressum sanguinem pedetentim inquinet, & luem confirmatam tandem inferat, si omittatur antivenereorum usus.

4°. Hinc liquet luem confirmatam plerumque argui à porris & verrucis genitalium venereis, vel tanquam causam, vel tanquam effectum. Cave tamen ne cum Chirurgorum vulgo luem veneream in iis omnibus latere temerè concludas, quorum genitalia vel præsentibus obsidentur porris aut verrucis, vel olim obsessa sunt; cùm certâ experientiâ compertum sit porros & verrucas, qui à contagio dependent recenter admisso, radicitùs curari sine ullâ noxâ, quæ in sanguine superstes sit.

Et numero aut gradu symptomatum, quæ supervenium.

5°. Porri, verrucæ, condylomata, cristæ genitalium, si inflammata in abscessum abeant aut si lancinantia carcinomatoden naturam contrahant, quàm celerrimè extirpanda sunt, ne cunctando finitimæ partes in ejusdem labis consortium trahantur.

§. VI. CURATIO.

Porris, verrucis, condylomatis, cristis duplex medicina facienda est; altera interna, quæ seminio virulento in sanguinem jam ingresso vel proximè ingressuro medeatur; externa altera, quæpartis vitium deleat & emendet.

Interna excrescentiarum therapeia.

I. Circa internam quidem medicinam, si colligere liceat ex indiciis urgentibus luem veneream latere, 1°. Plenâ hydrargyrosi utendum est juxta methodum infrà proponendam, cùm eâ tantùm ratione virus, quod in sanguinem jam infusum est, certò debelletur.

2°. Quòd si ægrotans huic methodo ceu operosiori repugnet, at saltem adhibendæ sunt identidem leviores unguenti mercurialis inunctiones super genitalia, inguina, nates &c. vel præscribenda præparata Mercurialia, quæ diaphoretica sint & tacitè antivenerea, interjectis identidem catharticis, quæ humores ad salivales glandulas confluentes deorsùm deturbent, juxta methodum, quam suprà proposuimus *Capite* 1. ubi *de gonorrhœâ.*

3°. Si verò nulla fuerit luis ſuſpicio, & excreſcentiæ, quæ impurum concubitum ſequuntur, virus recens necdùm ultra morbi ſedem progreſſum ſignificent, plenæ quidem hydrargyroſi licebit tutò parcere; at ſaltem, ut in præcedenti paragrapho levioribus inunctionibus vel iterato Mercurialium præparatorum uſui ſatis diù inſiſtendum erit, donec virus ſubter cuticulam illapſum perfectè profligatum videatur.

II. Jam verò quod ad externam porrorum, verrucarum, condylomatum curationem, variant jam pridem ſententiæ. Externa excreſcentiarum therapeia.

1°. Antiquiores Medici excreſcentias omnes filo vel ſetâ equinâ comprehenſas arctè ligabant, donec exſiccatæ ſpontè deciderent. Sed ea methodus jam damnatur, nec immeritò, cùm dolorem acrem ſemper, gravem inflammationem plerumque inferat arctiore ligaturâ; cùm excreſcentiis calloſis, potiſſimùm verò ſi complanatæ ſint & parùm extent, impar ſit, ut quas colligare non liceat; cùm deciſo tantùm extantium faſtigio baſi numquam medeatur, à quâ ſuperſtite novæ excreſcentiæ brevi repullulant.

2°. Satius eſt proinde excreſcentias ſummis ſiniſtræ digitis prehenſas forfice ad cutim proximè reſecare, & deinde modò nullus ad baſim callus ſubſit, levius quod ſupereſt ulcuſculum cicatrice quàm celerrimè obducere, quod plerumque facillimum eſt.

Si quid verò calloſi lateat, operæ pretium eſt, ut priuſquam coeat cicatrix, callus vel ſuppuratione reſolvatur vel uſu cathæreticorum abſumatur, ne inde nova ſuccreſcat porrorum luxuries, vel quod pejus eſt, ne derelicti calli in phymata radicentur.

3°. Ea ſanè methodus utiliſſima, quoties porris longioribus, qui duri & calloſi ſint, vel criſtis grandioribus & in plures lacinias diviſis medendum eſt, quoniam eo pacto levi facilique inciſione horæ momento obtinere eſt, quod alioquin repetito acriorum cathæreticorum uſu vix forſan intra plures dies conficeretur cum ſummâ ægrotantis moleſtiâ nec ſine gravi inflammationis periculo: Porrò detruncatis ſemel excreſcentiis baſi cautè proſpiciendum eſt, neque permittendum unquam ut præmaturè coeat, nondùm reſolutis, ſuppuratis, emollitis vel abſumptis callis omnibus.

4°. Sed methodus eadem ſatis commoda nequaquam videtur, quotieſcunque excreſcentiæ humiles brevioreſque nec digitis ſuſpendi, nec radicitùs exſcindi poſſunt; quamobrem præſtat ad cathæreticorum uſum confugere, quæ porris, verrucis, condylomatis illita vel admota, non modò excreſcentiarum faſtigia, quæ prominent, detruncant, ſed earumdem radices funditùs extirpant, & quibus adeò nec certius nec efficacius quidquam novimus.

5°. Inter cætera minoris notæ uſu probatiſſima ſunt & receptiſſima pulvis ex duabus ſabinæ pulveratæ partibus & unâ ochræ; pulvis vitrioli cyprii; pulvis ex æqualibus Mercurii rubri præcipitati, aluminis uſti & ſabinæ pulveratæ partibus; pulvis Mercurii præcipitati rubri ſolus, vel cum æquali parte præcipitati Mercurii albi &c. quæ ſingula porris & verrucis ſalivâ priùs madefactis inſperguntur, vel butyro aut unguento baſilicone excepta cum linamento iiſdem admoventur, donec exſiccatæ excreſcentiæ ſponte decidant.

6°. Si porri & verrucæ nimiùm calloſæ horumce remediorum vim eludant, poſſunt in uſum vocari ſequentia, quæ potentiora ſunt, nempe aqua aluminoſa magiſtralis Fallopii; aqua phagædenica, quæ cum aquâ calcis & ſublimato corroſivo paratur; aut oleum viridis æris per deliquium, quod ex ærugine cum nitro calcinatâ & in cellâ deliqueſcente conficitur. Hæc autem ſingula porris, verrucis, condylomatis vel guttatim inſtillantur, vel linamento imbibita iiſdem apponuntur, cavendo ne vicinæ partes lædantur.

7°. Imò verò ſi efficaciſſimis opus fuerit, quod tamen perrarum eſt, licebit uti lapide vulgari cauteriali, lapide infernali ſeu lunâ corneâ, oleo glaciali vitrioli, butyro antimoniali &c. iiſque excreſcentias leviter attingere, vel etiam deraſa paucula lapidum tamenta, aut unam vel alteram olei butyrive guttulam goſſypio vel linamento exceptam iiſdem cautè applicare, ſed confinibus partibus emplaſtro defenſivo probè priùs minutis.

8°. Cavendum tamen ne arſenicalia unquam adhibeantur aut corroſiva ulla ex arſenicalium familiâ, quoniam quantâcumque arte præparentur, cicurationis neſcia naturam ſemper retinent, adeòque acriùs deurendo dolores intolerandos, inflammationes, ſpaſmos, lipothymias &c. plerumque advocant; quin etiam lethalem quandoque noxam ſanguini inurunt, ut jam non ſemel monuimus.

9°. Baſis ulcerata, quæ ſupereſt porris, verrucis, condylomatis deciduis, curanda eſt vulgari methodo cum balſamo Arcæi, cui grana aliquot Mercurii præcipitati rubri admiſta ſint, donec callis perfectè reſolutis feliciter coeat, novos porros numquam productura.

CAPUT X.

De Criſtis, Moris, Ficis, Mariſcis & Rhagadiis Ani.

§. I. DESCRIPTIO.

MORBORUM localium, qui à ſeminio venereo recenter admiſſo producuntur, agmen claudunt affectus varii, qui ſolent in ano vel juxta anum oboriri, ut criſtæ, mora, fraga, fici, mariſcæ, rhagadia &c. quæ ſingula paucis jam exponenda ſunt.

Deſcriptio I. Criſtarum ani.

I. Criſtæ ſunt elongatæ cutis appendices, ſitu & magnitudine variæ; modò pendulæ, molles, flaccidæ, reliquæ cuti concolores, paleis quæ à gallinarum mento dependent ſimillimæ; modò contrà duræ, rigentes, calloſæ & skirrhodes, criſtis ſimiles, quæ ſummo gallinarum capiti innaſcuntur. Si fricatione, contrectatione, diſtractione, uſu acriorum remediorum nimis irritentur, inflammantur, & niſi inflammatio citò reſolvatur, in ſuppuratum abeunt ſi molles fuerint; ſi verò skirrhodes, in carcinomatoden naturam degenerant.

II. Thymorum, fragorum, mororum.

II. Adnaſcuntur ano excreſcentiæ aliæ denſiores, ſphæricæ, globoſæ, capitatæ, granoſæ, tenui pediculo cuti adhæreſcentes, quæ ſi mole minores ſint, *thymi*, *fraga* vel *mora*; ſi majores, *fici* vel *mariſcæ* dici ſolent

ex ſimilitudine. Modò molles, pulpoſæ, læves ſunt; modò verò duræ, aſperæ, skirrhodes. Ex ſe inflammationis quidem expertes ſunt, indolentes, cuti concolores; ſed ſi vitio ſanguinis, diſtractione, contuſione, uſu acrioris topici inflammentur, vel in abſceſſum abeunt ſi molles ſint, unde non rarò ani fiſtulæ; vel ſi duræ fuerint, citra ſuppurationem calent, dolent, lancinant, uno verbo carcinomatodes fiunt. ficorum, & mariſcarũ.

III. In fundo ſulcorum, qui radiatim anum ambiunt, fiſſuræ fiunt, Græcis *Rhagades* vel *Rhagadia* dictæ, quæ ſi ſuperficiariæ ac labris mollibus atque complanatis ſeptæ ſint, parùm doleant, pure ſpiſſo, albo, maturo manent, boni moris; ſi verò profundæ, phagædenicæ, labris callosis, duris, extrorsùm replicatis obvallatæ ſint, identidem lancinent, & loco puris ichore diffluant, mali moris eſſe conſueverunt. III. Rhagadum ſive rhagadiorum.

§. II. CAUSÆ.

I. Prima criſtarum rudimenta in ano apparent, quoties ultra tonum vi ſæpiùs anus diſtrahitur vel aversâ venere, vel violentâ duriorum fæcum egeſtione; dùm enim diducta cutis ſibi denuò permittitur, laxata in ſeſe concidit & in plicas pendulas corrugatur. Leviores illæ plicæ ſeſe in dies paulatim promittunt in criſtas, quoniam ſtagnante limphâ uberiùs nutriuntur. Stagnat autem in iiſdem limpha causâ geminâ, 1°. *Viſciditate* quam habet ſeu ab admiſto contagio venereo, ſeu ab aliâ quacumque causâ, unde fit ut ægriùs progrediatur, 2°. *Nimiâ* partis ipſius *mollitie*, unde fit ut debiliùs propellatur. I. Criſtæ ani à plicis excreſcentibus.

Hinc ergo liquet criſtas legitimas luem veneream & muliebrem patientiam frequenter quidem, ſed non ſemper arguere.

II. Proſtant ad ani ambitum veſiculæ, vel ſi mavis, lacunæ multæ, quæ naturâ vacant ſecernendo humori pingui, viſcido, ſebaceo, ad podicem lubricandum à naturâ comparato. Ab hiſce veſiculis, ſi mole tumeant, oriri ſolent in eâ cutis parte quam occupant, excreſcentiæ variæ, globoſæ, capitatæ, granoſæ, quæ ano adnaſcuntur; minores quidem & *fragis* ſeu *moris* pares, ſi veſiculæ & pauciores & minùs extumeant; majores verò, & *ficis* ſeu *mariſcis* ſimiles, ſi veſiculæ plures aut magis excreſcant. II. Thymi, mora, fraga, fici, mariſcæ ab ani lacunis extumentibus.

Illæ verò veſiculæ ideò tument & excreſcunt, quia humor quem recondunt, contagii venerei illapſu ita inſpiſſatur, ut intra ſua conceptacula hærere, eadem ſenſim dilatare, & limphæ circumfluæ regreſſum retardare vel ſupprimere neceſſum habeat, unde veſicularum tumefactio, accretio, ac demùm ſupra cutim finitimam extuberatio.

Poteſt autem humor ille contagio venereo infici, vel à *ſanguine* ipſo pridem infecto, cujus vitia participat humor ſebaceus, qui inde ſecedit; vel à *virulento ſemine*, quo ab ano ſtillatim manante podicis confinia non rarò madent in iis qui aliorum libidini flagitioſiſſimè ſerviunt.

Hinc liquet mora, fraga, ficos, mariſcas luem quidem veneream ſemper, at non ſemper flagitioſam venerem atteſtari.

III. Rhagades fiunt vel diſtractione quâ diſcinduntur, vel eroſione quâ ulcerantur rugarum interſtitia in ano: *Diſtractione* quidem vel à violentâ duriorum fæcum egeſtione, vel à flagitiosâ cinædorum patientiâ: III. Rhagades demùm ab interſtitiis ru-

garum ani diſciſſis vel eroſis.

Roſione verò vel à virulentiâ humoris ſeminalis qui ab ano defluit in cinædis, vel ab acrimoniâ ſuccorum qui à fluentibus vel ſuppuratis hæmorrhoidibus, aut ab inteſtinorum cavo, in dyſenteriâ, diarrhœâ, hypercatharſi &c. depluunt, & qui hærent impacti inter ani plicas.

Hinc liquet rhagades ani à lue quidem venereâ aut ab impuriſſimâ venere quandoque fieri, at frequentiſſimè à neutrâ causâ ſed à vitio leviore produci.

Pudet ſanè turpia tam ſæpè refricare, ſed exigebat inſtituti operis finis cauſam minimè taceri, quam maximo humani generis opprobrio experientia docet morborum venereorum cauſam eſſe & nimis veram & nimis frequentem. Imò verò poſcere viſa eſt ipſa honeſtatis ratio eamdem cauſam ſæpiùs inculcari, ut ii quibus circa jecur ulceroſum tam malè ſana libido ſævit, moniti aliquando ſapiant, & ſi neque naturæ ſenſu revocari, neque terreri valeant Dei judicio, at ſaltem certâ malorum hinc impendentium notitiâ à tam turpi flagitio tandem avertantur.

§. III. SYMPTOMATA.

1. Criſtæ molles, vel calloſæ.

1°. Si criſtæ limphâ tenui, parcè congeſtâ, nullo vel pauco ſeminio venereo infectâ excreſcant, laxæ & pendulæ; contrà verò rigentes & calloſæ futuræ ſunt, ſi à limphâ craſsâ, ubertim aggeſtâ, & ſeminio venereo multùm inquinatâ nutriantur.

2. Mariſcæ pulpoſæ, vel skirrhodes.

2°. Similiter mariſcæ molles & pulpoſæ futuræ ſunt, ſi limphâ fluxili, paucâ, purâ nutriantur; contrà verò ſi limphâ viſcidâ, uberi, virulentâ, renitentes & skirrhodes.

3. Rhagades duræ, vel laxæ.

3°. Pari quoque modo ex diverſâ limphæ copiâ & qualitate repetenda eſt diverſa labiorum conditio in rhagadibus, quæ quidem dura & calloſa, ſi limpha viſcida, copioſa, contagio venereo gravida fuerit; contrà verò mollia & laxa futura ſunt, ſi limpha tenuior, parcior, purior ſit.

4. Aliquãdo criſtæ & mariſcæ inflammantur.

4°. Criſtæ, mariſcæ, rhagades, ſi diſtractione, contuſione, preſſione, contrectatione; uſu cathæreticorum; fæcum alvinarum duriorum aſperitie, vel earumdem liquidiorum acrimoniâ nimiùm irritentur, coercito præ dolore ſanguinis circuitu inflammabuntur magis vel minus intensè, prout ſanguis ipſe naturâ fervidior erit vel temperatior.

5. Aliquãdo abſcedunt, vel abeunt in carcinomata.

5°. Niſi verò inflammatio celeri reſolutione evaneſcat, inde criſtæ & mariſcæ, ſi molles ſint, in ſuppuratum abituræ ſunt, unde abſceſſus, apoſtema, fiſtula; vel in necroſim, unde ſphacelus: Si verò duræ & skirrhodes ſint, expanſivam rareſcentiam ſenſim concepturæ, unde dolor acer, lancinans, uno verbo carcinomatodes.

6. Et rhagades in abſceſſus vel in gangrænam.

6°. Nec diſpari ratione rhagades ipſæ ſemel inflammatæ, ſi molles fuerint, ſuppuratione cuniculos fiſtuloſos ſubter cutem agent in podicem; vel necroſi in ſphacelum deſciſcent: Si verò calloſæ, expanſivo calore in carcinoma degenerabunt.

7. Seſſioni, equitationi, egeſtioni variè officiunt.

7°. Quandiù criſtæ, mariſcæ, rhagades inflammatione vacant, vel merè skirrhodes ſunt, ambulationi, ſeſſioni, equitationi, fæcum egeſtioni officiunt quidem, ſed officiunt parùm: Contrà verò ſi inflammatæ, ſuppuratæ, exulceratæ, carcinomatodes fiant, obſtant ne eadem munia niſi cum dolore exerceantur.

§. IV. DIAGNOSIS.

1°. Rhagades quidem visu solo facilè dignoscuntur ex descriptione superiùs traditâ, cùm suam sibique propriam naturam habeant, quæ cum nullo alio ani affectu communis sit. At verò cristæ & marisæ solent non rarò cum hæmorrhoidibus confundi. Diagnosis rhagadum.

2°. Cristæ tamen, si legitimæ sint, possunt ab hæmorrhoidibus ideò distingui, quòd ipsæ tenues sint & merè cutaneæ, nihilque intermedium comprehendant: Contrà verò hæmorrhoides, utcumque subtiles sint & *cristiformes*, crassiores esse soleant, & quid molle ac pulposum in medio semper complectantur, cincinnos scilicet ad minus, capreolosve arteriarum anevrismalium venarumve varicosarum, quarum dilatatione producuntur. Cristarum.

3°. Mora verò, fraga, fici & marisæ ab hæmorrhoidibus in eo differunt, quòd excrescentiæ hujuscemodi globosæ, capitatæ, granosæ tenui teretique pediculo podicis margini adhæreant; contrà verò hæmorrhoides cuspidatæ, angulosæ, superficie læviores sint, & plerumque latiore basi ab ano vel ani margine dependeant. Et marisarum.

4°. Facile est conditionem statumve cristarum, mororum, marisarum rhagadumve dignoscere visu tactuque, vel ad summum specillo: *Visu* nempe, *tactuve* an molles, callosæ, inflammatæ, suppuratæ, ulcerosæ, carcinomatodes, sphacelatæ sint? *specillo* verò an cavæ; & si cavæ fuerint, an per basim foraminulentam fistulosos cuniculos altè egerint necne, & in quam egerint loci differentiam? Diagnosis differentiarum, quibus affectiones illæ singulæ distinguntur.

5°. Difficiliùs est certò eruere an cristæ, mora, marisæ rhagadesque ab aversâ probrosâque venere ortum habeant necne; sed nec juvat in tanta flagitia curiosiùs inquirere, decetque Medicum æqui conscium conjecturis parcere, tantò quidem magis, quòd inde nulla accedat utilitas neque ad morbi prognosim, neque ad curationem instituendam. Diagnosis causarum, à quibus dependent.

6°. Pluris interest statuere an affectiones hujuscemodi luem veneream præsentem indicent necne, vel tanquam causam à quâ ipsæ soboleścant, vel tanquam coeffectum causæ ejusdem à quâ & ipsæ dependeant, contagii scilicet illius, quod recèns admissum & labem parti inusserit cui primùm affricatum fuit, & simul etiam sanguinem latenter vitiaverit. Id verò licet tantùm colligere ex conditione & syndrome signorum quæ luem significant, & de quibus infrà *Libro IV. cap.* 4. quorum quidem unum aut alterum ex urgentioribus requiritur, si cristæ aut rhagades solæ adsint, quoniam priores illæ affectiones, ut suprà §. II. dictum est, luem ex se perpetuò non indicant; unum contrà aut alterum ex levioribus sufficit, si marisis vel ficis anus obsideatur, quoniam posteriores istæ affectiones, ut ibidem expositum est, luem veneream satis ipsæ arguunt. Quòd si cristæ, mora, marisæ, rhagades suppuratæ, ulcerosæ, fistulosæ, carcinomatodes sint, tunc vel levissima suspicio prudenti Medico satis erit ut ad hydrargyrosim ceu ad sacram anchoram ocyùs properet, cùm in evidenti periculo satius sit remedium inutile, sed quod omni nocumento caret, adhibere, quàm omittere necessarium.

§. V. PROGNOSIS.

Prognoſis criſtarum, mariſcarũ, rhagadum, eò periculoſior.

1°. Criſtæ, mora, mariſcæ, rhagades, affectiones ſunt ex ſe graves; cùm curari non poſſint niſi extirpentur, nec extirpari niſi urendo & ſecando, hoc eſt duris, difficilibus, laborioſis operationibus.

Quò affectiones illæ plures, aut malignio-res.

2°. Hinc ergò conſequens eſt eò graviores & curatu difficiliores eſſe, quò numero plures, mole grandiores, duriore, craſſiore, magis callosâ baſi dependent, ad ani ambitum propiùs adſtant, vel in interiore recto magis radicantur; quoniam poſſunt inde & difficiliùs exſecari, & reſectis graviora, calloſiora, latiora, magis dyſepulotica ulcera ſuperſunt, quorum curatio difficilior.

Quò ſymptomata graviora advocant.

3°. Cæteris paribus eò quoque graviores cenſendæ ſunt, quò graviora ſymptomata advocant. Creſcit ergo ſingularum periculum, ſi calloſæ, inflammatæ, ſuppuratæ, ulceroſæ, carcinomatodes, ſphacelatæ ſint, cùm ea ſint totidem morborum monſtra, quæ debellare difficillimum ſit.

Quò à graviore causâ dependent.

4°. Accedit tertia periculi cauſa, ſi cum lue venereâ conjungantur, ſive recente, ſive inveteratâ, utpote quæ in neutro caſu radicitùs curari poſſint, niſi priùs expugnato ſeminio venereo, à quo excreſcentias iſtiuſmodi produci vel ſaltem foveri certum eſt; quod tamen numquam obtineri tutò poteſt, niſi plenâ & legitimâ hydrargyroſi, atque adeò durâ conditione.

§. VI. CURATIO.

Præmiſsâ idoneâ præparatione.

1°. Ægrotans efficaci therapeiæ præparabitur tùm remediis univerſalioribus, venæ ſectione ſcilicet & purgatione, quæ plethoræ & cacochyliæ medeantur; tùm alterantibus, diluentibus, demulcentibus, attenuantibus, quæ ſanguinis fervorem, acrimoniam, viſciditatem corrigant vel temperent, nempe juſculis cum pullo gallinaceo vel fruſtulo carnis vitulinæ, & cichorio, ſcolopendrio, agrimoniâ, pimpinellâ &c. ſero lactis; lacte aſinino, caprillo, vaccino; aquis mineralibus acidulis; ſemicupio; balneo tepido aquæ dulcis &c. varia ſeligendo pro tempeſtatis modo, aut pravæ diatheſeos ratione.

2°. Deinde ſi qua legitima ſit latentis luis venereæ ſuſpicio, plena perfectaque hydrargyroſis adhibebitur, ut profligato ſeminio, quantulumcunque ſanguini ineſt, remotâque causâ antecedente, poſſit inde morbus & tutiùs & feliciùs ad optatam curationem deduci.

3°. Præmiſsâ eo modo præparatione, & hydrargyroſi, ſi eâ forſan uti viſum ſit, finitâ vel finiente, ad detractionem criſtarum, mororum, ficorũmve deveniendum, ubi primùm tempeſtas faverit. Neque enim ſperare licet excreſcentias, quæ in hyperſarcoſes accrevêre, poſſe unquam ratione ullâ in arctiorem molem denuò cogi & priſtinæ reddi anguſtiæ.

Criſtæ & mariſcæ extirpandæ no. ope ligaturæ.

4°. Olim uſu receptum fuit, criſtas, mora, ficoſve filo cerato vincire & in dies ſtrictiùs & ſtrictiùs colligare, donec ſponte contabeſcerent decideruntque. Sed ea methodus nunc exploditur, neque immeritò, 1°. Quia plena eſt acris & diuturni doloris; 2°. Quia cohibito ſanguinis regreſſu graves inflammationes in ligatis excreſcentiis plerumque excitat, quæ in ſuppuratum

puratum, in gangrænam, in carcinoma degenerant; 3°. Quia ad criſtas ficoſve, qui craſſiore & calloſo pediculo ſuſpenduntur, vix unquam utilis eſt; 4°. Demùm, utut cætera omnia optimè procederent, quia baſim excreſcentiarum intactam ſemper relinquit, unde novi fungi citò progerminant.

5°. Nec utilior eſt methodus altera, quâ ſolent ani excreſcentiæ cathæreticis paulatim exedi. Nam 1°. Ea methodus diuturnitate tædioſa eſt, ſi hyperſarcoſes grandiores ſint; imò etiam quandoque inefficax, ſi calloſæ fuerint; 2°. Dolore intolerando ægrotantes diſcruciat; 3°. Gravem inflammationem non rarò advocat, quæ ad anum uſque extenditur; 4°. Demùm abſceſſus & apoſtemata quandoque infert inflammatione, ſi excreſcentiæ molles ſint; cæteras verò, quæ duræ & calloſæ ſunt, ad carcinomatis indolem præcipitat dolore & irritatione. Attamen ſi excreſcentiæ minutæ, molles, pulpoſæ fuerint, ægro qui ferri aciem nimiùm expaverit, poterit cathæreticorum uſus haud ægrè condonari. Nec uſu cathæreticorum.

6°. Igitur una tantùm therapeia tuta eſt, certa, efficax, ſcilicet excreſcentias ſcalpello reſecare, vel detondere forfice. Sic enim horæ momento & dolore inſtantaneo res conficitur, cæteroquin ultra menſem duratura cum ſummo ægrotantis dolore. In hunc finem æger apto ſitu primò componendus eſt. Itaque genubus inſiſtens & reclinato deorſum capite clunes extrorsùm porrigat; vel quod plerumque commodius eſt, in latus jaceat & capite genubuſque ad lecti interiora reductis nates extrorsùm quàm maximè proferat, natiumque ſuperior à miniſtro quodam ſurſùm retrahatur, ut inferior, ubi mali ſedes, Chirurgo magis obvia ſit. Sed ferro exſcindendæ.

7°. Inde excreſcentiæ, cujuſcumque generis fuerint, ſive criſtæ, ſive mora, ſive mariſcæ, quæcumque magis prominent & apprehendi poſſunt, ſiniſtrâ ſuſpendantur; & ſi latæ, duræ, calloſæ baſi inſideant, novaculâ, vel ſcalpello, vulgò *Biſtouri*, ad vivum reſecentur; forfice verò exſcindantur proximè ad cutim, ſi exili, mollique pediculo dependeant; quæ verò breviores humilioreſque ſunt extremis forficis ſcapis comprehenſæ ad cutem deradantur. Quòd ſi ſuſpicio ſit ne qua carcinomatodes vel gangrænodes labes in excreſcentiarum baſi fortaſſe lateat, inciſioni minimè parcendum eſt, ſed ſatis altè excavandum, ut quævis carcinomatis radiculæ extirpentur, & deleantur omnia gangrænæ rudimenta.

8°. Poſteà exterſo cruore baſis conditio exploranda eſt, atque 1°. Si mollis fuerit & labis immunis, ab omni inciſione & ſcarificatione temperandum, nec pars jam ſana fruſtrà dilanianda eſt. 2°. Si verò grandinoſis & diſcretis callis conſita ſit, ſummo ſcalpelli acumine ſpiſsè ſcarificanda, ut uberior promoveatur ſuppuratio, quâ ſpes eſſe poſſit callos omnes reſolutum iri. 3°. Demùm ſi in callum uniformem & quaſi corneum indurata, aut favi inſtar foraminulenta ſit, aut ſi carcinomati vel gangrænæ ſubſtrata tacitam labem inde contraxerit, ignito ferro ſive cauterio actuali altè deurenda, quo tollatur efficaciter morbi fomes. Deinde ulcus, quod ſupereſt, ex arte curandum.

9°. Deinde in duobus primis caſibus ſanguis fluens linamento ſicco cohibendus; imò ſi opus fuerit, quod tamen rarum eſt, pulveribus aſtringentibus malicorii, balauſtiorum, gallarum, aluminis, gypſi &c. ovi albumine exceptis. Apparatu illo poſterâ die detracto ſuperſtes plaga curabitur

digeſtivo vulgari ex terebinthinâ & ovi vitello, quocum admiſcebitur oleum hyperici, ſi fœtidior videatur vulneris facies; tinctura vel pulvis myrrhæ aut aloës, ſi quod immineat ſiderationis periculum; præcipitatus Mercurius ruber, ſi calli duriores & reſolutionis neſcii ſuppurationem eludant; ſed ſingula diversâ doſi, majori minorive, nempe quæ variet pro diverſo periculi modo.

10°. Ubi primùm remittetur ſuppuratio, digeſtivi loco utendum erit balſamo Arcæi ut plaga detergatur & carnis regeneratio ſenſim promoveatur, quocum poterit identidem præcipitatus ruber admiſceri, ſi ita è re eſſe videatur, ac tandem reſolutis, ſuppuratis, vel exeſis callis omnibus vulneris coitio in cicatricem permittenda.

11°. In ultimo verò caſu inuſta eſchara butyro recenti, vel ovi vitello bis de die illinenda eſt, dùm decidat. Deinde utendum digeſtivo vulgari, cum oleo quidem hyperici vel tincturâ myrrhæ aut aloës, ſi nimius ſit ulceris fœtor; cùm præcipitato verò rubro, ſi qui calli ſuperſtites ulceris fundum vel labra occupent. Demùm ut deterſio & carnis regeneratio feliciùs procedant, balſamum Arcæi vel ſolum, vel cum balſamo viridi, ſi carnes fungoſæ luxuriaverint, adhibendum eſt, donec vulnus perfectè conſaneſcat.

Neque diſpar curatio rhagadibus adhibenda.

12°. Triplex diſtinguendus eſt ad therapeiam rhagadum ſtatus, cutanearum, profundiorum ſed quæ tamen benignæ ſint, & malignarum.

Cutaneæ quidem, ſi inflammatæ doleant, foveantur lacte, ſero lactis, decocto verbaſci aut althææ, vel ſolo vel cum addito ſaccharo Saturnino; ſucco depurato plantaginis, ſempervivi ſeu ſedi &c. mucilagine ex ſeminibus pſyllii, lini, cydoniorum &c. cum aquâ plantaginis extractâ; oleo è vitellis ovorum, vel è ſemine lini diù in mortario plumbeo ſubactis, dùm nigreſcant. Si verò inflammatione vacent, abluantur ſæpiùs in die aquâ thermali quâvis, Balerucanâ, Borbonienſi, Bagnerienſi &c. infuſo vel decocto plantarum vulnerariarum, ut Alchimillæ ſive pedis leonis, ſaniculæ, bugulæ, pyrolæ, veronicæ, virgæ aureæ, angelicæ, betonicæ, prunellæ, vincæ pervincæ, piloſellæ &c. aquâ calcis; vino rubro, cui ferrum ignitum intinctum fuerit; aquâ vulnerariâ ſive traumaticâ vulgari, quæ ex vino albo cum plantis vulnerariis modò dictis infuſo diſtillatione elicitur. Lotis & deterſis illinatur butyrum; ceratum refrigerans Galeni paulò liquidius; album Rhaſis; unguentum de ceruſsâ; unguentum album camphoratum; unguentum diapompholygos &c. quâ methodo brevi conſaneſcunt rhagades, quæ cutaneæ ſunt, levioreſque ad anum fiſſuræ, & à nullo foventur ſanguinis vitio

13°. Rhagades verò *profundiores*, ſed quæ tamen benignæ ſunt, id eſt quarum labra mollia ſunt & callorum expertia, ſi acriùs doleant, remediis iiſdem, quæ in præcedenti articulo modò propoſuimus, demulcendæ ſunt; ſi verò inflammationis & intenſioris doloris immunes fuerint, elui debent aquâ phagedænicâ mitiore, vel lapide infernali leviter attingi, vel unguento Ægyptiaco curari, ut lurida & ſemi-putris ulcerum facies renovetur. Demùm deterſis & mundatis ulceribus admovenda unguenta demulcentia, quæ ſuprà propoſita ſunt, ut mitigatâ ſuccorum affluentium acrimoniâ, cicatrice feliciter obducantur.

14°. Si rhagades *maligne* ſint, id eſt labris duris, calloſis, extrorsùm replicatis, obſcurè lancinantibus &c. obvallatæ, ulceroſa facies ſpiſſis inciſuris ſcarificanda, imò labra, ſi duriora ſint, ſummis forficibus altè exſcindenda, quantùm fieri poterit. Inde cohibito ſemel ſanguine ope linamenti ſicci, poſterâ die rhagadum ſulcis admovendum unguentum Ægyptiacum, vel baſilicum cum præcipitato rubro; quin etiam, ſi eà forſan imparia ſint, ulcera lapide infernali, vel lapide cauſtico vulgari contingenda ſunt, donec eſchara inuratur, quæ ad vivum penetret; quâ delapsâ vel baſilico vel balſamo Arcæi, ſolis, aut cum cathæreticis commixtis ex arte curabuntur.

15°. Quòd ſi rhagades maligniores ad *gangrænam* vel ad *carcinoma* jam deſciverint, vel deſcituræ proximè videantur, tunc abjectâ omni cunctatione urgentiſſimis malis occurrendum eſt. In hunc finem exciſis deraſiſque forfice partibus, quæ malè affectæ ſunt, ulceri cauterium actuale inurendum eſt, quo morbi reliquiæ potentiſſimè reprimantur. Poſteà delapsâ eſcharâ ſuperſtes ulcus, ut jam ſæpè dictum eſt, ex arte curandum.

16°. Demùm ſi criſtæ, mora, mariſcæ ſuppuratæ, ſi rhagades ulceroſæ tacitos cuniculos ad podicem cæteraſve vicinas partes clam egerint, unde multiplex fiſtularum genus, cæcarum vel apertarum, profundè latentium vel cutanearum; rectarum, obliquarum, ſimplicium, compoſitarum &c. ubi primùm ſpecillo res innotuerit, conveniens operatio adhibenda. Sed hæc non ſunt noſtri inſtituti, quocirca adeantur, ſi ita lubeat, Auctores varii, qui eâ de re ex profeſſo ſcripſerunt, vel conſulatur (*a*) Diſſertatio, quam de eodem argumento ipſi olim edidimus.

(*a*) Diſſertatio de Fiſtulâ ani. *Monſpelii, anno* 1718. *in* 12.

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER QUARTUS.

De Ætiologiâ, Diagnosi, Prognosi & Therapeiâ Morbi Venerei universalis,

SIVE

De Lue Venereâ confirmatâ.

CAPUT PRIMUM.

Descriptio Luis venereæ confirmatæ.

Descriptio luis venereæ confirmatæ.

HACTENUS de morbis venereis topicis sive localibus, qui contagio recèns admisso geniti, partes peculiares, unde haustum est, insident, atque inde tacito progressu sunt veluti prima incipientis luis rudimenta. Jam de lue eâdem confirmatâ, quâ non una aut altera corporis pars, naturalisve œconomiæ functio una aut altera lædi, sed quâ singula ferè corporis loca infici singulaque munia perverti solent. Tam latè patet mali natura, & tantam symptomatum discrepantium syndromen complectitur, ut non tam morbus unicus, quàm morborum Ilias esse videatur. Ideò frustrà laboraretur in definiendo morbo, qui arctioribus definitionis cancellis comprehendi vix potest, multòque satius est accuratâ descriptione, & recensione potissimorum symptomatum ejusdem naturam, formam, indolem, & effectuum, quos producit, seriem & nexum sub uno aspectu ponere. Verùm ut singula ordine quæque suo exponerentur, necesse fuit symptomata quibus partes, à symptomatis quibus functiones vitiantur, distingui; utraque verò revocari ad diversa propriaque capita, pro diversitate partium vel functionum ad quas pertinent.

Itaque I. Morbi venerei genitalium recrudeſcunt, renovantur, de novo invadunt. I. Morbi genitalium.

1°. *Recrudeſcunt* quidem & maligniores fiunt, ſi qui forſan præſentes ſint. Hinc in lue venereâ confirmatâ gonorrhœa virulenta, ſi qua ægrotantem affligat, acrior & pertinacior diutiùs fluit & ſæpiùs ingraveſcit: Hinc generatio plurium callorum in proſtatis, veſiculis ſeminariis, urethrâ: Hinc earumdem partium apoſtemata, ulcera, fiſtulæ frequentiores.

2°. *Renovantur* verò, ſi qui jam antè præceſſerint ſed dudùm curati. Hinc in lue venereâ confirmatâ accidunt ſine causâ manifeſtâ in genitalibus ulcera cancroſa, porri, verrucæ, condylomata; juxta anum fraga, fici, mariſcæ; in inguinibus pani ſive bubones; in teſticulis tumores multiformes, ſpermatocele, varicocele, ſarcocele, pneumatocele, hydrocele.

3°. Denique *de novo invadunt*, ſi nulli præextiterint. Hinc quotidianum eſt in lue venereâ confirmatâ genitalia affici morbis localibus, quos nondum ſenſerant, ſi unam excipias gonorrhœam virulentam, quam à ſolâ lue & ſine impuro concubitu produci nec unquam ipſe obſervavi, nec à quoquam obſervatum fuiſſe memini.

II. Cutis multifariam afficitur, 1°. Variatur, potiſſimùm in pectore & interſcapulio maculis ephelidum inſtar planis, non extuberantibus; roſeis, purpureis, flavis, aut liveſcentibus; modò diſcretis, parvis, circularibus, lentiginoſis; modò latiùs diffuſis & expanſis. II. Affectiones cutis.

2°. Tentatur ſcabie, impetigine, lichene, herpete multiplici, ſicco, fluente, furfuraceo, puſtuloſo, miliari, exedente &c.

3°. Finditur in volis manuum plantiſque pedum, ſciſſuris ſeu rhagadibus duris, calloſis, prurientibus, ichore tenui manantibus, & hinc ſuffoſſa cuticula ſoluto nexu mutuo à ſubjectâ cute laciniatim ſecedit inſtar exuviæ, unde *la Pelarelle.*

4°. Infeſtatur tuberculis ſeu puſtulis duris, calloſis, circularibus, non faſtigiatis, ſummâ parte ulceroſis, plerumque ſiccis, & ſine pure, ſed aliquando humidis & manantibus, ſquamoſis, furfuraceis, flavis, quæ frequentes ſunt in commiſſuris labiorum aliſque naſi, præſertim circa frontem & tempora, ponèque aures, ubi ſeriatim diſpoſitæ veluti corollam referunt, vulgò *le Chapelet.* Inde totum capillitium, cæteraſque corporis partes ſenſim occupant, maximè ſi piloſæ ſint.

5°. Glabreſcit defluvio tum capillorum, unde areæ circa crotaphytas & in occipite, Ὀφίασις, Ἀλωπεκία, calvities; tum etiam pilorum ferè omnium, ita ut ſupercilia, genæ, mentum, inguina, pilis nudentur, unde *la Pelade.*

6°. Demùm ungues, qui extremæ cutis appendices ſunt, inæquales, craſſi, rugoſi, ſcabri fiunt, & obortis ad radices reduviis, panaritio, inflammatione, ulcere ſponte decidunt, unde *l'Onglade.*

III. Malè habent oris, faucium & narium interiora; 1°. Uvula ſive columella, tonſillæ ſive Παρίδημα, totumque lacunar faucium dolent, calent, inflammantur, ulcere depaſcuntur, carieſque inde cum adſitis oſſiculis palatinis communicatur, quâ brevi exeduntur. III. Morbi oris, narium & faucium.

2°. Tubercula & puſtulæ palato innaſcuntur, quæ in ulcera rotunda,

cacoëthea, phagedænica degenerant, quibus palati fornix osseus carie nonnunquam ad nares usque perforatur.

3°. Membrana pituitaria simili labe infecta vel in polypos fungosos, ulcerosos, callosos, carcinomatodes extuberat; vel phlyctænis pluribus in ozænas seu malignas exulcerationes desinentibus tentatur, unde spongiosa narium ossa, ossa bina triangularia nasi, vomerque quo fulciuntur, carie erosa corruunt cum manifestâ nasi depressione.

4°. Hinc tam multiplici læsione organorum quæ loquelæ serviunt, vocis immutatio, raucitas, aphonia.

5°. Gingivæ aphthis, parulidibus, ulceribus eroduntur, unde dentes dolent, vacillant, carioſi fiunt, è sede decidunt.

6°. Inde animæ fœtor corruptis, ulceratis, putrescentibus locis, quà spiritus ducitur, scilicet naribus, faucibus & ore.

IV. Dolores in variis locis.

IV. Dolores frequentes, acuti, atroces, noctu & in lecto præsertim sæviunt, dum corpus stragulis incaluit; naturâ, gradu, loco diversi, tensivi, pungitivi, pulsatorii vel lancinantes; 1°. Ii quidem modò partes musculosas membranaceasque, & *Rheumaticorum*, modò verò ligamenta tendinesque qui articulos ambiunt, & *Arthriticorum*; modò demùm musculos articulosque simul occupant, & *Rheumatico-arthriticorum* dolorum naturam referunt.

2°. Inter cætera dolorum venereorum genera peculiari appellatione designantur dolores *Ischiadici*, quibus partes ossi Ischio adsitæ, totaque coxendix externa; *Lumbago*, quâ lumbi lumborumque musculi; dolores Ὀστεοκόποι, quibus ossa ipsamet discruciantur, quasi frangerentur aut terebrâ perfoderentur.

3°. Cæterùm partes doloribus venereis affectæ quandoque dolent & calent citra tumorem & inflammationem; contrà verò quandoque tument & inflammantur in suppuratum abituræ nisi occurratur. Pari quoque inconstantiâ dolores modò fixi sunt & permanentes, modò contrà vagi & erratici.

V. Morbi ossium.

V. Ossa multiplici quoque noxæ patent: 1°. In mediâ & densissimâ parte in Ἐξόσωσεις extument majores minoresve, modò submolles & quasi semi-pulposas, modò renitentes & verè osseas, quæ nunc atrociter, nunc leviùs & tolerabiliùs dolent, imò verò quandoque indolentes sunt.

2°. Ossa ad extremos fines, ubi spongiosa sunt & minùs densata, tacitâ accretione seu Ὑπερόσωσει sensim dilatantur & intumescunt, totâ quidem mole sed inæquali tamen modo pro inæquali compagis densitate, unde articulorum, ad quos illa ossium capita pertinent, tumor, dolor, ad motum impotentia, Ἀγκύλωσις &c.

3°. Carie tentantur externâ, quæ superficiem; internâ, quæ medullium; universali, quæ totam ossis compagem labefactat, unde fragilia & semi-exesa leviſſimo ac ferè nullo conatu dissiliunt & confringuntur.

4°. Imò etiam observatione compertum est in demortuis medullam ipsammet, quæ ossium cava replet, nonnumquam inflammatam, suppuratam, exulceratam atrociſſimos & verè osteocopos dolores excitavisse, atque abscessus, exostoses carieſve in internâ ossium cavitate produxisse.

5°. Constat quoque observatione ossa seminio venereo, quo altè im-

buuntur, aliquando ita molleſcere in Οϛεοσάρκωσιν, ut ceræ inſtar inflecti, comprimi & in anguſtius ſpatium redigi poſſint; quin imò ſemel emollita ſingulis partium mollium affectionibus, phlogoſi, inflammationi, dolori, ſuppurationi, exulcerationi, fiſtulæ, gangrænæ patere.

VI. Limpha infecta vitium brevi communicat cum promptuariis vaſiſque quibus continetur, & cum partibus quas uberiùs alit. 1°. Hinc glandulæ limphaticæ ſive conglobatæ mole auctæ & in callos induratæ tumores varios, duros, mobiles, circumſcriptos, ſtrumoſis tumoribus ſimillimos in collo, axillis, inguinibus, meſenterio &c. efformant. VI Vitia limphæ & glandularum limphaticarum.

2°. Dilatata, expanſa, craſſefacta limphatica vaſa & hærente ſpiſſiore limphâ turgentia gummata ſeu tumores molles & membraneâ cyſtide concluſos variis in locis conſtituunt, quæ pro contentæ materiei qualitate, colore, ſpiſſitudine Α'θερώματα, Μελικηρίδες, Στεατώματα appellantur.

3°. Hærens & indurata limpha intra villos membranearum tendinearumve partium quas nutrit, nodos in tendinibus, in nervis ganglia tophoſque in articulorum ligamentis producit.

VII. Oculi variis morbis tentari ſolent in ſyphiliticis. 1°. Palpebræ denſæ, aſperæ, rubræ, pruriginoſæ, lippæ ſeu lemoſæ, calloſæ, ulceroſæ, ficoſæ, cancroſæ ſunt, & verrucis, hordeolis ſive Χαλάζιοις, grandinibus obſitæ. VII Morbi oculorum.

2°. Adnata ſive conjunctiva tenetur ophtalmiâ contumaci, diuturnâ, œdematode, phlogode, inflammatoriâ, ulcerosâ, phlyctænode, quæ comitem habet epiphoram continuam, acrem, ſalſam.

3°. Cornea nubeculis ſeu albuginibus offuſcatur, vel puſtulis, phlyctænis, ulcuſculis eroditur, quæ in Σταφύλωμα deſinunt.

4°. Humores inſpiſſantur; vitreus, unde Γλαύκωμα; cryſtallinus, unde ſuffuſio, barbaris *Cataracta*; aqueus, unde multiplex pilorum villorumve per aerem volitantium ſpecies.

5°. Caruncula lachrymalis, quæ in majori oculi cantho latet, nimiùm excreſcens unguem ſive Πτερύγιον; ulceratus lachrymarum ſaccus fiſtulam lachrymalem ſive Α'γίλωπα; Iris, pupilla, uvea ſuppurata Υ'πόπυον inferunt.

VIII. Neque aures à labe vacant. 1°. Frequenter adeſt ſine causâ ullâ manifeſtâ ſibilus, tinnitus, murmur, Βαρυηκόια ſeu auditûs gravitas, ſurditas. VIII. Aurium.

2°. Aurium interiora, alvearium, cavitas tympani, ſinus maſtoidæus, ductus hemi-cyclici, cochlea, labyrinthus, dolent, inflammantur, abſcedunt, exulcerantur cum dolore atrociſſimo, intolerando.

3°. Carie exeduntur oſſicula quæ auditioni ſerviunt, malleus, incus, ſtapes, os orbiculare, oſſeuſque aurium fornix.

4°. Limpha, ichor, pus, ſanies defluunt ex alveario & aure interiore, quaſi ex fiſtuloſo ſinu, cum fœtore ſummo & ferè cadaveroſo.

IX. Functiones ipſæ ferociam mali brevi ſentiunt, quâ lædi ſolent multiplici vitio, imminutione, abolitione, depravatione. 1°. Functiones animales Καρηβαρία ſeu capitis gravitate; cephalæâ internâ externâve; clavo, ovo, hemicraniâ; vertigine ſimplici vel tenebricosâ ſeu Σκοτώματι; epilepſiâ tum idiopathicâ, tum ſympathicâ; ſpaſmo motibuſque ſpaſmodicis, IX Læſio functionũ, 1. Animalium.

tremore artuum, hemiplegiâ, paraplegiâ, paralyſi particulari; hydrocephalo, agrypniâ contumaci &c.

2. Vitalium. 2°. Functiones vitales dyſpnœâ, aſthmate, orthopnœâ, hæmoptoë ſeu ſanguinis ſputo, tuſſi ſiccâ humidâve, vomicâ, phthiſi à tuberculis vel ab ulceribus pulmonum; cordis tremore & palpitatione, ſyncope, lipothymiâ, aſphyxiâ; pulſuum inæqualitate & intermiſſione &c.

3. Naturalium. 3°. Functiones naturales Ἀνορεξία ſeu inappetentiâ, Ἀπεψία ſeu indigeſtione, affectione hypochondriacâ, ſingultu, frequenti vomitione; diarrhœâ contumaci, biliosâ, ſerosâ, ſtercoraceâ, lienterica, cœliacâ; obſtructionibus aut skirrhis hepatis, lienis, pancreatis; ictero flavo, nigro; hydrope abdominis ſeu aſcite, hæmorrhoidibus cæcis, fluentibus, calloſis, inflammatis, ſuppuratis, ulceratis, carcinomatodibus.

4. Univerſalium. 4°. Functiones univerſales totius corporis marcore, atrophiâ, maraſmo, virium languore, proſtratione, imbecillitate; vultûs decoloratione, pallore, livore; febre intermittente, periodicâ, anomalâ, erraticâ; febre continuâ lentâ, hecticâ, colliquativâ, maraſmode.

5. Functionum, quæ fœminarum propriæ ſunt. 5°. Demùm fœminæ ſuas & ſibi proprias ærumnas experiuntur; cancrum mammarum, ſuppreſſionem vel fluxum menſtruorum immodicum, muliebrem fluorem, paſſionem hyſtericam; inflammationem, abſceſſum, skirrhum, gangrænam, ulcus, carcinoma uteri; ſterilitatem vel frequentem abortum, partum fœtuum eryſipelate univerſali rubentium, ſquallidorum, ſemi-putrium, ulceroſorum.

Cave tamen putes ſymptomata ea omnia unquam unà concurrere, aut in ſubjecto quoquam ſimul obſervari. Singulos ſingula ſingulatim afficiunt, omnia verò neminem: Neque enim venenum quod conceptum eſt, utcunque in corpore multiplicetur, tot ac tam variis noxis inducendis ſufficiens eſt, neque etiamſi ſufficeret, poſſet unquam hæc omnia ſymptomata ſimul advocare, cùm pleraque inter ſe contraria, imò pugnantia ſint. Sed ex quamplurimis ſyphilide laborantibus, qui ſinguli ſuo quique modo ægrotarent, plurima ſymptomata ſeligere & in unum congerere viſum fuit, ut venerea lues pluribus deſcripta lineamentis accuratiùs depingeretur.

Cave etiam ne exiſtimes recenſita ſymptomata omnia lui venereæ propria eſſe, & ad luem veneream pertinere omnia. Contrà notiſſimum eſt ut nulla *omni*, ſic pauca *ſoli* lui venereæ convenire. Pleraque cum cæteris quibuſvis morbis communia ſunt, pauciſſima verò, imò forſan nulla luis venereæ ita propria, ut pathognomonica dici optimo jure mereantur. Sed de his fuſiùs infrà, ubi *de Diagnoſi*.

Demùm cave quoque ne credas ſymptomata luis venereæ deſcriptione ſuprà allatâ exhauſta eſſe, neque plura dari, quàm quæ recenſita ſunt. Potiſſima quidem & frequentiſſima ſelegimus, ſed non omnia; cæteroquin opus fuiſſet non modò morbos omnes, ſed omnes etiam morborum differentias enumerare; ſiquidem experientiâ compertum eſt venereum luem Protei inſtar mutabilem & omnes morborum formas induere & omnes eorumdem ſpecies referre poſſe.

CAPUT II.

CAPUT II.

Cauſæ Luis Venereæ confirmatæ.

SYMPTOMATA, quæ modò recenſuimus & quæ luem veneream produnt & manifeſtant, neminem unquam adoriuntur, niſi cum infecto vel infectâ concubitu, contactuve aut affrictu intimiore ſeſe polluerit. Hinc ergo conſequens eſt venerea illa ſymptomata à morboſo ſeminio ſive contagio dependere, quod ab infecto in ſanum latenter ſerpat; cùm eâ tantum ratione concubitus contactuſve ſano vel ſanæ nocere valeant.

Seminium morbificũ contagione admitti in corpus ſanum.

Sed admiſſum ſemel contagium ſive ſeminium tot & tam longè diſſitas partes afficere, tot & tam varia munia pervertere non poteſt, niſi in univerſas corporis partes diffundatur; nec in univerſas corporis partes diffundi, niſi commiſceatur cum humore quodam qui univerſas partes alluat, qui per univerſas circulet, qui ad univerſas virus ſecum deferat. Sequitur ergo virus ſemel admiſſum & cum humore quodam admiſceri, qui totum corpus perluat & pervadat, & unà cum humore illo ad omnia corporis loca & organa latenter traduci.

Et admiſſum univerſum corpus pervadere.

Sunt autem duo tantùm humores, qui perenni & iterato fluxu refluxuque cunctas corporis partes jugiter irrorent, & cunctis infundantur, nempe ſanguis & limpha; debet ergo venereum ſeminium cum alterutro commiſceri, vel quod eòdem recidit, cum utroque; nam ambo, licet in extremis arteriarum capillamentis ſecedant inde peculiaribus vaſis versùs cor revehendi, ſanguis quidem venis, limpha verò vaſis ſeu ductibus limphaticis, unà tamen denuò confunduntur in majoribus venarum truncis, præſertim in ſubclaviâ ſiniſtri lateris, & inde cordis & arteriarum ſyſtole ſubacti, attriti, intimè permiſti, vitia ſi qua habeant, reciprocè inter ſe communicant.

Commiſceri proinde cum ſanguine vel cum limphâ, vel cum utroque.

Non quærimus nec quâ viâ contagium venereum parti cuidam affuſum & inhærens ad ſanguinem aut limpham traducatur; nec quâ ratione guttatim traductum ocyùs ſeriùſve in ſanguine augeatur & multiplicetur; nec tandem quâ vi, indole, efficaciâ ſemel multiplicatum fluida perdat & ſolida labefactet. Hæc omnia fusè explicata ſunt ſuperiùs capitibus 2. 3. & 4. Lib. II. ubi demonſtratum fuit 1°. Contagium in ſanguinem traduci viâ geminâ, vel circulatione ſanguinis, qui virulentas guttulas ab infectâ parte lambendo ſecum abripiat; vel circulatione limphæ, quæ ab inquinatâ parte regrediens in ſanguinem, quocum denuò commiſcetur, unà ſecum devehat plurimas tabi virulenti guttas. 2°. Contagium admiſſum ocyùs ſeriùſve multiplicari in ſanguine ex depravatâ hæmatoſeos œconomiâ, unde naturale ſanguinis opificium pervertitur. Sic ſimili de causâ contagia cætera, hydrophobicum, ſcorbuticum, peſtiferum, ſcabioſum, in ſanguine multiplicari; ſic compari ratione fermenta quævis, panificum, cereviſiarium &c. in operando augeri certum eſt. 3°. Denique contagium venereum eſſe acidæ vel acido-ſalſæ naturæ, corroſivæ & fixæ, quod ideo & ſulfurea fluida, quibuſcum miſcetur, inſpiſſare & coagu-

Jam alibi abundè dictum fuiſſe de intromiſſione, multiplicatione & efficaciâ contagii venerei.

lare; ſolida, quibus inſtillatur, rodere & exulcerare; & utroque nomine numeroſam ſymptomatum, quæ recenſita ſunt, catervam inducere valeat.

Contagium cum ſanguine confuſum humores quoſdam potiùs quàm alios affectare.

Verùm tamen, quamvis experientiâ compertum ſit humores quoſvis, qui ab infecto ſanguine ſecedunt, ſeminio iſtiuſmodi affici poſſe & infici, neque ullum penitus eſſe, qui integritatem ſuam queat perpetuò illibatam tueri, fatendum eſt contagium venereum humores quoſdam potiùs quàm alios ex ſe affectare, cum his faciliùs promptiùſque quàm cum aliis affinitate conjungi; adeoque partes peculiares, quibus illi deſtinantur, muniaque quibus exercendis vacant, ſpecialiùs & frequentiùs labefactare. Unde fit, ut licet ſymptoma morboſum nullum ſit, quod à lue venereâ dependere, quod cum lue venereâ conjungi non poſſit, ſint tamen aliqua, quæ ad illam luem frequentiùs, & ut ita dicam eſſentialiùs pertinere videantur.

In genere quidem conſtat virus venereum, cùm naturâ pingue ſit & viſcoſum, cum pinguibus, viſcoſis & inſulſis fluidis facillimè commiſceri, adeoque humores iſtius generis, ut ſibi maximè analogos, citiſſimè & ut plurimùm omnium primos contaminare. Sed cùm eâ in re ex peculiari humorum naturâ & indole, quæ plerumque latet, non pauca diverſitas intercedat, ac propoſita modò regula exceptionibus pluribus inde pateat, operæ pretium viſum eſt ſcalam ſive tabellam harumce affinitatum ex obſervationibus quàm maximè certis conficere, cujus ope uno quaſi intuitu perſpicere liceat quæ frequentiſſima eſſe ſoleant luis venereæ ſymptomata, atque inde tutiùs præſagire quæ proximè impendeant, & quæ præſentibus ſucceſſura ſint.

1. Semen, humoreſque ſeminales.

Itaque 1°. Semen prolificum, quod in teſtibus virilibus elaboratur, humoreſque ſeminales cæteri, qui in viris quidem in proſtatis, glandulis Cowperianis & lacunis urethræ; in fœminis verò in proſtatis, glandulis Cowperianis, & botryformibus glandulis vaginæ conficiuntur, primum potiſſimumque affinitatis gradum ſibi vindicant; nec immeritò: Virus enim venereum, quod è corrupto ſemine primitùs genitum eſt, originariæ indolis retinens debet cum ſeminalibus fluidis proximè homogeneis facili connubio jungi. Hinc perpetuum eſt in ſyphiliticis ſemen & ſeminales humores contaminari, quâcumque viâ non genitalium modò, concumbendo; ſed etiam mammarum, lactando; oris, ſugendo vel baſiando; cutis, cubando &c. contagium conceptum fuerit, unde tam frequentes ſunt in confirmatâ lue venereâ locales genitalium morbi.

2. Humores ambos cutis, mucoſum ſcilicet & ſebaceum.

2°. Alterum affinitatis gradum obtinent humores ambo viſcidi & oleoſi, qui ad cutem pertinent, *mucoſus* ſcilicet, qui cellulis reticularis corporis inter cutem & cuticulam intermediis reconditur, & *ſebaceus*, qui peculiaribus cutis glandulis ſeu potiùs lacunis ſecernitur. Hinc morbi multiplices cutis, cuticulæ, pilorum, capillorum, & unguium in ſyphiliticis adeo frequentes.

3. Mucos, tum oris, tum nariū.

3°. Tertius locus cedit tribus humoribus mucoſis & pituitoſis, qui faucium nariumque proprii ſunt, nempe 1°. Muco, qui è pariſthmiis ſive tonſillis, & columellâ ſive uvulâ; 2°. Muco, qui è glandulis palatinis, gingivis &c. 3°. Muco, qui è glandulis membranæ pituitariæ eructatur. Hinc

tam variæ in ſyphiliticis affectiones faucium, palati, gingivarum & narium.

4°. Quartum locum aſſignandum cenſemus unguinoſis & mucilagineis humoribus, qui ad motus artuum muſculorumque molliendos comparati ſunt, tum qui à glandulis juncturarum ad oſſium capita oblinenda, barbaris *ſynovia* dictus; tum qui à glandulis membranarum muſculos & tendines veſtientium; tum qui à glandulis perioſtii diſtillat ad perioſtii mollitiem & lævitatem tuendam. Hinc multiplex dolorum venereorum genus, arthriticorum, rheumaticorum, rheumatico-arthriticorum, iſchiadicorum, oſteocoporum, lumbaginoſorum.

4. Humores mucilagineos, qui tum oſſium capita, tum muſculorum membranas oblinunt.

5°. Proximas tenet pinguis & oleoſus ſuccus oſſium medullaris, tum qui majoribus oſſium cavitatibus, tum qui diſcretis extremorum oſſium cellulis, tum qui multiplicibus lamellarum oſſearum interſtitiis ineſt. Hinc exoſtoſes, ankyloſes, caries oſſium; atque medullæ in oſſibus latentis inflammationes, ſuppurationes, abſceſſus.

5. Medullares oſſium ſuccos.

6°. Inde in vicem ſuccedit limpha pinguis & ſubviſcida, quæ toti corpori communis eſt, quâ univerſæ partes irrorantur & nutriuntur. Hæc contagio infecta, inſpiſſata, acrior facta glandulas conglobatas, quas pervadit; vaſa limphatica, quibus revehitur; partes tendineas & membraneas, quas nutrit, in ſtrumas vel tumores ſtrumarum æmulos, gummata varia, nodos, ganglia, tophoſque inflat & tumefacit.

6. Limpham.

7°. Septimus locus debetur humoribus, qui oculorum, partiumve ad oculos pertinentium proprii ſunt, nempe 1°. Humori viſcido & lemoſo, qui manat à palpebrarum margine; 2°. Humori ſebaceo, qui à carunculâ lacrymali majoris canthi exprimitur; 3°. Humori limphatico & pituitoſo, qui innumeris tenuiſſimiſque oſculis è totâ conjunctivæ & corneæ facie eructatur; 4°. Humori lachrymali, qui è lachrymali glandulâ ſuper oculi bulbum depluit; 5°. Denique humoribus limphaticis, qui vitreum, cryſtallinum, aqueum oculorum humorem conſtituunt. Hinc pro diversâ eorum humorum infectione, ſpiſſitate, acrimoniâ, chalaziæ ſive hordeola, inflammatio, lippitudo, Τράχωμα, Σύκωσις palpebrarum; carunculæ lacrymalis Πτερύγιον, ſive unguis; epiphora, ophthalmia in adnatâ; Λευκώματα ſive nubeculæ, puſtulæ, phlyctænæ, ulcuſcula, in corneâ; fiſtula lacrymalis ſeu ægylops, ſuffuſio, abſceſſus, hypopyon, gutta ſerena, unde visûs imminutio & cæcitas.

7. Humores limphaticos oculorum.

8°. Demum agmen claudunt cerumen aurium & bilis, quæ & ipſa contagii venerei energiam ſentiunt, quamquam ſeriùs, propterea quòd alcalinâ, quâ pollent, acrimoniâ ſeminii venerei vim ſalſo-acidam diutiùs hebetent. Hinc fit ut infectum cerumen ſolito quidem ſpiſſius hærendo phlogoſim, inflammationem, dolorem in meatu auditorio; ſolito verò acriùs rodendo herpetes, rhagades, exulcerationes ibidem producat. Hinc quoque fit ut bilis vitiata ſolito quidem viſcidior & in emiſſariis reſtitans obſtructiones, infarctus, ſkirrhos hepatis, & inde icterum, hydropem, hæmorrhoides; ſolito verò mordacior, inteſtina quò fluit ſtimulando diarrhœas, dyſenterias, fluxus hepaticos inferat.

8. Cerumen auriũ, & ipſam bilem.

Vix ſupereſt quid ultrà eloquamur de cæteris humoribus, ſalivâ, ſtomachali & inteſtinali limphâ, ſucco pancreatico; tracheali ſeu bronchiali

humore, lachrymis, ſudore, urinâ, &c. quoniam conſtat hos omnes, ceu tenuiores & ſeroſiores recenſitis tardiùs parciùſque inquinari, & inter ſe nullo vel ferè nullo diſcrimine diſtingui.

Cæterùm allatæ affinitatum ſcalæ ſeu tabellæ noli inconſiderantiùs confidere, quaſi omni exceptione major eſſet, neque poſſent ſymptomata, quæ venereo contagio fiunt, à propoſitâ normâ vel tantulùm unquam declinare. In phyſicis rebus, mediciſque potiſſimùm conſtantiam tantam plerumque fruſtrà requiras, quoniam varia & mutabilia eſſe neceſſum eſt, quæcumque tam multo variarum conditionum concurſu nituntur. Et ſanè in exemplum adduci poteſt quæſtio ipſamet de quâ agitur: Quantumvis enim natura ſi ſibi permittatur & omnia paria ſint, propoſitam normam affectare apertè videatur, docuit tamen experientia multa ſæpiùs intervenire, quæ ordinem variè pervertant & interturbent.

Varias tamen cauſas eſſe, quæ propoſitum ordinem interv rtere poſſint.

Nempe 1°. Si nativa vel adventitia ſit in parte quâdam debilitas, vitiumve ullum conformationis, pars illa cæteris paribus citiùs & ante ordinem morbo tentabitur, tum quòd humores infectos magis retineat ob præcluſam circulationis facilitatem, tum quòd hærentes debiliùs repellat ob debilitatam facultatem ſyſtalticam. Sic antecedentia vitia oculorum, pulmonum, uteri &c. contagio venereo anſam præbent, ut partes eaſdem & celeriùs & efficaciùs adoriatur, quàm ex prædictâ affinitatum ſcalâ ſive tabellâ expectandum eſſe videretur.

2°. Si humor quidam acrior, uberior, nimiùm ſollicitatus, motu præcipiti ad deſtinata loca jam antè confluat, virus venereum unà abripi, ad eadem loca copioſiùs deduci & partes illas peculiares præmaturè labefactare cogetur. Sic diarrhœa diuturna, gravior coryza ſeu catarrhus narium, fluor muliebris in fœminis &c. ad inteſtina, nares, fauces, uterum &c. ſymptomata advocant in ſyphiliticis inexpectata.

3°. Si humor quilibet alieno contagio inquinetur, virus venereum ſuperadditum efficaciam majorem inde contrahet, atque adeò bina venena conſociata partibus, ad quas humor ille pertinet, & graviorem & præproperam noxam inferent. Sic virus ſtrumoſum, quo limpha; aut ſcorbuticum, quo ſaliva inficitur, ſeminio venereo quod in iiſdem humoribus quietum latet, ita calcar addunt, ut ad ſtrumoſos glandularum conglobatorum tumores producendos, aut ad gingivas exulcerandas ocyùs inde feſtinet.

4°. Si adhibitis remediis topicis partis cujuſdam, & humorum qui partis ejuſdem proprii ſunt, integritati cautò conſultum ſit, pars illa quæ alioquin citiſſimè inficienda eſſet, vel nullomodo inficietur, vel inficietur tardiſſimè & infra ordinem, qui ex ſcalâ competeret. Sic leviores genitalium frictiones cum unguento mercuriali tutò præcavent vel ad minus diù retardant venereos earumdem partium morbos, qui cæteroquin ex notis affinitatis legibus ferè omnium primi ſolent apparere.

5°. Denique ſi caſu quovis fortuito humorum decubitus in partem quamdam accerſatur, inde tantò faciliùs virus venereum in parte eâdem cum humore hærente ſtagnaturum eſt, & eidem labem tantò citiùs allaturum. Sic in ſyphiliticis ſæpè accidit ut oſſi ictu contuſo exoſtoſis, articulo lapſu diſtorto ankyloſis vel dolor arthriticus, parti quæ frigoris acerbitatem

paſſa fuerit paralyſis, cuti leviter attritæ herpes &c. ex improviſo ſuboriantur.

Haud inficias iverimus quin forſan plures aliæ reperiri poſſint exceptiones ſeu anomaliæ iſtiuſmodi, ſed quas ipſi novimus candidè propoſuimus. Cæteras alii impertiant, ſi quid noverint rectius iſtis, vel allatis utantur, æquo animo nobiſcum expectando, dum experientiâ quæ in rebus medicis rerum magiſtra eſt, certiora doceamur. Fatendum interim allatis anomaliis regulam, nedum ullis infirmari, ſed omnibus potiùs confirmari egregiè, cùm vel ex anomaliis ipſiſmet liqueat Naturam ſui conſtantem normam ſemper affectare, nec ab illâ unquam vel tantillùm diſcedere in anomalias, niſi vi cogatur. Hinc ergo colligere eſt propoſitam affinitatum ſcalam ſive tabellam, quamvis ſatis certa non ſit, ut plenam & perpetuam fidem impetret, at ſaltem ſatis veram videri, ut à Medico artis gnaro ignorari non debeat, cùm poſſint aliquando futura incipientis ſyphilidis ſymptomata inde præſagiri, imò etiam feliciter præverti. Placuit ideò & in recenſendis luis venereæ ſymptomatis, & in iiſdem nunc explicandis huic normæ potiùs inſiſtere ceu obſervatione certâ probatæ, quàm ordinem ſequi arbitrarium alium quemlibet, & nullo nixum fundamento.

CAPUT III.

Symptomata Luis Venereæ confirmatæ.

§. I. MORBI GENITALIUM.

IN genitalibus quatuor humores peculiariter diſtinguendi ſunt, qui veneno venereo infici, & infecti locales genitalium morbos inferre poſſunt. 1°. Semen prolificum teſtium virilium; 2°. Semen infœcundum utriuſque ſexûs, ſcilicet proſtatarum, glandularum Cowperianarum, & lacunarum urethræ in viris; in fœminis verò proſtatarum, glandularum Cowperianarum, & glandularum vaginæ; 3°. Humor ſebaceus glandularum cutanearum, quæ balanum & internum præputium in viris, in fœminis verò vulvam, in utroque ſexu ani confinia obſident; 4°. Humor mucoſus, qui inter tenuiſſimam cuticulam glandis, præputii aut vulvæ, cutemque ſubjectam interjacet, ſicut in reliquâ corporis cute.

Itaque I. Si gonorrhœa recens antiquæ ſyphilidi ſuperaddatur impuro concubitu, ſemen, tùm quod à teſtibus in veſiculas ſeminarias confluit, tùm quod in proſtatis & glandulis Cowperianis ſecernitur, adventitio vitio jam corruptum ſimul etiam virus jugiter hauſturum eſt à ſanguine jam pridem infecto. Hinc ergo gliſcente in dies morbi virulentiâ propter fomitem continuum gonorrhœa malignior pertinaciorque & diutiùs fluxura eſt & ſæpiùs renovanda.

I. Gonorrhœa ſi qua adſit, malignior & curatu difficilior.

II. Simili de causâ diuturniore ſeminis vitio, quod à ſanguine fovetur, limpha perluens ſeminis conceptacula in callos inſpiſſanda eſt, qui in dies majores & duriores futuri ſunt, & tandem in apoſtemata, ulcera,

II. Imò, quod pejus, calloſa & ulceroſa.

fiſtulas non rarò abituri, ut vidimus ſuprà *Cap.* 4. §. 2. *Lib. III.*

III. Ulcuſcula, bubo, porri, calloſiores & curatu difficiliores.

III. Pari ratione ſi ulcuſcula cancroſa, bubo, porri aut verrucæ in genitalibus, fici aut mariſcæ in ano ſyphilidi jam antè contractæ de novo ſuperveniant impurâ ſed recente venere, major ſingulorum malignitas futura eſt propter fomitem quem ſanguis perpetim ſuggeret, quàm quæ à ſolo contagio recèns admiſſo expectanda foret. Hinc ergo ulcuſcula acriore pure ſcatentia, magis phagedænica futura ſunt; bubo, porri &c. ſpiſſiore limphâ indurati vel enutriti, contumaciores; imò verò ſingula in callos & duriores & majores plerumque deſitura ſunt.

IV. Pani ſeu bubones in inguinibus.

IV. Quòd ſi ſupponantur ſyphilitici novi contagii immunes eſſe, nihilominùs tamen ſemen habent illi utrumque, tum fœcundum, tum infœcundum fermento venereo pridem inquinatum, quod à ſanguine transfunditur. Hinc ergo limpha, quæ ſeminis utriuſque promptuaria, teſtes, veſiculas ſeminarias, proſtatas, glandulaſque Cowperianas perluit, & inde tenuiorem ſeminis partem circulando haurit, idem contagium participatura eſt, quo nimiùm inpiſſata in glandulis inguinalibus, ad quas confluit, reſtitatura eſt, panoſque ſeu bubones ibidem productura, de quibus ſuprà *Cap.* 5. *Lib. III.*

V. Spermatocele, varicocele, ſarcocele, hydrocele, vel pneumatocele teſtium.

V. Imò verò ſi ſemen prolificum nimiam ab admiſſo contagio viſciditatem & ſpiſſitudinem contrahat, nec in teſtibus anfractuoſos & replicatos vaſorum ſpermaticorum gyros peragrare, nec à teſtibus pendulis ad veſiculas ſeminarias ſurſum aſcendere poterit. Hinc ergo futurum ut hærentis & reſtitantis copiâ vaſa ſpermatica diſtendantur, unde ſpermatocele; cohibito ſanguinis fluxu venoſi furculi in varices inflentur, unde varicocele; retentâ limphâ pinguiore quædam teſtium loca in ſarcoſes excreſcant, unde ſarcocele; demùm à ſtagnante ſanguine vel limphâ ſerum aut flatus vi extundantur intra vaginalem tunicam, unde hydrocele vel pneumatocele.

VI. Porri, verrucæ, condylomata.

VI. Si à ſemine iſtiuſmodi virulento, quod vel pollutione nocturnâ, vel concubitu etiam cum ſano aut ſanâ, vel per ſtillicidium poſt mictionem emittatur ab ipſo infecto balanus præputiumve in viris, aut vulva in fœminis ita madefiant, ut tenuioribus partibus, quæ per mediam cuticulam penetrant, ſubjectus humor mucoſus veneno inquinetur, à muco ſemel inquinato pulpoſæ baſes papillarum cutanearum quas circumfluit brevi indurandæ ſunt. Hinc ergo futurum ut papillæ cutis retentâ limphâ ſpiſſiore, quâ nutriuntur, in porros, verrucas, condylomata ſenſim excreſcant & exporrigantur, de quibus ſuprà egimus *Cap.* 9. *Lib. III.*

VII. Ulcuſcula cancroſa.

VII. Si verò acrior ſeminis pars in hiulcas aliquot glandulas ſebaceas irruperit, quæ in præputio, balano aut vulvâ frequentes ſunt, humor, qui intùs latet, vitioſam inde tùm ſpiſſitudinem tùm virulentiam concepturus eſt. Hinc ergo ab hærentiâ ſpiſſioris humoris, glandularum illarum in papulas tumefactio producenda eſt; à virulentiâ verò acrioris, earumdem eroſio in ulcuſcula cancroſa, de quibus ſuprà *Cap.* 7. *Lib. III.*

VIII. Nulla tamen gonorrhœa ſine novo concubitu.

VIII. Numquam tamen hactenus obſervatum fuit ſemen tantam ab infecto ſanguine ſine ullo contagio recèns admiſſo virulentiam poſſe contrahere, ut conceptaculis perfectè ſanis inflammandis aut exulcerandis comparfiat poſſitque adeo ullâ unquam ratione gonorrhœam virulentam ex ſe de-

novo inferre ſine contagii acceſſione, quod in concubitu impete facto introrumpat. Poteſt tamen antiquior gonorrhœa, quæ malè curata ſubſtitit, renovari ſolo vitio quo ſanguis & ſemen jam pridem infecta ſunt, ſed hæc, ut patet, minoris ſunt molis.

IX. Si ea quæ ex corpore egeruntur, virulento inteſtinorum muco oblita ſint, ſebaceum humorem inſpiſſatura ſunt, qui in lacunis ano adſitis reconditur, & naturâ craſſior eſt ſpiſſiorque. Hinc ergo ab humore illo intra ſua conceptacula congeſto, & ea ſenſim dilatante proditurî ſunt ad anum tumores varii fraga, mora, ficos figurâ referentes, de quibus ſuprà *Cap.* 10. *Lib. III.* IX. In ano enaſcuntur fraga, mora, fici, mariſcæ &c.

X. Si mucus ille, aut humor qui ab ano diſtillat vel egeritur, acrior fuerit, rugas ani quibus inſtillatur in fiſſuras eroſurus eſt. Hinc ergo rhagades ani, de quibus ſuprà *Cap.* 10. *Lib. III.* X. Vel leviores in rugis ſciſſuræ ſeu rhagades.

XI. Cæterùm poſſunt etiam porri, verrucæ, & ulcuſcula cancroſa genitalium, ſicut & fraga, mariſcæ, rhagadeſque ani commodè deduci ab affinitate ſolâ, quæ inter virus venereum & ſebaceum mucoſumque humorem genitalium & ani intercedit, quâ fiat ut humores illi primariò & per ſe vitioſo contagio à ſanguine immediatè contaminentur, adeoque memorata ſymptomata accerſant, ſine ullo ſeminis interventu.

§. II. VITIA CUTIS.

Duo ſunt humores in cute, qui veneni venerei conſortium facilè admittunt, *mucoſus* nempe, qui in ſpongioſis cellulis corporis reticulati cuticulæ immediatè ſuppoſiti intercluditur, & *ſebaceus*, qui è glandulis ſeu potiùs vaſculis lacuniſve cutaneis ſenſim eructatur. Cæteros duos, qui è cute etiam ſcaturiunt, ſudorem nempe & inſenſibilem perſpirationem non moror, quoniam tenuiores ſunt, ſubtiliores & nimis aquei, ut virus venereum, quod craſſum eſt viſcidumque, aut imbibere aut retinere poſſint.

Itaque I. Si mucoſus humor connubio veneni venerei inquinetur, majorem inde acrimoniam contrahet, quâ ſummam cutem vellicaturus eſt: hinc pruritus frequens & impetigo: Eroſis deinde fibrillis quibus cuticula cum cute alligatur, laxatam epidermidem in veſiculas miliares fero ſalſo plenas inflaturus eſt, quæ in ulcuſcula leviora dehiſcent; hinc ſcabies: Demùm creſcente malo graviores exulcerationes cuti illaturus eſt, quibus eroſa & exſiccata cuticula furfuris inſtar ſponte decidet; hinc herpes ſiccus, furfuraceus, puſtuloſus, miliaris, exedens. I. Scabies, imò etiam Herpes.

II. Cùm cuticula nullibi craſſior ſit denſiorque quàm in volis manuum & plantis pedum, mucoſus humor qui ſubtùs latet difficiliùs inde efflabitur per cuticulæ ſpiracula. Diutiùs ergo & ideo copioſiùs collectus calorem & pruriginem majorem ibidem excitaturus eſt. Hinc arefacta cuticula fatiſcet in rimas ſive rhagades duras, calloſas, prurientes, ichore manantes: Imò etiam latenter ſuffoſſa & à ſubjectâ cute ſponte ſecedens interdùm deponetur exuviæ inſtar. II. Rimæ, ſciſſuræ ſeu rhagades in volis manuum.

III. Si humor idem, ſed benignioris veneni conſortio minùs acer ſummam tantùm cutis ſuperficiem leviſſimè erodat in certis corporis locis III. Cutis maculæ e-

phelidibus similes.

seu areis intactâ & illæsâ cuticulâ, vasa cutis semi-lacera guttis seu stillis pauculi sanguinis roratura sunt, quo nativa humoris mucosi pelluciditas inquinabitur : Hinc ergo cutis maculæ planæ, non extuberantes, ephelidibus similes, discretæ, si in discretis cutis locis humor mucosus vitietur; latiùs expansæ, si in pluribus locis continuis; livescentes, purpureæ, roseæ, flavæ &c. pro rorantis sanguinis copiâ majore vel minore, aut diverso ejusdem colore, nigro, rubro, roseo, flavo &c.

IV. Ophiasis & alopecia.

IV. Constat pilos capillosque singulos in rotundo vel ovali capitulo cartilagineo intra cutem latente, velut in testâ florali radicari; è pluribus exilibus, mollibus, mucilagineis fibrillis sive radiculis cum capituli fundo continuis enasci; gradariâ sed latente harum radicularum accretione, quam limphæ pingui & mucosæ acceptam debent, succrescere & promitti. Inde consequens est posse pilos capillosque triplici causâ morbosè defluere. 1°. Si limpha quâ nutriuntur, contractâ ab admisto contagio acrimoniâ, tenuissimas capillorum fibrillas transversim succidat demetatque, illæsis tamen radicibus primis. 2°. Si acrior & magis virulenta primas ipsas pilorum & capillorum radiculas erodat & extirpet. 3°. Si ulcuscula cutis ipsasmet glandulas seu capitula ovalia, unde pili capillive prodeunt, depascantur & funditùs pessundent. Hinc areæ, ophiasis, alopecia, capitis calvitium, imò etiam glabrities superciliorum, genarum, menti cæterarumque omnium pilosarum corporis partium; quæ vitia sunt modò quidem naturâ vel arte reparabilia, ut cùm à primâ causâ dependent; modò verò ex toto immedicabilia, ut cùm à duabus postremis inducuntur.

V. Unguiũ vitia & casus.

V. Similiter comp[illegible]um est ungues, qui extremos digitos ornant armantque, è papillis nerveis tendineisve cutis strictè invicem unitis coalescere, mollibus in origine, pulposis, & reticulari cutis corpore circumdatis, donec firmitatem adeptæ sint : Cæteroquin ungues ubi induruerint, accretionis planè nescios solâ harumce radicum molliorum nutritione, quæ limphæ viscidiori debetur, sensim extendi & extrorsùm promitti. Igitur si viscidior illa limpha, cujus appositione unguium radices crescunt & explicantur, spissitate vel acrimoniâ nimiâ peccet, quas à seminio venereo contraxerit, molles & pulposas radicum fibras distractura, tumefactura, corrosura, exulceratura est. Hinc unguium scabrities, crassities; hinc ad unguium radices reduviæ sive paronychiæ, inflammationes, panaritia, ulcera; hinc demùm erosis radicibus unguium casus.

VI. Pustulæ cutaneæ.

VI. Si humor sebaceus, qui vasculis seu lacunis intra cutem reconditur, ut stillatim affusus epidermida molliat & oblinat, veneno venereo inficiatur, 1°. Inspissabitur, unde conceptacula hærendo dilataturus est, & hinc tubercula cutanea, parva, discreta, dura, rotunda, parùm fastigiata. 2°. Acrior fiet, unde summum apicem conceptaculorum in tubercula dilatatorum latenter erosurus est, & hinc pustulæ venereæ seu ulcuscula cutanea, dura, callosa, circularia, plerumque sicca & sine pure, aliquando tamen humida & manantia, squamosa, furfuracea, flava &c. quæ in commissuris labiorum, alis nasi, toto capillitio partibusque omnibus pilosis frequentia sunt, ubi magis abundant glandulæ seu lacunæ sebaceæ.

§. III. MORBI ORIS ET NARIUM.

Humores duos in ore agnoſcimus quibuſcum virus venereum jungi amat; 1°. Mucum ſcilicet viſcoſum, qui in tonſillarum cellulis glanduliſque columellæ & totius lacunaris faucium ſecernitur; 2°. Sebaceum & unguinoſum humorem, qui è glandulis ſeu lacunis gingivarum & palati exudat, & quo lingua & dentes obduci ſolent, niſi detergeantur. In eodem quoque cenſu numerandus in naribus mucus, qui è glandulis membranæ pituitariæ depluit, & internas nares emollit, ſi abundaverit emungendus.

I. Ulcera faucium cum carie oſſium palatinorum.

Proinde I. Mucus faucium, ſi ſeminii conſortium admittat, tum inſpiſſabitur, atque adeo hærendo cellulas glandulaſque quibus continetur, dilataturus eſt, venaſque circumrepentes compreſſurus, unde tonſillarum, columellæ & lacunaris faucium tumor, dolor, phlogoſis, inflammatio cum difficultate deglutiendi; tum acrior fiet, atque adeo rodendo partes eaſdem exulceraturus eſt, unde tonſillarum, columellæ, lacunaris faucium ulcera dyſepulotica, maligna, cacoëthea, phagedænica, quibus palatina oſſa appoſita, quæ tenuia ſunt, carie brevi tentari & abſumi neceſſe eſt, unde hiatus ad nares.

II. Ulcera palati, cum carie fornicis oſſei.

II. Idem dicendum de ſebaceo humore in palati glandulis ſecreto, qui ſemel infectus & ſpiſſior inde fiet, unde hærendo & conceptacula dilatando tubercula dura, diſcreta, rotunda, parùm faſtigiata in palati fornice producturus eſt, inflammatoria modò, modò verò inflammationis expertia; & fiet ſimul acrior, unde ſumma tuberculorum faſtigia eroſurus eſt in ulcera rotunda, dyſepulotica, maligna, quibus oſſeus palati fornix ſuperinductus carie ad nares uſque interdùm perforabitur.

III. Ulcera gingivarum & caſus dentium.

III. Eadem quoque humori ſebaceo gingivarum conveniunt, qui contagio venereo inſpiſſatus ſua conceptacula in tumores grandinoſos induraturus eſt, unde gingivarum tubercula; qui ſimul ex contagio eodem virulentus conceptacula indurata corroſurus eſt, unde aphthæ ſive ulcuſcula gingivarum, ſuppurationes ulceroſæ in extremis gingivis, parulides ſive abſceſſus inter gingivas & radices dentium, ac demùm pure ad tenuem membranam, quæ inſtar perioſtii dentem intra alveolum conveſtit, ſenſim prorepente, dolor, vacillatio, caries, caſus dentium.

IV. Ulcera narium & naſi depreſſio.

IV. Nec diſpar eſt conditio muci narium, qui ſi contagio admiſſo nimiùm inſpiſſetur, glandulas quibus ſecernitur, dilataturus hærendo & ſenſim tumefacturus eſt in ſarcomata polypoſa, calloſa, fungoſa, ulceroſa, carcinomatodea pro diversâ limphæ nutritiæ qualitate: Si verò nimiam acrimoniam causâ eâdem adipiſcatur, eaſdemmet partes rodendo producturus eſt ulcera, phlyctænas & ozænas ſeu exulcerationes malignas, & hinc caries ſpongioſorum oſſium narium, triangularium duorum oſſium naſi, vomeriſque ipſius cui inniruntur, unde corruente naſi concameratione & depreſſo acrorhinio, ſimi derepente fient, quibus antè naſus aquilinus fuerat.

V. Sonus naſalis & aphonia.

V. Corrosâ columellâ; officulis palatinis, ſpongioſis narium oſſibus & vomere carie exeſis; depreſſo naſi fornice, neceſſum eſt vias quibus defertur aër qui efflatur, penes amplitudinem variè immutari. Hinc ergo

conſequens eſt variandum quoque vocis tonum, ut ex Muſicæ pneumaticæ theoriâ liquet, unde ſonus naſalis, vocis raucitas, aphonia &c. quibus ſingulis ſymbolam quoque non rarò conferunt inflatio, durities, aſperitas, eroſio & exulceratio tum tracheæ arteriæ, tum glottidis.

VI. Oris fœtor. VI. Neceſſe eſt à ſpiritu, qui è pulmonibus exſpirando educitur, purulenta miaſmata non pauca tranſeundo abripi ex faucibus, gingivis naribuſve, ſi exulceratæ ſint, atque inde olidiſſimum odorem contrahi. Hinc eſt quòd ſyphilitici, qui ore vel naribus exulceratis laborant, id oleant,

(a) *Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,*
Quod preſsâ piger hircus in capellâ,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia Sabbatariorum.

§. IV. DOLORES VENEREI.

Ad contagium venereum quod irrepit, admittendum ſe facilia præbent tria humorum genera, quæ ut artuum motioni conducant à naturâ comparata ſunt, nempe 1°. Mucago muſcularis, quâ extima muſculorum ſuperficies madet, ut lubrica fiat. 2°. *Synovia* ſeu articularis mucago, quæ in juncturas inſtillatur, ne oſſium affrictus durior ſit. 3°. Mucago perioſtii, quâ exterior perioſtii facies oblinitur, ut ſuperjecti muſculi liberiùs moveri poſſint. Hinc ergo deducendi dolores omnes venerei, quibus ſyphilitici dirum in modum diſcruciantur.

I. Dolores rheumatici. Nempe I. Si mucago muſcularis venereo ſeminio gravida in conceptaculis hæreat, grandinoſos tumores excitatura eſt, unde cohibito vel retardato ſanguinis fluxu dolor rheumaticus, tenſivus, pulſativus, cum tumore manifeſto & inflammatorio; ſi verò fluat, ſed acrior & virulenta, mordicando & ſtimulando dolorem illatura eſt rheumaticum, acrem, pungitivum, cum calore quidem, ſed ſine inflammatione. Dolores autem iſtiuſmodi hæc aut illa, plura vel pauciora loca occupant, & vagi vel fixi ſunt, prout muſcularis limpha in his aut illis, pluribuſque vel paucioribus locis afficitur, vitiumve quo peccat, permanens eſt vel mutabile; quæ ſingula variè variant pro partium conformatione & qualitate, accidentium externorum concurſu, & veneni venerei naturâ & indole. Cæterùm ad rheumaticos dolores iſchiadici, ſicut lumbago, referendi ſunt, ut ſpecies ad genus, cùm ad muſculos ambo pertineant.

II. Dolores arthritici. II. Simili modo ſi mucagine articulari ſeu ſynoviâ, quæ virulenta præ ſpiſſitudine hæreat, mucilaginoſæ glandulæ unde ſcaturit, inflentur, & coercito ſanguinis circuitu inflammentur, dolor arthriticus advocandus eſt, tenſivus aut pulſativus, cum articuli calore, rubore, inflammatione: Sin verò mucagine eâdem, quæ in juncturas liberè quidem fluat, ſed quæ juſto acrior ſit, ligamenta altè fodicentur, dolor arthriticus inferendus eſt acer & pungitivus, cum calore quidem, at verò plerumque ſine tumore & inflammatione.

III. Do- III. Si verò mucago utraque muſcularis & articularis pari vitio laborave-

(a) Martial. *Epigramm.* 4. *Lib.* 4.

rint, hinc simultaneus futurus est rheumaticorum & arthriticorum dolorum concursus, unde dolores rheumatico-arthritici, tensivi, pulsativi, acres, pungitivi, inflammatorii, vel non inflammatorii ex causis prædictis. lores rheumatico-arthritici.

IV. Dolores osteocopi, quibus ossa frangi videntur, triplici de causâ fiunt. 1°. Si periostium ab hærente limphâ, quæ ipsi propria est, infletur & præcipiti sanguinis confluxu inflammetur, unde dolor atrox, tensivus, aut pulsativus cum calore summo. 2°. Si ab effluente limphâ eâdem sed acriore periostium fodicetur & erodatur, unde dolor acer & pungitivus sed cum calore minùs urente. 3°. Si ab osse subtùs in exostosem celeriter succrescente periostium vi distendatur & distrahatur, ut infrà videbimus, unde dolor terebrans. IV. Dolores osteocopi.

§. V. MORBI OSSIUM.

Succus medullaris, qui ossibus peculiaris est, tenuissimis, exiguis & arachnoidæis vesiculis secernitur & secretus continetur, quæ sicut sedem, sic formam quoque triplicem obtinent; nempe in majoribus ossium cavitatibus racematim congestæ & communi membranâ vestitæ in candelas veluti sebaceas compinguntur; in extremis verò eorumdem capitibus in tenues floccos distributæ singulas cellulas replent, quibus foraminosa ossium cavitas pervia est; demùm in densissimâ ossium substantiâ in frustilla minutissima disgregatæ spatiola exiguissima inter lamellas spissè interjecta occupant. Cæteroquin natura succi medullaris eadem est ubique, nempe oleosa & unguinosa; usus idem, ossa scilicet emolliendi ne ariditate dissiliant; eadem quoque cum fermento venereo affinitas, quo solet facilè infici, citiùs tamen seriùsve prout conceptacula externæ frigoris injuriæ magis minùsve patent: Itaque frequentissimè succus, qui in frustillis medullaris substantiæ lamellis osseis interspersæ, unde exostoses cariesque ossium duriorum; rariùs, qui in floccis capita ossium replentibus, unde ankyloses, cariesque ossium molliorum; omnium rarissimè, qui in medullari substantiâ continetur ossium majorum cavitates occupante, unde abscessus cariesque in internis ossium cavitatibus.

Sic ergo. I. *Exostosis*, ut Græca vox sonat, tumor est ossium, qui circumscripto tubere supra confinium partium libellam extrorsùm prominet. 1. Exostosis.

Exostosium aliæ spuriæ sunt, quæ submolles prementi digito cedunt aliquantulùm, acriterque dolent, imò etiam interdum lancinant; legitimæ aliæ, quæ duræ & renitentes non cedunt & nullo vel levi dolore stipantur.

1°. Compertum quidem est iteratâ observatione spurias induci sine ullâ ossis labe, solo tumore periostii ex causâ suprà propositâ, *paragrapho præcedente, n.* 4. duri, skirrhodis & quod ossi subjecto ita adhæreat ut continuum esse videatur. Hinc ergo patet ratio tum quare exostoses illæ submolles sint, ut quæ in parte molli fiant; tum quare acriter doleant, imò verò lancinent & carcinomatodes fiant, ut quæ in parte fiant sensûs acutissimi.

2°. Legitimæ verò subdividuntur in duo genera, alterum quidem in quo os tumens in fornicem cavum arcuatur subter quem numerosæ la-

tent cavernulæ lamellis osseis distinctæ, & substantiâ carneâ, firmâ, durâ, cartilagineâ plenæ : Alterum verò, in quo os tumens intus planè solidum est, cæteroque osse candidius instar eboris, neque ullis cellulis, quæ conspicuæ sint suffossum, sed contrà solito durius compactiusque.

Liquet autem ex notâ ossium fabricâ prius legitimarum exostosium genus produci à frustillis medullaris substantiæ, quæ inter lamellas osseas interjiciuntur, si nempe succo medullari spisso, viscido, virulento ita pedetentim turgeant, ut angusta spatiola, in quibus recondita sunt, in ampliores cavernulas dilatent, extimamque ossis superficiem in fornicem attollant.

Hinc ergo planum est 1°. Cellulas, quibus in hoc exostosium genere ossa tumida multifora sunt, nihil aliud esse præter spatiola, quæ interjecta inter lamellas osseas frustilla medullaris substantiæ recondunt, sed jam plus æquo ampliata, distenta, dilatata.

2°. Substantiâ carnis æmulâ, imò plerumque carne duriore, quâ cellulæ replentur, frustilla ipsamet repræsentari medullaris substantiæ, sed præternaturali accretione mole aucta & indurata.

3°. Exostoses hujusce generis dolere quidem, ut in quibus lædatur pars sensu prædita, sed plerumque dolere leniùs quàm quæ spuriæ sunt, quoniam pars quæ læsa est, obtusiore sensu pollet, quàm periostium.

4°. Contrà verò atrociter quandoque dolere, imò etiam interdum lancinare, si substantia skirrhodes cartilaginis vel carnis æmula, quâ cellulæ opplentur, in carcinoma occultum abeat, ut potest variis de causis accidere, quæ repetantur ex *Cap. 6. §. 3. Lib. III.*

Alterum exostosium legitimarum genus fit uberiore nutrimento certæ ossis parti ideo apposito, quòd ibi lamellæ osseæ sero medullâve aquosiore emollitæ vel acriore semi-erosæ, limphæ nutritiæ appulsui faciliùs cedant. Siquidem notum est limphæ nutritiæ ad partem quamvis accessum cæteris paribus in eadem ratione augeri, quâ minuitur partis ipsius resistentia ad ulteriorem dilatationem, seu quod idem est, quâ crescit partis mollities. Itaque si succus medullaris, qui distillat à frustillis medullaris substantiæ ossibus interspersæ, acrior sit & corrosivus in certo loco, aut si à periostio, in quo limpha stagnat, serum acrius subjecto ossi infundatur, emollitione aut tacitâ & latente lamellarum ossearum erosione, locus fiet nimiæ earumdem nutritioni à limphâ uberiùs accedente, adeoque præternaturali accretioni in exostosem verè osseam & planè solidam.

Hinc facile est colligere exostoses istius generis dolore vacare, cùm pars ipsa affecta sensu careat, periostium verò quod ossi superextensum eâdem proportione expandi necessum est, quâ os ipsum mole excrescit, ita gradariâ lentissimâque expansione distrahatur, ut inde nullus dolor excitari possit.

Cæterùm licet æqualis similisque succi medullaris infectio in ossibus singulis supponatur, tamen quædam futura sunt ossa, & in iisdem ossibus loca quædam, quæ cæteris citiùs tentabuntur exostosi, 1°. Nempe quæcunque frigori externo magis objecta sunt, & in quibus proinde inspissationi, quam medulla à veneno jam habet, accedit & altera quæ frigori debetur. Inde est quòd exostoses frequentissimæ sint in dorso utriusque ti-

biæ, & in oſſe frontali ſive coronali, in ulnâ & extremo cubito &c. quandoquidem ea oſſium loca ſolâ cute conteguntur. 2°. Quæcunque ictu vel caſu contunduntur, quoniam violento lamellarum oſſearum attritu decubitus medullæ virulentæ in affectâ parte procuratur, unde cita labes inferenda eſt oſſis integritati.

II. *Hyperoſtoſis*, ut vox Græcè ſignificat, tumor eſt oſſium ſpongioſorum, quæ ita inflantur, ut pars altera alteram non ſuperemineat, ut in exoſtoſi, ſed omnes tumorem æquè participent. II Hyperoſtoſis.

Ea autem tumoris ſpecies oſſibus accidit in lue venereâ causâ triplici; 1°. Quia cellulæ oſſeæ ſingulæ, quibus oſſa ſpongioſa conſtant, à contentis floccis medullaris ſubſtantiæ, ſtagnante ſucco medullari ſpiſſiore & virulento nimiùm turgentibus, extrorſum impenſiùs dilatantur: 2°. Quia cellulæ ipſæmet ab inſtillato acriore ſucco medullari ſemi-exeſæ nutrimento, quod accedit, faciliùs inde cedunt, adeoque in craſſiorem molem ſenſim accreſcunt: 3°. Demùm quia ſimultaneo utriuſque prioris cauſæ concurſu cellulæ oſſeæ à turgeſcentibus floccis medullaris ſubſtantiæ vi dilatantur, & ab acriore ſucco medullari emollitæ uberiùs ſimul nutriuntur. In primo caſu mole augentur medullaris ſubſtantiæ flocci, & ideo quidem cellulæ ampliantur, parietes verò cellularum exiliores fiunt. In altero neque cellulæ neque flocci majores fiunt, ſed cellularum parietes in craſſitudinem majorem excreſcunt. Demùm in tertio, qui frequentiſſimus occurrit, pari paſſu flocci mole creſcunt, ampliantur cellulæ & cellularum parietes craſſeſcunt.

Hinc ergo ſequitur 1°. Capita oſſium, quibus articuli conſtant, hyperoſtoſi ſæpenumerò in lue venereâ tumefacienda eſſe, quoniam oſſium capita omnia ſunt è genere oſſium ſpongioſorum.

2°. Inter cætera oſſa ſpongioſa oſſiumve capita, tum ea hyperoſtoſi maximè obnoxia eſſe, quæ carne pauciſſimâ contecta citiſſimè frigeſiunt, ut claviculæ, coſtæ, coxendices, & oſſa quæ pedum, genuum, ulnarum &c. articulos conſtituunt, tum ea quorum textura ictu, caſu, contuſione debilitata fuit.

3°. Oſſa ſpongioſa oſſiumve capita hyperoſtoſi tumefieri non poſſe, quin perioſtium, muſculi & ligamenta, quibus circumdata ſunt, dolorificè diſtrahantur, magis minùſve prout accretio oſſium celerior tardiorve futura eſt, unde dolores rheumatiſmum vel arthritidem mentientes.

4°. Hyperoſtoſes in totâ capitum oſſeorum mole rarò & vix unquam æquabiles eſſe & uniformes, ſed plerumque variè gibbas & anomalè inæquales, prout inæqualis eſt eorumdem oſſium denſitas firmitaſque in diverſis locis. Hinc variæ corporis deformationes, artuumve ankyloſes, unde gibboſi, ſcambi, vari, valgi, ſcauri &c.

III. Medullarem ſubſtantiam, quæ in oſſium majorum meditullio latet, iiſdem morbis affici poſſe à veneno venereo, quibus cæteræ partes molles afficiuntur, liquet ex ejuſdem ſtructurâ, quæ cæterarum partium mollium ſtructuræ compar ex veſiculis membraneis, nervis, arteriis, veniſque perinde componitur. Morbis verò iiſdem reipsâ affici liquet experientiâ, (*a*) quâ compertum eſt medullarem oſſium majorum ſubſtantiam III. Vitia varia medullæ oſſium.

(*a*) Joan. Ch. Heyne. *Tentam. Medico-Chirurg. De præcipuis oſſium morbis.* §. 29.

ipſam quoque veneno venereo corrumpi, tardiùs quidem quàm cæteras medullæ portiones, quia intimiùs recondita ab externis injuriis magis tuta eſt, quibus contagii venerei ferocia ſolet intendi ; cæteroquin totuplici vitio modove : Nunc enim veſiculis, quibus componitur, medullari ſucco turgentibus quem acidius virus in ſebum inſpiſſat, duram inde & ſκirrhoden firmitatem acquirit, in carcinoma tandem aliquando degeneraturam niſi virulentiæ occurratur : Nunc verò veſiculis iiſdem ſpiſſiore ſucco plenis & acriore ſtimulatis, unde naturalis ſanguinis circuitus derepente intercipitur, inflammatoriam phlogoſim vel phlegmonem contrahit, niſi reſolvatur in abſceſſum citò abituram : Nunc demùm eroſis ſenſim veſiculis iiſdem à ſucco medullari, qui ſeminii acrioris conſortio coroſivam facultatem nactus eſt, ulcere maligno & eſthiomeno corroditur.

Hinc conſequens eſt 1°. Dolores in oſſium meditullio excitandos eſſe quoties medulla corrumpitur, cùm certis conſtet experimentis (*a*) medullarem ſubſtantiam ſenſu pollere ; & illos proinde verè oſteocopos fore, tantò quidem graviores vel minùs graves, quantò nerveæ fibrillæ medullari ſubſtantiæ intextæ magis minùſve tenſæ erunt, aut contento ſucco validiùs vel ignaviùs ſtimulabuntur.

2°. Ab appoſitâ medullâ malè affectâ ſenſim ita vitiandam eſſe concavam oſſium ſuperficiem, quæ contigua eſt, virulentiâ ſucci quem inde imbibit, ut quemadmodum jam explicatum eſt *n°. 1. hujuſce paragrahi* exoſtoſis hinc inferenda ſit, in interiore quidem oſſis facie ſubſiſtens, ſi vitium leve ſit, ad exteriorem verò extenſa, ſi vitium gravius extrorſum prorepat ; modò univerſalis & toti oſſis longitudini æqualis, ſi tota medulla corrumpatur ; particularis modò, & quæ ambitu annullari oſſis peripheriam cingat, ſi definita tantùm medullæ pars vitietur.

3°. Ichore, pure aut ſanie, quæ à corruptâ medullâ depluunt, ſi ſemel abſceſſerit aut ulceroſa ſit, inferius oſſis caput, quod ſpongioſum eſt, in ſimilis labis conſortium brevi deducendum eſſe, unde capitis illius hyperoſtoſis, ankyloſis, apoſtema, caries &c.

IV. Caries oſſium.

IV. In ſyphiliticis oſſa carie frequenter infeſtantur, ideo quòd acrior & virulenta limpha medullave, quæ in oſſium ſubſtantiam altè imbibitur in exoſtoſi, hyperoſtoſi, & perioſtii medullæve interioris vitiis, lamellarum oſſearum nexum ita relaxet, ſuperficiem ita rodat, ſoliditatem ita peſſundet, ut oſſa cribri inſtar foraminulenta, multifariam eroſa, & ſoluto partium nexu ruinosâ carie tandem corruant & dilabantur.

Hinc ſequitur 1°. Oſſium cariem ſeminio venereo inductam dolorem quidem illaturam eſſe acrem & urentem, ſi gemina cauſa concurrat, nempe ſi ſedem habeat in parte oſſis molli & ſpongiosâ, ubi abundet medullaris ſubſtantia cui ſenſus ineſt ; & ſi tanta ſit humoris rodentis virulentia, ut unà cum lamellis oſſeis celeri efficaciâ erodantur fruſtilla medullaria, vaſa quæ ad oſſa penetrant, perioſtii appendices &c. quæ inter lamellas interjecta ſunt, & quæ ſenſu pollent. Contrà ſecùs nullo dolore manifeſtam fore ſi fiat in parte oſſis duriore & denſiore, ubi partes ſenſu præditæ pauciſſimæ ſunt ; aut ſi ab humore ignaviùs, debiliùs, tardiùs erodente producatur.

(*a*) Mémoires de l'Académie Royale des Sciences, *année* 1700.

2°. Ossa carioſa quandoque manatura esse ichore fœtidissimo ex concursu causæ geminæ, scilicet si quæ carie tentantur molliora sint & spongioſa, adeoque pluribus vasis sanguiferis vel limphaticis abundent; & si sanguis liquidior seroſiorque limpham uberiorem suggerat: Contrà verò quandoque sicca fore causæ alterutrius defectu, scilicet si ossa quæ cariem sentiunt duriora sint, in quibus vasa sint pauciora; aut si sanguis spissior sicciorque limpham parciorem suppeditet.

3°. Cæterùm cariem qualemcumque modò universalem fore & in toto osse, si antecedens vitium generale; modò verò particularem & in peculiari ossis loco, si vitium particulare fuerit: Modò externam & superficiariam, si externa tantùm pars ossis ab exoſtoſi exteriore, vel perioſtii inflammatione; modò internam, si interior ossis cavitas ab indurata vel putrescente medullâ labefiat; modo demùm internam simul & externam & totam ossis soliditatem pessundaturam, si exterior caries cum interiore in eodem loco concurrat, vel quod frequentius est, si interior ad exteriorem usque ossis faciem, aut exterior ad interiorem usque ossis cavitatem extendatur: Denique modò aream circularem occupaturam esse, si exoſtoſi vel ulceri circulari succedat; modò verò annulari ambitu ossis peripheriam labefacturam, si à vitio medullaris substantiæ dependeat, quod ad contiguam ossis continentis circumferentiam traducatur.

4°. Tandem in omni ossium carie lamellarum osseārum nexum & firmitatem pessundandam esse, tantò quidem magis quantò altior futura est latiorve caries; omnium verò maximè si totam ossis peripheriam annulari ambitu occupet. Hinc est quòd in syphiliticis ossa carioſa tam fragilia esse soleant, ut sæpenumerò in fragmenta dissiliant & diffringantur ictu minimo aut saltem nisu leviſſimo, potiſſimùm si caries annularis totam ossis peripheriam ambiat.

V. Osteosarcosis est lenta & tacita ossium emollitio, quâ cartilagineam, imò etiam carneam naturam adipisci videntur. V. Osteosarcosis.

Potest ea labes ab aliis etiam causis ossibus induci, quarum hîc non satagimus, sed producitur frequentissimè venereâ virulentiâ, ut testantur exempla, quæ prostant apud Scriptores Observationum Medicarum, quâ de re consule Joannem Fernelium, *De abditis rerum causis, Lib. 2. cap. 9.* Jacobum Hollerium, *Observ. rarar. Observ. 7.* Petrum à Castro, *in Ephemerid. Acad. Natur. Curioſor. German. ann. 1. Observation. 37.* Danielem Prottenium, *Actorum Hafnienſ. volum. 3. Observat. 24.* Georgium Hieronym. Welschium, *in Observat. Medic. Observat. 82.* Dominicum Gagliardi, Romæ Professorem Anatomicum, *Anatom. ossium Part. 2. Observat. 3.* Ludovicum Petit, Chirurgum Parisiensem, *Maladies des os, Tom. 2. Chap. 17.*

Contingit autem ossa eo pacto emollescere, quotiescunque humor virulentus, quo imbuuntur, solito quidem acrior, mitior tamen quàm in carie, tacitè dissolvit quicquid duri, solidi, ac verè ossei inest ossibus, cæteras verò partes illæsas dimittit tendineas, membranoſas, vesiculoſas & vasculoſas quæ interpositæ sunt; pari modo ac solent ferrum & æs ab aquâ stygiâ penitùs dissolvi, quâ tamen mollior cera ne quidem attingitur. Sic enim partes illæ ab injuriâ tutæ & sui juris jam factæ jugi sanguinis illapsu

per vasa integra nutriri; perenni spirituum per nervos illibatos influxu vivisçere; mollem dissolutorum ossium pastam depsere, stringere, conformare; uno verbo cartilaginis, imò carnis formam induere & speciem satis aptè repræsentare debent.

Hinc sequitur 1°. Osteosarcosim modò doloris expertem fore, si mollioribus partibus quæ in osse latent, & quæ solæ sensu gaudent, nulla fiat injuria ab humore virulento benigniore; modò verò dolorem comitem habituram esse, si humor idem malignior & magis corrosivus molliores illas partes acriùs stimulet, vellicet, erodat.

2°. Ossa semel emollita tonicæ musculorum ambientium contractioni, superincumbentis reliqui corporis gravitationi, & causarum externarum energiæ facilè cessura esse, unde multiplices deformationes partium, artuumve decurtationes, qui tunc statumine carent. Sic refert Prottenius ægrotum, de quo loquitur *loco suprà laudato* annos 26. natum, in quo ossa cerea erant & flexilia, ad staturam infantis triennis decrevisse. Sic ipse olim Tolosæ vidi in nosocomio puellam, cujus ossa emollita & quasi cerea ita sensim decurtata fuerunt ante obitum, ut corpus longitudine tres pedes vix æquaret.

3°. Ossa, quæ in carneam naturam desciverunt, morbis omnibus, qui partium mollium proprii sunt, obnoxia fore, ac proinde inflammationi, dolori, suppurationi, apostemati, carcinomati, gangrænæ &c. quâ de re adeas si lubeat, Antonium Benivenium, *De abditis nonnullis ac mirandis morborum & curationum Causis, cap.* 79. Alexandrum Benedictum, *Anatomices Lib.* 1. *cap.* 6. Joannem Langium, *Medicinalium Epistolarum Lib.* 1. *Epistola* 42. Hieronymum Montuum, *Tom.* 3. *Anasceves, cap.* 54. Thomam Bartholinum, *Ephemerid. Academiæ Naturæ Curiosor. Germaniæ, Decur.* 1. *ann.* 1. *Observation.* 38. Alhardum Hermannum Cummium *Ibid. Decuriâ* 1. *ann.* 3. *Observat.* 112.

§. VI. TUMORES GLANDULOSI ET LIMPHATICI.

Limpha humor est toti corpori communis & alter à sanguine. A corde in partes defertur ipsismet arteriis, sed ab extremis illarum finibus secedit ut partibus infundatur & instilletur. Hinc redit venis peculiaribus, numerosissimis, tenuissimis, pellucidis, arachnoide tunicâ vestitis, multiplici valvularum apparatu distinctis in brevia internodia, non uno continuoque ductu progredientibus cæterorum vasorum ritu, sed per intervalla sæpiùs repetita in glandulas conglobatas sive limphaticas desinentibus, quò velut in successiva diverticula limpham convehunt ad destinatos usus, donec tandem superatis remoris omnibus in subclaviam sinistri lateris confluat cæterosque majores venarum ramos prope cor, cum sanguine iterùm commiscenda. Cæterùm cùm limpha naturâ subpinguis & viscida sit, ideo cum seminio venereo quod secum devehit in syphiliticis, satis aptè consentit, ut debeat consortii damna frequenter experiri.

I. Tumores variarum glandularum

Proinde I. Si limpha seminio morboso contaminetur, stagnatura est in variis glandulis conglobatis, tum quia spissior moras nectet in glandularum anfractibus, tum quia acrior glandulas validiùs stimulando ad systalticam

ticam contractionem adiget, quâ via præcludetur. Hinc ergo futurum est ut glandulæ limphaticæ in collo, axillis, inguinibus, mesenterio &c. stagnante & inspissatâ limphâ turgidæ indurescant in tumores circumscriptos, rotundos, glanduloſos, strumoſos vel strumosis simillimos, majores minoresve, racematim vel catenatim congestos, duros & adhærentes, vel submolles & mobiles, qui modò in skirrhos & carcinomata, modò verò in abscessus & ulcera abituri sunt, si negligantur.

dularum strumosi, skirrhosi, gummatosi, carcinomatodes &c.

II. Si limpha à seminio venereo viscidior in quibusdam limphaticorum vasorum ramis seu ramorum internodiis iisdem de causis congeratur, futurum ut rami quidem seu internodia collectâ limphâ turgentia in tumores novos & inassuetos dilatentur; tunica verò arachnoides quâ vestiuntur, simul fiat crassior & in densam cystidem paulatim abeat ob largiùs appositam limpham nutritiam, quæ pressione retinebitur. Hinc ergo gummata sive tumores cystide concluſi, qui prout collecta materies colore & spissitudine ad mellis, pultis, aut sebi consistentiam & similitudinem accesserit, melicerides, atheromata, aut steatomata dici solent.

II. Melicerides, atheromata, steatomata.

III. Quòd si pari de causâ limpha virulenta hæreat intra contextum tendinearum partium quas nutrit, tum morâ tum calore densiùs coacta & constipata constitutura est tubercula varia, globoſa, dura, renitentia, supra partis libellam extuberantia. Hinc in perioſtio nodi, in ligamentis artuum tophi, in nervis tendinibusque ganglia.

III. Nodi, tophi, ganglia.

§. VII. OCULORUM MORBI.

In oculis partibusve, quæ ad oculos pertinent, prostant humores numero multi & usu varii, quibuscum virus venereum consortium multifariam inire solet: Nempe 1°. Humor ille viscidus & sebaceus, qui à palpebrarum margine exsudat, quo palpebrarum oræ obliniuntur, qui dum copiâ aut acritate peccat *lippitudo* dicitur: 2°. Humor pinguis & sebaceus qui paucus prodit è glandulâ in majore oculi cantho obviâ & falsò lacrymali dictâ; 3°. Humor limphatico-pituitoſus, qui ex externâ totâ conjunctivæ & corneæ facie guttatim & insconspicuè exprimitur, ut oculi bulbus jugiter lubrefiat. 4°. Lacrymalis humor, qui à glandulâ lacrymali in superiore orbitæ parte sitâ plerumque raris, aliquando crebris guttis depluit: 5°. Demùm humores illi limphatici naturâ proximè congeneres, quibus vitreus, crystallinus & aqueus humores debentur.

Itaque I. Si lemoſus palpebrarum humor veneno venereo acidiore inspissetur, in suis lacunis stagnaturus est, quas in dura, renitentia, rotunda vel ovata tubercula, palpebrarum margini adsita dilataturus est, & hinc chalazia, grandines, hordeola palpebrarum. Si verò acriore veneno corroſivam facultatem adipiscatur, emissaria rodendo ulcuscula seu pustulas ulceroſas oræ palpebrarum illaturus est, & hinc palpebrarum inflammatio, lippitudo, densitas, asperitas, calloſitas, trachoma, sycoſis &c.

I Palpebrarum inflammatio, lippitudo, trachoma, sycoſis.

II. Pari modo si sebaceus humor glandulæ, quæ in majori oculi cantho obvia est, seminio venereo inficiatur, hinc quidem præ spissitudine stagnando sua conceptacula dilataturus est, unde glandulæ inflatio & phlogoſis: Hinc verò præ acrimoniâ rodendo varia ulcuscula ibidem excita-

II. Encanthis, unguis sive pterygium.

turus est, unde glandulæ ejusdem exulceratio. Utroque nomine ea glandula, si malum protrahatur, inspissatâ limphâ nutritiâ nimiùm excrescens ad pupillam sensim exporrigenda & præter fœdam deformitatem visui non parùm offectura, unde encanthis, unguis sive pterygium.

III. Epiphora, ophthalmia.

III. Similiter si humor subviscidus & pituitosus, qui è vasculosis conjunctivæ lacunis erumpit, veneno inquinetur, spissitudine quidem emissaria dilataturus est in tubercula miliaria, dura, renitentia, conferta, quæ sanguinis vias angustando inflammationi locum datura sunt, unde Epiphora & Ophthalmia: Acritate verò summum tuberculorum apicem erosurus in ulcuscula minutissima, phlyctænoidea, phagedænica, unde ophthalmia ulcerosa omnium contumaciissima.

IV. Albugines, phlyctænæ, staphylomata.

IV. Nec dispari modo humor viscidus congener, qui è lacunis corneæ emanat, veneno simili infectus, si spissior lentè hæreat, emissaria ita oppleturus est, ut opacitatem vel tota cornea vel varia corneæ puncta contractura sint, unde leucomata, albugines, sive nubeculæ: Si verò copiosiùs celeriùsque stagnet, emissaria eadem ita inflaturus, ut singula fastigianda sint in tubercula minutissima seu miliares papulas cum levi phlogosi & uredinis sensu, unde phlyctænæ corneæ: Demùm si acrior papulas easdem sensim ulteriùs erodat, pustulas totidem circulares, cavas, phagedænicas producturus est, quæ in ulcera maligna & cacoethea, imò in staphylomata non rarò desituræ sunt, nisi medicina citò paretur.

V. Fatendum sanè lacrymalem quoque humorem recensitis palpebrarum, adnatæ & corneæ vitiis symbolam nec efficacem collaturum esse, quotiescunque seminio venereo gravidus futurus est, ut qui partes illas madefaciat perpetuò, atque adeò noxam eisdem inferre tantò magis valeat. At verò experientiâ constat lacrymalem humorem cæteris humoribus, de quibus hactenus, & tardiùs & minùs infici venereo seminio, quoniam cùm tenuior sit serosiorque, contagii viscidioris miscelam pertinaciùs respuit & refugit.

VI. Fistula lacrymalis sive ægilops.

VI. Si puris acrioris particulæ ab erosis, suppuratis, ulcerosis palpebris, adnatâ, corneâ decerptæ unà cum lacrymali fluido in saccum nasalem deferantur, internam sacci faciem brevi erosuræ sunt, unde fistula lacrymalis sive ægilops. Potest tamen morbus idem aliis quoque causis & sine prævio oculorum ulcere inferri, nempe papulâ venereâ intra sacci nasalis cavitatem enatâ, quæ suppuretur; exostose ossium nasi, quæ saccum comprimendo lacrymarum stagnationi & putrescentiæ ansam præbeat; carie ossis unguis à fomite venereo, quæ superjectum saccum nasalem exulceret &c.

VII. Hæmalops, inflammatio interna, hypopyon.

VII. Si virus ad humorem vitreum, crystallinum aqueumve penetraverit, & acidius sit, præternaturalem illorum humorum inspissationem inducturum est, unde glaucoma, suffusio seu barbaris *cataracta*, aut inanis villorum in aëre volitantium species: Si verò acrius, eorumdem humorum vasa tunicasque multifariam exulceraturum, unde suggillatio sive hæmalops, inflammatio seu ophthalmia interna, abscessus, hypopyon, totius oculi suppuratio &c.

VIII. Gutta serena, cæcitasque.

VIII. Demùm in syphilide haud rarò accidit visûs imminutio, cæcitasque à nervorum opticorum paralysi, quæ barbaris *Gutta* seu *Fluxio serena* ideò dicitur, quòd in oculis omnia sint perspicua & pellucida. Porrò

autem contingit in ſyphilide nervos opticos ideo reſolvi, vel quòd obſtruantur ſpiritibus veneno inſpiſſatis, quod rarius eſt, vel quòd comprimantur arteriolis interſperſis, quæ ſanguine ſpiſſiore turgent; nodis gangliiſve obortis in tunicâ quâ veſtiuntur; aut exoſtoſibus quæ foramini oſſeo, quà tranſeunt, innaſcuntur; quæ frequentiora ſunt.

§. VIII. MORBI AURIUM.

Cerumen aurium in alveario ſeu meatu auditorio ſecretum unicus humor eſt, qui auribus peculiaris ſit. Etſi ſulfureum ſit & mellis inſtar viſcidum, quo nomine cum veneno venereo congener eſſe videtur, ideo tamen cæteris corporis fluidis & rariùs & tardiùs inſici ſolet, quippe quòd acidi venerei conſortium vel refugiat vel hebetet innato amarore. Inficitur tamen quandoque & hinc *prior* claſſis morborum venereorum, qui auribus proprii ſunt.

Præterea oſſea interioris auris clauſtra, variaque officula ibi latentia exoſtoſes, hyperoſtoſes & caries à ſyphilide experiuntur, perinde ac cætera oſſa, imò etiam frequentiùs, ſaltem ſi ulcuſcula venerea fauces vel tonſillas infeſtent, propterea quòd exſpirati aëris pars tubis Euſtachianis ſeu aquæ-ductibus in cavitates tympani deducta illuc unà ſecum deferat non pauca virulenta miaſmata, quæ ab ulceroſis locis abripit tranſeundo, & hinc claſſis *altera* morborum venereorum, qui ad aures pertinent.

Itaque I. Cerumen aurium, ſi quando contagium conceperit, inde quidem ſolito ſpiſſius, ſtagnaturum eſt in ſecretoriis lacunis, tantâ copiâ ut dilatatis conceptaculis compreſſiſque idcirco venis juxtà repentibus phlogoſis, inflammatio, dolor in meatu auditorio excitanda ſint, in abſceſſum non rarò abitura: Inde verò ſolito acrius internam meatûs ejuſdem cavitatem ita eroſurum, ut fiſſuris, rhagadibus, ulcuſculis multifariam defœdetur in herpetes malignos, imò etiam in ulcera cacoëthea ſæpè degenaturis. Hinc ergo alterutro nomine ab auribus fluxura ſunt pus, ichor, ſanies &c. I. Fiſſuræ, herpetes, ulcuſcula in meatu auditorio.

II. Oſſa internæ auris præter generales cauſas exoſtoſeos & hyperoſtoſeos, quas cum cæteris corporis oſſibus communes habent, patent etiam cauſis aliis peculiaribus, videlicet tetris halitibus qui à faucibus ulceroſis per tubas Euſtachianas ſeu aquæ-ductus in aurem internam penetrant inter exſpirandum, & qui oſſa obvia miaſmatis virulentis, quibus gravidi ſunt malè afficiunt. Hinc ergo ſyphiliticis ſæpè adfuturæ ſunt exoſtoſes in fornice oſſeo tympani, ſinûs maſtoidis, labyrinthi &c. vel hyperoſtoſes quatuor officulorum auditioni inſervientium, incudis, mallei, ſtapedis & oſſis orbicularis. II. Exoſtoſes vel hyperoſtoſes officulorum auditioni inſervientiũ.

III. Ea oſſa exoſtoſi vel hyperoſtoſi tumefacta à virulentâ limphâ, quâ imbuuntur, ſenſim erodenda ſunt & tacitâ carie exedenda ex cauſis ſuprà allatis §. *V. n. IV.* Hinc ergo futurum eſt tum ut pus ſeu potiùs ichor fœtidùm & graveolens à carioſis oſſibus defluat in tympanum, & eroſâ membranâ tympani è meatu auditorio ſtillatim ſcaturiat; tum etiam ut unà cum pure non rarò prodeant officula integra, quæ auditioni conducunt vel ſaltem eorumdem fragmina, aut varia oſſea ramenta à fornice internæ auris eroſione decidua. III. Ulcera in aure internâ.

IV. Sibilus, murmur, tinnitus.

IV. Sanguis in ſyphilide ſæpè ſtagnat in encephalo lentore nimio, ut infrà videbimus §. *IX. n°.* 1. ubi de capitis gravitate. Hinc ergo neceſſum eſt ſanguinem recto itinere retardatum in laterales arterias divertere, quæ à carotidibus ortæ auri internæ proſpiciunt; ſingulos earum ramos per auris interiora perreptantes & nervis acouſticis appoſitos impenſiùs dilatare; motûſque, quo ſaliunt, vehementiam adeo intendere, ut in nervos acouſticos validè arietando inaſſuetâ ſuccuſſione eamdem in aure impreſſionem producant, quæ à motu aëris tremulo ſolet excitari, cùm ſonus percipitur. Hinc falſa & importuna ſoni auditio, qui pro variâ nervorum tenſione & vibratilitate, aut frequentiore vel rariore arteriarum pulſu, modò continuus & acutus futurus eſt, & *ſibilus*, modò continuus ſed gravis, & *murmur*, modò demùm interruptus & intermittens, & *tinnitus* appellatur.

V. Baryecoia & ſurditas.

V. Denique baryecoia ſive gravitas auditûs, imò etiam ſurditas quandoque contingit ex lue venereâ, ſeu quòd oſſicula carie exeſa jam perierint, vel ſaltem hyperoſtoſi tumefacta ſolitis muniis imparia ſint; ſeu quòd acouſtici nervi craſſioribus ſpiritibus obſtruantur, vel comprimantur arteriis nimiùm turgentibus, nodis aut gangliis juxtà enatis, exoſtoſibus oſſium per quæ tranſeunt &c. quâ de re vide quæ ſuprà dicta ſunt de cæcitate *paragrapho præcedente*, *n°. VIII.*

§. IX. LÆSIONES FUNCTIONUM.

Cætera quæ ſuperſunt breviùs perſtringemus, & ne totam pathologiam compilaſſe videamur, læſæ cujuſcumque functionis cauſam tantùm indicabimus. Curabimus tamen ne fiamus obſcuri, dum breves eſſe laborabimus, à quo propoſito ideo confidentiùs ſperamus non aberraturos eſſe, quòd mox dicta dicendis haud parùm lucis afferant, utpote quæ utraque perinde dependeant à ſimili efficaciâ veneni ejuſdem, quod humores quoſvis limphaticos & vitioſâ ſpiſſitate, & acrimoniâ corroſivâ ſimul impertiat & pervertat.

I. Læſio functionũ animalium, unde?

Itaque I. Functiones animales ſeu functiones illæ, quæ exercentur ope organorum in capite latentium, lædi poſſunt in lue venereâ multiplici de causâ. 1°. Tumoribus præternaturam genitis, exoſtoſi vel carie alterutrius tabulati oſſium quæ ſuperiorem vel inferiorem cranii partem componunt; nodis gangliiſve pericranii aut meningum; hydatidibus vel tuberculis plexuum choroidæorum; skirrho glandulæ pituitariæ, quæ inſidet ephippio; apoſtemate vel tumore gummatoſo in encephalo &c. 2°. Hæmoſtaſiâ, ſeu ſanguinis ſtagnatione & hærentiâ, ſive fiat ſolâ ſanguinis ſpiſſitudine, vel recenſitis obicibus ſanguinis fluxum retardantibus. 3°. Vitioſâ ſpirituum animalium craſſitie, unde & parciùs ſecernuntur & fluunt lentiùs in partes.

1. Capitis gravitas.

Hinc 1°. Capitis gravitas ſive *καρηβαρία*, ſi ſanguis ſtagnet & hæreat in toto encephalo.

2. Clavus & ovum.

2°. Clavus & ovum, ſi exoſtoſis carieſve partem oſſis cujuſdam occupet; ſi nodus in pericranio, ſi tubercula vel puſtulæ adſint in quâdam meningis parte; ſi quod alicubi lateat apoſtema; ſi ſanguis ſolâ ſpiſſitudine hæreat in loco quodam, aut acriorem limpham dimittat.

3°. Hemicrania ab iisdem causis, sed quæ latiorem capitis partem obsideant, ac plerumque dimidiam. 3. Hemicrania.

4°. Cephalæa seu cephalalgia, *gravativa* quidem aut *pulsativa*, si arteriæ meningum sanguine hærente turgidæ cerebrum subjectum dilatatione premant, vel pulsu validiore membranas quatiant; *pungitiva* verò & *mordicans*, si acriore sero eòdem effuso meninges dolorificè stimulentur. 4. Cephalæa.

5°. Vertigo, *simplex* quidem si sanguis à cerebro propter hæmostasiam præclusus in oculos copiosiùs fluat per arterias collaterales, & arteriolarum retinæ intextarum pulsatorium motum ita intendat, ut inde fibrillæ nerveæ juxtà sitæ motu tremulo succutiantur; *tenebricosa* verò, si fibrillæ eædem præ compressione nimiâ spiritibus admittendis impares fiant. 5. Vertigo.

6°. Spasmus, si quæ arteriæ cerebri sanguine nimiùm turgidæ validiùs pulsent, spirituque in nervos obvios majore sed continuo impetu propellant: *Motus* verò *spasmodici*, si ex variabili variarum arteriarum turgescentiâ variabilis quoque sit earumdem arteriarum pulsus, unde spiritus ad has illasve partes variè amandentur. 6. Spasmus.

7°. Epilepsia, si ea accidat hæmostasia in encephalo, quâ fibræ quidem interni sensorii compressione cerebri relaxentur, unde ἀναισθησία; sed quâ tamen spirituum secretio permittatur naturali fermè compar, qui arteriarum turgentium pulsu in nervos præter naturam agantur, unde spasmus vel motus spasmodicus. 7. Epilepsia.

8°. Paralysis, si mollia nervorum principia vel infarciantur lymphâ, cui devehendæ vacant, & quæ spiritus animales constituit; vel exostosibus, nodis, gangliis, vasisve sanguiferis nimiùm turgentibus ita comprimantur, ut spiritus influxuros nequeant admittere. Tertiam enim causam, cui paralysis solet interdùm adscribi, concidentiam scilicet nervorum, qui collapsu parietum molliorum impervii fiant, locum in syphiliticis nullum habere ideo censemus, quòd ea sit seminii venerei indoles, non quæ partes emollire & relaxare possit, sed è contrà quæ easdem denset, astringat, induret. 8. Paralysis.

9°. Artuum suspensorum tremor, quem specie geminum distinguendum esse arbitramur, alterum in quo pars quæ tremori obnoxia est, viribus suis destituitur; alterum, in quo pars affecta pollet robore nativo. Fit ille quoties spiritus per nervos allatis de causis semi-occlusos æquo parciùs influunt, quàm ut adversùs suspensorum artuum pondus contraniti valeant; ac proinde causâ cæteroquin congener, gradu tantùm differt à paralysi quâcum plerumque conjungitur, quoties illa invadit vel desinit: Hic verò toties producitur, quoties fibrillæ nerveæ aridiores ita tono tenduntur, arteriæque quæ interrepunt, tam fortiter simul oscillant, ut necesse sit pulsu validiore nerveas fibrillas, quæ solitò vibratiliores sunt, subinde quassari, spirituumque influentium momentum alternatim intendi, ex quo efficitur ut artus illi motu tremulo succutiantur, qui nisu tonico atque adeo vi æquilibri suspensi possunt leviissimo momento huc vel illuc impelli. 9. Artuum tremor.

10°. Hydrocephalus, si glandula pituitaria, quæ sellæ Turcicæ sive ephippio insidet, skirrhodes fiat, & ideo limphæ, quæ à ventriculis cerebri defluit, viam deneget; aut si tumefacta quævis in encephalo loca 10. Hydrocephalus.

naturali ſanguinis motui officiant, unde præternaturalis ſeri decubitus.

11. Agrypnia. 11°. Agrypnia, ſi æger doloribus acutiſſimis, rheumaticis, arthriticis, oſteocopis &c. diſcrucietur.

II. Læſio functionum vitalium unde? II. Functiones vitales, quæ fiunt ope organorum contentorum in pectore, depravari ſolent in ſyphilide variis de cauſis. 1°. A tuberculis vel gummatis in pulmonum ſubſtantiâ latentibus, ſive cruda ſint, ſive ſuppurata; 2°. Ab acrimoniâ, quam trachealis humor morbo contrahit; 3°. Ab hæmoſtaſiâ ſanguinis in pulmonibus, ſive ſoli cruoris ſpiſſitudini, ſive oppoſitis in pulmone obicibus debeatur; 4°. A ſarcomatis ſive polypis veris, qui è carneis cordis columellis in ventriculorum cavo ſuccreſcunt; 5°. A limphaticis concretionibus, ſeu polypis ſpuriis ibidem genitis; 6°. Ab hydrope, abſceſſu vel exulceratione pericardii.

1. Aſthma. Hinc ergo 1°. Dyſpnœa, aſthma, orthopnœa, quæ gradu tantùm differunt; nempe ſi ſanguis in pulmonibus hæreat, vel præ ſpiſſitate tardiùs fluens, vel objectis obicibus ſive tuberculis retardatus.

2. Tuſſis. 2°. Tuſſis, ſi trachealis humor acrior ab admiſto morboſo ſeminio internam bronchiorum tunicam validiùs ſtimulet.

3. Hæmoptoë. 3°. Hæmoptoë ſeu hæmoptyſis, ſi ſtagnantis ſanguinis copiâ, vel æſtuantis rareſcentiâ vaſa ῥήξει diſcindantur, vel acrimoniâ trachealis humoris διάβρωσει erodantur.

4. Vomica. 4°. Vomica, ſi qua gummata aut grandiora tubercula in abſceſſum latentem tacitâ ſuppuratione abeant, unde pus diſciſsâ vel erosâ cyſtide tandem erumpat.

5. Phthiſis. 5°. Phthiſis, ſi vomica aperta tuberculave ſuppurata, vel eroſio bronchiis à tracheali humore ſenſim illata in ulcus malignum, cacoëthes, dyſepuloticum degenerent, ut in pulmonibus ferè perpetuum eſt.

6. Cordis tremor & palpitatio. 6°. Cordis tremor & palpitatio, ſi qua externa repagula comprimendo cordis dilatationi obſtent, ut hydrops, abſceſſus, exulceratio, ſarcoſis pericardii; ſi qua obturamenta interna obſtruendo ſanguinis egreſſum è corde retardent, & cordis contractionem ideo reprimant, ut polypi veri, concretiones polypoſæ, ſarcomata majorum arteriarum, infarctus pulmonum &c. Denique ſi qua convulſio carnearum cordis fibrarum motum earumdem refrænet pervertatve, ut in ſpaſmo aut motu ſpaſmodico, ſive idiopathicus, ſive ſympathicus fuerit.

7. Syncope. 7°. Syncope, lipothymia, aſphyxia ab iiſdem cauſis, ſed quæ potentiùs agant, & cordis ſyſtolen vel diaſtolen quoad ſenſum aliquandiu ſuffla-minent.

8. Intermiſſio pulsûs. 8°. Inæqualitas & intermiſſio pulsûs ab iiſdem quoque cauſis, quibus cordis tremor & palpitatio, ſyncope, lipothymia & aſphyxia inferuntur.

III Læſio functionũ naturaliũ, unde? III. Functiones naturales, quarum exercitium debetur organis in abdomine contentis, perverti poſſunt in lue venereâ cauſis ſequentibus: 1°. Vitio ſtomachalis & inteſtinalis limphæ morboſo fomite inquinatæ; 2°. Vitio ſimili bilis & ſucci pancreatici ab eodem contagio; 3°. Skirrho glandularum conglobatarum, quæ diverſas abdominis partes, potiſſimùm verò meſenterium obſident; 4°. Hæmoſtaſiâ, ſive ſpiſſitate ſolâ ſanguinis, ſive multiplici viſcerum infarctu inducatur.

1. Anore- Hinc 1°. Anorexia ſeu inappetentia, & apepſia ſeu indigeſtio, ſi ſtoma-

chalis limpha ſolito ſpiſſior vel à naturali craſi ſeu indole degener nec fami excitandæ, nec fermentandis & coquendis cibariis compar ſit. xia, ſive inappetentia.

2°. Vomitio aut ſingultus, ſi limpha eadem corroſiva ſimili vitio contaminet chylum quem conficit, unde vellicatâ quidem nerveâ totius ventriculi tunicâ vomitio; unde verò ſtimulato orificio tantùm ſuperiore ventriculi ſingultus. 2. Vomitio aut ſingultus.

3°. Affectio hypochondriaca, ſi ad ea ſymptomata quæ vitioſus & acrior chylus poteſt producere, ventriculum & inteſtina pungendo ac irritando, & ſanguinem in quem transfunditur inſpiſſando, cæteraſque anxietates quæ à ſeminio venereo producuntur in univerſo corpore, accedat ea mentis diſpoſitio ad melancholicum delirium vergens, quæ ad affectûs hypochondriaci eſſentiam pertinet. 3. Affectio hypochondriaca.

4°. Diarrhœa ſive alvi fluxus, ſi chylo, qui à ventriculo acrior defluit, aut inteſtinali limphâ, bile ſuccove pancreatico, quæ veneno venereo inquinantur, ad motum periſtalticum citatiorem inteſtina ſollicitentur; *ſtercoracea* quidem, ſi ſolæ fæces deturbentur; *ſeroſa*, ſi à glandulis inteſtinalibus ſerum uberius irritatione exprimatur; *bilioſa*, ſi causâ eâdem fluxilior & copioſior bilis ab hepate extorqueatur; *lienterica*, ſi alimenta nondùm confecta vel malè confecta è ventriculo exeant; *cœliaca*, ſi chylus à venis lacteis excluſus propter ſkirrhos glandularum meſenterii in fæcibus retineatur, & unà cum illis egeratur. 4. Diarrhœa.

5°. Obſtructiones & infarctus jecinoris, lienis, pancreatis &c. ſi bilis, limpha lienaris vel ſuccus pancreaticus ſpiſſitate peccent, & in ſuis hæreant conceptaculis. 5. Obſtructiones jecinoris, lienis, pancreatis.

6°. Icterus, ſi bilis à ſecretione præcluſa in ſanguinem exundet; *flavus* quidem, ſi bilis flava; *niger* verò, ſi nigra ſit. 6. Icterus.

7°. Hydrops aſcites ſive abdominis, ſi ſanguis venoſus obſtructione hepatis, ſplenis & pancreatis retardatus ſerum quo turget, guttatim dimittat in cavum abdominis. 7. Hydrops.

8°. Hæmorrhoides, ſi compreſſio venæ portarum ab hepate obſtructo vel ſkirrhode tanta ſit, ut cùm via vix pateat ſanguini ab hæmorrhoidalibus venis regredienti extrema capillamenta hærente ſanguine nimiùm diſtenta ad ani ambitum in varices dilatanda ſint. Illæ autem hæmorrhoides cæcæ, fluentes, calloſæ, inflammatæ, ſuppuratæ, ulceroſæ aut carcinomatodes futuræ ſunt variis de cauſis, quarum diſquiſitio non eſt hujus loci, ſed ex peculiari hujuſce morbi theoriâ repetenda eſt. 8. Hæmorrhoides.

IV. Functionum univerſalium læſio poteſt in ſyphiliticis cauſas ſequentes agnoſcere. 1°. Vitioſam acrimoniam limphæ nutritiæ morbo infectæ; 2°. Parciorem & lentiorem ſpirituum influxum per nervos; 3°. Minorem ſanguinis attritionem & fermentationem; 4°. Copiam recrementitiorum aut excrementitiorum humorum, qui in ſanguine propter viſcerum infarctus reſtagnant. IV. Læſio functionũ univerſaliũ, unde?

Hinc igitur 1°. Marcor, atrophia, maraſmus, ſi limpha nutritia acrior & corroſiva partes nedùm nutriat, ſed potiùs deradendo extenuet & emaciet. 1. Marcor & atrophia.

2°. Virium languor, proſtratio & imbecillitas, ſi ſpiritus ad partes muſculoſque præſertim & parciùs & lentiùs fluant; *parciùs* quidem, quia in 2. Virium languor.

cerebro parciùs ſecernuntur ; *lentiùs* verò, quia craſſiores ſunt.

3. Vultûs pallor & decoloratio.

3°. Decoloratio, pallor, livor vultûs, unde in fœminis chloroſis, ſi ſanguis craſſior & minùs attritus ignaviùs fermentetur, adeoque colore minùs florido vultum pingat ; aut ſi bilis ita redundet, ut mucoſus humor cuticulæ ſubjectus, quocum confunditur, vitioſo colore inficiatur.

4. Febres intermittentes.

4°. Febres intermittentes, ſi cacochylia à ventriculo primiſque viis in ſanguinem traducta, aut amurca recrementorum quæ in ſanguine retinentur, ſolitam circulationis œconomiam pervertant.

5. Febres lentæ.

5°. Febres lentæ ab iiſdem cauſis ſed contumacioribus, vel quod frequentius eſt, à doloribus atrocibus, ab exulcerationibus variarum partium, à gummatis, nodis aut exoſtoſibus putreſcentibus, ab abſceſſibus internis &c. quæ ſingula in lue venereâ inveteratâ plerumque perpetua ſunt.

V. Læſio functionũ, quæ mulierum propriæ ſunt, unde ?

V. Denique læſio functionum, quæ mulieribus propriæ ſunt, dependere poteſt in lue venereâ à multis cauſis. 1°. A vitio limphæ lacteæ ſeu lactis mammarum, quod viſcidius & acrius eſt ab admiſto veneno ; 2°. A ſimili vitio limphæ lacteæ ſeu lactis uteri, cui periodicus catameniorum fluxus debetur ; 3°. A vitio limphæ, quâ turgent oviformes veſiculæ ſive ovula, quæ in fœmininis teſtibus ſive ovariis latent, & prima ſunt concepti embryonis incunabula.

1. Cancer mammarũ.

Hinc igitur 1°. Cancer mammarum, ſi limpha lactea viſcidior in veſiculis mammarum hæreat, & hærendo in skirrhum dolentem induretur ſive cancrum ; *occultum* quidem, quandiu congeſta materies in quiete duratura eſt ; *apertum* verò & *exulceratum*, ſi limpha eadem virulenta concepto rareſcentiæ niſu tumorem exulceret.

2. Suppreſſio menſtruorum.

2°. Suppreſſio menſtruorum, ſi defectu limphæ lacteæ uteri, quæ præ ſpiſſitudine à ſecretione penitùs arceatur, nec impleri veſiculoſa uteri conceptacula, nec comprimi venæ uterinæ appoſitæ, nec laterales earum appendices dilatari, inflari, extremo fine dehiſcere poſſint, ut ſanguis menſtruus more ſolito effundatur.

3. Fluxus immodicus eorumdem.

3°. Fluxus nimius menſtruorum, ſi vitio limphæ ejuſdem quæ ſecernatur quidem, ſed quæ præ ſpiſſitudine non excernatur, veſiculoſa eadem conceptacula ita diſtendantur, venæ appoſitæ ita comprimantur, appendices cæcæ continuò ita dilatentur & hient, ut ſanguis jugi fluxu manaturus ſit. Poteſt quoque affectus uterque, ſuppreſſus ſcilicet & nimius catameniorum fluxus à gravioribus morbis induci, *ſuppreſſus* quidem à skirrho vel carcinomate ; *nimius* verò ab eroſione vel ulcere uteri.

4. Fluor albus.

4°. Fluor albus ſive muliebris, ſi limpha eadem acrior & ideo largiùs ſecreta, è conceptaculis perenni & uberi fluxu ſcaturiat ; vel ſi nimiâ & diuturnâ compreſſione quam vaſa ſanguifera patiuntur à vicinis tumoribus uteri, vel ab uterinis colis ſpiſſiore lacte turgentibus, tenue cruoris ſerum in uteri cavum jugiter & ubertim extillet.

5. Inflammatio uteri.

5°. Inflammatio, ſi ex ſubitaneâ colorum uterinorum ab hærente lacteâ limphâ dilatatione, ita derepente ſufflaminetur ſanguis per venas rectà fluens, ut à viâ præcluſus impete facto in limphatica vaſa ab extremis arteriis prodeuntia cogatur irrumpere. Ea autem uteri inflammatio in abſceſſum, aut quod pejus eſt, in gangrænam abitura eſt, niſi depletis vaſis & reſolutis obicibus devio ſanguini via citò reſtituatur.

6°. Ulcus

6°. Ulcus uteri, quod poteſt geminâ causâ induci; 1°. Suppuratione & apoſtemate, ſi inflammatio, de quâ modò, in abſceſſum verſa, aut ſi atheroma, ſteatoma, meliceriſve, quæ in ipſis uteri tunicis latent aut juxtà adnaſcuntur, ſuppurata in uteri cavitatem aperiantur: 2°. Eroſione, ſi ſemen ab infecto viro admiſſum, ſi menſtrua, quæ periodicè prodeunt, ſi fluor albus, quo uterus non rarò madet, ſeminio morbifico contaminata internam uteri faciem exulcerent. 6. Ulcus uteri.

7°. Skirrhus uteri, ſi limpha lactea lentè congeſta intra ſua cola firmiter indureſcat. Skirrhus autem in carcinoma ſæpè degeneraturus eſt, ſi limpha acrior ad niſum rareſcentiæ concipiendum comparata ſit, unde dolor, lancinatio, exulceratio gradariè ſuccedant. 7. Skirrhus uteri.

8°. Tophi, skirrhi, tumores ovariorum, ſi limpha, quâ opplentur veſiculæ pellucidæ, ſphæroides, cellulis ſingulatim coercitæ quæ inferiorem ovariorum partem diſtingunt, & *ovula fœminina* dictæ, vel quâ perluitur ac turget ſuperior eorumdem ovariorum pars mollis, pulpoſa, ſucco plena, unde dependent ovula deſcripta, præter naturam ita craſſeſcat ab inſpirato veneno venereo ut in tophos, skirrhoſve induretur, numero, mole, figurâ, ſitu varios, & in carcinomata quandoque degeneres variis de cauſis ſuprà recenſitis, *Lib. III. Cap. 6. §. 3.* 8. Tophi, skirrhi, tumores ovariorum.

9°. Ovariorum hydatides, hydrops, abſceſſus, ſi tubercula in ovariis genita ex causâ venereâ ſanguini aut limphæ regreſſui ita obſtent, ut ſerum latenter dimittatur in varias ovariorum cellulas, aut in ovula variis cellulis concluſa, unde *hydatides*, vel in ipſum ovariorum contextum exundet, unde *hydrops*, quorum utrumque malum in abſceſſus anomalos haud rarò degeneraturum eſt. 9. Hydatides, hydrops, abſceſſus ovariorum.

10°. Sterilitas, ſi menſtrua ſuppreſſa, nimiave; fluor albus nimius; uterus exulceratus, skirrhodes aut carcinomatodes, conceptioni obſtent; vel ſi citra ullam uteri labem ovaria morbosè tumefiant, aut oviformes veſiculæ indureſcant & fœcundationi ineptæ fiant. 10. Sterilitas.

11°. Frequens abortus, ſi conceptus embryo virulentâ acrimoniâ lactis uterini, quo enutritur, citò contabeſcat. 11 Frequens abortus.

12°. Partus fœtuum ſquallidorum, eryſipelate rubentium, ſemi-putrium, ulceroſorum &c. ab eâdem causâ, cùm virulenta materni ſanguinis indoles tenellum embryonis corpuſculum celeri labe perdat, peſſundet, deſtruat. 12. Partus fœtuum ſemi-putrium.

CAPUT IV.

Diagnoſis Luis Venereæ confirmatæ.

IN diagnoſi duo inquirenda ſunt, an æger lue venereâ verè laboret? Deinde quali laboret, & an laboret ſolâ? Nempe I. An verè laboret, tum ne magno patientis infortunio, nec parvo medicantis dedecore umbra pro corpore, larva pro morbo oppugnetur; tum ut naſcens hydra, ſi forſan lateat, in incunabulis ocyùs opprimatur, antequam adoleſcat: II. Qualis adſit lues & an adſit ſola; ut morbo compar paretur medici-

na, ſimplici ſimplex, multiplex multiplici; vel ſi remedia repugnantia fuerint, ſaltem ut priùs profligato morborum altero, qui curatu facilior eſſe videbitur, liceat inde alteri, qui pertinacior eſt, tantò faciliùs mederi.

§. I. AN ÆGER LUE VENEREA VERE LABORET?

De præſentiâ luis venereæ judicium anceps & difficile eſſe.

Judicium de præſentiâ luis venereæ ſolet eſſe plerumque & anceps & difficile, 1°. Quòd ſymptomata luis venereæ, quæ ſuprà recenſita ſunt, pleraque cum aliis quoque morbis ita communia ſint, ut ad luem veneream nullo potiori jure quàm ad morbos alios pertinere videantur, neque adeo poſſint luem veneream potiùs quàm morbos alios indicare.

2°. Quòd ſymptomata cætera, numero pauca, quæ lui ita propria ſunt, ut ſoli conveniant, inveteratæ tantùm, ſed rarò incipienti accidant, atque adeo inveteratam quidem demonſtrent, nullius verò uſûs eſſe poſſint ad recentem & incipientem deſignandam, quod tamen votorum ſumma eſſet.

3°. Quòd ea ſit luis venereæ indoles, ut ſemel concepta nativæ ægrotantium temperiei plerumque ita ſeſe accommodet, ut morbos eoſdem mentiatur quibus ægri antè afficiebantur. Si quis *v. g.* pulmone, capite, oculis, hepate &c. antè laboraverit, admiſſo ſemel contagio iiſdem in locis perinde laboraturus eſt, ſed paulò urgentiùs; unde fit ut de novo morbo nulla ſit ſuſpicio, credaturque æger vetere tantùm morbo languere, qui inveteraſcendo invaluerit.

4°. Quòd ægrotantes ſæpè celent morbi partem, ſaltem morbi originem & progreſſum diſſimulent, ne cauſam retegant. Sic verum vix extorqueas ab adoleſcentibus, qui à parente vel Magiſtro ſibi timent; ab innuptis fœminis, quas pudet culpam confiteri; imò verò ab adultis ſenibuſve qui ſui juris ſunt, quos piget nonnumquam anteactam vitam candidè relegere, & juvenilium errorum reminiſci.

In judicando cautè attendendum eſſe ad ſigna.

In eâ rerum ambage una ſupereſt ratio veritatem fugitivam expiſcandi, nempe ſi Medicus ſedulus & ſagax veri indagator ad ſequentia ſigna parallela, quæ in duplicem ordinem digeſſimus, diligenter utrimque attendat; ſingula ſincerè diſcutiat, diſtinguat, æſtimet; & quid de luis venereæ præſentiâ opinandum ſit conetur collatione utrorumque mutuâ colligere, quod à ſingulis, ſi ſeorſim ſpectarentur, vix poſſet elici.

Quorum alia demonſtrativa, alia commemorativa.

Prior ordo ſignorum eorum eſt, quæ ab effectibus ſeminii venerei deducuntur & quæ præſentem ægri ſtatum demonſtrant, unde ἐνδεικτικὰ, *ſeu demonſtrativa*; poſterior verò eorum quæ deſumuntur à cauſis ſeminii ejuſdem & quæ præteritum ægri ſtatum commemorant, unde ἀναμνηστικὰ ſeu *commemorativa* dicuntur.

Primò. Demonſtrativa ſunt, vel univoca, vel æquivoca.

PRIMO. Signa demonſtrativa duplicis generis ſunt; altera quidem lui venereæ ita propria, ut ſoli conveniant vel fermè ſoli, & ideo *pathognomonica & univoca*; altera verò lui cum cæteris morbis ita communia, ut in diverſis morbis perinde obſerventur, & ideo *æquivoca* appellantur. Priora ab effectibus deſumuntur, qui fiunt vitio humorum cum venereo contagio maximè analogorum, & quos ſuprà recenſuimus Cap. II. prio-

ribus articulis ſcalæ affinitatum. Poſteriora verò ab effectibus cæteris, qui fiunt vitio cæterorum humorum minùs affinium, & quos expoſuimus ibidem poſterioribus articulis deſcriptionis ejuſdem.

De utriſque cautè advertendum eſt in hoc ordine demonſtrativorum ſignorum, quæ ſingula ab effectibus repetuntur, præſentiâ ſignorum ſyphilidem quidem argui, quia poſito effectu cauſam poni neceſſum eſt; at verò abſentiâ eorumdem ſyphilidem minimè excludi, quia poſitâ cauſâ conſequens non eſt effectum ſemper poni, cùm poſſit cauſæ efficacia multiplici modo inhiberi, retundi, aut aliò diverti. Quocirca demonſtrativa ſignà, ſi adſint, luis venereæ exiſtentiam ſingula pro ſuo quæque modulo affirmant; negant verò minimè licet deſint, ſi ab aliis indicetur.

Signa univoca ſeu pathognomonica, quæ in indicandâ lue venereâ præcipua ſunt & primaria, ex ordine ſigillatim proponemus, breviſſimè tamen, ſed ita ut nulla omittatur cautionum, quarum uſus eſſe debeat in diſtinguendo & æſtimando ſigno quolibet iſtius generis. Deinde verò ſigna æquivoca nudè tantùm referemus brevitatis ſtudio, cùm ex traditâ ætiologiâ abundè perſpicuum ſit, quanti ſingula æſtimanda eſſe videantur.

Signa univoca numero decem.

SIGNA UNIVOCA ſeu PATHOGNOMONICA. *Primum.* Infectio cum altero quaſi ex traduce communicata quocumque modo, concubitu, lactatione, ſuctione, baſiatione, cubatione &c.

Primum. Infectio cum altero ex traduce cõmunicata.

Hoc quidem ſignum eſt indubium & primæ notæ latentis ſyphilidis, cùm ut vulgari fertur adagio, nemo det quod non habet, modò tamen conſtiterit de ſanitate antecedente alterius quocum res fuit & qui ſe infectum fuiſſe queritur. Sed in eo negotio tot præſtigiæ, tot offuciæ ſunt, ut naſutum non unum noverim, cui fucus factus fuerit, quaſi ab ipſo acceptus morbus eſſet, qui tamen vel uſu, qui cum illo interceſſerat, antiquior erat, vel ab alio nuper contractus.

Secundum. Generatio fœtuum abortivorum, vel qui ſi legitimum tempus attigerint, ſquallidi, emaciati, puſtuloſi, ulceroſi, ſemi-putres, nullomodò vitales pariantur.

Secundum. Generatio iterata fœtuum abortivorum & ſemi-putrium.

Simplex quidem indicium eſt, ſeu ſignum ſecundæ notæ, ſed urgens, & quod ſi pluries repetatur ſine cauſâ ullâ manifeſtâ, quæ fœtum maturiùs exturbare, aut in utero materno peſſundare valeat, in ſignum verè pathognomonicum & univocum abiturum eſt. Cùm enim contingit partus plures malè affici quaſi hæreditariâ ſucceſſione, liquet inde parentum alterutrum ad minùs infectum eſſe debere, quod quidem argumentum & in matrem, quæ fœtui alimoniam ſuggerit toto geſtationis tempore; & in patrem, qui in generationis opere primas confert; & in utrumque ſimul validum eſt, ut qui conſuetudine venereos morbos invicem communicare ſoleant, licet tamen non ſemper.

Tertium. Morboſa liberorum vitalium conſtitutio, qui ſtrumoſi, rachitici, gibbi, hectici, macilenti, maraſmodes vel miſeri ante diem obeunt, vel ſi ſuperent, ſtaturâ humiles, delumbes, capitones, ſili, vari, vatii, valgi, compernes, deartuati, variè diſtorti ſunt & articulos tuberoſos habent.

Tertium. Morboſa liberorum vitalium conſtitutio.

Iſtud indicium cum præcedente fermè convenit, & eſt ejuſdem notæ. Validum quidem, ſi in pluribus vel in cunctis liberis repetatur, & ſi neu-

ter parentum ſtrumis aut rachitidi olim obnoxius fuerit, nec inter avos ulli numerentur, qui iiſdem morbis affecti fuerint. Contrà verò, ſi ſecùs, planè infirmum, niſi adjuncta pondus addant.

Quartum. Morbi venerei locales ſuprà memorati *Capite* 1. §. 1. ut ulcuſcula venerea, phimoſis aut paraphimoſis, porri, verrucæ, condylomata, fraga, fici, mariſcæ, bubones &c. ſi in genitalibus, ano, aut inguinibus vel primùm ſponte appareant, vel antè curati renoventur ſine ullo concubitu, aut ſaltem ſine ullo qui ſuſpectus ſit.

Quartum. Morbi venerei locales ſuprà recenſiti *articulo* 1. *Deſcriptionis.*

Signum hoc luis venereæ certiſſimum eſt & primariæ notæ, ſi morbi illi venerei appareant vel renoventur ſine ullo concubitu. At verò minùs certum, ſi poſt concubitum quemlibet ſuperveniant, cùm nullus rei venereæ uſus ita tutus ſit, in quem ſuſpicio non cadat; ut enim amor furti, ſic libido fraudis amans eſt. Cæterùm ſigna diagnoſtica, quibus poſſunt ulcuſcula genitalium venerea à levioribus cutis fiſſuris; porri & verrucæ venereæ à non venereis; bubones venerei à ſimplicibus vel ſtrumoſis diſtingui, repetenda ſunt ex illis capitibus præcedentis Libri, ubi de eorumdem morborum diagnoſi fusè actum fuit.

Quintum. Morbi venerei locales impuro concubitu recèns contracti, ſi remedia efficaciſſima diutiùs eludant, & nullam, ſaltem non plenam & perfectam ſanationem admittant, quamvis medicina ex artis legibus adhibeatur.

Quintum. Morbi venerei recèns contracti, ſi adversùs adhibita remedia diù reluctentur.

Hoc quidem luis latentis ſignum eſſe poteſt, ſed ſecundæ tantùm notæ, & in quo æſtimando magnoperè etiam cavendum eſt, ne ſanationem ideò tardam eſſe ducas, quòd ægrotanti videatur tardiſſima, aut latenti virulentiæ temerè tribuas, quòd curantis inſcitiæ & incuriæ, vel ægri erroribus in diætâ acceptum referendum ſit.

Sextum. Vitia omnia ſuprà recenſita *Cap.* 1. *artic.* 2. quibus cutis deturpatur, ſi ſine causâ ullâ manifeſtâ accidant, & remediorum vim & efficaciam diutiùs eludant. Inter hæc primas quidem tenent maculæ venereæ, tubercula & puſtulæ; ordinis verò ſunt inferioris rhagades manuum, defluvium capillorum, unguium morbi, ſcabies, lichen, herpes &c.

Sextum. Vitia omnia cutanea ſuprà memorata *artic.* 2. *Deſcriptionis.*

Ut allata ſymptomata ſignorum rationem habere poſſint ad indicandam luem venéream, opus eſt ut ipſamet cautè priùs diſcernantur ab aliis morbis, qui licet affines videantur, nihilominùs tamen à venereo contagio nequaquam dependent.

Ut I. Maculæ.

Sic I. Maculæ venereæ cutis diſtinguendæ ſunt, 1°. A lentiginibus, in eo quòd maculæ venereæ & recentes ſint, & in pectore ac interſcapulio tantùm obſervari ſoleant; lentigines verò faciem, collum & manus, partes ſcilicet corporis nudas deturpent, & congenitæ ſint vel ad minus antiquæ.

2°. Ab ephelidibus Solis ardore contractis, quòd maculæ venereæ in partibus quæ à Solis radiis tutæ ſunt, appareant, & difficillimè diſcutiantur, contrà quàm accidit ephelidibus hujuſcemodi.

3°. Ab ephelidibus gravidarum, quòd maculæ venereæ in partibus quas infeſtant, pertinaciùs perſeverent; ephelides verò gravidarum ſoluto utero ſponte evaneſcant. Adde ephelides in gravidis ad faciem & collum pertinere, quæ loca maculæ venereæ non inſident.

4°. Denique à maculis purpureis, flavis vel liventibus ſcorbuticorum

quòd maculæ venereæ adjuncta quidem habeant alia ſymptomata luis venereæ, ſed nulla ſcorbuti; maculæ verò ſcorbuticæ numquam effloreſcant, niſi priùs gingivis exulceratis & in fungos ſuccreſcentibus, tibiiſque livore nigreſcentibus, quæ certiſſima ſunt ſcorbuti confirmati indicia.

II. Tubercula verò & puſtulæ quæ à venere fiunt, dignoſcuntur facili operâ à varis ſeu ionthis faciei, quòd non faciem ſolam ut vari, ſed cæteras corporis partes occupent, & in apicem purulentum non abeant, ut varis proprium eſt, ſed duræ, calloſæ, ſiccæ, cruſtoſæ ſint. A cæteris verò cutis vitiis abundè differunt numero, ſede in piloſis partibus, figurâ, callo, colore, nodo tuberoſo quo tubercula renituntur, foſſulis in quas puſtulæ excavantur, inefficaciâ remediorum quæ adhibita ſunt &c. II. Tubercula & puſtulæ.

III. Demùm rhagades manuum, defluvium capillorum, unguium vitia, ſcabies, lichen, herpes, impetigo &c. ſatis ſuperque liquent ex deſcriptione ſuprà propoſitâ, *Cap.* 1. *artic.* 2. III. Rhagades manuum, defluvium capillorum, vitia unguium.

Septimum. Ulcera tonſillarum, faucium, columellæ, palati, gingivarum, cum oſſium adſitorum carie; ulcera ſimilia internarum narium, cum carie & prolapſu oſſium naſi; ſarcomata, polypi in naribus, &c. qualia ſuprà deſcripta ſunt, *Cap.* 1. *artic.* 3. *Septimum.* Ulcera faucium, palati, gingivarum.

Hæc omnia in lue venereâ inveteratâ ſæpè obſervantur, in recente rariſſimè, ſi unquam. Singula ſuppeditant ſigna totidem primaria, ſi ſarcomata & polypos narium excipias, qui ſunt ordinis tantùm ſecundarii. Verùm cauto opus eſt ne venerea ulcera iſtiuſmodi confundantur cum ulceribus ſcorbuticis os infeſtantibus, affinibus quidem ſede, feritate, curationis difficultate, ſed quæ tamen differant multis nominibus.

1°. Quòd ulcera venerea primùm tonſillas, fauces, columellas, inde gingivas, ſed tardiùs rariùſque; contrà verò ſcorbutica primùm gingivas, inde verò fauces, tonſillas, columellam afficiant, ſed rariſſimè & tardiſſimè.

2°. Quòd ulcera venerea nares ſæpè, ſcorbutica verò nares numquam occupent.

3°. Quòd venerea in ambitu & baſi calloſa ſint; minimè verò ſcorbutica.

4°. Quòd venerea circumſcripta & plerumque circularia certis tantùm locis inſideant; contrà verò ſcorbutica ſerpentia & irregularia latiùs explicentur, & totam oris cavitatem non rarò malè afficiant.

5°. Quòd venerea eroſione excaventur; ſcorbutica verò in fungos & fungoſas hyperſarcoſes excreſcant.

6°. Quòd venerea in ambitu rubra, in fundo ex albo cinerea ſint; ſcorbutica verò tota liveant perpetuò.

7°. Quòd venerea ſubjectis oſſibus cariem celerem inferant; ſcorbutica numquam vel rarò.

8°. Demùm quòd ulcera venerea adjuncta habeant ſigna luis venereæ; ſcorbutica verò ſcorbuti ſigna quæ aliena ſunt.

Octavum. Dolores venerei rheumatici, arthritici, rheumatico-arthritici, iſchiadici, oſteocopi &c. ſuprà propoſiti, *Cap.* 1. *articulo* 4. ſi remediis diutiùs reſiſtant, & noctu atrociter ingraveſcant. *Octavum.* Dolores venerei.

Elici poſſunt ex prioribus dolorum generibus indicia tantùm luis venereæ ſeu ſigna ſecundæ notæ: Ex doloribus verò oſteocopis ſigna verè univoca.

Ut I. Rheumatici, arthritici, rheumatico-arthritici.

Verùm I. Cavendum eſt ne dolores venerei rheumatici, arthritici, rheumatico-arthritici, iſchiadici &c. confundantur, 1°. Cum doloribus levioribus ſed anxiferis, qui totâ tibiâ ſub veſperam oberrando ad irrequietam pedum jactationem vel invitos ſollicitant, Gallicè vulgò *des Inquiétudes*. Ab his enim in eo differunt, quòd illi calore lecti augeantur & invaleſcant; contrà verò hi in lecto derepente ceſſent & ſopiantur.

2°. Cum rheumatiſmo, arthritide & iſchiade à causâ ſimplici; ſed ab his in eo diſcrepant, quòd illi noctu præſertim ſæviant, alioquin de die ſatis mites, quòd remediis nullis efficaciter leventur, quòd perſtent diutiſſimè inſanabiles, quòd Mercurialium uſu mitigentur, ſecùs quàm his ſolemne eſt.

3°. Cum doloribus ſcorbuticis per artus vagantibus; ſed à quibus in eo diſſentiunt, quòd illi ſigna alia congeneris naturæ, hoc eſt luis venereæ propria adjuncta habeant; hi verò ſignis à lue venereâ planè alienis & ſcorbuto peculiaribus indicentur.

II. Oſteocopi.

II. Dolores verò oſteocopi, à quâcumque causâ fiant, ad luem veneream ita peculiariter pertinent, ut quotieſcunque diutiùs, pertinaciùs, atrociùs diſcruciant, toties luem veneream certam, plenam, confirmatam apertiſſimè demonſtrent.

Nonum. Morbi oſſium, de quibus *articulo 5. Deſcriptionis.*

Nonum. Morbi oſſium, quos *Cap.* 1. *artic.* 5. expoſuimus, ut exoſtoſis, hyperoſtoſis, caries, abſceſſus interioris medullæ, fractura à leviſſimo niſu & oſteoſarcoſis.

Singula totidem ſunt ſigna primaria luis venereæ, modò cautè diſtinguantur à cæteris morbis, qui ſimilis quidem ſpeciei eſſe poſſunt, ſed qui ad cauſas à lue venereâ alienas referendi ſunt.

Ut I. Exoſtoſis.

I. Exoſtoſis propriè dicta, hoc eſt extuberatio areæ oſſeæ in tumorem hemiſphæricum, ſi doleat, ſi caleat, aut ſi cute rubrâ & phlogode obtecta ſit, venerea perpetuò cenſenda eſt, neque tunc ulteriore inquiſitione opus eſt. Sin ſecùs, poterit forſan confundi ad ſummum cum callo qui oſſi poſt fracturam coalito ſupereſt; cum exoſtoſi quæ oſſi accidit ictu vel caſu contuſo; & cum vitiosâ oſſis difformitate quæ congenita ſit; à quibus tamen levi attentione facilè diſtinguetur.

1°. A callo quidem, tum quòd nota oſſis fractura notuſque fracturæ locus callum & calli ſitum abundè indicent, tum quòd callus oſſis peripheriam circulariter ambiat; contrà verò exoſtoſis hemiſphærica ſit, & circularem tantùm aream in oſſe occupet.

2°. Ab exoſtoſi benignâ quæ fit in oſſe ictu validiore contuſo, quòd hæc minima ſit, numquam doluerit, jam dudum ægro nota ſit, externæ & manifeſtæ cauſæ ſucceſſerit, contrà quàm hæc eadem ſingula in exoſtoſi malignâ ſive venereâ obſervantur.

3°. Denique ab oſſis difformitate congenitâ, quòd tuber connatum numquam doluerit, jam pridem ab ægrotante obſervatum fuerit, & plerumque compar habeat tuberculum ex oppoſito, vel in oſſe eodem, ſi os unicum ſit, vel in oſſe congenere, ſi duplex; quæ ſanè exoſtoſi venereæ neutiquam conveniunt.

II. Hyperoſtoſis.

II. Quatuor alia hyperoſtoſium genera præter venereas agnoſcimus, nempe rachiticarum, ſtrumoſarum, ſcorbuticarum & arthriticarum. To-

tidem ergo diagnoſes inſtituendæ, ut de venereâ hyperoſtoſeos naturâ liqueat.

1°. Hyperoſtoſes quidem rachiticæ puerulis propriæ, nec adoleſcentes nec adultos adoriuntur; non unum tantùm alterumve articulum, ſed plures ſimul invadunt; dolore omni vacant, niſi dum fiunt; ſemel factæ artus variè diſtorquent; quibus ſingulis à venereis abundè diſcrepant.

2°. Hyperoſtoſes ſtrumoſæ non dolent, vel obtusè tantùm dolent; & iis tantùm accidunt qui ſtrumis olim à tenerâ ætate laboravêre, & quibus etiamnum in diverſis corporis locis glandulæ conglobatæ tument & skirrhodes ſunt; unde à venereis apertè diſſident, quæ nihil ſimile adjunctum habent.

3°. Hyperoſtoſes ſcorbuticæ rarò obſervantur, nec unquam niſi in oſſe ulceri ſcorbutico ſubjecto, in oſſe *v. g.* maxillari cùm ſuperjecta gingiva ulcere eroditur; mole parvæ ſunt; in cariem citiſſimè abeunt; cum maculis ſcorbuticis, violacei aut nigricantis coloris, cum tibiarum pedumque livore, cum ulceroſo gingivarum & palati nigrore, cæteriſque ſcorbuti ſignis conjungi ſolent, quæ in venereis neutiquam obſervantur.

4°. Tandem hyperoſtoſes arthriticæ ſuccedunt arthritidi gravi, diuturnæ, frequentiùs in eodem articulo repetitæ; tophos tophaceaſve concretiones comites habent; rarò majores occupant articulos, ſaltem numquam niſi priùs minores digitorum juncturas peſſundederint, quæ ſingula contrà ſe habent in hyperoſtoſibus venereis.

III. Caries citra cauſam omnem venereamm eſſe poteſt, quoties 1°. Hyperoſtoſi rachiticæ, ſtrumoſæ, ſcorbuticæ aut arthriticæ; 2°. Ulceri maligno aut cacoëthi ad os adſito; 3°. Abſceſſui ſeu apoſtemati ſub perioſtio, vel juxta perioſtium à causâ quavis manifeſtâ inducto; 4°. Oſſis fracturæ vel contuſioni nimiæ ſuccedit. III. Caries.

Sed 1°. Liquet cariem hyperoſtoſi rachiticæ, ſtrumoſæ, ſcorbuticæ aut arthriticæ ſupervenire ex ſignis modò propoſitis, quibus manifeſtum eſt hyperoſtoſes, quæ in cariem tandem abeunt, rachiticas, ſtrumoſas, ſcorbuticas, arthriticas eſſe.

2°. Liquet ſimiliter cariem ulceri maligno & cacoethi quod oſſi adſidet, abſceſſui ab externâ causâ ſubter vel juxta perioſtium ſuppurato, fracturæ oſſis vel contuſioni vi illatæ ſuccedere ex ſignis antecedentibus, quæ ulceris, abſceſsûs, fracturæ, contuſionis naturam, cauſam, diuturnitatem ſignificant.

3°. Si caſus hoſce exceperis, oſſium caries venerea ſemper cenſenda eſt, præſertim ſi exoſtoſim aut hyperoſtoſim venereamm aut abſceſſum medullaris ſubſtantiæ ſequatur, imò etiam abſceſſum perioſtii, qui ſponte & ſine causâ evidente acciderit.

IV. Abſceſſus medullaris ſubſtantiæ, ſi fiat ab oſſis fracturâ in acutiores ſchidias, quibus medulla laceretur vel pungatur; aut ab externâ carie, quâ altiùs progreſsâ medulla putrefiat, nullam quidem luis venereæ ſuſpicionem movere debet, ut cujus cauſæ pateant ab omni morboſo ſeminio planè alienæ. Contrà verò virus latens toties apertiſſimè proditurus eſt, quoties ſine ullâ labe, quæ obvia ſit, in oſſium cavo clam producetur. IV. Abſceſſus medullaris ſubſtantiæ.

Rarum eſt abſceſſum hujuſcemodi putreſcente medullâ gigni in oſſium

cavo, nisi cùm lues venerea gravissima est & valdè inveterata. Rarissimum verò posse unquam certò explorari, nisi cùm & medulla computruit tota, & ossis substantia intimè carriosa est, id est cùm de ægri salute fermè conclamatum est. Attamen ad singula attendendo sedulò, quid in occulto fiat poterit aut ineptè conjici; 1°. Si dolor osteocopus altior, atrox, nullis cedens remediis eamdem ossis partem continenter obsideat; 2°. Si levis horror sub vesperam quotidie redeat, & in febrilem incandescentiam terminetur; 3°. Si nullus tumor, rubor, calor in parte dolente obvius sit; 4°. Denique si dolor non intendatur, dum locus ad quem refertur, confricatur vel premitur.

V. Fractura ossis ab exiguo conamine.

V. Fractura ossis ab exiguo conamine signum est luis venereæ evidentissimum, sed satis rarum, & quod numquam nisi in valdè inveteratâ & deploratâ syphilide accidat.

VI. Osteosarcosis.

VI. Denique osteosarcosis geminam tantùm causam agnoscit, strumosam aut veneream, & hanc quidem frequentiùs quàm illam. Itaque quoties desunt signa quæ strumas apertè indicent, toties colligere est ex osteosarcosi virus latere. Rara tamen ea inductio, quia signum rarum est, quod scilicet de tot syphiliticorum millibus vix in uno aut altero reperias, & quod adeo in usu quotidiano frustrà requiras vel expectes.

Decimum. Tumores, qui expositi sunt *Cap.* 1. *artic.* 6.

Decimum. Tumores glanduloſi & limphatici glandularum conglobatarum, tophi, nodi, ganglia, gummata seu tumores cystide concluſi, ut atheromata, steatomata, melicerides, quæ sigillatim expoſita sunt suprà *Cap.* 1. *articulo* 6.

Hæc singula, licet esse possint effectus luis venereæ, ab aliis etiam causis sæpè dependent: Hinc ad judicandum cauto opus est, ut causæ probè distinguantur. Quapropter si univoca luis venereæ signa censenda sint, at saltem non censenda esse videntur nisi inferioris ordinis.

Ut I. Tumores glandularum conglobatarum.

Sic I. Tumores venerei glandularum conglobatarum cum strumosis ita consentiunt, ut ovum ovo similius non sit. Idcircò virus venereum nequeunt certò unquam arguere, nisi constet ægros nec ullis strumis à tenerâ ætate laboravisse, nec ullis aliis strumarum symptomatis tunc obnoxios esse.

II. Tophi, nodi, ganglia.

II. Tophi, nodi, ganglia non à solo veneno venereo fiunt, sed debentur etiam contusioni aut distractioni violentæ nervorum, tendinum, ligamentorum, & diuturnis doloribus arthriticis. Ideò si qua valida partis contusio, si qua junctura distorsio, si quis insultus arthriticus diuturnior præcesserit, reprimendum est judicium, nec temerè de lue venereâ pronuntiandum ex illis tumoribus, nisi adjuncta alia signa pondus addant.

III. Gũmata, atheromata, steatomata, & melicerides.

III. Gummata seu tumores cystide tanquam folliculo concluſos, qui in atheromata, steatomata, & melicerides distinguuntur, à vitio limphæ ordinario sæpiùs oriri certum est, præsertim in capite, ubi *testudines* & *talpæ*, & in gutture, ubi *botia*, sive *bronchoceles*, vulgò *gouëtres* appellantur. Si tamen contigerit cæteras corporis partes tumoribus istiusmodi pluribus quasi ex improviso obsideri illæsis capite & gutture, haud infirmum inde argumentum futurum est fomite venereo latente limpham perverti & inspissari.

Signa æquivoca.

SIGNA ÆQUIVOCA in duas classes distingui debent sicut univoca, alteram

alteram quidem ſignorum *primæ notæ*, quæ licet cum aliis quoque morbis communia ſint, frequentiùs tamen & magis propriè ad luem venereamm pertinent, adeoque ad univoca propiùs accedunt: Alteram verò ſignorum *notæ ſecundæ*, quæ nullo potiori jure lui venereæ peculiaria ſunt, ſed quæ in aliis quoque morbis nullo ferè diſcrimine obſervantur, atque adeo ab univocis recedunt longiùs.

Alia ſunt primæ.

Prioris notæ vulgò cenſentur, 1°. Oculorum morbi, ut rubor, prurigo, lippitudo, ulcera, verrucæ, hordeola palpebrarum; ophthalmia phlogodes, ulceroſa, phlyctænodes; corneæ nebulæ ſive albugines, puſtulæ, ulcuſcula, ſtaphyloma, glaucoma, ſuffuſio, pterygium, fiſtula lacrymalis ſive ægilops, hypopyon.

2°. Morbi aurium, ut tinnitus, ſibilus, murmur; gravitas auditûs, ſurditas; interioris auris inflammatio, abſceſſus, exulceratio; caries oſſiculorum, & oſſei aurium fornicis, cum effluxu puris fœtidi.

3°. Capitis gravitas, cephalæa; ovum, clavus, hemicrania; vertigo, epilepſia; phthiſis, marcor, atrophia, maraſmus, virium languor; pallor & livor faciei; febris intermittens difficilis, aut lenta; & in fœminis fluor muliebris; inflammatio, abſceſſus, ſkirrhus, cancer uteri; ſterilitas, abortus frequens, partus fœtuum ſquallidorum, ſemi-putrium &c. ſi ea forſan contingant ſine ullâ causâ evidente, quæ effectui producendo compar eſſe videatur.

Alia verò ſecundæ notæ,

Inter ſigna verò inferioris notæ numerantur cætera ſymptomata, quæ ſuprà recenſita ſunt *Cap.* 1. in deſcriptione, ut ſpaſmus, motuſque ſpaſmodici, tremor artuum, paralyſis, hydrocephalus, agrypnia; aſthma, dyſpnœa, orthopnœa; hæmoptoë, tuſſis; cordis tremor & palpitatio, ſyncope, pulsûs inæqualitas & intermiſſio; anorexia, apepſia, affectio hypochondriaca, ſingultus, vomitio, diarrhœa; obſtructiones hepatis, lienis, pancreatis; icterus, hydrops, hæmorrhoides; & in fœminis cancer mammarum, ſuppreſſio vel fluxus nimius menſtruorum, paſſio hyſterica &c.

Secundò. Signa commemorativa repetuntur ex morbis venereis localibus, qui præceſſêre.

SECUNDO. Signa commemorativa præteriti ſtatûs deſumi debent à morbis venereis topicis ſive localibus, qui lui venereæ ſemper præludunt, & quibus ea corporis loca, unde mali labes contagione concipitur, primùm inficiuntur. Siquidem compertum eſt experientiâ, ut ſuprà vidimus *Cap.* 3. *Lib. II.* virus præ nativâ fixitate intra corpus numquam admitti, niſi ea pars, per quam admittitur, priùs affecta fuerit, atque adeò luem venereamm numquam contrahi per ſaltum ut ita dicam, *omiſſo medio*, hoc eſt illæsâ parte, quâ contrahitur.

Quorum alii cauſæ, alii verò coeffectûs rationem habent.

Morbi illi locales ſive topici modò cauſæ rationem habent reſpectu luis venereæ, quam tunc proinde indicant tanquam cauſa effectum: Sic gonorrhœa virulenta ſuppreſſa, ſic bubo temerè repreſſus luem venereamm inferunt, & illatam denotant tanquam effectum. Modò verò reſpectu luis venereæ rationem habent coëffectûs ab eâdem communique causâ, & luem proinde tunc ſignificant tanquam effectus coëffectum ejuſdem naturæ: Sic porri & verrucæ, ſic ulcera cancroſa genitalium ſyphilidem deſignant non tanquam cauſa effectum, cùm ipſa ſyphilidem rariſſimè producant, ſi fortè unquam; ſed tanquam effectus coëffectum unius & ejuſdem cauſæ, quandoquidem tum vitia illa in genitalibus, tum ipſa ſyphilis

ab eâdem causâ fiunt, nempe à contagio venereo, quod parti adhærens porros, verrucas, ulcera; quod sanguini infusum syphilidem inferat.

At verò qualitercunque signa istiusmodi se habeant respectu luis venereæ, sive ut causæ, sive ut coëffectus, cautè perinde advertendum est in hoc signorum ordine contrario modo concludendum esse, quàm in præcedente; nempe 1°. Si defuerint, hinc luem penitùs excludi, quoniam si causæ rationem habeant, notum est causâ non datâ nec effectum quoque dari; si verò coëffectus tantùm sint ejusdem causæ, constat pariter à causâ quâvis effectum graviorem & difficiliorem frustrà expectari, quæ alteri effectui ejusdem naturæ sed faciliori & magis obvio producendo jam impar fuerit. 2°. Si verò præluserint, inde tantùm probari luem adesse posse, sed non probari reverà adesse, cùm positâ causâ effectus quidem poni possit, sed non perpetuò ponatur. Posito pariter effectu leviore & magis obvio, possit quidem similiter poni coëffectus alter ejusdem naturæ, quanquam difficilior; at verò nequaquam certum sit ideò semper poni.

Cæterùm, quemadmodum suprà demonstrativa, sic etiam commemorativa signa ordine singula jam recensebimus, additis notis, quæ paucis indicent quanta sit singulorum gravitas, quanti proinde faciendum sit testimonium quod ex singulis seorsim elici potest, atque adeò quantum luis venereæ periculum ab unoquoque denuncietur in singulis casibus.

Primum signum commemorativum. Porri, verrucæ, cristæ, condylomata pudendorũ.

Itaque I. *Signum commemorativum.* Porri, verrucæ, cristæ, condylomata, sarcoses, quæ in genitalibus succrescunt post impurum concubitum.

Monuimus suprà *Lib. III. Capp.* 9. & 10. morbum localem inter venereos nullum alium esse, cui syphilis certiùs succedat, cùm virus admissum nec effluxu, nec suppuratione ullâ tunc evacuetur. Verùm cæteris paribus gravius periculum imminet, si excrescentiæ istiusmodi plures & majores fuerint, si acutiùs doluerint, si fræno insederint, si increverint celeriùs, si omissis remediis diutiùs neglectæ sint &c. contrà verò levius, si secùs.

Secundum. Ulcuscula earumdem partium.

II. Ulcuscula cancrosa & phlyctænodea, quibus genitales partes infestantur ab impuro concubitu.

Ulcuscula venerea grave periculum semper denuntiant futuræ syphilidis, cùm virus uberiùs acceptum parcâ suppuratione educi totum vix possit; gravissimum verò si plura, cava, lata, phagedænica, rebellia fuerint, si præputio & præsertim fræno adstiterint, si ægrotantis cunctatione vel socordiâ remedia omissa sint, si febre superveniente suppuratio exaruerit, si callus difficilis curatis ulcusculis supersit.

Tertium. Phimosis, paraphimosis & bullæ crystallinæ.

III. Tumor phlegmonodes vel phlegmono-œdematodes balani & præputii in viris; in fœminis verò vulvæ & ostii vaginæ, unde phimosis, paraphimosis, bullæ crystallinæ &c.

Ut tumor ille cum ulcusculis causâ, sic cum iisdem gravitate quoque consentit; vel si discrepat, in eo tantùm discrepat quòd gravior sit, quatenùs supprimit ulcusculorum suppurationem, quâ posset multa pars contagii educi, & illorum detersioni obstat, quâ virulentia contagii mitesceret. Cæterùm periculum debet variè æstimari pro tumoris intensione, extensione, diuturnitate, virulentiâ, phlogosi & gradu febris symptomaticæ, quæ advenit.

IV. Bubo ſive panus inguinum impuro concubitui ſuperveniens.

Quartum. Bubo ſive panus inguinum.

Hoc ſignum præcedentibus gravitate cedit, ſi bubo ſuppuratus diu fluxerit, aut ſi in repreſſo Mercurialia ex arte cautè adhibita fuerint ad virus profligandum. At ſi neutrâ ratione veneni propagationi occurſum fuerit, præcedentibus haud impar eſt, præſertim ſi bubo & glandulas multas & diu malè affecerit; ſi ſuppuratio febre vel phlogoſi ante tempus exaruerit; ſi calli duriores ſuppurantium efficaciam eluſerint &c.

V. Gonorrhœa virulenta, qualis impurum concubitum frequentiſſimè ſequi ſolet.

Quintum. Gonorrhœa virulenta.

Vix licet unquam luem veneream inferre ex prægreſsâ gonorrhœâ, quæ diu, ubertim, ſine intermiſſione fluxerit, cujus juge effluvium remediis non coërcitum fuerit, ſed virulentiâ ſenſim miteſcente ſponte evanuerit &c. quoniam tunc largâ ſuppuratione virus omne quod introſuſceptum erat, exhauſtum fuiſſe ſpes eſt, nec ut plurimùm vana. At verò ſin ſecùs, conſtat luem frequentiſſimè à gonorrhœâ produci, quoties contingit virulentum humorem in ſanguinem retroceſſiſſe, ut accidit,

1°. Si fluxus inhibitus fuerit conſtipatis veſicularum ſeminariarum & proſtatarum emiſſariis abuſu injectionum aſtringentium in urethram, vel remediorum internorum ejuſdem efficaciæ.

2°. Si fluxus ſuppreſſus fuerit inflammatione partium affectarum, qualis advocatur uſu præpoſtero rerum venerearum, equitatione, potatione, febre ſponte obortâ, erroribus diætæ &c.

3°. Si fluxus coërcitus ſit tumore ſpermatico, inflammatorio, aut œdematode utriuſque vel alterutrius teſtis.

4°. Demùm ſi fluxus, licet perennis, veneno exhauriendo impar fuerit, ſive quòd venenum nimium ſit & ſolito acrius, ſive quòd ægrotantis ſocordiâ nec mitigatum temperantibus nec opportunè Mercurialibus profligatum ſit.

VI. Porri, verrucæ, condylomata, fraga, fici, mariſcæ, ulcuſcula cancroſa &c. quæ ad anum adſtant, quando virus impuriſſimâ corporis uſurâ contrahitur.

Sextum. Porri, verrucæ, fraga, fici, ulcuſcula juxta anum.

Periculum, quod à ſingulis timendum eſt, æſtimari debet ad exemplum periculi, quod à ſimilibus morbis imminet in genitalibus, de quibus modò diximus *ſigno commemorativo* 1. & 2.

VII. Ulcuſcula, phlogoſis, inflammatio, condylomata, excreſcentiæ, quæ in papillis areiſque mammarum, aut bubones, qui in glandulis axillaribus accidunt, cùm morbus ab infantibus in nutrices lactatione traducitur.

Septimum. Ulcuſcula, phlogoſis, condylomata in papillis areiſque mammarũ.

De ſingulis judicium idem inſtituendum eſt ac de affinibus affectibus, qui congreſſui impuro ſuccedunt in genitalibus.

VIII. Ulcuſcula phlogodea labiorum, gingivarum, palati, linguæ, columellæ aut faucium; tumoreſque buboniformes glandularum limphaticarum, quæ parotidibus aut maxillaribus adſitæ ſunt, ſi infantes contagium à nutrice ſugendo, vel adulti columbatim oſcula jungendo concipiant.

Octavum. Ulcuſcula labiorum, oris, faucium.

Ut ſingulorum horumce morborum ætiologia eadem eſt ac ætiologia ſimilium affectuum, qui ab impuro concubitu fiunt, ſic eadem eſt quo-

que ſingulorum prognoſis, idemque periculum futuræ luis à ſingulis impendet.

Nonum. Scabies, herpes, puſtulæ, ulcuſcula cutis.

IX. Scabies, impetigo, herpes, tubercula, puſtulæ, ulcuſcula cutis, ſi quis unquam cubando cum infecto, cui cutis ulceroſa ſit aut qui noctu ſudet, contagio infectus fuerit.

Cùm hæc vitia, ſicut naturam eamdem, ſic eamdem quoque prognoſim habeant; quâcumque causâ producta eſſe ſupponantur, quantum ſyphilidis futuræ periculum à ſingulis impendeat, colligere eſt ex iis, quæ de iiſdem ſuprà diximus.

Tertiò. Canones diagnoſtici collatione ſignorum utriuſque ſpeciei deducendi.

TERTIO. Signa demonſtrativa & commemorativa, quæ hactenus recenſuimus, ſi ſeorſim ſpectentur, luis venereæ veritatem ſubindicant magis quàm demonſtrant. Opus eſt ad plenam rei notitiam ut ſingula cum ſingulis conferantur: Sic enim creſcet collatione ſingulorum valor, ut augetur in arithmeticâ valor cifrarum appoſitione. Hinc ergo, ſi quatuor ſignorum demonſtrativorum ſpecies ſcilicet univocorum & æquivocorum, tum primæ tum ſecundæ notæ, cum duabus ſpeciebus anamneſticorum nempe gravium & levium, combinentur, octo Canones ſequentes elici poſſunt, qui totam luis venereæ diagnoſim ſub uno velut intuitu ſatis aptè repræſentant.

Canon primus.

CANON I. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis univocis primæ notæ cum uno aut altero ſigno commemorativo, quod grave ſit, concurrat, certiſſimum de lue venereâ judicium eſto.*

Sic ergo liquet certiſſimè ægrotum lue venereâ laborare, quoties poſt prægreſſos porros, ulcuſcula, bubonem ſuppreſſum & neglectum, aut gonorrhœam arte vel caſu cohibitam, morbos eoſdem denuò ſine novâ causâ experitur, iiſdem alterum inficit, morboſos liberos omnes generat; puſtulis, exoſtoſi, dolori oſteocopo &c. obnoxius eſt &c.

Canon ſecundus.

CANON II. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis univocis primæ notæ coeat cum uno aut altero ſigno commemorativo leviore, certum de lue venereâ judicium eſto.*

Sic certè liquet ægrum de quo quæſtio eſt, lue infici, quoties poſt gonorrhœam ritè curatam & quæ ſpontè evanuerit, ſuperveniunt ſigna eadem quæ modò recenſuimus, infectio alterius; generatio morboſorum liberorum; puſtulæ, exoſtoſis, dolores oſteocopi, fracturæ oſſium levi de causâ &c.

Canon tertius.

CANON III. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis univocis inferioris ordinis, conveniat cum uno aut altero ſigno commemorativo, quod grave ſit, ſimiliter certum de lue venereâ judicium eſto.*

Sic etiam certè liquet luem latere, quoties ægrotans, qui jam experitur defluvium capillorum aut caſum unguium, rhagades manuum; ulcera tonſillarum, faucium, columellæ, narium; dolores rheumaticos aut arthriticos; oſſium caries aut hyperoſtoſes; tophos, nodos, ganglia, gummata &c. confitetur ſe olim laboraviſſe porris, ulcuſculis, bubone neglecto vel malè curato, gonorrhœâ virulentâ injectionibus cohibitâ &c.

Canon quartus.

CANON IV. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis univocis inferioris notæ conjungatur cum uno aut altero ſigno commemorativo, quod levius ſit, urgens tantùm de lue venereâ præſumptio eſto.*

Sic præſumitur lues venerea, quoties poſt ſuppuratum bubonem, aut gonorrhœam, quæ diu fluxerit, & ſponte ceſſaverit, obveniunt oſſium caries & hyperoſtoſes, ſine causâ manifeſtâ, rhagades manuum, ulcera faucium, oris, palati, narium &c.

CANON V. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis æquivocis primæ notæ coincidat cum uno aut altero ſigno commemorativo ex ordine gravium, urgens etiam de lue venereâ præſumptio eſto.* Canon quintus.

Sic præſumitur lues venerea, ſi cui poſt porros, ulcuſcula, bubonem malè repreſſum aut gonorrhœam cohibitam ſuperveniant ophthalmia contumax ſine causâ, fiſtula lacrymalis, hypopyon, tinnitus, abſceſſus aurium, ſurditas; vertigo, cephalæa diuturna, phthiſis, maraſmus, faciei pallor, febris intermittens difficilis &c. Et in fœminis fluor muliebris, ſterilitas, abortus frequens, partus fœtuum ſquallidorum ſemi-putrium &c.

CANON VI. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis æquivocis primæ notæ concurrat cum uno aut altero ſigno commemorativo ex ordine levium, ut in re de quâ non liquet ampliatio eſto.* Canon ſextus.

Sic ampliandum eſt & ulteriùs inquirendum quoties ſigna quæ modò recenſuimus, & quæ naturâ æquivoca ſunt, non apparent niſi poſt gonorrhœam benignam, leviorem, quæ diu fluxerit, & curata ſponte tandem exaruerit.

CANON VII. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis æquivocis ſecundæ notæ conjungatur cum uno aut altero ſigno commemorativo ex ordine gravium, ut in re de quâ non liquet ampliatio eſto.* Canon ſeptimus.

Sic etiam ampliandum eſt ſi quis poſt porros, ulcuſcula, bubonem malè repreſſum, aut gonorrhœam virulentam cohibitam motibus ſpaſmodicis, tremore artuum, paralyſi, aſthmate, hæmoptoë, tuſſi, cordis palpitatione, anorexiâ, apepſiâ, vomitione, affectione hypochondriacâ, diarrhœâ, ictero, hydrope &c. laboraverit.

CANON VIII. *Si unum aut alterum è ſignis demonſtrativis æquivocis ſecundæ tantùm notæ conveniat cum uno aut altero ſigno commemorativo ex ordine tantùm levium, plena de lue venereâ abſolutio eſto.* Canon octavus.

Sic æger abſolvendus eſt, ſi uni tantùm aut alteri ſymptomatum mitiorum & æquivocorum, quæ propoſuimus Canone præcedente, pateat, nec ullum morbum venereum localem antè expertus fuerit præter gonorrhœam unam aut alteram, levem, benignam, quæ remediis mitigata & perfectè curata fuerit.

Ex dictis manifeſtum eſt 1°. Hydrargyroſim imperandam eſſe quotieſcunque certò liquet de lue venereâ: Expedit enim morbum quàm ocyſſimè debellare, qui vires acquirit eundo. Hinc liquet quo caſu hydrargyroſis imperanda ſit.

2°. Hydrargyroſim ſuadendam eſſe, quotieſcunque gravi de causâ conjicitur luem latere: Neque enim in re quæ morâ ingraveſcit opus eſt demonſtratione, quæ ſæpè numquam advenit, ſaltem quæ ſemper tardè. Planè actum foret de Medicinâ, quæ ars conjecturalis eſt, ſi graves & urgentes conjecturæ conſilio capiendo non ſufficerent. Quo caſu ſuadenda tantùm.

3°. Hydrargyroſim omittendam eſſe, quotieſcumque ambigitur de lue venereâ, quandoquidem probum Medicum numquam decet remedium Demùm quo caſu

omittenda. temerè adhibere, quod ut cætera taceam incommoda, vires frangit, temperiem non rarò pervertit, atque si forsan periculo, certè numquam damno vacat.

Casus duo, quibus expedit ab allatâ regulâ discedere. Geminus tamen casus est in quo licet, imò verò expedit ab allatâ regulâ discedere hydrargyrosim adhibendo quamvis res in ambiguo sit. Alter quidem si æger uxorem ducturus sit : Præstat enim illum remedio potiùs damnari difficili, tædioso, forsan inutili, sed quod est periculi immune, quàm uxorem lue, liberosque rachitide aut strumis contaminari, aliisve affectibus, qui à lue degeneres, lue ipsâ nihilo mitiores sunt, nam ut communi fertur adagio, *mali corvi ovum semper malum.*

Alter verò si æger difficili morbo detineatur, qui adhibitorum remediorum vim & efficaciam jam diù eludat; tunc enim suspicio est, neque temeraria ut plurimùm, virus latere, quo morbus pertinaciter foveatur. Expedit tamen in eo casu ad plenam & legitimam hydrargyrosim priùs non properare, quàm levioribus inunctionibus vel interno Mercurialium usu cautè periculum factum sit futuri levaminis, unde innotescat velut ex ungue leo, quid salutis ab inunctionibus legitimè administratis expectandum sit.

§. II. QUALI LUE ÆGER LABORET, ET AN LABORET SOLA LUE?

Minùs inest difficultatis in resolvendâ quæstione alterâ, quæ secundam diagnoseos partem facit, nempe qualis adsit lues venerea & an adsit sola? Siquidem *Primò.* Palam est ex nativâ corporis fabricâ, ex naturali functionum œconomiâ, ex apertâ ægrotantium confessione,

Quibus signis pateat qualis sit lues venerea. 1°. An lues venerea humores tantùm infecerit, qui sunt arte reparabiles? An verò ulteriùs progressa solidas quoque corporis partes læserit, quorum vitium stabilius est, ac minùs mutabile?

2°. Quos & quales humores contaminaverit contagio, an seminales, pneumonicos, gastricos, uterinos, muciferos qui narium, sebaceosne qui cutis proprii sunt? Quali contaminaverit vitio, an inspissatione, an acrimoniâ, an utrâque? Et quanto, an mediocri, an summo?

3°. Quas & quales solidarum corporis partium vitiaverit, an molles, nempe carneas tendineasve; an verò duras, scilicet osseas?

4°. Quales è mollibus corporis partibus corruperit, an principes nobilesque quæ vitæ præsunt, ut cerebrum, pulmonem, hepar, ventriculum, uterum &c. ignobilesne quæ ad vitam parùm vel minùs saltem necessariæ sunt, ut artus extremos, cutim, carneasque partes cuti proximè subjectas? Quali vitio easdem corruperit an tumore aut skirrho, an ulcere, an utroque? Et quanto, an ad gradum mediocrem maximumve?

5°. Similiter quibusnam & qualibus ossibus labem intulerit, an in capite aut in trunco corporis, unde ossa exscindi non possunt; an in artubus summis, ubi ossium excitio facilior minùsque periculosa? Qualem illis labem intulerit, an exostosim aut hyperostosim, an cariem, an utramque? Et quantam, an superficiariam, ideoque leviorem, an altiorem & graviorem, quæ ad ossis moditullium penetret?

6°. Quanta ac quotuplex inde ſoboleſcat ex utroque capite functionum læſio, animalium, vitalium, naturalium, cæterarumque quæ ad viros, fœminaſve ſpecialiter pertinent?

7°. An morbus recens ſit, aut diuturnus & inveteratus? An remedia nondum expertus fuerit? An contrà adhibita varia remedia jam eluſerit?

8°. Demùm an ægrotantes ætate, viribus, habitudine valeant? An contrà ætate pueri ſint aut ſenes, corporis habitu infirmi, viribus exhauſti?

Secundo. Neque difficilius futurum eſt judicium utrùm lues ſola adſit necne; quandoquidem morbi quicumque ſolent cum lue venereâ concurrere, ſua habent propriaque ſymptomata, quibus abundè declaratur ſingulorum natura, inveteratio, novitas.

Quibus ſignis dignoſci poſſint morbi, quî cum lue venereâ conjungi ſolent.

I. *Natura* quidem, ſi præſentia ſint ſymptomata, quæ peculiaribus morbis peculiaria ſint. Sic ut rem per ſe facilem ad pauciora exempla contrahamus, conſtat 1°. Epilepſiam cum lue venereâ convenire, ſi ſyphiliticus ſui impos præceps in terram identidem ruit, membra quatit, ore ſpumat, variè convellitur, ſenſu orbus eſt.

2°. Paralyſim, ſi pars corporis quædam nec ſenſu polleat, nec pareat imperio voluntatis motum jubentis.

3°. Aſthma, ſi æger anhelus & ſuſpirioſus ſed à febre liber ſpiritum identidem ducat & crebrum & difficilem.

4°. Phthiſim, ſi à febriente, tuſſiculoſo, maraſmode pus exſpuatur vel ſputa pure gravida.

5°. Strumas, ſi glandulæ limphaticæ in collo, ad maxillam utramque, in axillis, in inguinibus, in variis artuum internodiis &c. doleant, caleant, tumeant, indurentur, skirrhodes fiant.

6°. Scorbutum, ſi maculæ, ſtriæ, vibices, areæ in pedibus tibiiſve appareant coloris violacei, atro-purpurei, liveſcentis &c. & ſi gingivæ tumidæ, fungoſæ, ulceroſæ, nigræ, dentes qui in ſedibus mobiles vacillant, ſuperemineant.

7°. Affectionem hypochondriacam, ſi æger meticuloſus, melancholicus, inquies, de valetudine anxiè provideat, ſymptomata quæcumque patitur, etiam leviſſima verbis exaggeret, & à morte quaſi ſemper immineret, ſibi ſemper timeat.

Quibus ſignis manifeſtum ſit, an morbi illi lue venereâ antiquiores ſint?

II. *Inveteratio* verò, ſi ſymptomata illa ſingulis ſingulatim peculiaria multò antè apparuerint. Sic liquet epilepſiam, paralyſim, aſthma, phthiſim, ſtrumas, ſcorbutum, affectionem hypochondriacam, cæteroſque quoſvis affectus qui cum lue poſſunt concurrere, luis ingreſſum præceſſiſſe, quoties ſymptomata, quibus deſignantur, antiquiora ſunt impuro concubitu, quo lues admiſſa creditur; & tunc profectò evidens eſt morbos illos eſſentiales eſſe & à lue planè alienos, quâcum nihil commune habeant, vel ſi quid forſan, id unum ad ſummum quòd ab illa tanquam à fomite intendantur.

Quibus ſignis liceat colligere an lui venereæ ſupervenerint?

III. Demùm *novitas*, ſi ſymptomata illa peculiaria recèns obſervantur. Sic ergo ſi ſymptomata epilepſiæ, paralyſeos, aſthmatis, phthiſeos, ſtrumarum, ſcorbuti, affectionis hypochondriacæ &c. propria, non apparuerint, niſi poſt luis ingreſſum, inde manifeſtum futurum eſt morbos, à quibus fiunt, poſt acceptam tantùm luem veneream adveniſſe. Id unum

ambiguum ſupereſſe poſſet an à lue venereâ, an à causâ aliâ quâvis ſimpliciore advenerint? Sed vix dignus eſt vindice nodus ille, cùm in utroque caſu hydrargyroſis perinde adhibenda ſit, ut lues radicitùs deleatur, & eâ ſemel curatâ in aperto futurum ſit, ſi ſymptomata ſimul ceſſaverint, morbos, ad quos pertinebant, ſymptomaticos fuiſſe & à lue oriundos; ſi verò perſeverent, morbos eoſdem eſſentiales eſſe, adeoque poſt curatam luem ſpecificis remediis ex arte oppugnandos eſſe.

Quâ prudentiâ deceat ægrotantes percontari de morbis venereis, qui forſan præceſſere.

Pro coronide juniores Medicos monitos velim, ut ſe modeſtè gerant, ceu ingenuos decet, tum in ſciſcitando an & quales morbi venerei præceſſerint, tum in patefaciendo quid de præſentiâ luis venereæ ipſi ſentiant.

Viros, tum qui adoleſcentes, tum ætate provectiores ſunt.

I. Levis quidem conjectura ſufficit ad adoleſcentes juveneſve interrogandos, ut qui geſtiant morbos venereos, quos jam paſſi ſunt, ultrò narrare, quaſi egregia totidem facinora, quorum juvat meminiſſe. At verò urgentiore præſumptione opus eſt, ſi cum viris maturiorem ætatem jam aſſecutis agatur, potiſſimùm ſi ſeveriorem vitæ rationem ingreſſi ſunt, ut quos, ſi non pudet, pigeat ſaltem antiquos errores relegere. Nihilominùs tamen ne cunctatio nimia culpæ affinis videatur, propoſitis demùm argumentis ex præſentis morbi ſtatu manifeſtis, quæ auctoritatem quæſtioni addant, liberè quærendum eſt an juventutem labis venereæ ita immunem egerint, ut ſe ab omni ſuſpicione vacuos eſſe jure arbitrari poſſint.

Fœminas, tum quæ nuptæ, tum quæ innuptæ ſunt.

II. Quod ad fœminas ſpectat, res quidem ſatis facilis eſt & expedita, ſi de nuptis viduiſve quæſtio ſit. Urgens enim præſumptio, imò verò levior conjectura ſufficit, ut jure percunctari liceat, non quid ipſæ forſan egerint, quod ſemper nefas, ſed quid agant egerintve mariti: Uſus enim invaluit viros, ut jure matrimonii liberorum omnium, quos uxor parturit, parentes ſunt, ſic etiam morborum omnium venereorum, quos uxor patitur, auctores eſſe jure vel injuriâ. Sic ergo datâ ſemel occaſione, ut fœminæ naturâ ſuſpicioſæ ſunt & loquaculæ, quæcumque de viris ſuis noverint, quæcumque ipſæ unquam expertæ fuerint illorum contubernio ſpontè effutient, unde judicatu facile futurum eſt quid de luis præſentiâ opinandum ſit. At verò lubrica & perardua res eſt, ſi in quæſtione verſetur ſtatus innuptarum, præſertim quæ famam ſine labe teneant, & ſanctiore ſuperbiant vitæ inſtituto; tunc ſanè niſi inconſiderantiſſimæ & dementiſſimæ temeritatis notam parùm cures effugere, neque ſuſpicio priùs aperienda eſt, quàm certò liqueat de lue venereâ; neque tum verò unquam aperienda, niſi odii mitigandi causâ morbi originem in parentes vel nutrices refundendo. Vidi equidem eo pacto innuptarum pleraſque quas interrogandas habui, rem ſatis liberè confeſſas eſſe; ſaltem ſi quæ verecundiores fuerint, veri ſibi conſcias nec inficias iviſſe, nec propoſitis remediis difficiles ſeſe præbuiſſe, quod Medico ſatis eſſe debet, ut qui de morbi origine parùm ſollicitus, ſolius curationis debeat ſatagere.

CAPUT V.

CAPUT V.

Prognoſis Luis venereæ confirmatæ.

IN prognoſi duo tantùm debent inquiri, 1°. Quænam lues venereæ cæteris graviores ſint, & quæ omnium graviſſimæ, atque inter lethiferas referendæ? 2°. Quæ curationem faciliorem vel difficiliorem admittant, & cum majore minoreve periculo?

Quomodo de gravitate luis venereæ judicandum ſit?

§. I. QUÆ LUES GRAVIOR, QUÆ GRAVISSIMA SIT?

I. Lues omnis venerea in genere gravis & difficilis cenſenda eſt; 1°. Ratione cauſæ; pendet enim à ſeminio corroſivo, quod in partibus omnibus ſolidis corporis altè imbibitur, cum liquidis omnibus intimè confunditur, à corpore difficulter evellitur, & cui evulſo ſupereſt plerumque non una labes partibus inuſta.

I. Luem veneream omnē gravem & difficilem eſſe 1. Ratione cauſæ.

2°. Ratione ſymptomatum; nam veneno venereo, quod in actum exeritur, non modò dolores atroces excitantur, ſed pleraque corporis munia mirum in modum depravantur & pervertuntur.

2. Ratione ſymptomatum.

3°. Ratione læſionis partibus ſolidis illatæ; obſervatur enim veneni venerei acrimoniâ non liquida tantùm corporis infici, ſed partes quoque ſolidas vitiari & erodi, non modò molliores, ut pulmonem, hepar, uterum &c. ſed duriores etiam, ut oſſa.

3. Ratione læſionis partibus ſolidis illatæ.

4°. Ratione remedii quod competit; licet enim id raræ felicitatis eſſe videatur ad hunc morbum certius & efficacius remedium dari quàm forſan ad alterum quemquam, minimè tamen diſſimulandum hoc ipſum remedii genus, quantâcumque cautione adhibeatur, haud rarò non tædioſum tantùm ſed durum, imò quandoque periculi non expers eſſe, præſertim ſi ad morbum nimis inveteratum pleniore hydrargyroſi opus ſit.

4. Ratione remedii.

5°. Demùm ratione recidivæ, quâ morbus, qui profligatus credebatur, iterùm reviviſcit; contingit enim non ſemel medentis culpâ qui curationi finem imponere præpoperè feſtinat, aut qui impàrem Mercurii doſim adhibuit, virus nec radicitùs evelli nec funditùs deleri; unde morbus mitigatus quidem ſed non curatus poſt fallaces inducias cum priſtinâ ferociâ ſponte redintegratur.

5. Ratione recidivæ, quæ aliquando metuenda eſt.

II. Cave tamen cenſeas eamdem paremve de omni lue venereâ prognoſim inſtituendam eſſe. Conſtat enim morbi gravitatem variè variam eſſe, atque adeò variè in variis caſibus æſtimandam, multiplici causâ.

II. Morbi gravitatem variam tamen eſſe.

1°. Morbi novitate vel inveteratione. Sic ergo cæteris paribus lues venerea, quò recentior, eò minùs gravis futura eſt, cùm à veneno recenter admiſſo certum ſit liquida corporis minùs corrumpi, ſolida minùs labefactari, muniaque minùs perverti. E contrà verò tantò gravior, quantò magis inveterata, cùm contraria ſint contrariorum conſequentia.

1. Pro morbi novitate vel inveteratione.

2°. Ægrotantium ætate. Sic cæteris paribus lues venerea magis periculoſa eſt in infantibus & ſenibus, quàm in adoleſcentibus, in quibus magna

2. Pro ætate ægro-

cantium. veneni pars exercitio expellitur vel edomatur; quod verò reſiduum ſupereſt, citatiore circulatione abreptum, intenſiore fermentatione attritum & ſubactum, validiore partium niſu retuſum mitiorem tragœdiam agit.

3. Pro ægrotantium ſexu. 3°. Sexu ægrotantis. Licet enim mulieres viris plerumque imbecilliores ſint & eo nomine efficaciæ contagii venerei ſemel admiſſi magis obnoxiæ videantur, docuit tamen frequens experientia morbum à fœminis cæteris paribus faciliùs tolerari quàm à viris, quandiu liberè fluunt catamenia, ut quibus contagii pars non pauca ſingulis menſibus exhauriatur; at verò conſtat è contrà omnia in pejus ruere ſtatim atque fluxus menſtruorum ceſſat ex accidente & ante tempus, vel ex legitimo naturæ ordine circa annum ætatis 45. aut 50.

4. Pro nativo temperamento. 4°. Nativo temperamento. Quandoquidem virus & plures & graviores effectus producturum eſt cæteris paribus, ſi ſanguis, quocum permiſcetur, naturâ ſalſus, craſſus, acer, ad rodendum aptus, infuſi ſeminii virulentiam foveat, imò intendat; quàm ſi tenuis, inſulſus, ritè temperatus eamdem reprimat corrigatque.

5. Pro naturali partium conſtitutione. 5°. Naturali partium conſtitutione. Majus enim à lue venereâ periculum imminet, ſi cerebrum aut præcordia malè affecta, ſi viſcera malè conformata, cæterave organa laxa & mollia ſint, atque adeò adventitio veneno ſeſe peſſundanda tantò faciliùs permittant, quàm ſi partes eædem firmæ, validæ, integræ, veneni energiæ pertinaciùs & efficaciùs reluctentur.

6. Pro ſymptomatum numero & vehementiâ. 6°. Symptomatum, quæ lues invahit, numero & vehementiâ. Sic ergo lues tantò gravior cenſenda eſt, quantò plures functiones, quantò ad vitam utiliores, ut vitales & animales, quantò vehementiùs eaſdem lædit & depravat. Hoc enim majorem vel malignitatem in ſeminio, vel infirmitatem in organis læſis ſupponit, quod utrumque ad morbi prognoſim perinde eſt.

7. Pro morbo habituali, quo ægri antè laborabant. 7°. Morbo habituali, quo æger antè laborabat. Lues enim cæteris paribus magis timenda in epileptico, phthiſico, hydropico, arthritico, cachectico &c. quàm in perfectè ſano, quandoquidem ut antiquus morbus acceſſione recentioris ingraveſcit, ſic novum antiquioris præexiſtentiâ intendi neceſſe eſt.

8. Pro naturâ partium affectarum. 8°. Naturâ partium affectarum. Nam patet cæteris paribus gravius eſſe à lue periculum, 1°. Si ſolidæ corporis partes corrumpantur, quarum reparatio difficilior, quàm ſi liquidæ tantùm inficiantur, quæ poſſunt faciliùs renovari; 2°. Si inter ſolidas partes eæ corrumpantur, quæ internè latent, ſunt è genere nobilium, muniiſque ad vitam neceſſariis deſtinatæ, ut pulmo, ventriculus, hepar, uterus &c. quàm ſi fuerint oculis obviæ, & ex ignobilium numero, ut cutis, tunica adipoſa, muſculoſa caro &c. quarum labes & levior eſt & curatu facilior.

9. Pro gradu læſionis partium ſolidarum. 9°. Tandem gradu læſionis ſolidis partibus illatæ. Morbus enim eò gravior eſt cæteris paribus, quò læſio major aut plaga profundior: Hoc enim & cauſæ morbificæ atrocitatem & perfectæ curationis difficultatem indicat.

III. Eas omnes luis III. In genere inter omnes ſyphilidis ſpecies pro graviſſimis ac plerumque lethiferis illæ habendæ ſunt. 1°. In quibus pars ad vitam neceſſ-

ſaria, quæ inter nobiles locum obtineat, gravi & difficili vitio afficitur: 2°. In quibus pars alia quævis ignobilior, quæ remediis parum obvia ſit nec ferro exſcindi poſſit, immedicabili labe corrumpitur; 3°. In quibus contagium aliud peſtiferum, ſcrofuloſum nempe ſcorbuticumve cum veneno venereo admixtum latet. Itaque ad eas claſſes pertinent lues venereæ quæcunque malè afficiunt,

venereæ ſpecies graviſſimas eſſe,

1°. Cerebrum, cæteraſque encephali partes cerebro adſitas; ut ſi interius oſſium tabulatum exoſtoſi tumeat, aut latente carie erodatur; ſi gummata tuberculave duriora piam duramve meningem obſideant; ſi quis cerebri tractus in ſkirrhum induretur, aut latente & anomalo abſceſſu corrumpatur; ſi venoſi ſinus, tum ſuperiores, ut longitudinalis, laterales, torcular Galeni, tum inferiores, qui baſi cranii incumbunt, polypoſis inſpiſſati ſanguinis concretionibus oppleti ſint; ſi plexus choroidæi, qui in utroque anteriore ventriculo proſtant, congenereſque ſimilium plexuum laciniæ, quæ anticæ & poſticæ cerebelli parti adſitæ ſunt, multiplici hydatide turgeant; ſi glandula pituitaria, quæ ephippio inſidet, indurata limphatico latici, qui per infundibulum à ventriculis cerebri confluit, tranſitum deneget in jugulares ſinuſque, qui jugularibus inſeruntur; ſi ventriculi collecta limpha repleantur & diſtendantur &c. Unde cephalæa contumax ſine causâ externâ, motus ſpaſmodici, epilepſia, paralyſis, cæcitas, vertigo, ſcotoma, lethargus, carus, apoplexia &c.

1. Quæ cerebrum,

2°. Pulmonem, cæteraque præcordia, quæ in pectore latent; ut ſi pulmonaris contextus duris crudiſque tuberculis ita infarciatur, ut è molli, ſpongioſo & dilatabili firmus, durus, ſkirrhodes fiat; ſi tacitâ tuberculorum ſuppuratione, abſceſſibus ſeu vomicis multis ſcateat; ſi ab eroſis diſciſſiſve vaſis ſanguis in bronchia veſiculaſque pulmonares effluat, inde expectorandus; ſi interior bronchiorum aut veſicularum facies latenter corroſa ab ulcere depaſcatur; ſi limpha à venis nimiùm compreſſis exundans thoracis cavum oppleat; ſi in cordis thalamis aut majorum arteriarum orificiis polypoſæ ſarcoſes ſuccreſcant, aut ſanguis craſſior in polypiformes concretiones inſpiſſetur &c. unde aſthma & orthopnœa; hæmoptoë; phthiſis tuberculoſa vel ulceroſa; hydrops pectoris, cordis tremor & palpitatio &c.

2. Quæ pulmones.

3°. Hepar vaſaque hepatis propria; ut ſi ductus hepatis ſecretorii & excretorii ſpiſſiore bile ita oppleantur, ut bilis accedens in ſanguinem cogatur retrogredi; ſi oppletis ductibus biliferis via ſanguini per hepar tranſeunti præter naturam præcludatur, unde partis phlogoſis; ſi præclusâ circulationis viâ ſanguis, qui per portarum venam in hepar jugiter contendit, in capillaribus venæ ejuſdem principiis cogatur ſubſiſtere, prodeuntibus è cunctis viſceribus, quæ intra abdomen fluitantia ſunt, ſi eroſa aut diſciſſa in hepate ſanguifera vel bilifera vaſa in abſceſſum latentem abeant &c. unde hepatis infarctus, ſkirrhus, abſceſſus, icterus, hæmorrhoides, vomitio ſanguinis, fluxus hepaticus.

3. Quæ hepar.

4°. Uterum, parteſque utero annexas; ut ſi interiorem uteri faciem ulcus cacoethes depaſcatur, ſi veſiculoſæ uteri glandulæ lacte uterino ſpiſſiore in ſkirrhum indurentur; ſi induratæ dolore lancinante percellantur, & in carcinoma degenerent; ſi tacitâ ſuppuratione computreſcant;

4. Quæ uterum.

si seroſa colluvies in uteri cavum colligatur; si ovaria hydatidibus, gummatis, ſkirrhis intumeſcant; si tubæ Fallopianæ iisdem vel similibus morbis afficiantur &c. unde uteri ulcus, skirrhus, cancer, abſceſſus, ac ovariorum multiplex tumor & ſuppuratio.

5. Quæ proſtatas, & veſiculas ſeminarias.

5°. Proſtatas, veſiculas ſeminarias, ac glandulas Cowperianas in viris, in fœminis verò proſtatas & glandulas Cowperianas; ut si duræ & skirrhodes fiant; si in carcinomatoden naturam degeneraverint; si fiſtuloſis & cavernoſis abſceſſibus perviæ ſint; si eroſæ & cuniculis multifariam ſuffoſſæ in labis conſortium traxerint viciniores partes, ut in viris urethram, collum veſicæ, extremum rectum, natium alterutram; in fœminis verò urethram, veſicæ collum, vulvam, vaginam, monticulum veneris, &c. unde dolor, ſtranguria, frequens micturitio, demùm involuntaria urinæ excretio cum cuniculoſis fiſtulis in finitima quæque loca.

6. Quæ medullam oſſium.

6°. Medullam oſſeam, tum quæ in cylindrum racematim collecta oſſium grandiorum cavitatem, tum quæ in lacinias fruſtillatim diſtributa minorum cellulas occupat; ut si in ſebum indurata skirrhoden aut carcinomatoden naturam adipiſcatur, cum ſuperjecti oſſis tumore; si ſuppurata in tabum diffluat cum oſſis continentis carie, præſertim si hæc ſpongioſis oſſium capitibus accidant, quæ artuum juncturas conſtituunt, aut iis oſſibus, quæ nullâ operâ exſcindi poſſunt, ut iſchio, ſacro, vertebris, coſtis, omoplatæ, claviculæ; oſſibus maxillarum, cranii, aurium, narium &c. unde dolores oſteocopi, hyperoſtoſes, exoſtoſes, ankyloſes, caries; ulcera profunda, cacoëthea, puro fœtidiſſimo manantia; febris hectica, maraſmus.

7. Quæ mammas abſceſſibus, ulceribus, carcinomate &c. malè habent.

7°. Partes quaſvis totius corporis, mammas, labia, interiora narium, linguam, ranulas, uterum, penem, teſtium alterutrum, glandulas limphaticas, quæ in inguinibus, axillis, collo, ponè aures, propter maxillas &c. proſtant, si carcinomate occulto vel aperto infeſtentur, præſertim verò si partium affectarum ſitus, connexio, natura, uſus &c. extirpationem non permittant.

8. Sicut etiam quæ cum rachitide, ſtrumis, ſcorbuto conjunctæ ſint.

8°. Demùm ejuſdem generis ſunt lues quæcunque dependent à veneno venereo non puro, ſed quod cum veneno rachitico vel ſtrumoſo, maximè verò cum ſcorbutico ita intimè commixtum ſit, ut coitione bina venena in peſtem alteram novam, quæ hybrida ſit, degeneraverint. Nullum ſanè morbi monſtrum forſan reperire eſt, quod ferocius ſit, quod ægros pluribus modis miſerrimè torqueat, & quod curatu difficilius remediis efficaciſſimis pertinaciùs reſiſtat.

IV. Tria eſſe luis genera. Primum, Curatu facilis.

IV. Ex dictis manifeſtum eſt poſſe luem veneream qualemcumque in tres gradus diſtingui; ut jam pridem fert uſus: *Primum*, quo comprehendatur lues venerea quævis, quæ recens ſit; quæ fluida tantùm infecerit, necdùm attigerit ſolida; quæ pauciores functiones pervertat, & levi vitio pervertat; quæque adeo tutam ac plerumque facilem curationem admittat.

Alterum, Difficiliogis.

Alterum, qui complectatur lues omnes venereas, in quibus virus antiquius vel acrius ſolidas corporis partes, ſed ignobiles tantùm labe variâ, multiplici, gravi jam corruperit, ſed tamen medicabili, & quarum ideo tuta futura ſit curatio, quamquam paulò difficilior.

Tertium denique, ad quem pertineant lues venereæ omnes, quas modò inter graviſſimas ſive lethales recenſuimus, & quarum proinde neque tutam, neque facilem curationem polliceri unquam licet. *Tertium*. Difficilliмæ.

§. II. QUÆ LUES CURATU FACILIOR AUT DIFFICILIOR?

I. Conſtat lues omnes venereas curari radicitùs, pleraſque etiam ſatis facilè, ope illitûs Mercurialis, qui modò ritè adhibeatur, efficaciſſimum eſt contagii venerei rhizotomum. Et ſanè cùm tot ſint gravium morborum genera antiqua & ab orbe condito nota, ut phthiſis, peſtis, epilepſia, hydrophobia &c. in quibus abigendis curandiſque medicina etiamnum ceſpitat, imò potiùs cæcutit, pro rarâ felicitate computandum eſt ad curationem luis quæ nova eſt, & quæ in Europâ à duobus tribuſve ſæculis primùm apparuit, tam certum & præſentaneum remedium induſtriâ medentium ſagacitate inventum eſſe, quo morbus omnium ferociſſimus profligetur tutò, citò, imò verò jucundè. Quid ſentiendum ſit de curatione luis venereæ? I. In genere luem quamcumque curari poſſe.

1. *Tutò.* E centum enim ægrotantibus nullum, qui Mercurii uſu meliùs non habeat; vix unum reperias, qui perfectè non convaleſcat, modò corpore priùs ritè præparato hydrargyroſis adhibeatur methodo, doſi, ordine, cautione, & dierum numero competenti, quod cæteris morbis etiam levioribus haud ita plerumque uſu venit, ut quorum optima ea cenſeatur medicina, quâ inter centum ægros quinquaginta perfectè conſanantur. 1. Tutò.

2. *Citò.* Nam curatio numeris omnibus abſoluta eſt intra triginta aut quadraginta dies, vel ad ſummum intra menſes duos, quod vix de ullo alio morbo ſperare licet, quorum plerorumque, ſi graviores fuerint, integra curatio ad annum & ultrà non rarò procraſtinatur. 2. Citò.

3°. Imò verò *jucundè.* Fateor equidem id olim minùs verè dici potuiſſe de antiquâ unguenti Mercurialis adminiſtratione, in quâ, cùm immodico & præcipiti inunctionum uſu gingivæ, palatum, & fauces exulcerarentur, uber & diuturnus fœtidiſſimæ ſalivæ ptyaliſmus cieretur, & facies, caput ac lingua plerumque intumeſcerent, ſolebant ægrotantes tædio, agrypniâ, dolore confici, & miſerrimis miſeriis diutiſſimè macerari. Sed hæc jam pridem prudentiore & magis cautâ hydrargyroſeos methodo ita temperata ſunt, ut ſi remedium jucundum dici meritò non poſſit, quod forſan in nullum verè cadit, at ſaltem haud ita moleſtum ſit ac vulgò creditur. Plerumque nullus proritatur ptyaliſmus vel ad ſummum facilè tolerabilis; nulla fit oris exulceratio, vel ſaltem levis & ſuperficiaria; demùm minùs faſtidii atque moleſtiæ ægro jam exhauriendum eſt, ut ex lue venereâ, ſaltem recente perfectè convaleſcat, quàm ex febre quartanâ contumaciore. 3. Nec injucundè.

II. Minimè tamen diſſimulandum eſt nonnullas eſſe luis venereæ ſpecies, quæ curationem plenam & perfectam cæteris difficiliùs admittant, & quibus etiam poſt accuratiſſimam hydrargyroſim quædam ſuperſint ex ſymptomatis, quæ antè aderant; ſive ideo quòd diutinâ morbi præſentiâ ea labes ſolidis corporis partibus illata ſit, quam corrigere vel delere facile non ſit; ſive etiam, quod tamen rarius, ideo quòd portio quædam ſe- II. Dari tamen luem veneream, quæ difficiliùs curetur.

minii venerei integra remanſerit formâ illibata, vel necdum ſatis perfectè deſtructa. Experientiâ autem compertum eſt in hunc cenſum præcipuè referendas eſſe ſequentes luis venereæ ſpecies.

Ut 1. Quoties adſunt dolores venerei.

1°. Quotieſcunque dolores venerei rheumatici, ſive fixi ſive vagi, ægros torquent & diſcruciant, præſertim ſi diuturnitate invaluerint. Accidit enim frequenter poſt hydrargyroſim dolores eoſdem pari ferè vehementiâ ſævire ac antè. An quòd nodi, phymata, tuberculave muſculorum fibris tunicíſve etiamnum impacta ſanguinis & limphæ viam anguſtando; an verò quòd vaſa ſanguifera & limphatica prægreſſis diſtenſionibus in nimias varices dilatata ſanguinis & limphæ motum retardando, acrioris ſalſioriſque ſeri decubitui locum præbeant?

2. Quoties arthritis venerea habitualis eſt.

2°. Quotieſcunque habitualis eſt arthritis à veneno venereo orta. Licet enim inunctionibus ex arte adhibitis ſæpenumerò cedat, ſemper tamen non cedit, potiſſimùm ſi inveterata ſit & crebris inſultibus vires jam dudùm adepta. An quia tunc ea ſunt in articulis vitia, quæ Mercurio corrigi non poſſint, & quæ novos ſimileſque arthritidis inſultus iterùm atque iterùm advocare valeant?

3. Quoties cutis affectibus venereis defœdatur.

3°. Quotieſcunque cutis impetigine, ſcabie, ſed præſertim herpete ſicco, maligno, eſthiomeno ſive erodente deturpatur; ſiquidem haud rarum eſt ab hoc ſymptomate totam Mercurii vim eludi, cui cætera cedunt. An quòd in eâ cutis infectione corpus reticulare ſive mucoſum cutis contagio venereo alteratum & eroſum in filtrum perenne abierit, quò jam ubertim confluat quicquid ſalſuginoſi & acris ineſt ſanguini?

4. Quoties æger cephalæâ habituali torquetur.

4°. Quotieſcunque adſunt graves cephalææ, hemicraniæ, aut dolores particulares, qui certam tantùm capitis aream tenent, & *ovum* vel *clavus* dici ſolent, præſertim ſi fiant ſine causâ ullâ externâ; obſervatum eſt enim ſæpiùs dolores iſtiuſmodi poſt adhibitum hydrargyroſim priſtinam ferociam retinuiſſe. An ideo quòd dolores illi pendeant ab exoſtoſi vel carie interioris cranii tabulæ, vel à nodis, phymatis, tuberculiſve in meningibus cerebri, quæ Mercurii illitu reſolvi & diſcuti non potuerint?

5. Quoties oſſa malè afficiuntur.

5°. Quotieſcunque oſſa tument exoſtoſi vel hyperoſtoſi durâ, antiquâ, inveteratâ. Licet enim contingat uſu Mercurii hyperoſtoſim plerumque reſolvi, quæ recens eſt, imò etiam exoſtoſim ipſam, præſertim ſi cavernoſa ſit, & producatur ab inflatis medullæ oſſeæ laciniis lamellas oſſeas in cellulas dilatantibus, docuit tamen experientia ſpem ſimilis ſucceſsûs rarò ratam fore, quoties hyperoſtoſis aut exoſtoſis temporis diuturnitate induruerint, maximè verò ſi exoſtoſis ſit è genere exoſtoſium verè oſſearum, quæ nec ebori cedant duritie. Inde repetendum eſt quod ankyloſis venerea profligato morbo ſæpiùs ſuperſit. Anne hæc ita eveniunt, quòd Mercurii efficacia, quæ ſolvendæ materiei oſſeæ molliori & recèns impactæ ſufficit, impar ſit reſolvendæ duriori & in verum os jam ſolidatæ?

6. Quoties teſtes indurati tument.

6°. Quotieſcunque teſtes ambo vel teſtium alteruter tument ab hærente, collecto & inſpiſſato ſemine. Solent enim ſæpenumerò tumores iſtiuſmodi, ſi inveterati ſint & lapideam duritiem adepti, ita difficiles eſſe, ut remediis rebelles nulli cedant hydrargyroſi. An ideò quòd Mercurius nec ſemen inſpiſſatum & caſei inſtar grumoſum, quo teſtes turgent, attenuare & diluere; nec laxata vaſcula ſpermatica, quorum glomeratione

teſtes conſtant, nativo tono reſtituere valeat, unde geminâ de causâ nulla teſtium reſolutio ſperanda ſit?

7°. Quotieſcunque adeſt gonorrhœa virulenta, ſive recens ſit, ſive antiqua & inveterata. Quamvis enim nec ſemel obſervatum fuerit inunctionum adminiſtratione cum cæteris ſymptomatis gonorrhœam quoque perfectè curatam fuiſſe, id tamen perpetuum non eſt, acciditque multoties etiam poſt legitimam hydrargyroſim, gonorrhœam, licet jam ampliùs venerea non ſit, fluxu æquè uberi ac anteà ſcaturire. An quia præter veneni vim inunctionibus deletam, longiore temporis intervallo & fortiore ulceratæ partis deterſione opus eſt, ut ulcus in proſtatis ſuperſtes cicatrice coeat? 7. Quoties gonorrhœa virulenta adjuncta eſt,

8°. Quotieſcunque ſtranguria à prægreſſis gonorrhœis orta ægrotantes torquet vel continuò vel per intervalla. Malum enim, licet uſu Mercurii levius plerumque fiat, naturam tamen ita retinet, ut iterùm pari fermè ferociâ ſæviat identidem. An quòd Mercurius impar ſit reſolvendis hyperſarcoſibus quæ in urethrâ ſuccrevêre, emolliendis durioribus cicatricibus aut futuris, quæ in eodem ductu proſtant, aut demùm conſolidandis ulceribus, quibus eroditur, à quibus cauſis ſtranguriam dependere ſuprà vidimus? 8. Quoties ſtranguria prægreſſis gonorrhœis ſucceſſit,

9°. Denique quotieſcunque ſtrumoſa vel ſcorbutica conſtitutio luis venereæ comes eſt individua. Experientiâ enim compertum eſt eas luis venereæ ſpecies uſu Mercurialium, ſi ſola ſint, non tam expugnari quàm provocari, atque adeo ſi radicitùs unquam curentur, curari numquam, niſi anti-ſchœradica aut anti-ſcorbutica cum anti-venereis & Mercurialibus vel unà vel alternè exhibeantur. An quòd ſcrofuloſi vel ſcorbutici ſeminii guttulæ, veneni venerei guttulas aliquot in ſinu ita intimè recondant, ut inacceſſæ fiant & inexpugnabiles; haud diſpari modo ac in amalgamate auri & argenti ſolent, auri atomi quædam ab argenti atomis undique ita obvolvi, ut ab aquâ regiâ nequeant ullomodo nec attingi nec diſſolvi. 9. Quoties ſtrumoſa vel ſcorbutica conſtitutio morbi comes eſt.

III. Datur & alterum luis venereæ genus præcedente pejus, in quo curationem morbi inſtituere adeo periculoſum eſt, ut ſoleant inde gravia infortunia ſæpenumerò obvenire, niſi cautiſſimè procedatur. Iſtiuſmodi ſunt lues venereæ ſequentes. III. Dari genus alterum luis venereæ, in quo curatio periculoſa ſit.

1°. Quæcumque inter graviſſimas lethaleſve lues venereas, quas ſuprà recenſuimus, locum habent. Jure enim metuendum eſt ne ægrotantes gravi & diutinâ labe jam fracti, antiquove morbo exhauſti, qui inunctionum uſu plerumque exaſperatur ſaltem initio, tædio & vehementiæ adhibiti remedii, atque provocati ptyaliſmi moleſtiæ ſuccumbant. 1. Si morbus ſit è numero graviſſimorũ.

2°. Quæcumque ſcorbutum comitem habent, quo gingivæ & oris interiora fœteant, liveant, putrefiant & tumeant in fungos. Quippe ubi primùm accedit oris phlogoſis & exulceratio, qualis in ptyaliſmo adeſt, ſolent ſemiputres tum gingivæ, tum faucium palatique partes ab ulcere phagedænico & erodente depaſci, quod in gangrænam brevi deſinit, vel proximè deſiturum videtur. 2. Si conjungatur cum ſcorbuticâ oris exulceratione.

3°. Quæcumque cum ſcrofulis ſtrumiſve adeo gravibus conjunctæ ſunt, ut aures, collum aut maxilla utraque, multis, duris, tumidis, calloſis glandulis obſideantur. Timendum eſt ſcilicet ne ſtrumoſæ glandulæ unà 3. Aut cũ ſcrofulis gravioribus,

cum ſalivalibus mole augeantur ptyaliſmi tempore, & jugulares venas ramoſque venoſos, qui in jugulares deſinunt, ita comprimant & anguſtent, ut inde à retento ſanguine, tum in ore major futura ſit phlogoſis & exulceratio cum periculo gangrænæ, tum quod gravius eſt, nimia cerebri oppreſſio, non ſine vitæ diſcrimine.

4. Aut cũ epilepſiâ, cujus inſultus frequentes ſint.

4°. Quæcumque epilepticos adoriuntur, qui frequentibus & gravibus paroxyſmis corripi ſolent. Nam periculum eſt ne ptyaliſmi tempore, dum glandulæ ſalivales tument, & tumefactione venas jugulares premunt, graviſſimi advocentur inſultus; unde tum major oris inflammatio & exulceratio à variâ maxillarum diſtorſione & multiplici linguæ morſu, tum quod pejus eſt, immodica in cerebro hæmoſtaſia; quæ periculo numquam vacat.

5. Aut cũ hypochondriaco affectu gravi.

5°. Quæcumque hypochondriacis accidunt. Cùm enim naturâ & morbo meticuloſi ſint, vanis imaginibus perculſi inani quidem pavore perterrefiunt toto curationis tempore, ac Medicum importunis querelis exagitant; ſed hæc tolerabilia: At verò dum ptyaliſmus acriùs urget, animum plerumque ita deſpondent ex deſperatione, ut frequenti & gravi deliquio ſubinde deficiant, unde improviſa ſalivæ fluentis ſuppreſſio, tumefactio glandularum ſalivalium, hærentia ſanguinis in ore, capite, cerebro, adeoque harumce partium inflammatio vel oppreſſio, quæ ſingula periculi plena ſunt.

6. Aut cũ diarrhœâ habituali.

6°. Quæcumque ad ægrotantes pertinent qui diarrhœâ laborant habituali. Tunc enim vis tota Mercurii ad inteſtina ruens, quò tendit humorum impetus, vellicat, inflammat, rodit interiorem eorumdem tunicam, & ventris tormina graviſſima, alvi fluxus multicolores cum teneſmo, imò dyſenteriam advocat, & eâ quidem vehementiâ quæ ulteriorem inunctionum uſum non rarò diſſuadeat. Idem planè dicendum, ſi inunctiones ptyaliſmi loco diarrhœam ipſæ moveant, quod aliquando obtingit etiam in iis quibus alvus adſtricta eſſe ſolet, ſed numquam ſine magno ægrotantium detrimento.

7. In mulieribus, quæ uterũ gerunt.

7°. Quæcumque mulieres malè habent, quæ uterum gerunt. Siquidem periculum eſt ne abortiant, tum orgaſmo, quem Mercurius ciet in ſanguine, tum tædio, dolore, agrypniâ, quæ ptyaliſmum conſequuntur, tum maximè ventris torminibus & niſu deſidendi, ſi alvus diarrhœâ ſolvatur.

8. Aut quibus uterus ulcere vel carcinomate affectus eſt.

8°. Quæcumque curandæ veniunt in fœminis laborantibus ulcere, skirrho, carcinomate uteri ſive à cauſâ venereâ, ſive ab aliâ quâvis. Contingit enim non ſemel ſanguinem nimis attritum & comminutum, in anguſtata, infarcta, conſtricta uteri vaſa arietare ptyaliſmi tempore momento ita valido, ut viam ſibi vi faciat, & hæmorrhagiam ex utero vel lethalem vel periculi plenam advocet.

9. Tandem in infantibus, & ſenibus.

9°. Tandem quæcumque infantes, ſeneſve decrepitos invadunt. Cùm viribus enim parùm valeant, quæ in his grandiore ætate fractæ, in illis verò teneriore nondum confirmatæ ſunt, de utriſque perinde timendum eſt, ne miſerè ſuccumbant, aut graviori caſui, ſi quis forſan ingruat, aut etiam ſoli ptyaliſmi vehementiæ, ſi diuturnior ſit.

IV Hydrargyroſim cautè

IV. Cæterùm ſi de ægri ſalute antè conclamatum eſſe videatur, *palliativis* quidem remediis mitiganda eſt morbi ferocia, ſed deſperatis nulla hydrargyroſis adhibenda, ne temerè infamentur ea remedia, quæ multis

tis fuêre ſaluti. At verò ſi qua ſpes affulgeat, quamquam exigua, remediorum alea tentanda eſt, cùm ut ait Celſus, *in evidenti mortis periculo ſatius ſit anceps remedium experiri, quàm nullum*, ſed tentanda eſt prudenti cautoque conſilio. adhibendam eſſe.

Itaque 1°. Si lues venerea ſit è genere graviſſimarum & quæ plerumque morte judicantur, poſt debitam præparationem Mercurius longioribus intervallis illinendus eſt & parcâ manu, eâ ſcilicet doſi cui ferendæ vires pares eſſe videantur. Vix quidem ſperare licet eo pacto morbum gravem & inveteratum plenè extirpatum iri; at ſaltem ita mitigandum eſſe certum eſt, ut ægro, poſtquam à remedio convaluit, meliuſculè ſit. Tunc ergo redintegratis viribus, mercuriales inunctiones denuò ſed majori doſi adhibendæ, quibus ſi morbi vehementia necdùm ceſſerit, inſtauratis rurſùm auctiſque viribus hydrargyroſis tertiò repetenda, ſed tandem tanquam re ad triarios redactâ, omni operâ eâ ſaltem vice jam enitendum eſt, ut virus omne perfectiſſimè debelletur. 1. Si lues venerea ſit è genere graviſſimarum.

2°. Si lues ſit ex earum numero, quæ curationem cum periculo admittunt, illitus mercuriales ſimili methodo raris quidem intervallis admovendi & paucâ doſi, nempe ne quid mali præcipitantiâ accerſatur, camarinam præproperè commovendo: At verò & pluries & diutiùs iterandi, ſcilicet ut admiſſus eâ ratione Mercurius non modò æquet Mercurii quantitatem, quæ ad plenam curationem neceſſaria eſt, ſed etiam aliquantulùm ſuperet. Quapropter inunctionum adminiſtratio non urgenda ante tempus, ſed potiùs ultra tempus ſuſtinenda eſt, cùm in re tam gravi omnia ſatis citò fieri putanda ſint, modò ſatis benè. 2. Si ſit è numero earum, quæ curationem cum periculo admittunt.

3°. Si lues venerea locum habeat inter eas, quæ Mercurio difficilè cedunt, inunctionibus & paulò majori doſi & paulò longiore temporis ſpatio utendum erit, ut quidquid morboſi ſeminii ineſt ſanguini, vi Mercurii vel ſalivatione omninò everratur, vel extinctionis viâ pleniſſimè debelletur, atque adeo ſi non utrâque ratione, ſaltem alterutrâ lues omnis venerea radicitùs evellatur. Quòd ſi verò ſuperſint etiamnum poſt abſolutam hydrargyroſim difficiliora quædam ſymptomata, ex eorum numero quæ antè aderant, cùm jam ampliùs à lue venereâ neque dependeant neque foveantur, remediis communioribus corrigenda erunt, ut infrà videbitur. 3. Si ſit ex earum ſpecie, quæ Mercurio difficilè cedunt.

4°. Si mulieri utero gravidæ, quæ lue venereâ infecta ſit, partus propè inſtet, ab hydrargyroſi tunc quidem abſtinendum eſt, ne in ipſo ptyaliſmo periculoſiùs enixura eſſet: Sed ubi primùm à puerperio refecta fuerit, ex arte ſananda eſt, dum alumnus pendet etiam tum ab uberibus, ut unâ eâdemque operâ ſanetur & ipſa & infans, quocum vitium communicavit. At verò ſi legitimum puerperii tempus longè abſit, cùm periculum in morâ maximum eſſe ſoleat, omiſsâ inani cunctatione inunctiones mercuriales ſtatim adhibendæ ſunt, ſed eo gradu, quem mater & fœtus qui utero geritur ſine detrimento tolerare poſſint. 4. Si mulier infecta uterum gerat, partuſque propè adſit.

5°. Si infans, qui lue venereâ inquinatus eſt, lacteat, tenerrimæ quidem ejuſdem ætati parcendum eſt, ſed ipſius loco nutrix hydrargyroſi ſubmittenda, tantò quidem potiore jure, quòd hæc ejuſdem vitii particeps ſit. Sic nutricem ſanando ſanabitur facili operâ & alumnus, lactis ope, 5. Si infans inquinatus lacteat.

quocum mercuriales atomos eâ quantitate hauſturus eſt, quæ curationi ſufficiat. Si infans verò jam à nutrice ſummotus fuerit, ipſemet ſine cunctatione curandus eſt, vel præparatis Mercurialibus internè ſumptis, vel quod tutius cenſeo, inunctionibus ex Mercurio. Nec obſtat huic therapeiæ ætas tenerior, cùm facile ſit prudentiâ & conſilio infantis incolumitati conſulere.

6. Si æger ſit ſenex decrepitus,

6°. Idem dicendum de ſenibus, qui ſi lue venereâ laboraverint, illitu Mercuriali ex arte curandi ſunt, quamquam depontani & decrepiti, ſed eâ methodo curandi, quâ depontanos & decrepitos curare decet & licet.

CAPUT VI.

De Præparatione ad hydrargyroſim.

SATIS conſtat ex iis, quæ ſuprà dicta ſunt *Lib. 2. cap. 9.* virus venereum nullâ methodo certiore, tutiore, efficaciore profligari poſſe, quàm hydrargyroſi. Hìc ergo non de genere medicinæ, quæ confirmato morbo venereo conducat, ſed de medicinæ modo quæritur, hoc eſt de rectâ inunctionum mercurialium adminiſtratione ſive hydrargyroſi; ſiquidem triſti, ſed nimiùm frequenti experientiâ compertum eſt, hanc ipſam hydrargyroſim, etſi periculo vacet ritè adhibita, gravem eſſe, difficilem, & periculoſæ plenam aleæ, ſi temerè, præpoſterè, inconſideranter, præproperè adminiſtretur. Quocirca cauto opus eſt, ſedulòque providendum, 1°. Quid antè, 2°. Quid per, 3°. Quid poſt hydrargyroſim peragendum ſit.

Ante hydrargyroſim ad quatuor attendendū eſt.

Ante hydrargyroſim prudentis Medici officium eſt ad quatuor attendere: 1°. Ut præſens ægri ſtatus Mercurio ferendo par ſit: 2°. Ut anni tempeſtas remedio ſit opportuna: 3°. Ut diligens adhibeatur præparatio, quâ vitia ſanguinis, ſi qua fuerint, emendari, & noxæ quæ ab uſu Mercurii plerumque imminent, declinari poſſint: 4°. Demùm ut recta ſit unguenti mercurialis, quod illini debet, compoſitio.

§. I. AN PRÆSENS ÆGRI STATUS FERENDO REMEDIO PAR SIT?

I. Ut æger ferendo remedio par ſit.

Circa primum certa eſt & ab omnibus definita lex, ne hydrargyroſis ægrotanti ulli adhibeatur, qui ex morbo quovis periculosè decumbat, aut quem vires morbo, venere, labore, inediâ nimiùm exhauſtæ ferè deſtituant. Quorsùm enim conduplicato malo morbum morbo addere, & ægrotum remedio difficili imparem imprudenti therapeiâ excruciare non ſine evidenti vitæ diſcrimine?

Quocirca hydrargyroſis non adhibenda eſt 1. Nec iis qui acuto;

Itaque I. Hydrargyroſi perpetuò ſuperſedendum eſt, quoties ſyphiliticus acuto morbo tentatur, ut febre malignâ, ſynochâ, lipyriâ, cauſone &c. pleuritide, peripneumoniâ, hæmoptoë &c.

2. Nec iis qui chroni-

II. Imò verò quoties morbo chronico detinetur, qui deploratus vel admodum periculoſus ſit, ut hydrope pectoris vel abdominis confirmato;

gravi skirrho hepatis, lienis, uteri; phthisi ad tertium gradum perductâ; febre lentâ diuturnâ &c.

co morbo deplorato tentantur.

III. Huic tamen legi minimè parendum est, si certò constet vel saltem valdè probabile sit morbos illos chronicos à lue venereâ tanquam à causâ primariâ symptomaticè dependere. Tunc enim ægro cùm sit in præcipiti, spes una est, nempe sublatâ semel morbi causâ morbum quoque sublatum iri; atque adeo in evidenti mortis periculo satius est anceps remedium experiri quàm nullum.

Nisi probabile sit morbos illos chronicos à lue venereâ pendere.

IV. Cæteri verò morbi chronici, quicumque naturâ vel intensione minùs urgent, nullomodò obstant quominùs hydrargyrosis adhibeatur. Neque enim puto quemquam ab hujus remedii usu deterreri posse, quòd æger asthmate *v. g.* cordis palpitatione, inappetentiâ, bradypepsiâ, cephalæâ habituali, nephritide &c. laboret.

V. Quòd ad vires, præsens illarum status prudenter expendendus est, & ex æquo ac bono æstimandus; & si à causâ qualicumque magnoperè exhaustæ fuerint, hydrargyrosis usque differenda est, dum temporis diuturnitate, quiete, diætâ analepticâ instaurentur, ne debilior æger ptyalismi tædiis, doloribus, incommodis miserè succumbat.

3. Nec iis, quibus vires magnoperè exhaustæ sunt.

VI. Cæterùm quandoquidem duplex est hydrargyrosis, altera *plenior*, quæ inunctionibus majoribus & quotidianis vel saltem frequentioribus, donec ptyalismus cieatur; *parcior* altera, quæ minoribus & rarioribus illitibus perficitur, & quâ nulla provocatur salivatio vel pauca, diversam cautionem adhibere necessum est, prout utram utri præferre visum fuerit, majorem nempe, si pleniore hydrargyrosi ptyalismus excitandus esse videatur, quia vires inde magis frangi certum est: Minorem verò, si hydrargyrosi parciore, quæ nullum ptyalismum motura sit, uti placuerit, quoniam constat eâ therapeiâ vires non exolvi, vel saltem multò minùs exolvi.

Præsertim si de hydrargyrosi pleniore quæstio sit.

VII. Cùm experientia docuerit salivationis impetum in mulieribus Mercurio inunctis plerumque ingravescere, cùm instant catamenia, operæ compendium foret mercurialem therapeiam intermedio tantùm tempore, quod vacuum est, in illis instituere. Sed cùm hydrargyrosis ultra mensem produci soleat, vix ullâ ratione potest effici, quin cum purgatione illa menstruali aliquomodo concurrat. At saltem diligenter curandum est ut in finem therapeiæ incidat, dùm salivatio incipit sponte suâ remitti. Quamobrem præmissis remediis præparatoriis ante profluvium menstruum, hydrargyrosis confestim adhibenda est altero vel tertio die postquam desierit catameniorum fluxus, eo pacto non antè rediturus quàm postremo curationis tempore, cùm res in vado futura est.

4. Demum nec mulieribus quo tempore instant menstrua.

§. II. QUÆ ANNI TEMPESTAS ELIGENDA SIT?

De anni tempestate ferè nulla quæstio est, nam I. Omnium opinio est hydrargyrosim nec hyeme, nec æstate administrandam esse, si commodè ità liceat; non *hyeme* quidem, ne sanguis frigore inspissatus tardiùsque circulans Mercurii efficaciam nimiùm eludat; ne corporis pori arctiùs constipati perspirationem pariùs excludant; ne frigore subitaneo suppressa perspiratio, vel salivatio cohibita locum dent gravi catarrho in

II. Ut anni tempestas idonea sit.

Ideoque nec æstiva

nec hyemalis.

pectus, aut decubitui in caput : Non *æstate* verò contrariis rationum momentis, ne sanguis calore fervidior, citatiùsque motus nimiam à Mercurio eliquationem experiatur; ne per cutis spiracula laxiùs patentia immodica fiat diapnoë cum notabili virium detrimento; demùm ne periculosæ turbæ & febriles orgasmi in sanguine excitentur ex leviore causâ non sine aliquo ægrotantis discrimine.

Sed verna vel autumnalis.

II. Anni tempestates hydrargyrosi maximè opportunas vernam esse vel autumnalem, dum aër tepidior Mercurii energiam neque retardat, neque præcipitat, sed commodè adjuvat, ac diaphoresi & ptyalismo utiliter favet.

Et præsertim verna eligenda est.

III. Vernam tamen autumnali eo nomine præferendam videri, quòd veris tempore crescente in dies aëris suavitate ægri remediis jam defuncti restituantur celeriùs commodiùsque, quàm in autumno, præsertim extremo, quo aëris inclementia sensim ingravescit.

Si morbus urgeat, potest remedium adhiberi quâvis tempestate.

IV. Verùm si morbus symptomatum gravitate urgeat, & periculum fuerit in morâ, abjectâ anxiâ commodioris temporis expectatione, hydrargyrosim confestim adhibendam esse vel ipsâ æstate, aut hyeme mediâ, eâ tamen cautione atque provisione, ut in cubiculo, in quo æger decumbit, aëris fervor, frigorisve acerbitas omni arte atque operâ quàm maximè mitigentur.

Sed hyeme tamen commodiùs quã æstate.

V. Hyemem cæteris paribus hydrargyrosi minùs inopportunam videri quàm æstatem, quandoquidem certiora & tutiora suppetunt præsidia ad frigorum vim extenuandam, quàm ad sedandas caloris molestias. Adde hyeme Mercurium tardiùs segniùsque agere, atque adeo faciliùs regi & cum minore ægri periculo quàm æstate.

§. III. QUALIS PRÆPARATIO AD HYDRARGYROSIM ADHIBENDA SIT ?

III. Ut diligens præparatio adhibeatur.

Operæ pretium est hydrargyrosi præparatoria ea remedia præmittere, quæ emendatis sanguinis vitiis, si qua adsint, nimiam Mercurii efficaciam moderentur, turbas inde alioquin excitandas compescant, atque infortuniis occurrant, si qua forsan imminerent. *Istuc* enim *est sapere*, ut Comicus (*a*) ait, *non quod ante pedes modò est Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, Prospicere.*

Indicationes, quibus satisfaciendum est.

Primò. In hunc ergo finem 1°. Minuenda est sanguinis quantitas & vasa deplenda, ut sanguini Mercurii vi rarefaciendo spatium fiat.

II. Everrenda cacochylia, quæ in primis viis congesta latet; imò etiam bilis cæterique humores vitiosi, qui in sanguine redundant, evacuandi sunt, ne ptyalismi tempore mota Camarina intempestivas turbas cieat.

III. Diluendus est sanguis spissior, & si acrimoniâ peccaverit, demulcendus, ut Mercurio atterenti faciliùs inde obsequatur, minorem fervorem contrahat, & humores diuresi, diaphoresi, catharsi, ptyalismo educendos minùs acres suggerat.

IV. Demùm emolliendus est partium, & præsertim viscerum tonus,

(*a*) Terent. *Adelph. Act.* 3. *Scen.* 3.

ut laxiora vaſcula & vaſculorum ſtamina ſanguinis attritionem & circulationem citatiorem, humorum ſecretionem & excretionem uberiorem, & perfectam reſolutionem obicum renitentium, ſi qui forſan impacti hæreant, ſine damno tolerare poſſint.

Secundò. Uſu receptum eſt generalibus illis indicationibus ſequenti methodo ſatisfacere. Vulgaris methodus, quâ iiſdem ſatisfit.

I. Vena tunditur in alterutro brachio, atque ſanguis emittitur ad ℥ xij.

II. Præmiſſo clyſtere emolliente catharticum ſequente die exhibetur, pro variâ ægrotantis temperie varium, ſed ut plurimùm ex infuſo ʒ ij. folliculorum vel foliorum ſennæ orientalis, & ʒ j. ſalis vegetalis, cum additis mannæ calabrinæ ℥ ij.

III. Deinde balnea aquæ communis tepidæ adhibentur, ſemel tantùm in die, ſi æger imbecillior ſit; ſi verò fortior fuerit, bis, manè jejuno ventriculo, & veſperi poſt confectam prandii concoctionem. In quolibet balneo immorandum eſt ad horam unam, vel ad ſeſquihoram; cæterùm in balneandis mulieribus, quæ uterum gerunt, cauto opus eſt, ne balneis nimiis aut diuturnioribus utero noxa inferatur, cauſaque detur abortioni.

IV. Propinatur quolibet mane in balneo vel in lecto hauſtus ſeri lactis depurati, chalybeati, & infuſis chamædryos, naſturtii aquatici, cerefolii &c. foliis alterati; vel juſculum ex pullo gallinaceo, aut fruſtulo carnis vitulinæ cum decoctis herbis diluentibus, refrigerantibus, vulnerariis, nempe cichorio ſilveſtri, pimpinellâ, agrimoniâ, ſcolopendrio, capillo veneris, naſturtio aquatico, & ſimilibus.

V. Balneorum numerus certâ lege non definitur, ſed varius eſſe debet, & pro ægrotantium temperie ſicciore vel humidiore major minorve. Rarum tamen eſt balnea citra decem ſubſiſtere aut aſcendere ultra ſexdecim.

VI. Finito balneorum uſu vena denuò ſecatur in plethoricis, ac deinde iteratur purgatio. Sin verò nulla adſit plethora, neque alia urgeat mittendi ſanguinis indicatio, omiſsâ venæ ſectione purgans denuò præſcribetur, quale ſuperiùs.

VII. Sunt qui balneum ſemel atque iterùm repetant poſt hanc alteram purgationem, ut fervorem cathartico inductum temperent, quod ipſe numquam improbo, imò in ægrotantibus bilioſæ temperaturæ & habitûs ſiccioris utile eſſe judico.

VIII. Cæterùm toto præparationis ſtadio imperatur diæta temperans, humectans, refrigerans ex cibis eupeptis & euchymis, moderatè aſſumptis, & in quâ à vino, venere & exercitiis nimiis tum corporis tum animi parcatur.

IX. Ex his liquet graviter eos errare, qui putant ægros ad hydrargyroſim præparandos eſſe remediis calefacientibus, juſculis *v. g.* viperinis; decoctis Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ & Saſſafras; præparatis Mercurialibus internè ſumptis &c. His enim ſanguinis fervorem, ſiccitatem, acrimoniam augent; his ſolidorum fibras, ſtamina, vaſa durant criſpantque: Hinc ergo Mercurii vis in ſanguinem magis tumultuoſa, ne dicam incendiaria; hinc excretiones parciores & acriores, hinc demùm fre-

quentiores futuræ ſunt oris & interaneorum phlogoſes eryſipelatodes, ulceroſæ, gangrænodes.

Præparatio operoſior, quæ adhibenda eſt.

Tertiò. Allata remedia ſatis ſunt ſuperque vulgo ſyphiliticorum, in quibus cæteroquin omnia ſana ſunt. At verò paulò operoſiore præparatione opus eſt, ſi qua labes alia gravis lateat, quæ cum lue venereâ conjuncta ſit, ut liquet exemplis ſequentibus, quæ notiſſimos & maximè obvios caſus exhibent.

1. In Pulmonariis,

I. Itaque ſi æger pulmonarius, macilentus, febriculæ obnoxius, anheloſus, tuſſiens in phthiſim vel tabem inclinaverit, neque ad hydrargyroſim, imò neque ad ullam ante hydrargyroſim præparationem properandum eſt,

1°. Niſi priùs exhibito lacte aſinino, caprillo, vaccino &c. per unum aut alterum menſem, ſemel aut bis in die, imò etiam pro omni alimento, ſi ventriculus facilè concoquat.

2°. In ipsâ præparatione blandis catharticis utendum eſt, mannâ ſcilicet vel medullâ caſſiæ; ac balneorum loco ſemi-cupia tantùm adhibenda, ne fortiorum purgantium vi vel nimiâ aquæ totum corporis habitum ambientis preſſione pectus malè habeat.

2. In cachecticis.

II. Si ægro lurido & cachectico pedes œdematoſi, & viſcera obſtructionibus infarcta ſint, 1°. Per duodecim vel quindecim dies exhibenda quotidie manè jejuno ventriculo opiata purgans & aperiens ex croco Martis aperiente, pulvere millepedum recente, aloë ſuccotrinâ, ſale tartari, abſintii, vel ammoniaco &c. ut promotâ diureſi ſerum in corpore ſtagnans evacuetur.

2°. Quarto vel quinto quoque die huic opiatæ addendum eſt jalappium ad gr. xv. vel xx. aut diagridium ad grana ix. vel xii. ut catharſi faciliùs egerantur, quæ ſegniùs tardiùſque diureſi educenda forent.

3°. Demùm in ipsâ præparatione nulla debet ut plurimùm venæ ſectio celebrari, vel ſaltem celebrari debet parciore manu: Balnea quoque minùs multa adhibenda, ne ſolidorum fibris vaſiſque jam morbo laxioribus nimia laxitas concilietur.

3. In ictericis.

III. In ictericis, quibus bilis, & hypochondriacis, quibus ſanguis ſpiſſior eſt ſicciorque, 1°. Utile eſt exhibere per dies aliquot juſcula vel apozemata ex decoctis foliis cichorii, ſcolopendrii, pimpinellæ, agrimoniæ, naſturtii, cum tartaro Chalybeato ſolubili ad ℈ j. vel arcano duplicato ad ʒ ß.

2°. Poſſunt, ſi tempeſtatis ratio permiſerit, aquæ minerales Chalybeatæ ex earum genere, quæ blandiùs agunt, quales ſunt *les Eaux de Forges, de Paſſy, de Carenſac, de Spa* &c. per hebdomadas aliquot potandæ præſcribi, ad libras ii. vel iii. manè jejuno ventriculo, balneo Mariæ priùs calefactas.

3°. In ipsâ præparatione balneorum uſui diuturniùs inſiſtendum eſt, quibus & bilis ictericorum tenuior, & hypochondriacorum ſanguis dilutior fiat, unde minùs periculi futurum ſit, ne in ipsâ hydrargyroſi turbas dent.

4. In epilepticis.

IV. Si æger frequentibus inſultibus epilepticis quati ſoleat, omni ope atque operâ enitendum eſt, ut fractâ priùs morbi vehementiâ nulli vel leviores paroxyſmi adfuturi ſint tempore hydrargyroſeos.

In hunc finem 1°. Sanguis paulò largiùs mittendus eſt, & mittendus quidem è pede, ut à cerebro quàm longiſſimè avocetur.

2°. Purgatio iterata non ignaviore cathartico molienda eſt, ſed emetico, quo docuit experientia cerebri infarctus qualeſcumque efficaciſſimè diſcuti vel imminui.

3°. Balnea eâ cautione adhibenda, ne noceat capiti nimia ſanguinis copia, quæ ab habitu corporis intrò repellitur aquæ ſuperincumbentis gravitate : Sin ſecùs omiſſis balneis ſemi-cupiis utendum.

4°. Toto præparationis tempore, imò etiam ante præparationem in uſum advocanda ſunt remedia, quæ anti-epileptica dicuntur, inter quæ famâ potiſſimùm valent pulveratum cranium hominis violentâ morte perempti; ungula alces; ſalia volatilia viperarum, cranii humani, cornu cervi; pulvis ad guttetam; radix valerianæ ſilveſtris pulverata; martialia; Mercurialia, præſertim cinnabaris antimonialis &c. ex quibus variè commixtis confici poſſunt boli vel opiatæ manè jejuno ventriculo deglutiendæ, ſuperbibendo juſculum radice pæoniæ maris alteratum.

V. Si in ægrotante tibiæ maculis violaceis, lividis, nigris variæ ſint; ſi gingivæ molles, fungoſæ, putres fuerint; uno verbo ſi ſcorbutus adſit, vel ſtatus ad ſcorbutum manifeſtè inclinans, uno aut altero ante præparationem menſe ſanguinis dyſcraſiæ & gingivarum putredini ſedulò medendum eſt ſequenti methodo. 5. In ſcorbuticis.

1°. Utendum eſt juſculis, apozematis, ptiſanâ ex decoctis radicibus herbiſque anti-ſcorbuticis; *v. g.* radicibus polypodii, lapathi ſilveſtris, lapathi aquatici, ariſtolochiæ rotundæ, ari, lepidii, raphani ruſticani &c. foliis cochleariæ, armoraciæ, naſturtii aquatici, becabungæ, hederæ terreſtris, lupuli, ſalviæ, argentinæ, erucæ, apii, chamædryos, chamæpityos &c.

2°. Bolis aut opiatis ex remediis ejuſdem ſimiliſve efficaciæ, qualia ſunt cortex Winteranus ſive canella alba, gannaperis ſive cortex Peruvianus, ſchacarilla, fæcula radicis ari, ſemen naſturtii, crocus Martis aperiens cæteraque martialia, antimonium diaphoreticum, æthiops mineralis, ſalia volatilia omnia &c.

3°. Aquis mineralibus Chalybeatis, quæ ſanguinis muriam eluant & vitioſam craſſitiem emendent, quales ſunt *les Eaux de Forges, de Paſſy, de Pougues, de Spa, de Carenſac, de Vals* &c.

4°. Lacte aſinino vel caprillo ſincero, aut vaccino cum addito ad æquas vel ad tertias partes decocto ligni ſancti, ſemel in die, manè ſcilicet jejuno ventriculo; vel bis, nempe mane & ſerò.

5°. Gingivæ putres, reſectis priùs fungis, ſi qui ſint, & ſcarificatâ fungorum baſi, Lanfranci collyrio, vel ſpiritu ſalis leviter imbuendæ ſunt, quo putredini occurratur : Deinde gargariſmatibus ſive lotionibus anti-ſcorbuticis abſtergendæ ſunt, quæ parantur ex aquâ vitæ cum additis camphorâ, ſaccharo candido & alumine rupeo; vel ex decoctis radicum ariſtolochiæ rotundæ aut biſtortæ, ſtrobilorum pini, corticis aurantiorum amarorum, foliorum & fructuum ſumach, cum addito ſpiritu vini camphorato & alumine rupeo ad ſ. q.

6°. Mitigatâ iis remediis morbi ferociâ, quod ad cætera adhibebitur vulgaris præparatio ad hydrargyroſim.

6. In iis qui diarrhœa habituali laborant.

VI. Demùm si syphiliticus diarrhœâ detineatur contumaci & habituali; aliquot ante hydrargyrosim mensibus laborandum est ut morbus curetur, vel saltem mitigetur.

Eo fine 1°. Æger identidem purgandus est cum catholico pro ore ad ʒ j. vel ij. aut syrupo magistrali ad ʒ j. ß vel ʒ ij.

2°. Pro notâ diarrhœæ causâ remedia adhibenda sunt varia, nempe aquæ minerales Forgenses (*de Forges*) pro potu ordinario, si à bile acriore; pulvis corticis brasiliani sive hipecacuanhæ ad gr. xx. xxv. vel xxx. si à pituitâ vitreâ, mordicante; pulvis Simaroubæ ad gr. xx. in substantiâ, vel ad ʒ ß. in decocto, si à sero salso morbus dependeat.

3°. Exhausto vel mitigato morbi fomite ad absorbentia recurrendum, inter quæ potissima sunt corallia rubra præparata, terra sigillata, lapis hæmatites, terra Japonica sive Catechu, crocus Martis astringens, cornu cervi ustum, malicorium, balaustia, gallæ, conserva rosarum, myva cydoniorum, theriaca, diascordium fracastorii; syrupi de rosis siccis, corallorum, cydoniorum &c. opiatica omnia &c. ex quibus pulveres, opiatas, bolus conficere facile est.

4°. Diæta imperanda est tenuis ex cibis eupeptis & euchymis, qui ventriculum non gravent, nec in vitiosa liquamina degenerare possint.

5°. Denique præparationis tempore balneis paucioribus utendum erit, ne alvus jam laxior nimiùm solvatur.

Hactenus de morbis variis, quos plerumque contingit cum lue venereâ concurrere, circa quos velim prudentem Medicum perpetuò memorem esse unguentum mercuriale tunc temporis, si unquam aliàs, & parcè & lentè administrandum esse, hoc est raris inunctionibus & dosibus parvis, unde non repentinus & tumultuarius in sanguinem impetus fiat, ut ab inunctionibus largioribus & frequentioribus, sed tardus ac segnis, quem proinde, si res forsan malè cederet, reprimere vel coercere facile futurum sit.

Nonnulli sunt morborum casus, qui præparationis moras non patiantur.

Quartò. Contra verò sunt aliæ morbi venerei facies, quæ nedum longiorem præparationem exposcant, sed ne vulgaris quidem præparationis moras permittant, si nempe os in artuum quodam latenter carioſum levi nisu vel ictu derepente diffractum sit, unde virulenta tabes circùm diffluat; si caries in osse quodam altior ad medullam propiùs accedat; si exostosis calens, dolens, lancinans in apostema videatur proximè degeneratura. Tunc sanè, cùm periculum sit in morâ summum, omissâ penitùs præparatione, vel ad summum præmissâ venæ sectione & purgatione ad hydrargyrosim ocyùs properandum est, quæ majoribus fiet inunctionibus semel atque iterùm, si ad retundendam symptomatis urgentis vehementiam uberiore Mercurii dosi opus esse videatur: At verò mitigato semel morbi impetu, tardiore gradu deinceps procedendum erit, tum ut Mercurius in sanguine diutiùs restitans vim majorem exerat, tum ne præcipitantiâ infortunium quoddam imprudenter advocetur.

Sed, si casus illos numero paucos excipias, præparatio

Si casus illos excipias numero paucos & reipsâ raros, auctor esse nolim ut diligens ægrotantium præparatio ante hydrargyrosim unquam omittatur, quam non modò utilem, sed etiam necessariam esse puto, tum ut vitia à lue venereâ aliena, si qua in sanguine vel in primis viis lateant, emendentur,

emendentur, tum ut admittendus Mercurius effectus ſuos feliciùs tutiùſque præſtare valeat. Itaque Sydenhamium, virum cæteroqui magni nominis, hac in re minimè audiendum eſſe cenſeo, dùm *in Epiſtolâ reſponſoriâ 2. De Morbis Venereis*, contendit *præludia* iſtiuſmodi tanquam *damnoſa* ſemper *omittenda* eſſe, ac præſtare nihil agere, quàm *venæ ſectione & tenuiore diætâ vires frangere, & importunè ſatagendo nocere.* Quaſi verò periculum eſſet ne vires ægrotantium miſſione ſanguinis & purgatione unâ aut alterâ intra dies quindecim ita exhaurirentur, ut Mercurio ferendo impares fierent: Cùm è contrario manifeſtum ſit cautâ illâ præparatione 1°. Eliminatâ primarum viarum cacochyliâ, 2°. Imminutâ vaſorum plethorâ, 3°. Relaxato ſolidarum partium erethiſmo, Mercurii in ſanguinem efficaciæ, ſanguinis cæterorumque humorum attritioni, demùm vitioſorum humorum excretioni per oris, inteſtinorum, cutis, renumve cola viam faciliorem parari.

aliàs nunquam ſine periculo omitti poteſt.

§. IV. QUÆ SIT COMPOSITIO UNGUENTI MERCURIALIS *ſive* NEAPOLITANI.

Una eſt & admodùm ſimplex ratio unguenti mercurialis ſeu Neapolitani componendi, quæ nunc uſu recepta ſit.

IV. Ut unguentum mercuriale ritè componatur.

I. Eligendus eſt Mercurius minimè adulteratus, ex cinnabari redivivus, aut ſaltem per corium ſæpiùs trajectus, atque adeo à plumbagine quàm maximè purgatus.

II. In mortario conterendus eſt additâ pauciſſimâ quidem, ſed tamen ſufficiente terebinthinæ quantitate, donec in fuſcum nigrumve pulverem extinguatur.

Quæ & quotuplex diligentia in componendo unguento obſervanda ſit 3

III. Cum illo pulvere miſcenda eſt pars æqua axungiæ ſuillæ non ſalitæ, non rancidæ, non liquefactæ, ſed à ſuis membranis purgatæ, & unà tandiù ſubigenda piſtillo, dum pulvis mercurialis in tenuiſſimas atomos diſtributus ſit, quæ oculi etiam armati aciem effugiant, & per totam unguenti maſſam ex æquo diſpertiantur.

IV. Poteſt etiam, ſi ita videatur, non æqua ſed dupla axungiæ pars cum pulvere Mercuriali miſceri, unde tertiâ parte debilior futura eſt unguenti facultas; ſed hæc medentium judicio permittenda ſunt, quorum officium eſt ex notâ ægroti temperie, morbique curandi inveteratione unguenti, quo uti placuerit, virtutem metiri ac moderari.

V. Uſum illorum minimè laudo, qui axungiæ loco unguentum mercuriale cum butyro conficiunt; nam eo pacto unguentum colliqueſcit faciliùs nec inunctæ parti ſatis adhæret: Adde mercuriales atomos minùs diſtractas & interjecto liquidiore butyro laxiùs coercitas in majores guttas faciliùs coire, quæ in cutis poros tantò difficiliùs penetraturæ ſunt.

VI. Cenſeo tamen graviùs peccari, ſi ex antiquiorum Medicorum præjudicio, quibus perſuaſum erat Mercurium frigidæ naturæ eſſe, unguento mercuriali calidiora remedia adjiciantur ad imaginariam illam noxam emendandam, ut oleum laurinum, chamæmelinum, irinum, rutaceum, ſeſaminum, anethinum; unguentum martiatum, aregon, enulatum; thus, ſtyrax, iris florentina pulverata, cinis ſarmentorum, & alia ejuſdem ge-

neris ſexcenta. Etenim ea medicamina nullius utilitatis ſunt, cùm Mercurius frigiditate non peccet, & plerumque ideo nociva, quòd cruori unà cum Mercurio inſtillata febrem aliquando cieant; quòd ſaltem cuti illita, quam acredine irritant & inflammant, exanthemata, phlyctænas, & eryſipelata producant, quibus æger, ſi in periculum non deducitur, at certè mirum in modum moleſtatur.

CAPUT VII.

De Adminiſtratione unguenti ſeu potiùs linimenti Mercurialis, ſive de hydrargyroſi.

Gemina eſt hydrargyroſeos methodus.

GEMINAM eſſe hydrargyroſim non ſemel diximus; alteram in quâ continuis vel ſaltem frequentibus & magnis inunctionibus ſalivatio cietur uberior; alteram in quâ rarioribus & minoribus frictionibus lues venerea extirpatur parciore ſalivatione. Utraque ſuas habet utilitates, pro ægrotantium ætate, temperie, ſtatu, aut morbi gradu & inveteratione; ideoque noſtri muneris eſſe reputamus utramque ordine proponere & explicare.

§. I. DE HYDRARGYROSI PLENIORE.

I. Plenior, cujus tria ſunt ſtadia.

In hac methodo tria diſtinguuntur ſtadia: Unum in quo adminiſtratis frictionibus ptyaliſmus proritatur; alterum, in quo motus ſemel ptyaliſmus cautè regitur; tertium, in quo perfectâ morbi curatione ſuperſtiti ptyaliſmo & ptyaliſmi reliquiis medicina adhibetur.

Primum, in quo adhibitis legitimis frictionibus ptyaliſmus movetur.

I. In primo ſtadio, 1°. Tribus primis diebus, atque adeò ſingulo quoque die; vel quod tutius prudentiuſque videtur, intra primos quinque dies, atque adeo diebus tantùm alternis frictiones tres adhiberi plerumque ſolent. Doſis unguenti ad frictionem quamlibet, ut rarò infra drachmas duas, ſic etiam rarò ſupra unciam ſemiſſem eſſe debet. Prima quidem frictio à pedibus ad tibiarum ſuras, altera verò à ſuris ad crura media, tertia demum à crurum medio ultra nates ut plurimùm extenditur. Frictionibus perinde opportunæ ſunt tum ſerotinæ, tum matutinæ diei horæ, modò manè ante cibum, veſpere perfectâ concoctione adhibeantur.

2°. Frictionis adminiſtrandæ methodus ſemper eadem eſt, nempe ægro ad ignem flammantem ſedente vel ſtante, pars ea corporis, quæ unguento inungi debet, manu ſiccâ ab Iatraleptâ priùs confricatur ad ruborem uſque, ut calore affrictûs pori laxiùs patefiant. Tunc deſtinata unguenti doſis inter latus utrumque æqualiter diſtribuitur, & nudis manibus ad ignem tandiù illinitur, donec intra cutim ſenſim imbibita exaruerit. Poſtea inunctus locus tibialibus linteis in tibiis, femoralibus in femoribus, vel induſio in reliquo corpore obtegitur, quæ indumenta tandiu geſtari neceſſum eſt, quamquam ſordida ſint, quandiu è re eſſe videbitur, ut inceptus ptyaliſmus ſuſtentetur & prolatetur; cùm enim unguento

à cute abraſo ſemel infecta ſunt, emplaſtri mercurialis vices gerunt, quo Mercurii in ſanguinem admiſti energia continenter promovetur. Denique inunctus æger calefactum lectum confeſtim repetit, ubi per unam aut alteram horam ſeſe continet, donec illitum unguentum altiùs penetraverit.

3°. Die uno poſt frictionem tertiam in oris interiora attentè introſpiciendum eſt, an fortè adſint ulla ſigna futuri ptyaliſmi, qui per id tempus ut plurimùm ingruit. Imò verò quantumvis duce experientiâ compertum ſit ſalivationem rarò moveri ante frictionem tertiam, potiſſimùm parcioribus unguenti doſibus, quales ætate noſtrâ illinuntur, nihilominùs tamen ſapientis eſt ad ſecundam, multòque magis ad tertiam frictionem non priùs procedere, quàm ore inſpecto de Mercurii vi certum augurium ductum ſit. Multa ſunt autem, quæ imminentem ptyaliſmum præſagiant, remotè quidem virium languor, cardialgia, capitis gravitas, pulsûs frequentia &c. Proximè verò parotidum & glandularum maxillarium tumor & dolor, dentium ſtupor, rubor & inflammatio extremorum ductuum ſalivalium tum ſuperiorum tum inferiorum, linguæ & gingivarum rubor & inflatio, oris calor & fœtor, aucta ſaiivæ ſecretio, frequentior ſputatio &c.

Et tutò quidem promovetur, modò cautè procedatur.

4°. Quòd ſi die ſeptimo nihil in ore novum, nihil mutatum appareat, tunc abjectâ cunctatione ad quartam frictionem non modò properandum, quæ lumbis & dorſo à naribus ad collum uſque illinenda eſt, ſed etiam paulò majore unguenti doſi utendum eſt. Imò ſi poſt quartam illam frictionem res in eodem ſtatu perſtiterit, die nono quinta frictio adhibenda, pari ſimilique doſi unguenti, ſuper utraque brachia à ſummis ſcapulis ad pugnos uſque.

5°. Contrà verò, ſi die illo ſeptimo præſens gingivarum, linguæ & buccarum ſtatus imminentem ptyaliſmum prænuntient, ne quid temeritati datum videatur, ſubſiſtendum eſt, donec apertè liqueat quò res abitura ſit. Si in plenum & legitimum ptyaliſmum erumpat, benè eſt, & ab ulteriore frictione penitus ceſſandum, motaque ſalivatio ex artis legibus infrà proponendis regenda eſt. Sin verò apparentia ſigna brevi evanida ſpem eludant, poſt dies aliquot quarta frictio celebranda, imò & quinta ſub cautione eâdem, donec tandem optatus appareat ptyaliſmus.

6°. A primâ frictione æger in cubiculo temperatè calido continendus; vino & ſolidioribus cibis interdicendus, ſi gravem diarrhœam, imò dyſenteriam declinare cupias, juſculiſque nutriendus, vel ad ſummum levioribus offis. Pro potu exhibenda ptiſana tepens ex decocto hordeo vel gramine cum liquiritiâ, quæ affatim potanda eſt tum ut præcaveatur febrilis incandeſcentia, tum ut ſufficiens materia ſalivationi ſubminiſtretur.

Et ægri dicto audientes ſint.

II. Moto ſemel ptyaliſmo, qui plenus & legitimus ſit, ſtadium adeſt curationis alterum, de quo nunc paucis.

1°. Plenum & legitimum ptyaliſmum illum dicimus, in quo ſaliva lenta, tenax, viſcoſa & pituitoſa fluxu jugi, vel parùm interrupto ab ore manat ad quatuor, quinque vel ſex libras intra nycthemeri ſpatium, quod tamen neque de incipiente, neque de deſinente ptyaliſmo intelligi velim, ubi ſalivatio necdùm ita uber, vel jam parcior eſt, ſed de ptyaliſmo ad ſtatum deducto, dum maximè viget, cujuſque legitimos limi-

Alterum, in quo 1. Motus ſemel ptyaliſmus ex artis legibus regitur.

tes à tribus ad ſex libras eſſe puto, quas ultra citraque nequeat rectum conſiſtere. Si enim fluxus infra libras tres ſubſiſtat, æquo minor futurus eſt, & qui debellando morbo ægrè par ſit, niſi per plures dies prorogetur. Sin verò ultra ſex invaleſcat, fortior, nec quem æger facilè tolerare poſſit per ſufficiens dierum ſpatium, ut morbus extirpetur. Poteſt autem ſalivationis gradus non modò præſens ex effluentis ſalivæ copiâ æſtimari, ſed etiam futurus ex ulcerum, quæ in ore pullulant, ſitu, numero, gradu ſatis tutò prænoſci, ut explicabitur infrà.

2°. Si ptyaliſmus modum debitum teneat, nec excitandus, nec coërcendus, ſed uno & eodem tenore fovendus eſt per dies 15. 18. 20. 25. prout uberior vel parcior fuerit.

Si verò ptyaliſmus exceſſu peccet & nimius eſſe videatur, compeſcendus eſt & ad debitum modum revocandus, 1°. Detractis tibialibus, femoralibus, induſio, lectique linteis, quæ ab illito Mercurio ſordent: 2°. Deterſis oris ulcuſculis & attactu collyrii Lanfranci coërcitis: 3°. Adhibitis etiam, ſi opus fuerit, catharticis, quæ partem limphæ & Mercurii ad os impetuoſiùs tendentium verſus inferiora divertant.

E contrà ſi ptyaliſmus defectu peccaverit & æquò parcior ſit, calcar torpenti Mercurio adhibendum eſt novis iteratiſque frictionibus, nempe ſextâ, ſeptimâ, octavâ &c. ſed eâ tamen cautione non antè adminiſtrandis, quàm ex obſervato oris ſtatu conſtiterit largiorem ſalivationem non expectandam eſſe, niſi novâ Mercurii additione concitetur.

3°. Sic ergo ex ptyaliſmi modo ac præſente oris ſtatu ſalivatoriæ therapeiæ canon & ordo perpetuò dirigendus eſt, uti ſolet ex inſpectâ pyxide nauticâ curſus navigii. Hinc unicè liquere poteſt ſtandumne in adminiſtrandâ hydrargyroſi, an procedendum vel retrocedendum ſit, atque adeo ea eſt indubia curationis norma, à quâ ſi nec temeritate nec inconſiderantiâ quicumque commiſſæ ægrotantium ſaluti providè conſulit, aberraverit unquam, non eſt cur timeat ulla in curationis ſtadio infortunia, vel ſaltem cur gravia timeat, & quæ poſſint ægros in diſcrimen conjicere.

2. Ulcerum ſitus, quæ in ore fiunt, diligenter obſervatur.

4°. Ulcerum, quæ in ore Mercurii efficaciâ fiunt, & quibus ptyaliſmus promovetur, diverſa ratio habenda eſt pro diverſo ſitu quem in ore tenent. Alia enim inutilia ſunt, imò periculoſa; utilia alia & à periculo omni vacua. Illa quidem omni ope atque operâ quàm celerrimè cohibenda ſunt, & ad cicatricem ducenda, ut quæ nocere poſſint: E contrà verò hæc totâ curationis periodo blandè fovenda, ut à quibus ſalivationis tenor dependeat.

5°. Ad priorem ſpeciem referenda ſunt, 1°. Quæcumque ſine utilitate moleſta ſunt, ut ulcuſcula, quæ labia ſuperiora vel inferiora; palatum; apicem, dorſum vel inferiorem faciem linguæ &c. occupant, unde docuit experientia ægros inani dolore angi & excruciari, ſine promotæ ſalivationis emolumento. 2°. Quæcumque incommoda ſunt cum periculo, ut ulcuſcula quæ gingivas depaſcuntur, unde dentium vacillatio & ſpontaneus caſus; quæ columellæ & tonſillis ſive pariſthmiis inſident, unde difficultas deglutiendi; quæ in radice linguæ adſunt, unde inflammatorius linguæ tumor, qui vocis uſum intercipit; quæ ipſis maxillarum commiſſuris internè adnaſcuntur juxta tendines muſculorum manſoriorum, nem-

ſe crotaphytis, maſſeteris, pterygoidis interni, unde eroſis convulſiſve illis tendinibus inducitur oris ſtrictura, vulgò *bridure*.

6°. Ad poſteriorem claſſem pertinent 1°. Quæcumque in genarum medio ad oſtia ductuum ſalivalium ſuperiorum ſive Stenonianorum propè adſtant; 2°. Quæcumque fræno linguæ hinc & inde aſſident, extremis oſtiis ductuum ſalivalium inferiorum ſive Warthonianorum confinia; 3°. Demùm quæcumque mediæ linguæ margines dentibus molaribus hinc & inde contiguos occupant, utpote quibus omnibus experientiâ compertum ſit, irritando, pungendo, lancinando ptyaliſmum ex ſympathiarum legibus alibi explicatis efficaciſſimè & uberrimè prolici.

7°. Debent ulcuſcula prioris generis, ubi primùm ptyaliſmus apparuerit, ocyſſimè cohiberi, ne morâ nimiùm excreſcant. In hunc finem cum penicillo linteo imbuto collyrio Lanfranci, quod in officinis proſtat, bis in die detergenda ſunt, donec deraſo albicante muco rubra fiant & ad cicatricem ducendam comparentur. Quòd ſi collyrium viribus impar eſſe videatur, admiſceri poſſunt guttæ aliquot ſpiritûs vitrioli vel ſpiritûs ſalis; imò in uſum vocari ſpiritus iidem melle addito mitigati, vel etiam ſinceri. Quâlibet vice poſt admotum penicillum collyrio vel ſpiritu acido intinctum dolor aliquandiu ſuſtinendus eſt, ut liquor ulceris cruſtam penetret; at intra momentum ptiſanâ tepidâ os poterit ablui, à deglutitione cavendo.

3. Quæ moleſta & inutilia, deterguntur, ut ad cicatricem veniant.

8°. Cætera ulcuſcula alterius ſpeciei, quorum certa eſt utilitas, blandè fovenda ſunt ac ſibi permittenda totâ ſalivationis periodo. In ſummâ ſi atrociùs doleant leniri poſſunt decocto tepido radicis althææ vel paſſularum & ficuum pinguium; infuſo ſeminum lini & pſyllii; aquâ ſpermatis ranarum; vel quod cæteris præſtat lacte vaccino vel caprillo tepefacto, ſolo vel cum croco infuſo &c. quibus os identidem colluendum eſt: At verò numquam temerè cohibenda, niſi ex immoderatâ humoris affluentis acrimoniâ contigerit ut eadem vel altiùs excaventur vel latiùs ſerpant, plerumque non ſine notabili vaſorum confinium eroſione, atque adeo cum ſummo hæmorrhagiæ periculo, in quo caſu utile futurum eſt ulcera nimiùm luxuriantia attactu remediorum, quæ propoſuimus, ita reprimi ut debitos limites minùs excedant.

3. Fovenſur reliqua, quæ ad fluxûs ubertatem faciunt ſine moleſtiâ.

9°. Interea, ſi exoſtoſis, dolor, tumor, gummatum, nodus, morbuſve ullus localis peculiarem corporis locum infeſtum habeat, pars illa ſingulâ quâque die ſi ptyaliſmus moderatus; alternâ aut tertiâ tantùm die, ſi nimius ſit, ex artis legibus inungenda eſt unâ aut alterâ pro vice quâlibet unguenti mercurialis drachmâ, ut eâ ratione, dum Mercurius in ſanguinem majoribus inunctionibus transfuſus potiſſimas in curando morbo partes implet, ſuperaddita Mercurii doſis, quaſi nova mantiſſa, in ſymbolam veniat, morbumque in parte quâdam peculiari radicatum ſpecialiùs impetat & extirpet. Verumtamen cauto opus eſt ne levioribus illis frictionibus ptyaliſmus jam motus nimiùm intendatur.

10°. Toto illo altero curationis ſtadio æger ſolis juſculis nutriendus eſt; & ſi eſuriat, ova ſorbilia ad ſummum concedenda ſunt, modò febris abſit. Largiſſimus ptiſanæ tepentis potus ingerendus eſt, ut minimum ad libras iv. vel vj. quovis nycthemero. Debet autem os ptiſanâ cautè priùs

4. Diligens diæta ægro præſcribitur.

collui, quotieſcumque juſcula vel ptiſana exhaurienda ſunt, ne pituita acrior viſcidiorque, quæ in ore hæret, abrepta in ventriculum moleſta tormina inferat.

11°. Licet ægro, ſi vires valeant, è lecto identidem ſurgere, & ad ignem ſedere intra cubiculum tepidum; ſi verò lectum teneat, debet in illo plerumque aſſidere erecto corporis trunco & capite antrorſum pendulo, ut ſaliva ſpiſſior ab ore faciliùs effluat. Demùm quoties præ virium imbecillitate exporrectus cogetur decumbere, jaceat in os pronus, neque in alio corporis ſitu ad ſomnum ſe unquam componat, nempe ut ſaliva perpetim in os affluens ſolâ viæ declivitate ſponte foràs manare poſſit & à ventriculo averti. Porrò ne nimio humorum decubitu alterutra pars oris, linguæ, genarumve immoderatiùs tumeat, curæ ſit ut æger, ſi fieri poſſit, in utrumque latus alternatim jaceat. Tandem ſi alvus pigrior ſit, altero vel tertio quoque die enemate ſubducatur.

Tertium, in quo ptyaliſmus exhauritur.

III. Eâ methodo ptyaliſmus regendus eſt totâ ſtadii ſecundi periodo, hoc eſt per dies xv. xx. xxv. ſi perfecta quæratur morbi curatio. Hinc verò ſalivatione ſponte fatiſcente incipit ſtadium tertium, in quo ptyaliſmi reliquias exhaurire, oris noxas reparare, & exhauſtas ægrotantis vires inſtaurare neceſſe eſt.

Itaque 1°. Lintea omnia, quæ à Mercurio ſordida ſunt, ut tibialia, femoralia, induſium, detrahenda ſunt, & mutanda lecti, in quo æger jacet, lintea, ut omnia munda ſint. Summa cutis, quæcumque Mercurii illitu ſpurca eſt, oleo amygdalarum dulcium primùm, inde aquâ vitæ detergenda, ne qua Mercurii portio in cute reliqua ſalivationem æquo diutiùs protrahat. Tunc quoque alvus, quæ plerumque ptyaliſmi tempore pigra, imò adſtricta ſolet eſſe ob humoris confluxum verſus os, primùm enemate eccoprotico, mox purgante laxanda eſt ex decocto foliorum verbaſci & ſeminis lini, addito butyro recente aut oleo amygdalarum dulcium, vel caſſiâ recenter extractâ ad ℥ j ß. aut catholico ad ℥ j.

2°. Die ſequente exhibenda purgatio ex ſennâ, rhabarbaro, ſale vegetali, mannâ, caſſiâ, aliiſque hujus generis blandioribus catharticis, quæ ſi ptyaliſmus uberior ſit, alternis diebus iterùm atque iterùm repetenda eſt, donec ptyaliſmus pedetentim exhauriatur.

Oris ulcera curantur.

3°. Oris ulcera, quibus hucuſque parcere viſum fuit, detergenda arte eâdem, quam ad moleſta vel periculoſa adhibendam eſſe modò dicebamus, nempe bis in die intingenda ope penicilli lintei collyrio Lanfranci, vel ſolo, vel quod additis ſpiritûs ſive vitrioli ſive ſalis guttis aliquot acuatur; imò, ſi collyrium Lanfranci inefficax eſſe videatur, ſpiritu ipſo vitrioli vel ſalis melle temperato. Inde ſæpiùs eluenda aquis thermalibus tepentibus, *v. g.* aquis balerucanis, vel decocto tepido radicis althææ, vel hordei integri cum melle roſaceo, cui poſt dies aliquot vinum rubrum guttatim debet infundi, ut ulcera ad optatam cicatricem feliciùs citiùſque deducantur. Tandem vinum rubrum purum putumque adhibendum eſt, quo nihil præſtantius ad curationem.

Solidior cibus permittitur.

4°. Paulò ſolidior cibus paulatim exhibendus eſt poſt purgationem, ut offæ, cremores oryzæ, panatellæ ex cruſtâ panis, aut ex carne gallinæ contritâ, ova ſorbilia &c. imò pullorum vel gallinarum caro aſſata aut

elixa, modò ulceroſus oris ſtatus ſolidiorum ciborum maſticationem & deglutitionem pati poſſit. Cæterùm cùm ægrotantes, qui ab hydrargyroſi convaleſcunt, fame ſeu potiùs eſurie tentari ſoleant, cavendum ne immodicâ ciborum ingurgitatione morbum novum ſibi accerſant.

5°. Dùm ulcera coeunt, curandum ne linguæ latera margineſve cum internis gingivis, aut cum externis interior genarum facies conglutinentur, ideoque ægrotanti curæ ſit, ut intruſo in os digito linguæ margines, genaſque internas à gingivis hinc & inde identidem disjungat. Oportet etiam os ſæpiùs diduci & maxillarum commiſſuras diſtrahi quàm maximè, ne ulcera locis illis inuſta in ſeſe contrahantur & complicentur, & arctiore cicatrice coeant, quæ naturalibus maxillæ & buccarum motibus officiat.

6°. Ulcera ſemel repreſſa neque ampliùs gliſcentia naturæ viribus & temporis efficaciæ permittenda ſunt, donec paulatim gradariâ cicatrice obducantur. Periculum enim eſt ne in duriores & calloſas cicatrices abeant, ſi feſtinatione nimiâ, quæ moræ impatiens ſit, collyrio Lanfranci vel ſpiritu ſalis frequentiùs imbuantur.

Vires demùm inſtaurantur.

7°. Dum omnia in melius ſenſim abeunt, tunc primùm aër paulò liberiùs in cubiculum admittendus eſt reclusâ portâ vel feneſtrâ, vel quod præſtat ab illo cubiculo demigrandum; imò verò ægrotantibus magnoperè conducit rus ſe conferre, ut cœlo puriore uti & auram liberiorem captare poſſint, quæ ad perfectam celeremque virium inſtaurationem non parum faciunt.

8°. Demùm ſi ita è re eſſe videatur ex notâ ſicciore, acriore, fervidiore ægri temperie, uſus lactis aſinini, caprilli, vel vaccini per menſem præſcribendus eſt, ſemel aut bis in die, ſcilicet manè & ſerò, quo plerumque nihil efficacius eſt ad prægreſſæ ſalivationis reliquias exhauriendas, ulcera quæ in ore ſuperſunt ſananda, vireſque remedio & inediâ debilitatas reparandas.

§. II. DE PARCIORE HYDRARGYROSI.

II. Hydrargyroſis parcior.

Hæc altera methodus priore facilior, expeditior, commodior eſt; utinam æquè certa & efficax! Cum præcedente convenit præparationis modo, unguenti adhibendi qualitate, ſimilique cautionum naturâ, quæ potiſſima ſunt curationis capita: Ab eadem verò in eo tantùm differt, quòd minoribus unguenti doſibus & longioribus inunctionum intervallis adminiſtretur.

In quâ minoribus unguenti doſibus.

1°. Doſis unguenti mercurialis ad unctionem unamquamque poteſt eſſe à drachmâ unâ ad drachmas duas, quæ methodo eâdem, ſimilique operâ partibus ſucceſſivè ad ignem illinenda; hoc tantùm diſcrimine quòd pro unguenti paucitate pars quoque corporis ſuperficie minùs extenſa inungenda ſit, *v. g.* pedes tantùm primâ, tibiæ ad ſuras uſque ſecundâ, genua tertiâ, crura uſque ad nates quartâ, nates & interfemineum quintâ, lumbi ſextâ, dorſum & interſcapulium ſeptimâ, octavâ demùm & nonâ, ſi locum habeant, utrumque brachium ad pugnos uſque.

2°. Sunt qui reliquias unguenti, quæ cuti illitæ ſuperſunt, ſoleant de-

+ 6 itâ opera abſtergere poſt finitam frictionem, ne linimenti ſuperſtitis odor remedium prodat: Quod quidem facilè condonandum eſſe jam ſuprà monuimus, *Lib. II. Cap.* 9. quoties neceſſe eſt ægrum ſe præſentem ſiſtere quotidie coram amicis, parentibus, conjuge, plurimique refert genus remedii celari, quod clam adhibetur. Verùm enimverò, ut ibidem quoque monuimus, ſimul operæ pretium eſt, ſi fauſtus remedii ſucceſſus curæ fuerit, quidquid inde detrahitur de efficaciâ unguenti adhibiti deterſione præfeſtinâ, abundè compenſari 1°. Diuturniore fricatione, quâ unguenti particulæ & copioſiùs & altiùs penetrent; 2°. Paulò majore unguenti doſi ad frictionem quamlibet, unde mercuriales atomi in ſanguinem transfundantur largiore proventu.

Et inunctionibus rarioribus.

3°. Inter frictiones ſingulas neceſſe eſt ut intercedant tres, quatuor, quinque dies, imò etiam ſex ſeptemve, ſi æger valetudine vel naturâ infirmior ſit. Ac ne ſoli quidem dierum intervallo, quantumvis longo, ullomodò fidendum eſt, ſed ad ulteriorem inunctionem numquam procedendum, niſi priùs ex inſpectis buccis, linguâ, gingivis &c. apertè liqueat rem in præcipitem ptyaliſmum proximè emerſuram non eſſe.

Atque adeò ſalivatione parciore morbus extirpatur.

4°. Itaque lentè feſtinandum totâ curationis periodo levioribus & rarioribus inunctionibus, nempe diligenter cavendo ne quid infortunii accidat ex moto largiore vel nimiùm præcipite ptyaliſmo; ſed feſtinandum tamen, & ſi neceſſe ſit, auctâ unguenti doſi vel contracto inunctionum intervallo opus paulatim ita urgendum eſt, ut poſt quartam quintamve frictionem ſalivatio cieatur non quidem præceps; tumultuoſa; ſubitum oris, colli, capitis tumorem inferens; inflammatoria, phlogodes, altè latèque ulceroſa; fræni impatiens, immoderata; in quâ emiſſa ſaliva aſcendat die quâlibet ad libras VIII. IX. X; qualem à pleniore hydrargyroſi induci frequenter dolemus; quâ ægros non paucos ſuffocari, quâ pleroſque in manifeſtum diſcrimen venire notum eſt: Sed è contrario lenta; lenis; facilis regi; nullo capitis tumore ſtipata; leviter aphthodes, vel ad ſummum ſuperficiariè phlyctænodes; moderata; quæ libram unam aut alteram ſalivæ tantùm ſuggerat quovis nycthemero; ſine quâ vix quidem licet unquam ſperare morbum venereum extirpari poſſe, maximè ſi inveteratus fuerit, ut infrà probabitur *ſequente Capite*, quâ verò conſtanti experientiâ compertum eſt ægrotantium ſalutem numquam periclitari.

Sed cavendum, ut ſalivatio foveatur, ſi moderata.

5°. Quandiù ſalivatio eâ ratione mota modum tenet, qualem deſcribimus, tandiù cautè fovenda eſt ex artis legibus, ab ulteriori inunctione abſtinendo. Quòd ſi exhalante ſenſim Mercurio remiſſior fiat & paulatim ita concidat fatiſcatque, ut ceſſaturæ proxima videatur, tunc renovatis eâdem cautione frictionibus toties intendenda vel inſtauranda eſt, quoties morbus gradu, malignitate, inveteratione, ita exigere videbitur ad plenam perfectamque mali curationem, ut eo pacto totâ therapeiæ periodo idem ſalivationis tenor arte ſuſtentetur.

Contineatur, ſi nimia.

6°. Contrà ſi ptyaliſmus derepente erumpat, quod ſanè rarum non eſt poſt inunctiones ter, quater, quinquies adhibitas, præſertim ſi doſi nimiâ aut breviore intervallo adminiſtratæ fuerint, tunc frictionibus ſuperſedendum eſt diebus aliquot, alvus enematis ſolvenda, largus ptiſanæ potus

tus exhibendus, neque priùs inunctio denuò repetenda, quàm temporis morâ, diaphoresi, diuresi, vel alvi resolutione impetus materiæ nimium ptyalismum molientis retusus sit, & salivationi immoderatiori fovendæ jam planè impar.

7°. At verò si ptyalismus eâ methodo sibi aliquandiù permissus sponte non remittatur, sed contrà sensim glisceus in inflammatoriam aut ulcerosam salivationem proximè abiturus videatur, tunc iteratis purgationibus ex sennâ, sale vegetali, mannâ, cassiâ &c. alvus blandè subducenda semel atque iterùm, ut turgens materia, quæ in os vim tumultuosè factura foret, ad inferiora divertatur. Reprimatur, si immoderata.

8°. Quòd si fortè contigerit ut ptyalismi impetu iteratis purgationibus nimiùm coercito vel represso salivæ fluxus inde penitùs cesset, vel fiat æquo tardior, lentiorque; post inducias dierum aliquot ad frictionum usum redeundum erit, sed eâ cautione, ut cùm experientiâ jam liqueat in ægrotante sanguinem energiæ Mercurii justo faciliùs obsequi, unguentum ideò minore jam dosi & intervallis longioribus administretur, ne sit error novissimus pejor priore. Demùm renovetur, si suppressa sit.

9°. Difficile est à priori definire quantam unguenti copiam inungi necesse sit totâ periodo ad perfectam morbi curationem; in hoc siquidem multipliciter variari solet pro ægrotantium ætate, sexu, temperamento; morbi malignitate, gradu, inveteratione; partium affectarum numero, nobilitate, usu &c. Proindè certum judicium hac de re à posteriori faciendum est ex accepto levamine & cessatione symptomatum, ut probabimus *Capite sequente*. Frequenti tamen observatione compertum habemus totam illiti unguenti copiam nec infra uncias duas subsistere, nec supra tres quatuorve ascendere ut plurimùm debere. Unguenti quantitas, quæ in hac periodo inungi debet.

10°. Similibus consiliis tota curationis periodus regi debet, salivatione permissâ quidem, sed lentâ, gradariâ, leni, parùm ulcerosâ, ut modò dicebamus. Cæterùm in hac methodo tantò diutiùs curationi immorandum est, quantò minoribus dosibus & longioribus intervallis Mercurius adhibetur: Inde enim tardiùs, lentiùs, inefficaciùs agat necesse est. Quamobrem diuturniore morâ opus est, quàm in præcedente methodo, ut quodcumque de remedii vi detractum est, tempore compensetur. Itaque à carceribus remedii ad metam dies 30. 40. 50. imò etiam plures computandi sunt pro diverso tum morbi gradu, tum inunctionum adhibitarum numero, hoc est à primâ inunctione ægro tandiù in linteis unguento delibutis sordescendum est, nisi malit spontaneæ recidivæ aleam experiri. Sicut etiam curationis diuturnitas ex accepto levamine definienda sunt.

11°. Ubi semel visum fuerit lintea sordida posse ægro detrahi, cætera omnia, ut in priore methodo, simili eademque ratione geri debent. Itaque purgatione unâ aut alterâ alvus moveatur; diæta largior sensim concedatur; permittatur aër purior, liberior; præscribatur matutinus lactis usus, ac demùm æger suis muniis restituatur.

12°. Verùm si accidat unquam, ut Mercurii efficacia casu, errore, imprudentiâ, eò usque processerit, unde gradum revocare nullo modo liceat; motaque adeo salivatio, eluso catharticorum usu, fræni omnis impatiens esse videatur, nequaquam contrà enitendum diutiùs frustraneo Quid agendum sit si res in manifestum

ptyaliſmũ erumpat ?

conatu, ſed prudenter obtemperando res eò deducenda potiùs quò natura vergit. Apertus itaque ptyaliſmus permittendus, regenduſque ex legibus in priore methodo propoſitis, fovendus ſcilicet, ſi moderatus; contrà compeſcendus ſi nimius fuerit, donec poſt dies 18. 20. 24. præmiſsâ, ut moris eſt, purgatione, oris ulcera detergere, ciborum uſum concedere, & ægrum vitæ priori reddere liceat.

Quænam diæta conducat in hac methodo ?

13°. In iſtâ methodo, modò carnium & vini uſus ex toto circumcidatur, diæta paulò largior eſſe poteſt, adeoque leves offæ, cremores oryzæ, panatellæ &c. permitti poſſunt, imò etiam uſus lactis vaccini ſemel in die, horis nempe matutinis, ſi ita è re eſſe videatur ex notâ ſanguinis diatheſi, quandiù nec ulla ſalivatio, nec ulla aderunt inſtantis ſalivationis indicia; ſin aliter enim æger ut in priore methodo dictum fuit, ſolis juſculis nutriri deberet. Cæterùm largus ptiſanæ tepentis potus imperandus eſt, ut venerea ſanguinis colluvies elura per diureſim vel diaphoreſim elabatur; & alvus, ſi contracta ſit, emollientibus enematis ad egeſtionem fæcum identidem ſollicitanda.

14°. Ægris licitum eſt è lecto ſingulis, ſolidiſque diebus ſurgere, modò tamen intra conclave temperatè calens ſeſe contineant ab externis aëris injuriis tutos: Neque enim illorum uſum probandum cenſeo, qui in ipsâ therapeiâ ægrotis totâ urbe vagandi copiam faciunt. Certè ſi nimia illa indulgentia ſemel forſan atque iterum non malè ceſſerit, propter tardiorem in ægris quibuſdam Mercurii efficaciam, at contrà experientiâ compertum eſt ægros inde in extremum capitis periculum pluries adductos fuiſſe; nec proinde auctor eſſe velim, ut ullus viam tam lubricam & periculoſam unquam inſiſtat.

Generales hydrargyroſeos cujuſvis canones.

Patet hinc ad ſummam in hydrargyroſi quâcumque ad quatuor potiſſimùm attendendum eſſe.

1°. Numerum, doſim, frequentiam inunctionum mercurialium nullâ certâ lege definiri poſſe, quâ æquum ſit ægrotantes omnes indiſcriminatim adſtringi, ſed in variis pro temperamento, ætate, viribus, morbi gradu & inveteratione, variè variare: Rem totam proinde medentium prudentiæ permittendam eſſe, quam pro re natâ diverſimodè recturi ſint: Monendos eſſe tantùm, ut cauti ſint, diem unum atque alterum inter frictiones plerumque interponant, ad ulteriorem inunctionem numquam procedant, niſi priùs inſpectus oris ſtatus apertè permiſerit, uno verbo lentè feſtinent ac curent diligentiſſimè *Ne quid nimis:* Mercurium in ſanguinem iteratis inunctionibus introducere facillimum quidem, ſi forſan deſit; ſemel verò introductum educere, ſi copiâ peccaverit, perquàm difficile eſſe: Quocircà in adhibendo remedio iſtiuſmodi ſatius tutiuſque ſemper fore, ſi calcare, quàm ſi fræno utendum ſit.

2°. Cauto opus eſſe potiſſimùm, ſi dum æger inungitur, cœlum flante auſtro æſtuoſius fiat, ſiquidem compertum eſt ob acceleratum cruoris motum & laxatum partium tonum Mercuriales atomos, quæ in ſanguine confuſæ latent, ferri majore impetu ac ptyaliſmum nimis præcipitem plerumque movere, ut jam ſuprà *Capite 6.* dictum eſt de æſtivâ tempeſtate. Contrà verò minùs eſſe periculi à Mercurii energiâ, ſi tempore inunctionum ſpirante aquilone frigus invaleſcat, cùm enim contrariorum con-

craria ſint conſequentia, tunc ob retardatum cruoris motum & aſtrictum viſcerum tonum futurum eſt, ut ab atomis mercurialibus minores tardioreſque turbæ cieantur.

3°. Pro piaculo vulgò etiamnum haberi, ſi venter, thorax, caput mercuriali unguento inungantur: Videri horrorem illum ex antiquo Medicorum præjudicio olim natum, Mercurium nempe venenatæ qualitatis eſſe, neque adeo poſſe ad vitales nobilioreſque partes propiùs illini ſine periculo: Experientiâ quidem jam dudùm compertum fuiſſe Mercurium ex ſe planè eſſe innoxium; necdùm tamen intermiſſum eſſe morem illum parcendi ventri, thoraci, capiti inter inunguendum; quin imò, cùm Mercurius perinde agat cuicumque corporis parti illinatur, nec temerè intermittendum videri, ne forſan qui ſecùs fecerit, malè audiat apud imperitos, ſi quid infortunii ex aliâ qualicumque causâ evenerit: At verò ſi nodus, ganglion, exoſtoſis, tumor, ulcus, uno verbo morbus quivis localis ventrem, thoracem, aut calvariam occupet, tunc inani præjudicio nequaquam obſequendum eſſe; ſed localibus inunctionibus partem affectam illiniendam eſſe ex arte, quod non modò ſine ullâ noxâ, ſed etiam cum emolumento maximo fieri poſſe experientiâ non ſemel ipſe didici.

4°. Narcoticorum uſum, præſertim opiaticorum, quæ impermiſta & fortiora ſunt, ægrotis numquam concedendum eſſe ſalivationis tempore, quantumvis dolor oris ulceroſi quo torquentur, & agrypnia contumax quam patiuntur, contrà ſuadere videantur. Timendum enim ſi ſalivæ fluxus narcoticorum energiâ derepente ſupprimatur vel nimiùm retardetur, ne locus detur tumefactioni glandularum ſalivalium, tum ſuperiorum, tum inferiorum, unde ſanguis à regreſſu cohibitus & in cerebro reſtitans veternum inexpugnabile producturus ſit. Itaque poteſt ad ſummum modò febris abſit, permitti modica theriacæ doſis ad ʒ ß. quæ præſertim conducit, ſi remedii tædio & labore æger confectus tum viribus tum animo deficiat.

CAPUT VIII.

De Infortuniis, quæ in hydrargyroſi pleniore quandoque eveniunt, & de eorumdem remediis.

Expedit in adhibendâ hydrargyroſi methodos ſingulas callere, quibus infortuniis mederi liceat, ſi qua eveniant.

QUEMADMODUM peregrinantibus prodeſt noſſe non modò ſtratam viam regionis, quâ iter eſt, ſed etiam calles ſemitaſque, quibus, ſi forſan aberratum ſit, liceat viæ compendio regredi; ratione eâdem in mercuriali therapeiâ medentibus utile eſt præter methodum, quam in præcedente Capite deſcripſimus, & quæ communiſſima eſt, cæteras quoque methodos jam deſcribendas perſpectas habere, licet uſu rariores ſint. Si certa eſt & explorata illius utilitas, quoties ptyaliſmus ex voto ſuccedit, ſic hæ locum habent perutilem & ſalutarem, quoties infortunium qualecunque in hydrargyroſi advenit. Quocirca ne qua *nova* morbi *facies*, *inopinave ſurgat*, omnes methodos illas antè *percepiſſe* ex-

pedit, cùm omnes perinde pertineant ad artis Medicæ complementum ut quæ non minùs obliqui quod malè, quàm recti quod benè cedit, consultrix esse debeat.

Infortunia, quæ pleniorem hydrargyrosim sequuntur, in tres classes distingui solent pro triplici therapeiæ stadio.

Infortunia, quæ in hydrargyrosi evenire solent, numero multa & naturâ dissimilia sunt, quorum nonnulla utrique hydrargyroseos methodo, pleniori & parciori, communia; pleraque alterutri tantùm propria sunt. Ut ergo singula ordine proponantur, visum est universa in duas classes distribuere, & ea quæ pleniorem in hoc, cætera quæ parciorem hydrargyrosim sequi solent, in sequente Capite sigillatim tractare.

Solemne est in pleniore hydrargyrosi tria stadia distingui, ut suprà dictum est, quorum unumquodque sua habeat infortunia.

§. I. INFORTUNIA PRIMI STADII.

In primo, dum Mercurius sanguini latenter instillatus tumultuatur exitum sibi moliturus quà data porta,

I. Subita capitis tumefactio cum calore & dolore.

I. Accidit aliquando post tertiam quartamve inunctionem, ut salivales glandulæ tum maxillares, tum parotides tonsillæque derepente tumeant, caleant, doleant; lingua tumefiat & foràs promineat; facies totumque caput turgescant, unde deglutitio & respiratio difficilis; vox suppressa vel incondita, & mugitui similis; sopor, veternum, lethargus; febris &c. quæ si non omnia semper adsint, at saltem pleraque solent unà concurrere.

Dependent mala hæc omnia à Mercurio nimiis & frequentioribus dosibus administrato, quo glandulas salivales tonsillasque, in quas impetuosiùs ruit, subitò dilatari, cohibitoque proinde sanguinis refluxu à cerebro per appositas jugulares venas, cætera omnia consequi necessum est.

Una salus est, quoties contingit ut ægri funestâ illorum symptomatum syndrome opprimantur; nempe nimium Mercurii impetum ocyssimè retundere & coercere, vel saltem aliorsùm divertere, ut detumescentibus salivalibus glandulis lethalis in cerebro hæmostasia declinetur.

Itaque 1°. Vena illicò incidatur in brachio, vel quod præstat in pede, sanguisque non semel, sed iterùm atque iterùm mittatur & largâ quidem manu, si morbus urgeat, & ægrotantis vires tolerando pares sint.

2°. Detrahantur extemplò indusia omnia Mercurio intincta, mutenturque lecti lintea; imò si commodè fieri possit, mercurialis sordities, quæ cuti inhæresçit, detergatur, ne Mercurio intùs furenti tacitas ferat suppetias.

3°. Immittatur, si per tempus liceat, clyster purgans ex decocto foliorum sennæ, cum diaphœnico aut hierâ picrâ; imò cum aquâ benedictâ Rullandi turbidâ, ut egestis fæcibus, quæ in crassioribus intestinis induratæ hærent, futuræ purgationi via fiat liberior.

4°. Deinceps sine morâ exhibeatur catharticum, pro morbi gradu & ægrotantis ætate vel viribus varium, sed plerumque ex infuso folliculorum sennæ, radicis rhei, & salis vegetalis cum additâ mannâ: Imò si grave periculum immineat, cum aquâ benedictâ Rullandi, seu vino eme-

tico ad ℥ j ß. Verùm tamen, ſi ob præcluſum guttur à tonſillarum tumore vomitio difficilior futura eſſe videatur, præſtaret grana aliquot tartari ſtibiati ſolubilis, *v. g.* v. in aquæ libris ij. diſſolvere, & partitis hauſtibus potanda præbere; ſic enim fracta, adeoque vomitioni promovendæ impar deorſum ire perget ſtibii vis, quæ paulò fortior impetum ſurſum factura fuiſſet.

5°. Caveatur ſollicitè ne lingua tumens & extra os exſerta primoribus dentibus vulneretur, imò etiam, quod pejus eſt, ne præcidatur, ut non ſemel obſervatum fuit. Itaque lignei cuneoli utrimque altè adigantur inter maxillas, ut dentes nec ſibi invicem allidere, nec linguæ, quæ intermedia eſt noxam ullomodò inferre valeant.

6°. Repreſſo ſemel ferocientis Mercurii impetu, quo æger in capitis diſcrimen deducebatur, oris interiora, in quæ tota pernicies mox eruptura eſt, ſedulò temperentur ne phagedænicam exulcerationem contrahant, & in hunc finem foveantur jugiter lacte tepido, ſolo vel cum infuſo croco orientali; decocto radicum althææ, nymphææ &c. ſeminum lactucæ, papaveris albi, hyoſcyami albi, melonum &c. infuſo ſeminum lini, pſyllii &c. in aquâ communi; aquâ diſtillatâ ſpermatis ranarum &c. cautè abſtinendo gargariſmatis quibuſcunque acidis, aſtringentibus, & repercutientibus, quæ ſalivam exiturientem retinendo graviſſimos & periculoſos decubitus in glandulas ſalivales poſſent accerſere.

7°. Ptyaliſmus, ſi vehementior uberiorque ſuccedat, ut ſuccedit plerumque, ex artis legibus prudenter compeſcatur diætâ tenuiſſimâ, largo ptiſanæ potu, uſu clyſterum quotidiano, iteratâ purgantium exhibitione &c. Quòd ſi verò accidat caſu vel fortè fortunâ, ut admiſſi Mercurii vis adhibitis remediis frangatur, & ſalivatio vel nulla, vel votis minor jam cieatur, poterit tunc Mercurii efficacia intendi vel renovari reſtitutis linteis Mercurio ſordidis, quæ detracta ſunt, vel adhibitis denuò frictionibus aliquot, ſed prudenter, parcè ac longioribus intervallis, ne iteratâ culpâ ad eumdem lapidem iterùm offendatur.

II. Quandoque citra graviorem ullam perniciem æger febre tentatur poſt tertiam quartamve inunctionem, continuâ vel intermittente, intensâ vel remiſsâ &c. quâ oris interiora impensè calent, ſalivatio ſupprimitur vel remittitur, ſpiritus ægrè ducitur, cæteraque omnia invehuntur ſymptomata, quæ febris propria ſunt, ſed vulgaribus tantò pejora, quòd Mercurius per diverſa loca exitum moliens in ſanguine tumultuetur. II. Febris continua vel intermittens.

Provenit febris illa à geminâ causâ, 1°. Quòd neglectâ ante hydrargyroſim præparatione nec primarum viarum cacochylia educta fuerit, nec vitioſa ſanguinis acrimonia emendata: 2°. Quòd Mercurius præcipitantiùs adminiſtratus ſit, atque adeo impete facto turbas nimias in ſanguine cieat.

Cæterùm, à quâcumque causâ dependeat, huic mederi ſatis facile eſt, ſi levior ſit, diætâ tenui ex juſculis aquoſioribus, largo ptiſanæ potu, uſu enematum emollientium, ceſſatione ab ulteriore inunctione, detractione linteorum &c. at verò ſi gravior ſit, ſi curatu difficilior diætæ non cedat, imò ſi invaleſcat in dies, ad tutiora & efficaciora recurrendum erit.

Itaque 1°. Vena ſecabitur ſemel iterùmque, ſi morbi vehementia videatur iterationem exigere.

2°. Purgatio inſtituetur ex infuſo folliculorum ſennæ & ſalis vegetalis, cum additâ mannâ vel medullâ caſſiæ, quibus ſi pigrior alvus ſit, aliquot tartari ſtibiati ſolubilis grana adjicientur.

3°. Si febris periodicè intermittat, adhibebitur cortex peruvianus, vulgò *Kinakina*, in ſubſtantiâ vel in decocto, ſemel plurieſve in die, ad ʒ j. vel ij. doſi quâlibet, cujus efficacitas explorata eſt in curandis febribus periodicis, tum continuis, tum intermittentibus.

4°. Curatâ ſemel febre, ſi æger infirmior eſſe videatur, Mercurialis therapeia in aliud tempus differetur: Si verò viribus ſatis valeat, ſalivatio urgebitur, ſi ob adhibita remedia remiſerit tantùm, vel renovabitur ſi ceſſaverit, quem in finem oportet & lintea reddi, quæ Mercurio ſordidata ſunt, & novas aliquot inunctiones, ſed cautè iterari, cæteraque omnia regi juxta leges ſuprà explicatas.

III. Gravis diarrhœa in dyſenteriam ſæpe degener.

III. Solet in nonnullis ſecundæ vel tertiæ inunctioni ptyaliſmi loco gravis diarrhœa ſuccedere, quæ ſi negligatur, citò abitura eſt in manifeſtam dyſenteriam, in quâ tormina maxima, teneſmus ferè perpetuus, difficilis excretio paucæ, mucoſæ, ſanguinolentæ materiei, non rarò cum febriculâ, quæ identidem recurrit vel ingraveſcit.

Id mali frequens eſt 1°. In iis qui nullâ ad hydrargyroſim præparatione uſi ſunt, vel negligentiùs uſi. 2°. In iis qui à primo curationis die regulis diætæ non obtemperant, ſed vinum potant, aut cibis nimiùm ſeſe ingurgitant. 3°. In iis, quibus infirmior eſt inteſtinorum tonus rariorque glandularum inteſtinalium textura, unde fit ut pro minori reſiſtentiâ Mercurius in corpore tumultuans in hæc loca impetum majorem faciat.

Tunc una curationis ratio eſt, nempe remedia anodyna & paregorica qualicumque viâ adhibere, quæ humorum defluentium acrimoniam demulcere valeant & partium ſolidarum erethiſmum compeſcere.

Itaque 1°. Suſtineatur nimius Mercurii impetus ceſſando ab ulteriore inunctione; imò ſi immoderatus videatur, coerceatur detrahendo lintea, quæ morbo formitem ſuggerunt.

2°. Vena ſecetur in brachio alterutro, unde ſanguis educatur ad ʒ xij. ſi calor dolorque inteſtina malè habeant cum manifeſto phlogoſeos, imò inflammationis periculo.

3°. Oleum amygdalarum dulcium recens & ἄπυρον exhibeatur partitis hauſtibus inter ſingula juſcula ad ʒ ß. vel ʒ j quâlibet doſi; & ptiſana parata ex decoctis radicibus althææ, foliis verbaſci, floribus malvæ, verbaſci &c. largiter potetur.

4°. Infundantur in alvum alterâ quâque horâ unciæ ſex ſeptemve lactis caprilli cum infuſis floribus croci, vel decocti anodyni omazorum pinguium vituli; foliorum verbaſci, plantaginis, burſæ paſtoris, cynogloſſi &c. ſeminum lini, thalictri, lactucæ, papaveris &c. florum hypericī, tuſſilaginis, roſarum rubrarum &c. cujus libris duabus addita ſit terebinthinæ Venetæ duobus ovi vitellis ſolutæ ʒ ß vel ʒ j.

5°. Si morbus graviùs urgeat, diſſolvantur in injectionum unâ aut alterâ die quâlibet grana aliquot Philonii Romani, *v. g.* 10. 15. 20. imò exhibeatur ſemel aut bis in die Diaſcoridium Fracaſtorii ad ʒ ß. boli inſtar deglutiendum, vel in aliquot juſculi cochlearibus diluendum.

6°. Si morbus difficilior remediis non cedat, in uſum advocetur pulvis radicis braſilianæ, vulgò *Hipecacuanhæ* à granis xx. ad xxx. quo nihil efficacius eſt ad liquefaciendam & everrendam acriorem pituitam, quâ inteſtina irritantur & ad excretionem continenter ſollicitantur.

7°. Miteſcente alvi profluvio purgatio præſcribatur ex catholici pro óre & mannæ calabrinæ ana ℥ j. in decocto foliorum verbaſci, vel ex ℥ ij. ſyrupi Magiſtralis in eodem decocto diluti, ut fomitis morboſi reliquiæ, ſi quæ ſuperſint, educantur.

8°. Demùm poſthinc cautè attendatur an per ægri ſtatum liceat in propoſito ſuſceptoque conſilio perſeverare, necne? Si prius, therapeia aliquandiù intermiſſa ex artis legibus inſtauretur. Sin contrà, curatio malis avibus inſtituta in tempus opportunius differatur, dum ægrotantis vires confirmatæ fuerint.

IV. Abſoluta ſalivationis abſentia, quâtacumque diligentiâ hydrargyroſis adminiſtretur.

IV. Uſu venit in ægrotantibus nonnullis, ut poſt inunctiones quinque legitimè adminiſtratas nec ſalivatio ulla, nec ulla etiam ſigna appareant futuræ ſalivationis prænuntia, quaſi Mercurius, cujus in pleriſque nimiam efficacitatem jure reformidamus, in his planè iners ac ſuæ virtutis degener hebeſceret. Phænomenum profectò ſingulare, cujus cauſas, quæ in alto latent, eruere attentavimus ſuprà *Lib. II. Cap.* 8. quo nullus quidem dubito, quin primùm creditum fuerit therapeiam Mercurialem peſſum ituram, ſed quo tamen experientiâ jam pridem compertum eſt remedii exitum nec hilum infringi aut in deterius perverti, modò ſequens methodus ex arte adhibeatur.

1°. Quoties contingit ut legitimis unguenti mercurialis inunctionibus quinquies repetitis per dies novem ſalivatio nulla ſuccedat, mora interponenda eſt dierum quatuor vel quinque, ut explorare liceat, num per id tempus Mercurius ſat magnâ copiâ jam illitus in apertum ptyaliſmum erupturus ſit. Intereà æger parcè nutriatur, ut ſanguis à chylo purior adeoque fluxilior humores ſecernendos faciliùs deponat; & largo tepentis ptiſanæ potu eluatur, ut atomi mercuriales latiùs diductæ per intricatiſſimos vaſorum poros liberiùs permeent, obſtructa viſcera efficaciùs reſerent, & ſi quid moturæ ſint, ocyùs moveant.

2°. Poſteà, ſi nullomodò turbatum ſit, per novem dies ſequentes frictiones aliæ quinque iterandæ ſunt, eâdem methodo, pari vel etiam majori unguenti doſi, ſimilique cautionum diligentiâ, alvum quotidie clyſtere eluendo, & os diligenter introſpiciendo, ne quid mali à duplâ unguenti quantitate, quæ adhibetur, ex improviſo ſuperveniat.

3°. Quòd ſi ptyaliſmus tandem obrepat, regendus eſt ex artis legibus ſuprà propoſitis, *Cap. præcedente*, fovendus ſcilicet ſi moderatus, compeſcendus verò ſi nimius fuerit; cæterùm ſatis longo dierum ſpatio permittendus, donec morbus extirpatus eſſe videatur.

4°. Contrà ſi nullus adveniat ptyaliſmus novem illis alteris diebus, interponenda rursùs mora altera dierum novem vel decem, ut Mercurio ſpatium non deſit vim ſuam exerendi, quibus tranſactis tutò & ſine ullius recidivæ periculo licet ex artis regulis cutem detergere, lintea detrahere, purgationem aliquoties iterare, pleniorem diætam paulatim concedere, ac demùm ægrum priori vitæ reddere.

5°. Interim totâ curationis periodo bonis verbis confirmandi & erigendi ægrotantes, qui deficiente ptyalismo quem præstolabantur, nihil non metuunt, ac vana sibi fingunt portenta, quibus miserè animo angi solent.

Sunt qui ab omni lue se vacuos fuisse, & ad remedium sine causâ damnatos inde arguant, quòd Mercurius nullam salivationem valeat movere; quasi verò hydrargyrosis in sanis semper inefficax ab infectis tantùm ptyalismum proliceret, cùm è contrario experientiâ certâ liqueat salivationem tum in sanis tum in contaminatis venereo contagio illito Mercurio perinde excitari.

Sunt alii, qui anxiè timeant ne quid vel in componendo vel in administrando unguento peccatum sit, unde oriatur salivationis absentia; cùm tamen error in his difficillimè dari possit, si detur unquam; cùm è contra certissimum sit iteratâ observatione inunctionibus etiam legitimis & summâ curâ adhibitis ptyalismum nullum aliquando succedere.

Plerique demùm de futuro remedii successu malè inde augurantur, veriti ne defectu salivationis curatio quoque defectura sit; quasi seminium morbosum profligari non possit nisi foràs exterminetur. Sed næ illi errore tenentur maximo: Jam pridem enim palam est observationibus multis veneream luem sine salivatione ullâ radicitùs non rarò extirpari. Et sane cùm morbus ille contrahatur sine humore ullo conspicuo qui intrò subeat, nequaquam mirum videri debet si perfectam curationem recipere possit sine manifestâ ullius humoris evacuatione. Adde porrò defectum salivationis plerumque suppleri alvi fusione, diuresi, sudatione, vel saltem insensibili perspiratione, quæ singulæ evacuationes deficientis salivationis vicariæ esse solent.

Igitur tantùm abest ut ægrotantibus, quos in hydrargyrosi ptyalismus destituit, causa ulla sit cur vicem suam doleant, modò rectè & ex artis legibus procedatur, ut contrà potiùs sibi jure merito gratulari debeant, quòd sibi datum sit rarâ satis felicitate absque tædio & periculo salivationis, atque adeo tutiùsque commodiùsque à venereo morbo perfectè convalescere.

§. II. INFORTUNIA SECUNDI STADII.

In altero curationis stadio sanguis mercurialibus atomis, quas secum confusas vehit, nimiùm attritus & rarefactus, actusque citatiùs in omnes corporis partes validiore momento quàm par sit, si qua debilius resistat hac viam sibi facturus est, unde infortunia non pauca stadium hoc infestum habere solent.

1. Exspuitio sanguinis sive hæmoptysis.

I. Tussiculosi, pulmonarii, hæmoptysici, sanguinem solent exspuere, purum modò, liquidum, floridum, spumosum; modò cum pituitâ confusum, nigrum, grumosumque. Sed quocumque modo sanguis exspuatur, res est periculi plena, & quæ cito auxilio opus habeat.

Itaque 1°. Reprimatur omni arte atque operâ nimius Mercurii impetus, abstinendo ab inunctionibus, indusia detrahendo, ægri cutim detergendo, lintea lecti mutando &c.

2°. Vena

2°. Vena ſecetur bis & ter in die, imò verò quartâ quâque horâ, & ſanguis largiter educatur primis potiſſimùm miſſionibus. Nullum enim remedium eſt quo ſanguinis ad pectus ruentis impetus, & in pulmonaria vaſa arietantis momentum celeriùs & efficaciùs retundi poſſint.

3°. Pro potu exhibeatur leve decoctum radicis ſymphyti majoris; parentur juſcula ex carne vitulinâ cum radice ejuſdem plantæ, ſemine lini, aut paucâ oryzâ; imò ex piſcibus ſaxatilibus, ſi ad obtundendam cruoris acrimoniam, & procurandam vaſorum diſciſſorum conglutinationem Colleticis opus eſſe videatur.

4°. In uſum advocentur cætera omnia remedia, quæ ad hæmoptoën valent, ut bolus armena, terra ſigillata, ſanguis draconis, margaritæ præparatæ, ſpodium, cornu cervi uſtum vel philoſophicè præparatum, terra Japonica vulgò *Catechu* ſive *Catchou*, amylum torrefactum, corallia præparata &c. à gr. xv. ad ℈ j. gummi Arabicum, Tragacanthæ &c. à gr. xx. ad xxx. ſucci depurati urticæ, millefolii, plantaginis, vel ſi deficiant ſucci, aquæ ſtillatitiæ earumdem plantarum ab ʒ j. ad ij. ſyrupi de roſis ſiccis; cydoniorum; myrtini; de ſucco portulacæ, aut plantaginis; de ſymphyto Fernelii; corallorum &c. ab ʒ ß. ad ʒ ij. è quibus boli, opiatæ, julepi, mixturæ variè confici poſſunt ex arte, prout morbo conducere viſum fuerit.

5°. Demùm poſt hæmoptoës curationem de ægri convaleſcentis ſtatu cautè judicetur; ſi morbus in ipſo curationis ingreſſu invaſerit, ſi æger morbo debilitatus difficili & diuturniori remedio impar eſſe videatur, hydrargyroſis in aliud tempus differenda: Sin contrà æger ſatis commodè valeat, ac therapeia jam vergat ad exitum, quæ ſuperſunt ex artis legibus regenda ſunt.

II. Inſultus morbi caduci, ſivé Epilepſia.

II. Frequenter accidit ut Epileptici in hydrargyroſi mediâ, dum ſanguis Mercurii vi impenſiùs rareſcit atque æſtuat, inſultu corripiantur, ac in terram præcipites ruant convulſi cum ſtertore, oris ſpumâ, cæteriſque ſymptomatis, quæ in morbo caduco perpetua ſunt.

Tunc 1°. Si inſultus levior ſit, nihil prorſus movendum eſt; cavendum tantùm ne æger damnum ſibi afferat dum convellitur, ac cuneoli lignei inter dentes adigendi ne maxilla inferior convulſione acta morſu linguam lædat.

2°. Sin verò periculum ſit ne paroxyſmus diuturnior graviorque in apoplexiam degeneret, ſectâ priùs venâ, depletiſque vaſis cerebri hærente ſanguine nimiùm turgidis exhibendæ vini emetici ʒ ij. quibus vomitio cieatur, ac ſolvatur inſultus.

3°. Quocumque modo paroxyſmus vel ſponte vel arte diſcuſſus fuerit, ad hydrargyroſim redeundum eſt ſed cautiùs procedendo, & adhibitis ſemel, imò etiam bis in die remediis, quæ vi anti-epilepticâ valere creduntur, quorum potiſſima ſuprà recenſita ſunt *Cap. 6. §. 3. n. IV.* & ex quibus bolos aut opiatas conficere facile eſt.

III. Exacerbatio dolorum arthriticorum, rheu-

III. Haud rarum eſt Podagricos, eoſque qui doloribus rheumaticis, iſchiadicis, articularibus obnoxii ſunt, pati in ipsâ hydrargyroſi novas moleſtaſque dolorum exacerbationes. Sed quibus una certa eſt medendi ratio.

maticorū, ischidiacorum.

1°. Salivationi largiùs fluenti moderandum quidem est, sed ita tamen ut ex toto non cohibeatur, nisi dolorum accessio vehementior febrem advocet.

2°. Doloris morsus mitigandus diætâ tenuissimâ, largo potu ptisanæ lenientis & diureticæ, usu clysterum quotidiano ex decocto communi emolliente vel anodyno, nempe foliorum verbasci, seminisque lini, cum oleo amygdalarum dulcium aut butyro insulso, imò cum medullâ cassiæ, si alvus pigrior sit.

3°. Sanguis jugiter eluendus usu infusionis foliorum theæ vel herbarum vulnerariarum ex blandiorum genere, quales sunt scolopendrium, urtica, salvia, veronica, virga aurea, melissa, chamæpitys &c. cujus manè & serò possunt pocilla aliquot sorbillari, ut levis mador proliciatur, quo dolores si non discutiantur, saltem leniantur & mitigentur.

IV. Eruptio catameniorum.

IV. Solent in mulieribus erumpere catamenia, nunc quidem statâ periodo, quoties scilicet in aggrediendo remedio de tempore, quo recursura essent, parùm provisum fuerit; nunc verò extra ordinem & vi Mercurii ante tempus proritata, atque adeò frustratâ cautione, quantacumque de vitando illorum regressu adhibita sit. Sed quâcumque ratione vel periodo contigerit, ut menstrua hydrargyrosi superveniant,

1°. Tunc sustinendus est salivationis impetus, si fortè vehementior sit: Ea tamen cavisse vix unquam opus est, cùm experientiâ compertum sit ptyalismum spontè fatiscere, quandiu menstrua uberiùs manant, materiâ scilicet, quæ ad os confluebat, deorsùm divertente.

2°. Si catamenia moderatè fluant, benè est, resque tota naturæ viribus committenda, hac unâ cautione ut dum fluunt jusculà sint valentiora, vel additis cremore oryzæ aut ovi vitello firmiora fiant.

3°. Si verò immoderatiùs manaverint, iis utendum remediis quæ adversùs immodicum menstruorum fluxum valent, ut sunt remedia ferè omnia suprà recensita *articulo* 1. *hujus stadii*, ubi *de hæmoptoë*; sed præsertim decoctum aurantiorum immaturorum; alumen rupeum sub formâ boli ad ʒ ß. quolibet quadrihorio devoratum; vel bolus ex æquis aluminis rupei, sanguinis draconis & sacchari rubri partibus, cujus dosis ad ʒ j. quolibet quadrihorio iteranda est si morbus urgeat.

V. Abortus in prægnantibus.

V. Mulieres, quæ uterum gerunt, aliquando in ipsâ hydrargyrosi abortiunt, sive citatiore impetu quo sanguis agitur à Mercurio tumultuante, sive irrequietis fœtûs, qui tunc ipse malè habet, calcitrationibus.

Ubi primùm ex sanguinis profluvio, ex depressione ventris, ex dolore in utero & ex enixuum præsentiâ manifestum est abortum instare,

1°. Hydrargyroseos vehementia, quàm maximè fieri poterit, sustinenda est ex artis regulis, ut jam sæpiùs dictum est.

2°. Parturienti ex arte obstetricandum est, & excluſus infans, si vivus sit, baptismo confestim lustrandus, ne præmaturâ morte occumbat. Cætera verò omnia circa matrem procuranda, ut procurari solent in puerperis, quæ morbo immunes sunt.

3°. Si lochia ritè & moderatè fluant, res tota naturæ permittenda donec sponte cessent, quo tempore Mercurii efficacitas instauranda, si nimiùm intermissa videatur: Ad minus remedii diuturnitas ad plures dies

proroganda, ut quod ad intenſionem & efficaciam forſan deeſt, temporis diuturnitate compenſetur.

4°. Si contingat verò ut lochia ſupprimantur, vel parciùs manent, pari prorſus methodo medendum eſt, ac ſi therapeia mercurialis adhibita non fuiſſet, nempe clyſterum uterinorum uſu, venæ ſectione in brachio vel in talo pro ſuppreſſionis modo & gradu, emmenagogis blandis, purgationibus &c. quæ non ſunt hujus loci.

5°. Cæterùm infantem, ſi vivat, à matre lactari neceſſe eſt, ut ſi lue venereâ etiamnum fortè laboret, ceu laborat plerumque quoties nondum abſolutâ curatione in lucem editur, profligatis uſu lactis materni, quod mercurialibus atomis turgidum eſt, morboſi ſeminii reliquiis integræ reſtituatur valetudini.

VI. Hypochondriaci, qui naturâ meticuloſi ſunt, remedii tædio, diuturnitate, dolore citò fracti curatione quidem affectâ de ſalute deſperare, confectâ verò de valetudine ſolent diffidere, ac in utroque caſu medentes aſſiduis querimoniis enecare & plerumque ſine causâ. VI. Inania phantaſmata, quibus hypochondriaci perciti ſolent.

Certum eſt cum illis cautiſſimè procedendum eſſe, ut qui morbi impatientes ſint, omnia tuta timeant, ac pro nihilo portenta ſibi fingant, quibus mirificè conſternantur. Itaque bonis verbis erigendi ſunt, quandiu therapeia mercurialis durat, ne animo deſpondeant, quod numquam periculoſum non eſt; finitâ verò curatione manifeſtis rationum momentis arguendi, ut de valetudine diffiteri nullomodò poſſint. Sed in utroque ſcias velim plurimùm ineſſe difficultatis ac laboris; *In illo*, quòd hypochondriaci ex vividâ phantaſiæ vi, quâ multùm valent, morbi ſpecie graviùs affici ſoleant, quàm plerique alii morbo ipſo: *In hoc*, quòd cùm cæteri id verum eſſe facilè putent quod multùm expetunt, ii contrà id ſolum verum eſſe credant, quod maximè ſibi metuunt.

VII. Scorbutici aut qui ad ſcorbutum inclinant, quibus gingivæ naturâ molles & fungoſæ ſunt, aut in quibus ſanguis ac proinde gingivarum mucus ammoniacali peccat dyſcraſiâ, gravia in toto ore ulcuſcula pati ſolent, ſerpentia, phagedænica, fœtida, gangrænodea, quæ buccas, gingivas, linguam, palatum fœdè depaſcuntur; quæ ſi tonſillis, columellæ, vel pariſthmiis aſſideant, deglutitioni magnoperè officiunt; & quibus proinde, cùm maximum ſit in morâ periculum, celeriter occurrendum eſt, VII. Ulcera oris phagedænica in ſcorbuticis.

1°. Coercendo vel ſuſtinendo adhibiti Mercurii impetum, ne immoderatiùs invaleſcat.

2°. Ulcera omnia probè detergendo collyrio Lanfranci, & ſi collyrium impar ſit, ſpiritu ſalis marini vel vitrioli additione mellis temperato, imò etiam ſincero ſi morbi vehementia ita ſuadeat.

3°. Os identidem abluendo decocto radicum ariſtolochiæ rotundæ, biſtortæ, raphani ruſticani &c. foliorum cochleariæ, aquilegiæ, ſalviæ, becabungæ &c. corticis aurantiorum amarorum; balauſtiorum, fructuum ſumach, ſtrobilorum pini &c. cum addito ſpiritu vini camphorato & alumine rupeo ad q. ſ.

§. III. INFORTUNIA TERTII STADII.

In tertio demùm & ultimo therapeiæ mercurialis ſtadio, dum attrito, eliminato, profligato morboſo ſeminio opus eſt vela jam contrahere, promotæ ſalivationi finem imponere, & illatam ori noxam emendare, nova ſolet ingruere malorum cohors, quæ plerumque non tam remedii adhibiti virulentiæ, quàm medentium incuriæ vel inconſiderantiæ debent accepta referri.

I. Ulcera oris dyſepulota.

I. Nonnumquam ulcera numeroſa, profunda, ſordida, depaſcentia, dyſepulota, oris interiora peſſimè habent, unde ptyaliſmus diuturnior, quem compeſcere vix licet, nedùm ſiſtere, quo tamen ægrotantes pedetentim marceſcunt & extenuantur.

Id perpetuum eſſe ſolet, 1°. Quoties Mercurius vel uberiùs vel præcipitantiùs adminiſtratus eſt: 2°. Quoties ulcuſculis in ore effloreſcentibus tempeſtivè occurſum non fuit, ſi nimia fuerint aut in alienis locis inſederint: 3°. Quoties acrior eſt ſalſiorque humorum craſis in ægrotante, unde ulcera cicatrici diutiùs repugnant: 4°. Denique quoties mollior eſt, laxior, nimiſque fungoſa gingivarum & interioris oris caro, qualis in ſcorbuticis, unde ab ulcerum tabo faciliùs eroditur.

Hinc palam eſt Medicos in manifeſtâ culpâ eſſe in prioribus duobus caſibus, ut qui temerè vel inconſultè ſe geſſerint: à culpâ verò planè non vacare in duobus poſterioribus, ut qui ad ægrotantium, qui ſe illorum fidei dedêre, temperiem ſtatumque ſatis cautè non attenderint in adminiſtrando Mercurio.

Porrò à quâlicumque causâ id mali proveniat, unica eſt medendi ratio.

1°. Nempè ſi oris interiora caleant, doleant rubeantque inflammatoriè vel eryſipelatosè, vena incidenda eſt ſemel atque iterùm, modò vires ægrotantis permittant.

2°. Ulcuſcula tepidè fovenda lacte vaccino vel caprillo, decocto radicum althææ, infuſo ſeminis lini, aquâ ſpermatis ranarum, ſimilibuſque, quæ in ore perpetuò contineri debent identidem renovando.

3°. Bis in die detergenda ſunt decocto hordei cum melle roſaceo, vino rubro aquâ temperato, aquis thermalibus *v. g.* Balerucanis, quæ, ſi ita videatur, temperari poſſunt decocto radicum althææ: Imò ſi ulcera valdè ſordida fuerint, collyrio Lanfranci identidem imbuenda, attamen parcè, ne fibræ acriùs laceſſitæ erethiſmo intenſiore percellantur.

4°. Alvus ſubducenda eſt quotidie enemate emolliente & eccoprotico, & tertiâ quâque die blando cathartico ex ſennâ, mannâ, caſſiâ, ſale vegetali &c. ut humor, qui ad os copioſiùs affluit, versùs inferiora ſenſim divertatur.

5°. Interim æger nutriendus eſt ſolo lacte vaccino, ſi ventriculus hujus nutrimenti patiens ſit; lac ſaltem ſemel aut bis in die exhibendum, manè ſcilicet, & ſerò: De cætero præſcribendæ ſorbitiones, quæ eupeptæ & euchymæ ſint, & quæ ſine maſticatione poſſint exhauriri.

6°. Ægrotanti non modò permittendus, ſed etiam imperandus eſt liberioris aeris uſus, ſi tempeſtatis ratio permittat, ut promotâ uberiore diap-

noë, atomiſque mercurialibus copioſiùs ideo exhalantibus ſenſim compeſcatur tumultus quem in ſanguine faciunt, ac imminuatur nimius humorum confluxus quem versùs os ſollicitant. Cæterùm modò ulcera videantur cicatricem paulatim contrahere, cura ſuperſtitis ptyaliſmi tempori tota committenda eſt; licet enim tarda ſit illa medicina, quam affert longinquitas & dies, at certè experientiâ compertum eſt & magnam & efficacem eſſe.

7°. Sunt qui ad reprimendum ptyaliſmum largiorem & diuturniorem uti ſoleant gargariſmatis aſtringentibus ex balauſtiis, roſis rubris, myrtillis, ſumach, acaciâ, baccis berberum, Gallis, malicorio, alumine rupeo &c. ut laxiora ductuum ſalivalium oſtiola coarctentur. Sunt alii qui nummos aureos in ore volutandos præſcribant, pilulaſve quæ auri ſcobem, calcemve vel bracteas recipiant, devorandas exhibeant, ut mercuriales atomi, quæ copiâ nocent, auri ramentis, quibuſcum jungi amant, abſorbeantur & unà ſimul educantur. Sed utrumque jam pridem à gnaris & prudentibus Medicis meritò damnatur. *Prius* quidem ceu periculoſum, neque enim unquam tutum eſt ptyaliſmum, dum largiùs fluit, aſtringentium vi intempeſtivè coercere: *Poſterius* verò ceu vanum & inutile, non quidem quòd negem quod apertè liquet, ſcilicet auri ramentis mercuriales atomos nonnullas in ore aut in inteſtinis abripi & inde educi, ſed nego ſatis magnâ copiâ eâ ratione unquam deduci, præſertim è ſanguine, ubi potiſſima ſcena eſt, ut ea therapeia in ægrotantium commodum cedere poſſit, niſi efficaciora & tutiora remedia adhibeantur.

II. Dum ulcerum eſcharæ decidunt, ſuperveniunt non rarò hæmorrhagiæ ab eroſis laceriſve vaſis, quæ ulcera depaſta ſunt. Id mali frequens eſt quoties ulcera profundiora altiùs excavantur, præſertim ſi ab ægro cruſtæ ulceribus inuſtæ præcipitantiùs detrahantur, aut à medentibus citiùs deradantur frequentiore affrictu penicilli collyrio imbuti. II Hæmorrhagia ab ulceribus oris.

Leve quidem malum eſt & quod naturæ committi poteſt, ſi ſanguis paucus extillet ex vaſis tenuioribus venoſiſque: At verò gravius, & cui mederi oporteat, ſi ubertim manet ab arterioſis & amplioribus vaſis.

Tunc ergo 1°. Abluto ore locus unde ſanguis fluit, ſi oculis pateat, ut patet perpetuò dum hæmorrhagia manat à gingivis, linguâ, buccis aut maxillarum commiſſuris, collyrio Lanfraci, ſolutione aluminis rupei in aquâ plantaginis, aquâ ſtypticâ, aquâ aluminoſâ Fernelii, aut qui cæteris præſtat, ſpiritu vitrioli imbuatur. Si hæc ſiſtendo ſanguini paria non ſint, vaſi diſciſſo cauterium actuale ſed leviter calens imponatur, atque eſchara eâ ratione inuſta cautè foveatur, ut ſuprà dictum *n°. 2. paragraphi præcedentis*, ne decidat præpoſterè. Intereà verò æger nutriatur juſculis, ſorbitionibus, panatellis, cremoribus oryzæ, ovorumque vitellis, & damnetur ſilentii, ne maſticationis motu, vociſve contentione eſchara ſede dimoveatur & hæmorrhagia renovetur.

2°. Verùm ſi locus, unde ſanguis manat, in occulto ſit, ut dum latet in faucibus aut in poſticâ facie lacunaris narium, incidatur vena ſemel iterùmque ſi morbi vehementia ita exigat, & ægri vires ferendo pares eſſe videantur. Interim os ſæpiùs abluatur decocto aſtringente & ſtyptico balauſtiorum, roſarum rubrarum, ſumach, gallarum, malicorii cum additis aquæ Rabelii guttis aliquot; & pro potu ordinario exhibeatur de-

coctum radicis graminis vel cichorii ſilveſtris aquâ eâdem Rabelii impræ-gnatum ad gratam aciditatem.

3°. Memini in caſu ſimili profuiſſe in ægrotante quodam narium interiora, quæ faucibus proxima adſtant, unde hæmorrhagiam gravem patiebatur, ferro tenuiore, recurvo & leviter candente, canalis ope in naſum extrinſecùs immiſſo, comburere; duro quidem conſilio, ſed quod durior neceſſitas ſuadebat, & quod felici comprobatum fuit exitu, cùm eâ ratione & hæmorrhagia reſtincta, & æger ab orci faucibus revocatus fuerit.

III. Conglutinatio linguæ cum gingivis, gingivarũ cum buccis, uvulæ cum vicinis partibus.

III. Contingit nonnumquam, ut cùm oris ulcera ad cicatricem veniunt, eroſæ linguæ latera præſertim circa radicem cum interioribus gingivis quæ appoſitæ ſunt, gingivæ exteriores cum adverſis buccis, aut uvula ſive columella cum finitimo lacunaris fornice coaleſcant.

Leve quidem malum & quod omitti poteſt, ſi nullum afferat incommodum. Sin aliter verò oportet medicinam adhibere & promptam & facilem, nempe dum cicatrix recens eſt, partes malè coalitæ adacto digito diſſociandæ; ſi verò firmior & antiquior ſit, ſcalpello ex arte diſſecandæ; ac poſteà cavendum ne ſemel diſcretæ denuò invicem agglutinentur, ideoque interjecto penicillo molliore, qui decocto detergente vel vino rubro imbutus ſit, blandè pluries in die fovendæ ſunt, donec cicatrix obducatur.

IV. Oris ſtrictura ſeu capiſtratio, vulgò *bridure*.

IV. Tandem ſupereſt aliquando poſt curata ulcera ea oris ſtrictura, vulgò *bridure*, quâ maxilla inferior ferè immobilis & quaſi capiſtrata nequit à ſuperiore deduci ullâ ratione, vel ſaltem ita parùm deducitur, ut os adſtrictis fortiter dentibus nullo vel anguſto tantùm hiatu pateſcat, unde alimenta ſolidiora in os indi, inditave maſticari, aut vocis ſonus diſtinctè exprimi vix poſſunt.

Solet hoc malum ferè perpetuum eſſe, quotieſcumque tendines muſculorum manſoriorum, qui in maxillarum commiſſuris adſtant, malè affecti ſunt vel ab altioribus ulceribus ea oris loca depaſcentibus, vel ab acrioribus cathæreticis, quæ ad extirpanda earum partium ulcera affricantur. Hinc enim elaſtica ſtamina, quibus tendinei funiculi conſtant, puncta, irritata, laceſſita quomodocunque criſpari & in brevius contrahi neceſſum eſt, haud diſpari ferè modo ac cartha pergamena ad ignem propiùs admota corrugatur. Quapropter minimè mirum ſi retracti eo modo tendines ac extenſionis priſtinæ jam neſcii inferiorem maxillam ſuperiori tam firmiter applicitam detineant, & oris diductioni tam validè obſtent, ut quantuſcumque niſus in adverſum fiat, renitantur ipſi momento ſuperiore, donec diſcerpantur.

Grave quidem malum eſt, tantòque gravius quòd inemendabile. Sunt qui gargariſmatis emollientibus ex decoctis radicibus althææ, brancæ urſinæ, malvæ, ſeminibuſque lini, pſyllii &c. contractos tendines tentent relaxare, ſed fruſtrà; neque enim obſervatione hactenus compertum eſt poſſe eos unquam nativæ mollitiei ullo modo reſtitui.

Sunt alii qui adactis intra dentes cuneolis ligneis maxillam vi diducere, ac manſoriorum tendines ad nativam extenſionem revocare conentur, nec feliciore tamen exitu; nihil enim vel minimùm proficiunt labore maximo, ac ubi primùm ab opere tædioſo ceſſatum eſt, citò perit diuturni laboris utilitas.

Demùm non deſunt qui duriore ſed æquè inutili conſilio firmiores cicatrices internis maxillarum commiſſuris obductas inciſuris ſcarificent, eo ſcilicet fine ut maxilla inferior faciliùs moveri poſſit; quaſi verò durioribus oris cicatricibus malum induceretur, quod à retractis criſpatiſque muſculorum manſoriorum tendinibus unicè pendet, inciſiſve cicatricibus ſuperficiariis morbus curari poſſet, cui medicina efficax adhiberi nullâ ratione poteſt, niſi ſectione tendinum, quam tentare piaculum foret.

Quorſum ergo ægrotantium animos inani ſpe fruſtrà tam diù lactare, aut quod pejus, novis miſeriis illorum miſerias quotidie cumulare? Diſcant tandem ſe immedicabili morbo detineri, ac dimiſsâ non fruſtraneâ modò, ſed etiam periculosâ medicinâ ea ſibi parent levamenta, quæ poſſint conducere, quæ nocere non poſſint. Cùm ſolidiores cibos nec devorare nec maſticare queant, liquidioribus utantur admiſſis per rimam quâ patet os, vel per eam quam facit dens unus datâ operâ evulſus; eoque artificio, ſi non delicatè, at ſaltem placidè vitam traducant. De cætero *durum* ſed immedicabile infortunium forti ferant animo, ut (*a*) *levius fiat patientiâ quicquid corrigere eſt nefas.*

CAPUT IX.

De Infortuniis, quæ in parciore hydrargyroſi interdum accidunt, & de eorumdem medicinâ.

Hydrargyroſis parcior ſua quoque patitur infortunia.

JAM ſuprà monuimus *Cap.* 7. §. 2. omnia mitiora eſſe & pacatiora in parciore hydrargyroſeos adminiſtratione. Cùm enim Mercurius minore doſi inungatur, tumultus in ſanguine, ſi quis fiat, minor inde futurus eſt; & cùm inunctiones longioribus intervallis repetantur, impendentia mala prævidere & prævisis antè occurrere facilius eſt. Inde tamen putari nolim hac methodo in curandâ lue venereâ navigationis curſum teneri quaſi per mare pacificum, quod procellas nullas experiatur, quod nulla viderit unquam naufragia; ſiquidem hæc ipſa methodus ſua quoque patitur infortunia, quorum alia quidem parit ægrotantium imprudentia, qui Medicis monentibus morem non gerunt; & hæc huic methodo cum præcedente plerumque communia ſunt: Alia verò accidunt Medicorum incuriâ, qui ſeſe ægroſque fruſtrari ſolent, dum per errorem medicinam imparem morbo adhibent; & ea huic methodo quaſi propria ſunt.

§. I. DE INFORTUNIIS HUIC METHODO CUM PRÆCEDENTE COMMUNIBUS.

I. Febris advenit & caput intumeſcit, ſi ægri vagen-

I. Ægrotantes, cùm in hac methodo ab exulceratione oris & ſalivatione immunes noxam nullam patiantur, tædet plerumque in cubiculo concluſos tandiù detineri. Conniventibus itaque, vel ſaltem diſſimulantibus Medicis amant per urbem vagari, ignari malorum quæ ſibi poſſunt parere,

(*a*) Horat. *Od.* 24. *Lib.* 1.

tur dum remedia adhibent.

cùm Mercurio nulla unquam fides ſit. Vidi equidem neque ſemel rem ſatis proſperè, ſaltem ſine damno ſucceſſiſſe in regione calidiore, qualis eſt Occitania, tempeſtate æſtivâ, in ægrotantibus demùm in quibus tardior erat & hebetior Mercurii energia: At verò ægrotantes alios & numero plures ibidem vidi, quibus ſimili imprudentiâ graviſſima parta ſunt infortunia, unde in apertum capitis diſcrimen venêre.

Neque ſanè mirum, quippe ſi dum interiora calent & æſtuant à Mercurio intùs tumultuante, contingat ut extimus corporis habitus vento, frigore, humiditate derepentè refrigeretur, neceſſe eſt pro conſtipatâ cute & denſatis ſpiramentis, quibus pervia eſt, inſenſibilem perſpirationem ſubitò inhiberi. Hinc particulæ morbificæ, quæ in hac methodo à cæteris emiſſariis præcluſæ, ſaltem tacitè hæc exhalabant; hinc non paucæ mercuriales atomi, quæ circulationis motu abreptæ latenter evaneſcebant viâ eâdem, intra corpus jam retineri, & retentæ tragœdiam agere debent periculi plenam: Modò ſcilicet intra ſanguifera vaſa coercitæ motum circulantis cruoris intendendo, carneaſque tum cordis tum arteriarum fibras ad oſcillationem frequentiùs ſollicitando, febrem accendere, ut dictum eſt *Cap. præced.* §. 1. *artic.* 2. Modò verò impete facto in ſalivales glandulas, tum parotides, tum maxillares, ſubitum illarum tumorem, calorem, dolorem inferre, cum inſigni linguæ totiuſque capitis tumefactione, ut *ibidem* dictum eſt §. 1. *artic.* 1. Modò tandem tum in vaſa ſanguifera, tum in ſalivales glandulas vim ſimul exerendo, unâ eâdemque operâ & febrem inducere, & glandularum ſalivalium tumefactioni locum dare.

Sic ergo in hydrargyroſi ipſâmet parciore, ægrotantium imprudentiâ infortunia eadem non rarò accidunt, quibus ſuprà diximus præcedente Capite, §. 1. *artic.* 1. & 2. pleniorem hydrargyroſim infeſtam & infamem haberi, ſed quibus eadem quoque medicina facienda eſt, quam idcirco, ne actum agere videamur, repeti volumus ex præcedente Capite.

II. Febris cum diarrhœâ, & dyſenteriâ, ſi ægri cibis ſeſe ingurgitent, aut gulæ indulgeant.

II. Nonnulli, qui naturâ multi cibi ſunt, cùm inediæ impatientes tenuiorem diætam, quæ imperatur, obſervare nolint vel nequeant, non largiorem modò ſibi concedunt, ut famem depellant, quod condonari facilè poſſet, modò offis tantùm, cremoribus, panatellis & ovorum vitellis uterentur; ſed etiam gulæ interdùm ita indulgent, ut cùm oris interiora ab exulceratione libera ad maſticationem & deglutitionem prompta ſint, non dubitent cibis ingurgitari; carne, eduliis, ferculis, cupediis promiſcuè veſci; quin imò vinum adhibere, quaſi in therapeiâ tam lubricâ pergræcari licitum foret.

Sed delictum gravis pœna plerumque ſequitur, neque *pede claudo*. Cùm enim in hydrargyroſi quavis concoctrix ventriculi facultas manifeſtè infringatur copioſiore, ut opinor, muco tunc temporis in ſtomachum confluente, quo tonus ventriculi relaxatur, & hebetatur fermenti chylopœi energia, inde fit ut ingeſta cibaria & malè confici, & in vitioſam abire ſoleant cacochyliam, acidam, acrem, bilioſam, quâ quidem, ſi in ſanguinem transfundatur, febrem moveri, qualem ſuprà deſcripſimus, *Cap. præcedente*, §. 1. *artic.* 2. quâ verò, ſi in inteſtina provolvatur, diarrhœam produci neceſſe eſt in dyſentericum fluxum brevi degenerem, de quâ *ibidem*, *artic.* 3.

Sic

Sic ergo in hac etiam methodo ægrotantium intemperantiâ mala ſæpè creantur graviſſima, quæ ut naturâ eadem ſunt cum affectibus iis, de quibus ſuprà, qui in pleniore hydrargyroſi eveniunt, ſic cum iiſdem nonnumquam gradu & intenſione ferè paria fiunt, atque adeo iiſdem remediis impugnanda ſunt, de quibus *ſuprà, loco laudat.*

III. Huic alteri hydrargyroſi, de quâ nunc quæſtio eſt, ut quæ ad patiendum & tolerandum multò facilior ſit, moris eſt novitii quidem, ſed jam recepti ægrotantes plurimos credere naturâ infirmos, viribus parùm valentes, morbo habituali exhauſtos, ut pulmonarios, tabidos, hæmoptoicos, epilepticos, ſcorbuticos, podagricos, mulieresque uterum gerentes, quibus pleriſque pleniore hydrargyroſi olim interdictum erat. Neque ſanè mutati conſilii pœnitendum eſſe videtur, quo non ſolùm uſitatum ſed etiam quotidianum eſt ægrotantium plurimos ab inveterato morbo feliciter convaleſcere, qui tanquam deplorati naturæ viribus, vel ad ſummum mitigatoriis ſed inefficacibus quibuſdam auxiliis quondam permittebantur, donec paulatim morbo confecti mortem miſeram occumberent ante diem.

III. Cætera pleraque præcedentis methodi infortunia, ſi hydrargyroſis parcior cachecticis, ac corpore malè conſtitutis adminiſtretur.

At verò, cùm nihil occurrat quod ex omni parte à periculo tutum ſit, inde ſimul effectum eſt ut mitior hæc ipſa hydrargyroſeos ſpecies, utcunque naturâ blanda ſit, infortuniis tamen non paucis obnoxia interdum eſſe ſoleat, quæ cum alterâ communia habet, ut ſputo ſanguinis in hæmoptoicis, inſultibus morbi caduci ſive ſontici in epilepticis, ulceribus oris phagedænicis in ſcorbuticis, paroxyſmis podagricis, abortui, cæteriſque id genus numero ſat multis. Quamtumvis enim & parcis doſibus & longis intervallis Mercurius adhibeatur, quantumvis tacitè vim ſuam exerat in profligando ſeminio morboſo, vix unquam fieri poteſt ut nec in liquidis orgaſmum, nec in ſolidis erethiſmum ullum excitet; neutrum verò excitare unquam poteſt in ægrotantibus naturâ infirmis, cachecticis, corpore malè conſtitutis, quin periculum maximum inde immineat, ne therapeia in infortunium quoddam eruptura ſit, varium quidem pro vario ægri ſtatu, ſed numquam à periculo vacuum.

Sic ergo in parciore quoque hydrargyroſi, ægrotantium infirmitate infortunia eadem interdum contingunt, ac in pleniore: Plerumque tamen paulò mitiora quibus proinde medendum eſt auxiliis iiſdem, quæ allata ſunt *Capite ſuperiore*, §. 2.

IV. Rarum eſt oris ulcera altiùs penetrare in hac hydrargyroſeos ſpecie, rariùs ulcera eadem fieri maligna, cacoëthea, dyſepulota. Poteſt tamen utrumque medentium indiligentiâ aliquando contingere; & tunc eadem omnia infortunia timenda ſunt, de quibus *ſuperiore Capite* dictum eſt, §. 3.

IV. Aliquando ulcera oris altiùs penetrant & fiũt maligna medentium negligentiâ.

Sed ut illa infortunia naturâ, causâ, periculo cum iis proximè conveniunt, quæ laudato loco recenſentur, ſic medicina ad illa efficax cum eâ convenit, quæ ibidem propoſita fuit, & ex eodem Capite repetenda eſt.

§. II. DE INFORTUNIIS HUIC METHODO QUASI PROPRIIS.

Irritus hydrargyroſeos ſucceſſus.

Hactenus ſed paucis de infortuniis, quæ hydrargyroſis parcior communia quidem habet cum pleniore, ſed quæ tamen mitiora & rariora patitur: Nunc paulò fuſiùs de infortunio illo, quod licet cum utrâque commune ſit, ad parciorem tamen ſpecialiùs & frequentiùs pertinet; nempe de irrito Mercurii ſucceſſu, gravi ſanè infortunii genere, & ſi ea excipias quæ capitis diſcrimen advocant, omnium graviſſimo, quo fit ut morbus malè extirpatus poſt breves inducias ſponte reviviſcat, agatque tragœdiam alteram priore pejorem.

Qui cum pleniore hydrargyroſi communis eſt, ſed qui in parciore frequentiùs accidit,

Novum quidem non eſt pleniorem hydrargyroſim ipſam quoque omni planè ſucceſſu aliquando deſtitui; ſed id tamen rarum eſt, neque unquam ferè accidit, niſi cùm adhibita therapeia vel nimiâ medentium feſtinatione vel præſentiâ graviorum infortuniorum, quæ urgent, citiùs quàm par eſſet intermittitur, unde vix poteſt tunc ignorari & erroris admiſſi cauſa, & emendandi ratio. In parciore verò hydrargyroſi id infortunii genus & frequens & pervulgatum eſt, & quod maximè mireris, tùm etiam cùm omnia ex artis legibus ritè adminiſtrata videntur, ac cùm therapeia moram ac ſuſtentationem ſatis diuturnam habuit, ita ut nec ſatis liqueat plerumque in quo peccatum ſit, nec ab admittendâ culpâ cavere, aut admiſſæ mederi facile ſit.

Cauſæ irritæ hydrargyroſeos.

Itaque operæ pretium eſt latentes cauſas curationis in eâ methodo tam ſæpè infectæ retegere, modumque ſimul indicare, quo in poſterum ab infortunio caveatur. Sic illa curatoria methodus, quæ blandior, tutior, faciliorque ab omnibus cenſetur, notâ ineſficaciæ unde malè audit ſemel purgata poterit ab omnibus tutò admitti non parvo therapeiæ compendio, maximoque ægrotantium emolumento. Sed cùm ea quæſtio obſcura ſit & difficiles explicatus habeat, rem paulò altiùs repetere neceſſum eſt.

In causâ efficiente quâcumque requiri & certum gradum intenſionis & certam temporis moram.

Conſtat cùm ratione, tùm experientiâ effectum quemcumque cauſam habere certam, quæ ſit certi gradûs, & quæ certo egeat temporis intervallo, ut efficax ſit. Sic, ut exemplis utar vulgaribus & obviis, cera liqueſcit certo tantùm gradu caloris, & eo caloris gradu quem certo temporis ſpatio experta ſit: Sic aqua congelatur certo tantùm gradu frigoris, & eo frigoris gradu, cui per certum tempus objecta fuerit. Nullâ arte, nullâ operâ fieri unquam poteſt ut cera liqueſcat, aut aqua congeletur, niſi cauſæ ſingulæ, à quibus ſinguli illi effectus producuntur, ad certum illum intenſionis gradum evehantur, qui effectui producendo correſpondeat, & in ſubjecta agat per eam temporis moram, quæ ad effectus illos producendos requiritur.

Duo eadem in Mercurio requiri, ut effectum præſtare poſſit.

Sic ergo & pari prorsùs ratione profligatio & exterminatio ſeminii ſyphilitici, qualitercumque fiat, 1°. Certam ac determinatam in Mercurio vim & energiam poſtulat, quâ in virus agat: 2°. Certam ac determinatam requirit temporis diuturnitatem, per quam ea Mercurii quantitas in virus agat. Si alterutrum defecerit, luditur opera, neque unquam ſpe-

randum eſt fore ut virus venereum radicitùs debellari poſſit à causâ, quæ alterutro nomine imbellis, vel potiùs impar eſt.

Jam verò cùm Mercurius homogeneus ſit, & è particulis ſimillimis & ſimpliciſſimis totus componatur, quæ nullam in ſanguine mutationem pati poſſunt, unde mutetur earumdem efficacitas, palam eſt certum illum virtutis & energiæ gradum, qui in adhibito Mercurio deſideratur, ut virus venereum profligari & exterminari poſſit, non diſtingui ab ipsâmet adhibiti Mercurii quantitate, atque adeo ad eradicandum morbi venerei fomitem neceſſum eſſe, 1°. Certam ac determinatam Mercurii quantitatem ſanguini ſyphiliticorum inſtillari, unde æſtimanda eſt certa adhibiti Mercurii efficacitas: 2°. Semel inſtillatam ſatis diù in eodem morari, unde æſtimanda eſt certa temporis diuturnitas, quæ in agente Mercurio requiritur.

Duas proinde leges eſſe in adhibendo Mercurio obſervandas 1. Ut certâ doſi; 2. Ut certo temporis intervallo adhibeatur.

Liquet ergo duas eſſe leges in adhibendo Mercurio perpetuò obſervandas, ſi optato ſucceſſu potiri quis velit; 1°. Ut ea Mercurii quantitas, quæ ad perfectam luis venereæ curationem requiritur, agat in ſanguinem & agat eo momento, quod producendo effectui aptum ſit; ſin ſecùs enim, numquam vim in illum exertura, impetumve factura eſt ejus gradûs, qui ad effectum neceſſarius eſt: 2°. Ut admiſſa Mercurii quantitas in ſanguinem pari eâdemque vi ſatis diù agat, ac inchoatam in illo mutationem ſatis diuturno temporis ſpatio urgeat, donec totum ſanguinem, vaſa ſingula, receſſus omnes pervaſerit, ne quid inacceſſi uſpiam ſuperſit, ubi morbi fomes abdi, & unde recidiva pari poſſit.

Peccare in priorem, qui Mercurium parcioribus doſibus adminiſtrant; & in poſteriorem, qui hydrargyroſin citiùs intermittunt.

Peccant in priorem quidem legem, quicumque Mercurium doſibus æquo parcioribus & intervallis juſto longioribus adminiſtrant, unde deeſt in ſanguine ea Mercurii quantitas, quæ ad producendum effectum neceſſaria eſt: In poſteriorem verò, quicumque affectam Mercurii adminiſtrationem citiùs quàm par eſt, intermittunt, ex quo efficitur ut mutatio ſanguini jam inducta ſatis diu non ſuſtineatur, ut morbus radicitùs poſſit extirpari.

Hinc fallaces illæ & malè certæ luis venereæ curationes.

Utrumque peccati genus frequens eſt in hydrargyroſi parciore. Hinc in illâ methodo vani illi & irriti ſucceſſus curationum Mercurialium, quibus mitigatur quidem ſymptomatum ſævitia, malumque remittitur; ſed quibus non deletur morbi fomes, nec proinde morbus funditùs extirpatur. Hinc fallaces illæ morbi therapeiæ irritis ipſis ſucceſſibus pejores, in quibus evaneſcunt quidem ſymptomata, unde ægrotantes malè providi fauſta omnia ſibi temerè deſpondent, ſed quæ poſt breves inducias in recidivas abeunt priore morbo plerumque difficiliores.

Neque valent argumenta, quæ pro damnatâ methodo afferuntur.

Probè teneo quid illi errent, qui ſolent ad hunc modum Mercurio uti vel abuti potiùs, nec ignarus ſum offuciarum, quas ſibi ipſi faciunt, ut methodum eam probent Mercurii & parciore quantitate & breviore temporis ſpatio adminiſtrandi.

Nempe circa prius ſic argutantur; unciæ tres unguenti mercurialis tribus frictionibus intra quinque dies ægrotanti illitæ luem radicitùs plerumque ſanant. Ergo unciæ totidem ejuſdem unguenti frictionibus octo intra dies viginti duos adminiſtratæ morbum eumdem pari facilitate, ſimilique efficaciâ eradicaturæ ſunt.

Circa poſterius verò ſic amant ſibi fucum facere. Conſtat, *inquiunt*, Argumen-

tũ primum. Argumentũ alterum. ſanguinem totum per corpus pluries horâ quâlibet circumvehi. Poſſunt ergo mercuriales atomi in ſanguinem celeriter diſtribui, univerſa corporis vaſa pluries horâ quâlibet legere & relegere, & cauſam morbificam ubicumque lateat, efficaciter impetere; atque adeò debent intra ſpatium temporis opinione brevius morbum penitùs delere.

Solvitur argumentũ prius, At verò in utroque perinde hallucinantur. Circa prius quidem nec damus tres unguenti uncias ad curationem luis ſemper ſatis eſſe, nec ab omnibus in parciore hydrargyroſi uncias tres unguenti ſemper adhiberi, quod utrumque gratis aſſumunt. Sic ergo ruentibus præmiſſis concluſionem funditùs ruere neceſſum eſt.

Verùm ut etiam demus duas illas ſumptiones, aſſumptio tamen non dabitur. Certum eſt enim haud leve diſcrimen inter collatos caſus intercedere, 1°. Ex diverſo adminiſtrationis modo: 2°. Ex inæquali intervallo, quod inter frictiones interjicitur: 3°. Ex diversâ morâ, quam Mercurius trahit in ſanguine.

1°. *Ex diverſo* quidem *adminiſtrationis modo.* Cùm enim tres unciæ unguenti mercurialis tribus frictionibus adhibentur, manifeſtum eſt frictione quâlibet illini unciam unam unguenti, ex quâ circiter ſemuncia Mercurii in ſanguinem transfundi poteſt. Contrà verò, cùm unciæ totidem frictionibus octo illinuntur, unguenti quantitas vice quâlibet obliti non aſcendit ſupra drachmas tres, ex quibus ad ſummum circiter ſeſquidrachma Mercurii in ſanguinem exprimitur. Liquet ergo momentum, quod poteſt à Mercurio exerceri in priore caſu, eſſe ad momentum quod ab eodem exercetur in poſteriore, ut ſemuncia eſt ad ſeſquidrachmam, ſeu quod idem eſt ut 8. ad 3.

2°. *Ex inæquali temporis intervallo, quod inter frictiones ſingulas interjicitur.* Cùm enim in priore caſu frictiones altero quoque die adminiſtrentur, breviore intervallo quod horas 48. non excedit, parcior quantitas Mercurii ex præcedente inunctione admiſſi debet evaneſcere, unde tantò major futura eſt Mercurii ſumma ex frictionibus omnibus in ſanguine collecta. Contrà verò, cùm frictiones tertio vel quarto tantùm quoque die fiunt, longiore intervallo quod horas 72. vel 96. æquat, majus debet eſſe diſpendium Mercurii præcedente inunctione intromiſſi, unde tantò minor futura eſt in ſanguine ſolida Mercurii ſumma ex frictionibus omnibus reliqua.

3°. *Ex diversâ morâ, quam Mercurii ſumma ducit in ſanguine.* Nam in priore caſu quantitas Mercurii quantacumque adminiſtratur, die ipsâ quintâ tota cum ſanguine confuſa adeſt, adeòque momento, quo maximè pollere poteſt, ſanguinem impetit, ac virus exterminat per dies ad minus quindecim vel viginti. Contrà verò in caſu altero quantitas eadem Mercurii, ſi tamen in illo quantitas eadem poſſit unquam ſanguini ſimul ineſſe, quod ſanè ex præcedente articulo nequaquam credibile eſt, non antè collecta erit, quàm die viceſimo ſecundo, atque adeò vix per diem unum, aut ad ſummum per dies 3. poteſt adunato impetu vim integram in ſanguinem exerere.

Sic ergo colligere eſt Mercurium, 1°. Parcioribus doſibus illitum: 2°. Longioribus intervallis adminiſtratum: 3°. Tardiùs in corpore adunatum,

debilius momentum cùm in ſanguinem, tùm in virus cum ſanguine permixtum exercere, quàm ſi majoribus & frequentioribus inunctionibus adhibeatur, utcumque cæteroqui ſupponatur eâdem copiâ adminiſtrari; atque adeo quicumque crediderit poſſe utrâque methodo luem veneream æquè efficaciter profligari, credat idem oportet januam, quæ valido ariete impulſa labat, poſſe perinde perfringi, ſi fruſtulis, in quæ aries ille diſſectus fuerit, ſucceſſivè impetatur; aut murum, qui globo tormentario facilè disjicitur, perinde diruendum eſſe glandibus minoribus, quarum ponderis ſumma pondus æquet globi tormentarii, & quæ ſingulæ vi eâdem ſed ſucceſſivè emittantur.

Jam verò circa poſterius 1°. Confitemur quidem ſanguinem per corpus circumvehi pluries intra horam, ſed hæc de majoribus tantùm vaſis vera ſunt. Negamus enim ejuſdem curſum in anguſtiſſimis vaſculis æquè celerem eſſe, atque per illa tam ſæpè iterari. Ergo ſequitur inde Mercurium inunctionibus admiſſum per majora quidem vaſa ſatis promptè diſtribui: At verò ſequetur inde numquam pari celeritate diſtribuendum eſſe per intricatiſſimos glandularum viſcerumque ductus, ubi latet potiſſima morbi cauſa. Solvitur poſterius.

2°. Nihilominus ultrò demus Mercurium per omnia corporis vaſa, etiam minima mirâ celeritate diſtribui. Quid tùm? An inde efficietur unquam ut Mercurius pari celeritate optatum effectum præſtet? Minimè gentium. Nempe ad perfectam luis venereæ curationem ſingulæ ſanguinis guttulæ pervadendæ & à ſeminio venereo expurgandæ; perluſtrandi receſſus omnes intricatiſſimi viſcerum, glandularum & medullæ oſſium; obices demùm, ſi qui ubicunque adſint, atterendi & diſſipandi itu redituque multiplici; ad quæ ſingula tempus requiritur idoneum, quod experientia docuit diuturnius eſſe plerumque, quàm quis primâ fronte putaverit.

Palmarium eſſe, ſi certus adminiſtrandi Mercurii modus definiatur, tum in quantitate Mercurii, tum in adminiſtrationis diuturnitate.

Ex his itaque palam eſt, ut jam redeat oratio, unde primùm digreſſa fuit, uſui Mercurii ad luem venereum extirpandam certos fines eſſe tùm in adminiſtrandi modo, tùm in adminiſtrationis diuturnitate, quos intra Mercurius morbum perfectè curet, curetque minimâ ægrotantium ærumnâ: Quos ultra morbum curet etiam, ſed majore ægrotantium labore, imò ſæpè non ſine periculo: Demùm quos citra ærumnam quidem minimam inferat, ſed ſimul etiam curationem nullam vel imperfectam præſtet.

Quocircà therapeiæ mercurialis cardo in eo totus vertitur, ut certus ſtatuatur modus tùm quantitati adhibendi Mercurii, tùm mercurialis adminiſtrationis diuturnitati, unde emolumentum quidem accedat quàm maximum, curatio ſcilicet omnibus numeris perfectiſſima, damnum verò quàm minimum accerſatur, ſcilicet moleſtia noxaque quàm leviſſima.

Sed *hoc opus, hic labor eſt*, quippe variam eſſe neceſſe eſt tùm adhibendi Mercurii quantitatem, tùm adminiſtrationis diuturnitatem pro morbi novitate vel inveteratione, diverſo intenſionis gradu, partium affectarum naturâ aut affectionum ſpecie, ſymptomatum numero & ſævitiâ, atque ægrotantium ætate, ſexu, valetudine, quæ

Incerta (a) ſi tu poſtules

(a) Terent. *Eunuch. Act.* 1. *Scen.* 1.

Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

At neutrum ratione definiri potest, sed experientiâ.

Nihil ergo licet hac de re definire quod certum sit, ratione solâ seu ut aiunt *à priori*, sed duce tantùm experientiâ & ab effectibus, seu ut vulgò dicunt *à posteriori*. Quæ autem multiplici & iteratâ observatione hac in re maximè explorata ipse hactenus habeam, lubet paucis exponere, ut si quis *quid noverit istis rectius, candidus impertiat, si non his utatur mecum.*

Quâ duce compertũ est Mercurium eâ quantitate adhibendũ esse, ut blanda moveatur salivatio.

I. Itaque compertum est experientiâ Mercurium extirpandæ lui venereæ parem esse, quoties legitimum ptyalismum movet. Quocirca danda est opera ut salivatio cieatur, non subitanea, tumultuaria, immodica, qualis in pleniore hydrargyrosi, unde salivales glandulæ tumeant, oris interiora inflammentur, plura & profunda ulcuscula in ore emergant, saliva ad libras octo, novem, decem defluat intra nycthemerum; sed placida, moderata, remissa, facilè tractabilis, quæ ori inflammationem nullam, vel levem, quæ ulcera pauca & superficiaria inferat, quæ unam aut alteram, vel ad summum tres salivæ libras intra horas 24. suggerat.

Igitur, statim atque ex tribus primis frictionibus innotuerit quid in ægrotantis sanguinem Mercurius valeat, reliqua in hunc finem ita dirigatur curatio, modò inunctionum dosim, modò crebritatem, modò crebritatem simul & dosim intendendo, ut salivatio ex votis tandem succedat, quæ si moderata, fovenda; si parcior, confirmanda novis frictionibus; si forsan immoderatior sit, reprimenda est, & ad modum reducenda ex artis legibus. Proinde ut ex cynosuræ aspectu navigationis cursus, sic ex salivationis præsentiâ & gradu mercurialis therapeia semper regenda est.

Errant igitur, qui putant salivationem in curandâ lue venereâ cane pejus & angue vitandam esse, ideoque in eo toti sunt ut parcissimas rarissimasque frictiones adhibeant: Sic enim operam ludunt suam, suosque deludunt ægrotantes.

Nec multò leviùs peccant, qui motam vel imminentem salivationem intempestivis purgationibus reprimunt vel coercent; atque adeò Mercurium, dum optato instat operi, evocant & amovent; sic enim id unum videntur agere, ut operosè nihil agant.

Haud equidem nego aliquoties sine salivatione luem veneream feliciter extirpatam fuisse, quæ recens esset & levis, & quæ ægrotantes afficeret Mercurio facilè obsequiosos: At verò pernego posse inde unquam colligi salivationem semper omittendam esse in curatione luis venereæ cujuscumque. Quasi verò, si quid semel iterumve prosperè successerit casu vel fortunâ, debeat illico inde exemplum sumi, quod in posterum norma fiat, etiam contra æquum & bonum: Aut quod pejus est, quasi nefas foret ad consilia tutiùs exequenda novis & munitioribus viis uti, quas indefessa rerum observatio feliciter parturit ad utilitates nostras. Næ mihi videntur, qui sic vitilitigant, non firmiore causâ niti, quàm si quis præfractè ideò contendat navigationis cursum sine pyxide nauticâ feliciter nunc regi & posse & debere, quòd contigerit forsan aliquando, ut in regendâ navi ventis secundis actâ pyxis nulli fuerit usui, vel quòd

conſtet Scriptorum teſtimoniis à veteribus olim pyxide deſtitutis ſatis feliciter aliquoties navigatum fuiſſe.

II. Altera curationis regula eſt ut promota ſalivatio nullâ ratione priùs cohibeatur, quàm morboſa ſymptomata, quæ à lue venereâ ortum habent, evanuerint. Neque enim licet aliunde criterio ullo, quod certum ſit, de ſanguinis dyſcraſiâ emendatâ, de profligato luis ſeminio, demùm de causâ morbi funditùs deletâ tutò decernere, quàm ex affectuum, quos morbus produxit, ceſſatione.

Et motam ſalivationem tandiù fovēdā eſſe, dùm morboſa ſymptomata evanuerint.

Errant ergo quicumque, non ex ſymptomatum curatione, ſed ex ſolo dierum numero therapeiam mercurialem metiuntur & circumſcribunt. Etenim cùm morbi gradus, ſanguiniſque conſtitutio numquam ſibi ſimiles ſint in diverſis ægrotis, nihil ineptius fingi poteſt, quàm methodum eamdem adhibere ſingulis, & ut vulgari fertur adagio *omnes eodem calopodio calceare*, quod olim à Galeno, *Method. Medend. Lib. 9. cap. 16.* dictum meminimus in Medicos quoſdam imperitos, qui non habitâ ratione temperamenti diverſi eadem remedia omnibus admovebant.

Porrò tamen noluerim otiosè quiſquam diutiùs expectet dum omnia ſymptomata evanuerint, quæ à lue venereâ ortum ducunt. Neque enim ſperandum eſt fore ut omnia ſemper evaneſcant, quandoquidem nec eadem eſt omnium natura, nec ſimilis productionis ratio: Quippe alia luis venereæ ſymptomata, ſcilicet ea omnia quæ inducuntur ſolo humorum ſive fluidorum vitio, aut ad ſummum ſolo erethiſmo ſolidorum & citra labem ullam ulteriorem, pendent à ſeminio venereo tanquam à causâ *continente*, atque adeò inde neceſſariò futurum eſt, ut ſublatâ eâ causâ, hoc eſt profligato ſeminio venereo, ipſa quoque perpetuò tollantur. Alia verò, nempe ea omnia, quæ à quâlicumque labe ſolidis illatâ naſcuntur, pendent quoque ab eodem ſeminio venereo, ſed tanquam causâ ſimpliciter *conjunctâ*, atque adeò licet poſitâ eâ causâ ipſa poſita fuerint, attamen conſequens non eſt fore ut eâdem ſublatâ, hoc eſt exterminato ſeminio, ipſa quoque tollantur illicò. Quæ dicta abundè indicant ſedulò diſtinguendum eſſe inter diverſa illa ſymptomatum genera, & diligenter cavendum ne remoto omni diſcrimine idem de omnibus judicium temerè interponatur; ſed de his fuſiùs in ſequentibus.

CAPUT X.

De Affectibus, qui poſt hydrargyroſin reliqui ſunt, ſed quibus medicina reperiri poteſt.

UT nonnulli adſunt, qui ab hydrargyroſi abhorrent ſine causâ, ſic contrà non deſunt, qui eidem nimiùm credant. Illi ſibi nihil non timent à Mercurio, ceu ab infido & malè tuto remedio: Hi nihil non ſperant ab eodem, ceu à certiſſimâ & abſolutoriâ medicinâ; & ſi fortè non putent fore ut inde rejuveneſcant, quod Poetæ olim finxere de Æſone Jaſonis patre, Medeæ artibus juventæ reddito, at putant certè ſe ab omni morbo liberos integerrimæ valetudini reſtitutum iri, quali olim ante con-

Peccant, qui ab hydrargyroſi nimiùm diffidunt, & qui eidē confidunt nimiùm.

ceptam luem maximè valuere. Sed utrique, dum diverſi abeunt, in contraria peccant: Illi nempe, quòd de Mercurio nimiùm diffidant, cujus uſus legitimus tutus eſt & periculi expers, ut ſuprà probavimus *Lib. 2. capite 9.* Hi verò, quòd eidem confidant nimiùm; quantumvis enim Mercurius remedium ſit & opiferum & efficax, non ideò tamen ſequitur hujus uſu omnia ſymptomata, quæ à lue venereâ inducta ſunt, ſemper deletum iri, ut in ſequentibus probabimus.

Duæ ſunt luis venereæ ſpecies, altera, quæ humores tantùm inficit, altera quæ ſolidas partes lædit.

Jam ſuprà *Cap. V.* §. 1. *hujus Libri* vidimus tres eſſe luis venereæ ſpecies, primam, in quâ virus paucum, benignum, recèns admiſſum humores ſolos corporis, plures paucioreſve inficit, illæſis ſolidis partibus: Alteram tertiamque, in quâ virus uber, acre, inveteratione auctum & multiplicatum ad organa varia corporis penetravit, parteſque ſolidas non paucas læſit vitio multiplici, phlogoſi, inflammatione, infarctu, tumore, gummato, ſcirrho, eroſione, exulceratione, carie &c.

Prior plerumque perfectè curatur hydrargyroſi.

Prima quidem luis venereæ ſpecies perfectè curatur hydrargyroſi legitimâ; nec ſanè mirum, cùm enim virus venereum, quod in humoribus latet, ſolidas corporis partes nondùm vitiaverit, conſequens eſt, ut ſi è ſanguine cæteriſque humoribus ſemel exterminetur, nullum illius veſtigium exſtet, nec ullæ maneant morbi reliquiæ: Et ſanè compertum eſt luem veneream eo ſucceſſu toties curari, quoties recens & levis in ſolis humoribus etiamnum inſidet. Solet quidem ab hydrargyroſi ſanguini cæteriſque humoribus, dum Mercurio atteruntur & ſubiguntur, acrimoniæ quidpiam non rarò accedere, ſed id plerumque leve eſt, & diætâ humectante ac refrigerante, vel ſi opus fuerit, uſu lactis facilè emendatur.

At poſteriori etiam curatæ ſuperſunt ut plurimùm vitia quæ ſolidis jam illata ſunt.

At verò rarò, vel potiùs numquam accidit ut duæ aliæ luis ſpecies pari felicitate curentur. Utcunque enim remedio profligatum ſit virus omne, quod humoribus ineſt, humoreſque inficit, nihilominùs tamen ſuperſunt plerumque vitia illa, quæ ſolidis partibus morbo jam illata ſunt; & quandiu ſuperſunt, tandiu affectiones non paucas ex priſtinarum genere & foveri & perennare neceſſum eſt, unde fit ut irritâ ſpe plerumque doleant, quicumque malè providi nec rerum ſatis gnari perfectam expectabant, numeriſque omnibus abſolutam curationem inveteratæ luis venereæ, parteſque ſolidas jam dudùm inſedentis.

Ex vitiis illis alia ſanabiles, alia inſanabiles affectiones conſtituũt.

Ex vitiis autem, quæ in ſolidis partibus poſt exterminatum virus venereum ſupereſſe ſolent, poſſunt alia arte atque remediis emendari, & hinc proveniunt affectiones ſuperſtites quidem lui venereæ, ſed tamen ſanabiles, de quibus in *hoc:* Alia verò nequeunt nec operâ nec medicinâ ullâ corrigi, & hinc fiunt affectiones non modò lui venereæ ſuperſtites, ſed etiam omninò inſanabiles, de quibus in *ſequente Capite* agemus.

Plurimi intereſt utriũque affectionum genus diſtinguere.

Ideò mihi viſum eſt hoc argumentum accuratiùs tractare, quòd exploratum habeam quanti referat in medicinâ ſyphiliticis faciendâ priùs noſſe, quid de ſingulis morbi ſymptomatis ſentiendum ſit atque præſagiendum, quàm hydrargyroſis adhibeatur; nam, ut ait Celſus, *Lib. 5. cap. 26. art. 1. Ante omnia ſcire Medicus debet quæ inſanabilia ſint; & quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, primùm eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius interemit: Deinde ubi gravis metus ſine certâ tamen deſ-*

peratio

peratione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel fefelliſſe videatur. Sed, rectè ſubdit ille, *ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt parvam rem attollere, quò plus præſtitiſſe videatur.*

Cæterùm in enarrandis affectionibus illis tum prioris tum poſterioris generis, quæ poſt hydrargyroſim legitimam reliquæ ſolent eſſe, ordine ſingulas ita perſequemur & in iſto & in ſequente Capite, ut primùm quæ frequentiùs, deinceps verò recenſeantur quæ rariùs occurrunt.

§. I. GONORRHOEA.

I. Gonorrhœa, ſive phlogodes fuerit & recente contagione contracta, ſive inveterata & in habituale ſeminis profluvium jam degener, hydrargyroſi etiam legitimæ plerumque ſupereſſe ſolet, non quidem virulenta, qualis fuit ante inunctionum uſum, ſed ſimplex, quam virus nullum jam foveat, & quæ proinde contagione communicari ampliùs non poſſit. Retinet hæc in viris gonorrhœæ nomen, ſed in mulieribus cum fluore albo ſeu muliebri fluxu confundi ſolet, quo nomine amant illæ reliquias malè curatæ gonorrhœæ prætexere.

I. Gonorrhœa, tùm recens, tùm habitualis hydrargyroſi ſupereſt.

Vidimus ſuprà *Lib. III. cap.* 1. §. 2. virulentam gonorrhœam, quæ recenter contracta eſt, pendere ſemper à phlogoſi vel inflammatione ulcerosâ, in viris urethræ, glandularum cellulosarum in urethram hiantium, glandularum Cowperianarum, proſtatarum aut veſicularum ſeminalium: In fœminis verò, urethræ, cellularum quæ in urethram patent, proſtatarum, glandularum Cowperianarum, aut glandularum botryformium, quibus vaginæ facies conſtrata eſt. Poteſt autem phlogoſis & exulceratio in unâ aut pluribus enumeratarum partium ſemel inſidens aliquandiù ſupereſſe, etiam poſt ſeminium omne hydrargyroſi diſcuſſum & exterminatum. Haud igitur mirum eſſe debet, quòd poſt hydrargyroſim ritè adminiſtratam gonorrhœa recenter contracta ſuperſit aliquando in utroque ſexu.

Quare quæ recens eſt?

Vidimus pariter ibidem, *cap.* 3. §. 3. gonorrhœam inveteratam, quæ neglecta abiit in habituale ſeminis ſtillicidium, pendere in viris vel ab auctâ amplitudine, vel à nimiâ laxitate & atoniâ ductuum excretoriorum, quibus cellulæ per urethram ſparſæ, veſiculæ ſeminariæ, glandulæ Cowperianæ, & proſtatæ in urethram patent: Quod de fœminis quoque verum eſt, ſi pro veſiculis ſeminalibus, quibus carent, intelligas veſiculas ſive glandulas racematim congeſtas, quæ internam vaginam conveſtiunt. At verò poſt curatam luem veneream permanet eadem tùm amplitudo, tùm atonia ductuum illorum, ac fuit anteà. Ergo conſequens eſt ut maneat etiam habitualis eadem gonorrhœa in utroque ſexu.

Quare quæ inveterata?

Utraque illa gonorrhœæ ſpecies, licet curationem perfectam non admiſerit, ſenſit tamen vim & energiam Mercurii, cùm priſtinam malitiam depoſuerit. Namque poſt hydrargyroſim neutra nec ſeminio jam fovetur, nec ullum ſeminium ipſa fovet; neutra virulenta eſt; neutra contagione traduci poteſt; ſed ambæ jam ſimplices & ſine fomite ullo, à ſimplicibus partium vitiis pendent, quibus ſanandis ſufficit aliquando mora temporis & legitima diæta; quibus tamen, ne diuturnitate noceant, ſatius eſt ad-

Utraque tamen Mercurii efficaciam ſenſit.

hibere remedia, qualia ſuprà jam propoſuimus, *Lib. III. cap.* 1. *&* 3. nempe 1°. Quæ demulceant nativam vel adventitiam ſanguinis & cæterorum humorum acrimoniam. 2°. Quæ affectarum partium ulcera eluant, detergant, mundificent. 3°. Demùm, quæ priſtinum partibus laxioribus tonum reſtituant.

Quæ curatio utrique gonorrhœæ adhibenda ſit?

Itaque 1°. Exhibeatur aliquandiù, vel ſemel in die & manè; vel bis, manè atque ſerò, lac aſininum, caprillum, aut vaccinum: Primum quidem & alterum purum & ſincerum; tertium verò vel ſincerum & impermixtum, vel æquâ parte decocti hordei, aut graminis, aut radicis ſymphyti alteratum, prout ægro lubitum fuerit aut Medico viſum.

2°. Deinde potet æger cum regimine ad libras tres quatuorve manè jejuno ventriculo, per dies quindecim aut viginti, aquas minerales acidulas, vitriolicas, chalybeatas, ut *les eaux de Forges, de Caranſac, de Capverd, de Paſſy &c.* quales nullibi non ſcaturiunt, & quæ in Galliis noſtris præſertim frequentes ſunt.

3°. In uſum veniant balſamica, quæ latentes in urethrâ exulcerationes detergant & ad cicatricem ducant. Præſtant autem inter cætera balſamum Copaivanum & Canadenſe, cujus alterutrius guttæ ſex, octo, vel duodecim poſſunt alternis diebus per hebdomadam unam aut alteram devorari, cum pulverato ſaccharo in boli ſpeciem conformatæ. Juxta Frideric. Hoffmannum, *in Clavi Pharmac. Schroderianâ, Lib. 3. cap. 13. art.* 158. *Saccharum Saturni in oleo terebinthinæ ſolutum & leni calore cinerum digeſtum egregium & ferè divinum præbet in gonorrhœâ remedium, in primis ſi aliquid addatur camphoræ.* Illius doſis eſt ad aliquot guttas in idoneo vehiculo.

4°. Intùs aſſumantur aſtringentia ex blandiorum genere, quæ ulcerata loca exſiccent, & relaxata denſent atque conſtipent, ut 1°. Hauſtus Theiformes ex infuſis foliis menthæ, marrubii, agrimoniæ, plantaginis, roſarum rubrarum, burſæ paſtoris, piloſellæ, ſalviæ, meliſſæ, vitis; capreolis ejuſdem, aut ſummitatibus rubi. 2°. Aqua compoſita menthæ à Joſepho Quercetano deſcripta in *Pharmacopœâ Dogmaticorum reſtitutâ*, & à Lazaro Riverio ſæpiùs laudata ad gonorrhœas contumaces. *Obſervat.* 25. *&* 36. *Centuriæ primæ, & Obſervat.* 30. *&* 74. *Centuriæ* 2. cujus deſcriptio infrà *Cap. XII.* proponetur: Aut aqua diſtillata ex fructibus bruſci, quam laudat Samuel Formius Chirurgus Monſpelienſis, 47. *Obſervationum* quas cum Riverio communicavit. Aquæ utriuſque doſis eſt ad cochlearia duo manè jejuno ventriculo per dies aliquot. 3°. Opiatæ ſive boli ex coralliis præparatis, terrâ Japonicâ, vulgo *Catechu* ſive *Cachou*, balauſtiis, malicorio, ſanguine draconis, terrâ ſigillatâ, bolo armenâ, lapide hæmatite, alumine dulci, cornu cervi uſto, ebore, oſſe ſepiæ, camphorâ, & præſertim croco Martis aſtringente, quorum ſingulorum doſis eſt à gr. x. ad xx. Celebrantur ad eumdem uſum in Pharmacopœâ Bateanâ pilulæ de cretâ Palmarii ad ℈ j. vel ij. pro doſi quâlibet, quarum diſpenſationem infrà vide ad *hujus Libri* calcem. 4°. Conſervæ aſtringentes, ut roſarum rubrarum, cydoniorum, fructuum cynosbati, foliorum menthæ vel rutæ, prunorum ſilveſtrium, & præſertim fructuum bruſci, quarum doſis eſt à ʒ j. ad ij. ſi ſeorſim præſcribantur.

5°. Prodeſt etiam aqua Rabelii, cujus parandæ ratio infrà proponetur *Cap. XII.* Solet autem hæc aqua ad gratam aciditatem inſtillari guttatim libræ j. aut libris ij. ptiſanæ vulgaris, quæ per dies aliquot continuos addito ſyrupo quocumque, *v. g.* capillorum veneris, vel violaceo, exſorbendæ offeruntur per intervalla manè quidem jejuno ventriculo, vel poſt meridiem ſed longiſſimè à paſtu. Poteſt etiam aqua eadem ambrâ griſeâ vel myrrhâ imprægnari ex methodo infrà proponendâ *Cap. XII.* & ad guttas vj. viij. x. exhiberi quotidie per dies aliquot in bolo aut vehiculo qualicumque; quo remedii genere ab egregio Viro narrari memini gonorrhœam habitualem nuper feliciſſimè curatam fuiſſe, cui reprimendæ cætera remedia imparia fuerant.

6°. In urethram in viris, in fœminis in vaginam immittantur ſyphonis ope injectiones ex infuſo decoctove eorumdem remediorum in aquâ calcis ſecundâ; vel ex diſſolutione lapidis ſtyptici, qui vulgò *de Verny* dicitur, cujus proceſſum infrà deſcribemus ad hujus Libri calcem, aut lapidis medicamentoſi Crollii. Sed ea cautè & parcè adhibeantur velim, ne acrimoniâ phlogoſin excitent, vel repentinâ nimiâque adſtrictione proſtatarum & veſicularum ſeminariarum emiſſaria nimiùm conſtipent.

7°. Denique ſi laxitas in causâ fuerit, cur oſcula ductuum ſeminariorum præter naturam hiantia ſeminalem humorem, quem laxiùs concludunt, ſtillatim profundant, proderit embrochen aut balnea aquarum thermalium, ut ſunt *les eaux de Balaruc, de Bourbon, de Barege, d'Aix la Chapelle* &c. experiri, quæ ad partium tonum firmandum efficaciter valent.

§. II. PORRI VENEREI.

II. Porri venerei aliquando non decidunt, & quare?

II. Porri venerei, qui in partibus pudendis inſident, cùm recentes, exiles, molles ſunt, exterminato per hydrargyroſim ſeminio venereo unde pronati fuere, ſolent aliquando marceſcere, arefieri & ſpontè decidere. At contrà nonnumquam, præſertim ſi craſſiores, duriores, & altiùs radicati fuerint, etiam poſt hydrargyroſim legitimè adminiſtratam integri permanent, quòd nutrimentum pediculo ſuccoſo jugiter in illos illabatur; haud diſpari modo ac in verrucas quarumcumque partium ſolet illabi, quæ luem veneream cauſam non habent.

Quâ ratione curandi ſint, ſi poſt hydrargyroſim remaneant?

De futuro porrorum exitu haud difficile eſt judicium ferre, dùm hydrargyroſis ad finem jam properat, atque adeo naturæ viribus & remedii efficaciæ permittendi, ſi ſponte videantur delapſuri. Sin aliter, 1°. Forfice proximè ad cutim reſecandi ſunt, ac ſi baſis mollis fuerit, utendum emplaſtro confecto ex æquis partibus emplaſtri Vigonis quadruplicato Mercurio, & emplaſtri Diachyli cum gummis, quo promoveatur blanda ſuppuratio & abſoluta callorum reſolutio, ſi qui forſan exigui baſi ſubſtrati ſint, priuſquàm reſciſſorum porrorum plagæ cicatrice ſolideſcere permittantur.

2°. At verò ſi baſis durior ſit, & multis, duris, altiſque callis obſita, tunc ut ſuprà dictum eſt *Lib. III. Cap.* 9. leves in viciniâ inunctiones mercuriales identidem repetendæ, & reſectis porris ſuperimponendum unguentum baſilicum cum addito præcipitato rubro, ut callis partim ero-

ſione, partim reſolutione ſenſim evaneſcentibus emollita ulcerum ora poſſint ſine periculo recidivæ in cicatricem duci.

3°. Imò verò poſſunt, ſi ita videatur, efficaciora cathæretica in uſum advocari, qualia ſuprà propoſuimus *loco jam laudato*; ſed rarò vel ferè numquam accidit, ut iis opus ſit poſt hydrargyroſim ritè adminiſtratam, cùm legitimus inunctionum uſus pleriſque callis certam & efficacem medicinam jam attulerit.

§. III. PHIMOSIS ET PARAPHIMOSIS HABITUALIS.

III. Phimoſis & paraphimoſis habitualis in viris.

III. Contingit aliquando in viris, quibus tumuit balanus aut præputium ab ulcuſculis venereis, & qui ideò phimoſim vel paraphimoſim experti ſunt, ut curatis ulcuſculis, imò etiam exterminato morbi ſeminio uſu mercurialium inunctionum, phimoſis tamen aut paraphimoſis habitualis remaneat, unde conſtrictum præputium deduci, aut corrugatum adduci non poteſt. Hoc utrumque infortunii genus frequens eſt quoties præputii tumor & diuturnus & ſkirrhodes fuit, in quo ſcilicet conſtrictæ vel corrugatæ præputii fibræ impactâ limphâ turgent ita induratâ, ut Mercurii efficacia eludatur.

Phimoſis in fœminis.

Adeſt & in fœminis quandoque morbus tùm naturâ, tum causâ proximè congener, nempe præternaturalis coarctatio muliebrium, maximè oſtii vaginæ, ſeu phimoſis habitualis conſtrictione vel coalitu inducta. Cauſa utraque familiaris eſt fœminis, quarum vulva ac vaginæ principium ulcuſculis venereis multis, ſpiſſis, profundis, calloſis malè affecta fuerunt; neutra vero adhibito etiam Mercurio ferè unquam cedit.

Id mali in utroque ſexu naturâ leve eſt, & facilè tolerari poteſt, ut quod nec periculum vitæ nec gravem moleſtiam inferat. Attamen cùm generationis operi officiat, ſi medicinam ideò facere lubeat, ſequenti methodo facienda eſt.

Methodus medendi utrique cùm in viris, tùm in fœminis.

1°. Paretur decoctum mucilagineum & emolliens ex radicibus althææ, nymphææ, liliorum alborum; foliis brancæ urſinæ, malvæ; ſeminibus lini, pſyllii &c. in quo tepente penis totus intingatur per horam unam aut alteram bis in die. Reliquo diei tempore totum penis caput cataplaſmate ex pulpâ radicum, foliorum ſeminumque decoctorum circumtegatur; aut ſaltem tepidè foveatur linteis decocto illo madidis, ſæpiùſque renovandis. Imò verò in phimoſi decoctum idem ſubter præputium ſyphone infundendum eſt, ac in rimam, quâ præputium dehiſcit, intrudendus penicillus linteus, vel tenuis ſpongia, quæ eodem decocto perfuſa ſint, ut eâ ratione corrugatæ præputii fibræ decoctum altè, perpetuò, undique imbibant, quo tandem molleſcant & relaxentur.

2°. Similiter in fœminis debent muliebria ac vaginæ principium decocto eodem ſæpiùs in die foveri, atque pulpa plantarum ſeminumque decoctorum linteo obducta in formam peſſarii, aut quod plerumque expeditius eſt, peſſarium linteum, vel ſpongia decocto illo emolliente imbuta in vaginam immitti, ut hac operâ conſtrictæ partes humore emolliente jugiter madeant & humeſcant.

3°. Emollita ſemel loca mechanicâ quâvis arte cautè tamen dilatanda

ſunt, ut nativæ amplitudini ſenſim reddantur : Nempe in paraphimoſi ſubter præputium ponè glandis coronam corrugatum, quòd manu ſiniſtrâ molliter retinendum eſt, balanus blandè intrò repellendus, præputium antrorſum ſimul adducendo, & illius rugas paulatim explicando. In phimoſi verò rima, quâ præputium pervium eſt, paulatim amplianda eſt ſpeculo ani, quod ſummo apice primùm introductum, dein pedetentim explicatur. Demùm in fœminis conſtrictum vaginæ principium, intruſo ani vel matricis ſpeculo, gradatim dilatandum eſt ſimili methodo, quæ ſingula pluries ſed modicè & cautè repetenda ſunt, donec emollitione & diſtractione alternantibus corrugatæ partes priſtinæ amplitudini ſenſim & ſine ſenſu reſtituantur.

4°. Quòd ſi ea non ſuccedant, ſectione utendum eſt, nempe in paraphimoſi plicæ corrugati præputii hinc & inde perpendiculari & ſatis altâ plagâ incidendæ, ut laxatum præputium liberè adduci : In phimoſi verò annulus conſtricti præputii hinc & inde forfice diſſecandus, ut præputium deduci poſſit. Solent autem in utroque caſu penis latera ad ſectionem eligi, quòd anatomiâ compertum ſit illa paucioribus & tenuioribus vaſis ſanguiferis perlui, unde minoris hæmorrhagiæ periculum. Cæterùm vulnerata loca ex artis legibus curanda ſunt, primùm digeſtivo, & dein balſamo Arcæi, diligenter cavendo ne cicatrix in anguſtias contracta præputii deductioni & adductioni obeſſe, & morbum renovare poſſit.

5°. In mulieribus ſectioni nullus locus eſt, niſi apertè liqueat phimoſim pendere à coalitu laterum vaginæ vel vulvæ, quæ poſſint proinde ſine periculo ſectione divelli. Sin aliter à ſectione omni abſtinendum eſt, neque enim licet tunicas vaginæ in annulum corrugatas & conſtrictas temerè medias diſcindere plagâ difficili, & quæ plerumque inutilis futura ſit, cùm cicatrix plagæ inducenda locum denuò coarctatura ſit. Sed quid in his diutiùs moror ? Quaſi verò mulieres illæ, quæ in venereâ palæſtrâ jampridem meruere, noſtra curarent conſilia, opemque implorarent, & non mallent ementitam illam virginitatem incauto cuidam, ſed ad opus ſtrenuo juveni concedere, cui ſe pertundendas præbeant.

§. IV. CONDYLOMATA ET CRISTÆ.

IV. Spes nulla eſt fore ut condylomata, criſtæ, fragæ, mora, fici, mariſcæ, cæteræque id genus excreſcentiæ, quæ ab impurâ venere adnaſcuntur ano vel pudendis, uſu mercurialium inunctionum marcidæ & extenuatæ ſponte unquam decidant ; quippe quòd lato, craſſo, ſuccoſo pediculo radicatæ nutrimentum uberius accipiant. Quocircà abjectâ omni cunctatione, in hydrargyroſi ipsâ, cùm ad exitum vergit ſi æger viribus ſatis valeat ; ſi verò infirmus ſit poſt inſtauratas vires aliquot dierum induciis, deradendæ & detondendæ ſunt quàm proximè ad cutim ; calli, ſi qui in baſi ſubſint, cathæreticis exedendi vel igne adurendi ; demùm plaga ſuperſtes ſuppuranda, detergenda, & cicatrice obducenda eſt ex artis legibus, quas ſuprà propoſuimus *Lib. III. cap.* 10.

Condylomata, criſtæ, & excreſcentiæ cæteræ tùm pudendorum tùm ani adversùs hydrargyroſim plerumque contumaces ſunt ; & quare ?

§. V. FISTULA ANI, ET LACRYMALIS.

V. Fiſtula ani contra Mercurium pervicax ſectione curanda eſt.

V. Idem eſto judicium de fiſtulâ ani, quæ à lue venereâ ortum habet. Latet aliquando inter ipſas ani ficos mariſcaſve, aliquando verò abſque excreſcentiis ullis tacitos agit cuniculos, ſed ideò in utroque caſu hydrargyroſi cedere perinde neſcia eſt, quòd pus ſanieſve, quæ ſinuum anfractus opplent, cùm purgari & extergi nequeant, vitium perpetuent. Idcirco ſimili quoque methodo, dùm hydrargyroſis ad exitum properat, vel ſaltem poſtquam æger viribus infirmior ab hydrargyroſi aliquantiſper convaluit, ani fiſtula ſinubus omnibus diligenter priùs exploratis incidenda eſt; putrida & ulcerata labra reſecanda; profundiores calli, ſi qui fortè adſint, vel ſummis forficibus ſtatim exſcindendi, vel cathæreticis paulatim abſumendi; denique vulnus emollitum, ſuppuratum, deterſum, mundificatum ad optatam cicatricem deducendum eſt, quâ de re conſuli velim Auctores, qui de Chirurgicis operationibus nuper ſcripſere, vel ſi lubuerit, Diatribam quam *de ani fiſtulâ* publici juris olim ipſi fecimus.

Idem dicendum de fiſtulâ lacrymali.

Quæ autem de ani fiſtulâ dicta ſunt modò, debent eadem intelligi de fiſtulâ lacrymali ſive Ægilope, ſi à lue venereâ ortum ducat, cui curandæ manum priùs admovere nefas eſt, quàm ſeminium venereum, quo fovetur, hydrargyroſi profligatum fuerit.

§. VI. DOLORES RHEUMATICI ET ARTHRITICI.

VI. Dolores rheumatici & arthritici foventur à triplici causâ contra Mercurii efficaciam.

VI. Experientiâ notum eſt dolores rheumaticos, arthriticos, & iſchiadicos, tùm cùm maximè à ſeminio venereo produci creduntur, plerumque tamen legitimæ hydrargyroſi ſupereſſe, dùm cætera luis ſymptomata evaneſcunt: Quod videtur à triplici causâ pendere, 1°. Ab acrimoniâ, quam ſanguis ab admixto contagio venereo contraxit, unde ſalſior acriorque limpha tendineis fibroſiſque partibus infunditur: 2°. A viſciditate nimiâ ſanguinis & limphæ, unde tardiùs per anguſta partium vaſa circulantur, & in iiſdem hærent ſtagnantque faciliùs: 3°. Ab atoniâ & laxitate, quæ præcedentibus crebriſque decubitibus acceſſit fibroſis ligamentorum, tendinum, & muſculoſarum tunicarum ſtaminibus, unde futuræ ſalſioris limphæ ſtagnationi faciliùs patent.

Hinc ergo liquet ad dolores illos, qui curato morbo venereo ſuperſtites ſunt, leniendos, vel quod pluris intereſt, diſcutiendos, vitiis ſanguinis & limphæ, ac atoniæ tendinearum fibroſarumque partium occurrendum eſſe.

Eorumdem therapeia.

Itaque 1°. Præmiſſis univerſalioribus remediis, conducunt in ſalsâ & muriaticâ ſanguinis dyſcraſiâ, 1°. Omnia lactis genera, ut aſininum, caprillum, vaccinum; ſemel, bis in die, pro omni alimento; per duos, pluresve menſes; modò ventriculus digerendo par ſit: 2°. Juſcula ex pullo gallinaceo juniore, vel fruſtulo carnis vitulinæ cum herbis temperantibus, cichorio ſilveſtri, borragine, ſcolopendrio, fumariâ, agrimoniâ, pimpinellâ, naſturtio aquatico &c. 3°. Aquæ minerales acidulæ per plures dies epotæ ad libras ij. vel iij. iv.ve quâlibet die.

2°. Conferunt in viſcidâ ſanguinis conſtitutione, 1°. Blanda ſudorifi-

ca, quæ ſanguinem atterant, & excedentem ſanguinis muriam diureſi vel diaphoreſi excludant, ut decocta & bocheta ex lignis, corticibus, radicibuſque ſudorificis, ut ex ligno Guaiaco & ſaſſafras; cortice Guaiaci; radicibus Chinæ, ſalſæ-parillæ &c. quorum duo vel tres hauſtus abſorbentur in die per hebdomadas duas. 2°. Juſcula ex viperis vel colubris, quæ per dies 14. vel 20. repetuntur cum debito regimine.

3°. Quòd ſi ea ſanguinis vitia, acrimonia nempe atque viſciditas unà concurrant, tunc neceſſum eſt propoſita quoque remedia conjunctim vel alternatim exhiberi. *Conjunctim* quidem, ut ſi lac decocto ſudorifico alteretur, aut ſi horis ſerotinis juſculum ex viperâ, matutinis lac præbeatur: *Alternatim* verò, ut ſi ſudorifica decocta vel viperina juſcula lacti juſculiſque temperantibus; lac verò juſculaque temperantia decoctis ſudorificis, juſculiſque viperinis per vices ſuccedant.

4°. Dum hæc intrò adhibentur, ut emendentur vitia ſanguinis, extùs faciunt ad firmandum partium dolentium tonum 1°. Fricationes ſiccæ cum panno laneo molliore ad cutis ruborem: 2°. Inunctiones multigenæ cum axungiâ urſi, taxi, viperarum, ſerpentum, humanâ &c. cum oleo chamæmelino, laurino, anethino, rutaceo, ſcorpionum Matthioli, catellorum, lumbricorum, nuciſtæ, laterum ſive philoſophorum &c. cum ſapone duro & ſpiritu vini vel aquâ vulnerariâ &c. cum balſamo tranquillo, & aliis hujus generis ſexcentis: 3°. Exercitationes jejuno ventriculo ad madorem uſque: 4°. Uſus quotidianus ſubuculæ laneæ quæ ad cutim proxima ſit &c. quæ ſi irrita ſint aut minùs efficacia ad embroches, balneaque thermarum, præſertim earum quæ ſunt è ſulfurearum genere, confugiendum eſt, quaſi ad ſacram anchoram.

5°. Cæterùm diligenter inquirendum eſt, num dolores illi qui curatu difficiles ſunt, à ſeminio ſcorbutico fortè proveniant, de quo conjectura erit ex ulcerosâ gingivarum putredine, aut ex rubris, violaceis, nigris tibiarum maculis & vibicibus; quæ ſi appareant, iis remediis potiſſimùm inſiſtendum erit, quæ adversùs ſcorbutum efficaciùs valent, de quibus ſuprà hujuſce Libri *Cap. 6. §. 3. art. 3. n. 5.* iis tamen non omiſſis, quæ modò propoſuimus.

§. VII. HERPETES ET LICHENES.

VII. Herpetes & licheres.

VII. Nec diſpari ferè methodo herpetibus, lichenibus, impetigini, cæteriſque cutis vitiis medendum eſt, ſi poſt uſum hydrargyroſeos permaneant, quod non rarum; aut quod frequentius eſt, ſi per intervalla renoventur. Nam cùm utrumque repetendum ſit, ut de doloribus modò dicebamus, 1°. Vel ab acrimoniâ ſanguinis, atque adeo humoris ſebacei & mucoſi, quibus cutis jugiter madeſcit: 2°. Vel à viſciditate eorumdem humorum, præſertim quæ cum acritate conjuncta ſit: 3°. Vel ab ulcerosâ mollitie glandularum corporis reticulati ſeu mucoſi, & ſuperjectæ cuticulæ, quæ vitioſos ſuccos à ſanguine facilè imbibant *filtri* inſtar, conſequens eſt ad affectiones illas cutaneas radicitùs curandas adhibenda eſſe.

Quomodo curandi.

1°. Eadem remedia, quæ modò propoſuimus adversùs eadem ſanguinis vitia, humorumque qui à ſanguine ſcaturiunt, acrimoniam ſcilicet aut viſciditatem morboſam.

2°. Cum iiſdem jungenda eſſe, quæcumque contra cutis vitia valent; ſi illinantur, ut ſunt ſucci expreſſi è radicibus lapathi acuti, ciclaminis, foliiſque arthemiſiæ & nicotianæ; aqua calcis, aqua ſale marino ſaturata; oleum carthæ, tritici aduſti, tartari per deliquium; lana ſuccida ad nigrorem in ollâ clausâ torrefacta, pulverata, & in aquâ roſarum diluta; præcipitatum rubrum vel album cum *pomatâ* quâvis permiſtum, eâ doſi quæ idonea viſa fuerit; aqua phagedænica &c. quæ quidem, ut gradu varia ſunt, ſic etiam majore vel minore cautione debent admoveri.

§. VIII. RHAGADES MANUUM.

VIII. Rhagades manuum.

VIII. Rarò & inſolenter accidit in iis, qui ſe corpuſque molliter curant, ut volæ manuum plantæque pedum ullis unquam deturpentur rhagadibus in lue venereâ, propterea quòd manuum pedumque cutis ſæpè lota, nec labore attrita tenuior eſt molliorque, quàm ut in fiſſuras dehiſcat. Contrà verò id mali haud infrequens eſt in iis, quibus manuum volæ, pedumque plantæ ſquallore & labore ita occalleſcunt & exſiccantur, ut rimas ſponte agant, quæ affluxu virulenti humoris in dies ingraveſcunt.

Curantur iiſdem remediis ac herpetes.

Adversùs rhagades, ſi quæ hydrargyroſi ſuperſint, utilia ſunt remedia omnia, quæ mox contra herpetes propoſita ſunt, quibuſcum videlicet rhagadia naturâ & causâ proximè convenire certum eſt. Inter hæc autem præſentiſſima ſunt præcipitata Mercurialia omnia cum pomatâ quâvis admixta, majore vel minore doſi pro diversâ morbi malitiâ.

§. IX. ULCERA CONTUMACIA.

IX. Ulcera contumacia ex quatuor cauſis.

IX. Solent ulcera, quæ in diverſis corporis locis fiunt à phymatis, nodis, gangliis, gummatiſve abſcedentibus, & quæ proinde à venereâ causâ certiſſimè proveniunt, poſt adhibitam etiam hydrargyroſim cicatricem tardè trahere, nec ſi ampla fuerint, ſanari plerumque niſi ſatis longo poſt intervallo.

Modò tamen ulceris confinia mollia neque valdè caleant, neque intensè rubeant, neque inſigniter tumeant; modò caro, quæ ab ulceris fundo ſuccreſcit, firma, denſa, granoſa, roſeique coloris ſit; modò demùm pus, quod ab ulcere manat, paucum, ſpiſſum, læve, album ſit, & limphæ nutritiæ ſeu rori partium ſimillimum, res ſalva eſt. Hæc enim indicant ulcus ad curationem feliciter quidem tendere, ſed ut coaleſcat, paulò longiore temporis morâ opus eſſe, facilè & tutò concedendâ.

Sin verò hæc contrà ac dico, eſſent omnia, vel ſaltem pleraque, gravis inde noxa foret, & quæ perdifficilem curationem habitura eſſet. Solent autem ulcera iſtiuſmodi, quæ poſt exterminatum virus chironia & dyſepulota ſunt, quadruplicem cauſam agnoſcere, 1°. Sinus & cuniculos per vicina ulcerum labra latenter ſuffoſſos, unde pus fœtidum jugiter effluit: 2°. Cariem ſubjecti oſſis, unde purulentum ichor perpetim manat: 3°. & 4°. Morbificum in ſanguine ſeminium ſcorbuticum ſtrumoſumve, quibus inficitur limpha nutritia, quæ ad reparandum ulcus appellit, unde certa pernicies ulceri continuò affertur.

Prima

Prima cauſa dignoſcitur tumore, dolore, calore, rubore, renitentiâ partis cujuſdam ulceri confinis; affluxu puris aut purulenti ichoris, dum pars illa de induſtriâ premitur; denique ſpecillo, quo ſuſpensâ manu per obvium oſtium introducto ſinûs latentis ſitum, altitudinem, directionem explorare facile eſt.

Patet altera, ſi labra neque tumeant, neque doleant, neque renitantur, & ulcus tamen cicatrici repugnet; ſi ulceris fundus licet deterſus ſpongiosâ, molli, facilè in putredinem colliqueſcente carne oppleatur, & ichore fœtido perpetuò madeſcat; demùm ſi viſu vel ſpecilli attactu palam ſit os ſubjectum nudatum, ſcabrum, aſperum, inæquabile, foraminulentum, uno verbo carioſum eſſe.

Tandem innoteſcunt tertia & quarta ſignis, quæ ſeminium ſcorbuticum vel ſtrumoſum ſolent indicare: *Scorbuticum*, ſi gingivæ fœteant & putrefiant, aut ſi tibiæ maculis conſperſæ liveſcant: *Strumoſum*, ſi ulcus in glandulosâ parte inſideat, ſi ulceris baſis skirrhodes ſit, ſi glandulæ aliæ, ſive ulceri confines, ſive in aliis locis ſitæ, ſimili tumore skirrhode laborent.

Quomodo primæ ex illis cauſis medendum ſit.

De tribus ultimis cauſis mox agemus articulis ſequentibus. Nunc de primâ tantum causâ ulceris Chironii quæſtio eſt, nempe de fiſtuloſis ſinubus.

Certum eſt & indubitatum Chirurgiæ axioma vulnera ulcerave tutiùs, citiùſque numquam ſanari cæteris paribus, quàm dùm recluſis receſſibus cunctis omnia ſunt in propatulo, & ita obvia ut pus nullibi lateat, ſingulaque loca ſuppurari, detergi, elui & mundari facilè poſſint.

Itaque 1°. Si commodè fieri poſſit, ſinus omnes quanticumque ſint incidendi, forficibus quidem ſi cutanei; ſcalpello, *biſtouri* dicto, quod ſpecillo ſulcato in ſinus immiſſo regatur, ſi altiores fuerint; labraque pendula hinc & inde reſecanda, ut ad fundum facilior pateat aditus.

2°. Præſtat tamen aliquando, ut ſectioni parcatur, ſi longior ſinus ad oppoſitam partem proximè attingat, ex adverſo aperturam facere, unde gemina pateat via puri exiturienti, faciliſque ſit ultrò citròque commeatus, ut omnia poſſint injectionibus probè elui, & immiſſis medicaminibus facilè detergi.

3°. Quòd ſi ulceris ſitus, partiumve adjacentium natura neutrum permittat, ſaltem neceſſe eſt oſtium ſinûs ita dilatare ſcalpello hinc & inde, vel admotis cathæreticis ita ampliare, ut fundus oculis, digitis, remediis facilè obvius fiat; affectamque partem ita deligare, & in eo ſitu retinere ſi liceat, ut à fundo ſinûs in plagam via declivis ſit puri effluxuro.

4°. Iis ita comparatis tota ulceris facies ex arte ſuppuranda digeſtivo ſimplici, vel cum oleo hyperici, imò cum tinctûrâ myrrhæ, ſi odorem ſpiret fœtidum & graveolentem ac colorem ſublividum præ ſe ferat. Poſteà iteratis injectionibus eluenda, nempe decocto hordei cum melle roſaceo, decocto agrimoniæ, hyperici, betonicæ, bugulæ &c. & balſamo Arcæi curanda, quocum ſi carnes luxuriaverint, proderit admiſcere balſamum viride Metenſe. Quod ſi carnes molliores & fungoſæ videantur, reprimentur pulvere inſperſo aluminis uſti, vel levi attactu lapidis infernalis; ac demùm cicatrix advocabitur appoſitione linamenti carpti,

aut uſu pulveris terebinthinæ coctæ, cæterorumve epuloticorum.

5°. Dum ea extrà geruntur, intrà adhibenda ſunt quæ ad corrigendam ſanguinis dyſcraſiam faciunt, nempe epiceraſtica ſeu temperantia & edulcantia, ſola ſcilicet, qualia modò propoſuimus *hujus Capitis* §. 6. ſi dyſcraſia ſalſo-muriatica ſit; edulcantia verò cum diaphoreticis & attenuantibus permixta, qualia protulimus *ibidem*, ſi ex acri oleoſa ſit viſcidaque.

6°. Profuit aliquando labra, confiniaque ulcerum chironiorum, quæ à ſeminio venereo ortum primùm habuerunt, unguento mercuriali identidem illinere, quod callos, ſi qui adſint, reſolvit, quod vitia limphæ ad ulcus confluentis emendat, ideoque ad labrorum mollitiem & cicatricis progreſſum utiliſſimè confert.

7°. Denique in ulceribus chironiis, quod de doloribus quoque & herpetibus, qui poſt curatam luem veneream ſuperſunt, volumus intelligi, utile eſt fonticulos occipiti, brachiorum aut poplitum alterutri inurere, qui partem acrioris limphæ educant, vel avertant ſaltem ab affecto loco.

§. X. CARIES OSSIUM.

X. Oſſium caries, & diverſæ cariei ſpecies.

X. Caries venerea, quâ oſſa tentantur, hydrargyroſi etiam ritè adminiſtratæ rarò ſponte cedit; nec ſanè mirum cùm ad ejus curationem opus ſit & operoſiore therapeiâ, & diuturniore temporis intervallo.

Os carie affectum modò carne & perioſtio planè denudatur & oculis ipſis obvium eſt: Modò contrà carne tegitur, ſed molli, fungosâ, ſanguinolentâ, quæ nunc rubicunda eſt, nunc albida, nunc ſublivida, & quæ ſubjecto oſſi non adhæreſcit. Prior manifeſta; poſterior occulta caries dicitur, ſed quam tamen dignoſcere facile eſt ex naturâ carnium, quæ ulceris fundum replent; ex ichore graveolente, quod eòdem confluit; demùm quæ certiſſima exploratio eſt, ope ſpecilli, cujus attactu liquet os ſubjectum detectum & nudum eſſe atque carioſum.

Hoc utrumque cariei genus in duas ſpecies ſubdividendum eſt in praxi, alteram, in quâ oſſis ſuperficies ſuo quidem perioſtio nuda eſt, arida, exſucca, ſanguini aut limphæ nutritiæ admittendis inepta, ſed in quâ nulla apparent manifeſtæ eroſionis ſigna, & illa *oſſis exareſcentia*: Alteram, in quâ oſſis ſuperficies ſcabra, inæquabilis, aſpera eſt, imò non rarò variè foraminulenta, atque adeò in quâ conſpicua ſunt eroſionis indicia, & hæc *caries* verè dicitur. Ambæ diuturnitate tantùm differunt invicem; illa enim recentiorem, à quâ levior labes; hæc verò antiquiorem cauſam habet, à quâ labes gravior illata eſt.

Remedia cariei.

1°. In utrâque, ſi caro ſemi-putris carioſum locum contegat, vel ſcalpello ita deradenda eſt, modò commodè poſſit, vel admotis cathæreticis ita abſumenda, ut os nudum oculis uſurpetur & adhibendis remediis obvium ſit.

2°. In priore cariei ſpecie ſufficit plerumque, ſingulâ quâque curatione oſſi imponere penicillum linteum imbutum aquâ vitæ; ſpiritu vini; tincturâ myrrhæ, aloës, euphorbii &c. vel inſpergere pulverem radicis ireos Florentinæ, aut pulveratum euphorbium, aut ad ſummum identidem

infundere guttas aliquot olei Guaiaci, aut quæ efficacior est, dissolutionis Mercurii in aquâ stygiâ.

3°. In posteriore verò necessum est cauterium actuale admovere, quo facies ossis, quæ carioſa est, deuratur. Sed cauto opus est 1°. Ut labra ulceris linteis aquâ madidis priùs contecta adversùs ignis vim muniantur: 2°. Ut media ossis carioſi pars, ubi labes maxima, paulò fortiùs, debiliùs verò ejusdem ambitus comburatur: 3°. Ut ustionis intensio, quæ pendet tum à gradu caloris, tum à morâ temporis per quam cauterium admovetur, morbi gradui respondeat, scilicet major minorve sit pro diversâ cariei altitudine, pro diversâ cariei siccioris vel humidioris naturâ, pro diversâ ossis qualitate, ut magis vel minùs spongioſum est.

4°. Lamella ossis, quæ carioſa est, remediis vel igne exsiccata aliquanto post tempore ab osse subjecto sponte secedit seu *exfoliatur*; nempe constipatis in hunc modum & arefactis illius lamellæ fibris, necessum est omne sanguinis ac limphæ commercium intercipi inter hanc quæ planè emortua est, subjectasque ossis lamellas quæ vitâ fruuntur; quapropter cogitur limpha nutritia jugiter appellens, cùm ulteriùs progredi nequeat, subter lamellam guttatim colligi, & in carnem sensim efflorescere, firmam, densam, granoſam, candidam, ab ossis sani facie pullulantem, eique firmiter adhærescentem, quâ succrescente os carioſum à subjecto sensim divellitur, tantò quidem faciliùs quòd lamella illa exsiccatione in brevius spatium contracta locum, quem anteà occupabat, jam laxiùs repleat, atque adeo possit è sede facilè deturbari.

5°. Donec optata carioſi ossis exfoliatio succesſerit, ulceris labra continenda sunt, ne fundus importunâ carne oppleatur. Solent in hunc finem admoveri penicilli è linamento sicco, vel si caro nimiùm luxuriet, unguento fusco imbuti, quod fit ex unguento basilico cum additâ præcipitati rubri dosi variè variâ, prout usus fuerit.

6°. Verùm ubi primùm delapsa carioſa lamella locum cesserit carni ab osse sano succrescenti, quæ cum ulceris labris consociari possit, res tota naturæ viribus permittenda est, cavendo tantùm, ut caro, si mollior sit aut præcipitantiùs excrescat, arte reprimatur, nempe alumine usto, aquâ calcis, aquâ phagedænicâ, unguento ægyptiaco, balsamo viridi Metensium, balsamo fusco de quo mox, cæterisque similis efficaciæ.

7°. Interea toto curationis stadio, 1°. Dyscrasia, si quâ sanguis forsan peccaverit, iisdem remediis emendanda est, de quibus suprà, nec semel: 2°. Æger parcè nutriendus, nempe solis jusculis aut dilutioribus panatellis, si à febre non vacet; offis verò, vel quod præstat, lacte vaccino, si febre careat: 3°. Inurendus unus aut alter fonticulus, ut pars peccantis limphæ abducatur: 4°. Cæteraque omnia auxiliorum genera adhibenda, quæ alimentorum concoctioni, sanguinis integritati & animi corporisque quieti possunt conducere.

8°. Cæterùm, si caries in majoribus artuum ossibus ad medullam usque penetraverit, necesse est non modò affectam ossis partem terebrâ pluribus in locis perforari, ut extenuetur, sed etiam intermediam intercapedinem, quæ inter foramina interjicitur, scalpro ope mallei plumbei comminui & dissipari, ut facili & expeditâ viâ possint tùm emitti pus & sa-

nies, quæ intùs latebant; tùm injectiones & unguenta immitti, quibus medullaris oſſis cavitas eluatur, detergatur, mundetur. At verò ſimul curandum eſt, ut dùm oſſis medulla ad ſanationem properat, exfoliatio promoveatur in toto oſſis ambitu, ne quid curationem retardet, & ut conſociatis carnibus, quæ undique ſuccreſcunt, poſſint omnia ad cicatricem pari paſſu tendere, cujus firmitati conſulendum erit iiſdem cautionibus, quas modò recenſuimus.

§. XI. SCORBUTUS.

XI. Scorbutus cum lue venereâ conjunctus hydrargyroſi non debellatur.

XI. Scorbutus & Strumæ, quæ cum ſyphilide aliquando conjunguntur, hydragyroſeos efficaciam non ſentiunt, vel ſentiunt parùm; neque enim morbifica ſeminia, quibus inducuntur, Mercurio ceu remedio alieno & minùs idoneo cedere apta ſunt. Permanent ergo poſt hydrargyroſim ambæ illæ affectiones ſuis propriiſque remediis debellandæ, ſed jam mitiores, depoſito ſcilicet connubio, quod cum ſeminio venereo intercedebat.

Uterque morbus naturâ gravis eſt, & difficilem tùm explicationem, tùm curationem habet; ideoque conſuli velim Auctores illos, qui de utroque argumento ſpeciales Tractatus edidere: Neque enim permittit inſtituti operis ratio, ut à propoſito longiùs divagemur, & ſatis futurum eſſe arbitramur, ſi ea paucis afferamus remedia, quæ ad curandos & debellandos morbos illos hactenus maximè comprobantur.

Quibus remediis mitigandus ſit, ſi ſanari non poſſit?

1°. Scorbutus affectus eſt plerumque indelebilis, remediis ſaltem quibus nunc valet medicina; quem proinde mitigari quidem, debellari verò numquam perfectè videas, præſertim ſi diuturnitate invaluerit. Jam ſuprà hujus Libri *Capite 6. §. 3. n°. 5.* propoſuimus therapeuticam methodum omnium quas novimus efficaciſſimam ad ſcorbutum reprimendum ante hydrargyroſim, quando contigit ut cum lue venereâ conjungatur. Hæc eadem perinde conducit leniendo & curando ſcorbuto, ſi qua poſt hydrargyroſim ſui præbeat indicia, atque adeo inde repetatur velim.

2°. In ſummâ tria ſunt medicinarum genera quæ in præſente caſu cæteris præſtant. Prima eſt ptiſana hydrotica ex lignis radicibuſque ſudorificis decoctione, ut artis eſt, parata, ſine ſennâ vel cum ſennâ pauco, quæ tamen à vulgari in eo differat, quòd iſti radix raphani ruſticani incocta ſit ab ℥ ß. ad ℥ j. pro librâ quâlibet decocti. Huic ptiſanæ, quæ bis in die, manè ſcilicet & ſerò exhibetur, tantò diutiùs inſiſtendum eſt, quòd blandè agat, nec ullam vel ſaltem levem catharſim moveat.

3°. Altera eſt lac vaccinum ſucco depurato cochleariæ vel becabungæ alteratum, bis in die manè & ſerò exhibendum ab ℥ viij. ad lib. j. per plures menſes, modò ventriculus lactis patiens ſit.

4°. Tertia eſt julepus è ſuccis expreſſis & depuratis foliorum ſcordii, alliariæ, ſcorodoniæ &c. aut ſi ſucci deſint, ex intenſo earumdem plantarum decocto ab ℥ ij. ad ℥ iv. aut vj. cum infuſo cortice Winterano vel caſſiâ ligneâ, additoque ſyrupo fumariæ vel de quinque radicibus ad ℥ j. aromatiſatus, & alternis diebus repetendus per dies bis ſeptenos. Debent autem allata remedia, quanquam invicem ſubcontraria videantur, pluries alternare, donec ſcorbuticum ſeminium vel diaphoreticis attritum, &

diapnoë, ſudatione aut diureſi eliminatum ; vel uſu lactis irretitum & edulcatum fuerit.

§. XII. STRUMÆ, *ſive* SCROFULÆ.

XII. Strumæ ſive ſcrofulæ ſcorbuto difficultate vix cedunt, cedunt tamen. Pendent à tumore glandularum limphaticarum ſive conglobatarum skirrhode, vel ſaltem ad skhirrhodem proximo, unde palam eſt 1°. A ſpiſſiore limphâ & in glandularum anfractibus hærente induci ; 2°. Efficaciter impugnari non poſſe, niſi remediis diluentibus, liquefacientibus, attenuantibus, incidentibus, aperientibus &c. quæ craſſiori limphæ nativam fluxilitatem, & ſtagnanti priſtinum motum reſtituant.

XII. Strumæ hydrargyroſi rarò diſſipantur, ſi cum lue veneréâ coincidant.

Inter illa locum habent, 1°. Juſcula ex plantis aperientibus, nempe radicibus cichorii ſilveſtris, bruſci, anonidis, eryngii, foliiſque ſcrofulariæ, agrimoniæ, naſturtii aquatici, cum ſale admirabili Glauberiano, vel arcano duplicato ab ℈ j. ad ʒ ß.

Sed ſuis propriiſque remediis.

2°. Serum lactis depuratum ad ℥ viij. cum tartaro chalybeato ſolubili à gr. xx. ad ℈ j. aut floribus Martis antimonialibus à gr. x. ad xv. cum infuſis aſellis ſive millepedibus vivis, n°. xxx. demùm cum ſucco fumariæ aut ſcrofulariæ ad ℥ ij. alteratum &c.

3°. Aquæ minerales, tum chalybeatæ, ut *les eaux de Forges, de Pougues, de Paſſy, de Spa, de Caranſac &c.* tum etiam thermales ſed ſulfureæ, ut *d'Encauſſè, de Vichy, de la Motthe, de Bourbonne, d'Aix-la-Chapelle &c.*

4°. Præparata varia è mineralibus, quæ aperiendi & incidendi facultate pollent, ut ſunt martialia, mercurialia, antimonialia &c. ex quibus, additis purgantibus, boli, tabellæ, pilulæ confici ſolent.

5°. Laudantur quaſi ſpecifica, 1°. A Gabriele Fallopio radix ruſci pulverata, & ad doſim drachmæ unius in vino epota cum radicis iridis pulveratæ granis x. per dies 40. 2°. Ab Arnaldo Villanovano *Practicæ Medicinæ Lib. 2. cap.* 5. Radix ſcrofulariæ pulverata & ad doſim ℈ j. exhibita : 3°. A Roberto Boyle, *de utilitate Philoſoph. experiment. Part.* 1. *ſect.* 2. Paronychia folio rutaceo, ſeu ſedum tridactylites, in cereviſiâ tenui infuſa & per aliquot dies potanda : 4°. A Zacuto Luſitano, *Praxeos Medic. admirandæ Lib.* 1. *Obſervat.* 101. Unguentum ex radice bryoniæ, cujus formula proſtat *Cap.* XII. *hujus Libri :* 5°. A Medicorum turbâ decoctum ſpongiæ marinæ ad ℥ iv. vel cinis ejuſdem combuſtæ in ollâ clausâ ad ʒ ß. vel lapis qui in ſpongiâ plerumque latet pulveratus & in vehiculo idoneo exhibitus à ℈ j. ad ʒ ß. per plures dies ; ſed horum omnium penes Auctores ſit fides.

6°. Non ita pridem in Galliis increbuit ad curandas ſtrumas quædam antimonii præparatio, quæ ad antimonium diaphoreticum proximè accedit, & quæ ab Empirico neſcio quo, *Rotrou* dicto, à quo primùm uſurpatam fuiſſe narrant, *Pulvis de Rotrou* vulgò appellatur. Proferetur ejuſdem parandi proceſſus in extremo hocce Libro, cum rectâ adminiſtrandi ratione ; ſed præmonitum Lectorem velim hoc remedii genus, ut cætera pleraque quæ vulgi præconio temerè celebrantur, famâ magis quàm ſucceſſu valere, ut ipſe non ſemel expertus ſum.

CAPUT XI.

De Affectibus penè desperatis, qui post hydrargyrosim aliquando supersunt.

Morbi insanabiles, in quos lues venerea aliquando degenerat, desidiâ vel temeritate ægrotantium.

QUÆ recensuimus hactenus mala omnia, imò pessima, sed tamen medicabilia : Quæ mox tractaturi sumus multò pejora, cùm sint pleraque immedicabilia. In confesso est ea quidem produci summâ vi veneni venerei, unde prima mali labes, quippe quo solidæ corporis partes irreparabili damno labefactantur : At verò neque minùs constat, quantacumque supponatur vis seminii morbifici, produci eadem numquam sine supinâ ægrotantium culpâ, qui socordiâ locum dant concepto contagio, ut vires acquirat eundo, ac in ossium medullas penetret, & intima viscera depascatur. Ipsi proinde ægrotantes infortuniorum suorum auctores sunt, ac calamitates maximas sibi pariunt desidiâ vel temeritate. *Desidiâ* quidem, si intempestivè cunctentur, neque Medicis auscultent, qui ut hydrargyrosi morbus ocyùs profligetur urgent & instant summo cum studio : *Temeritate* verò, quoties verbis & promissis magnificis delusi Circulatoribus, Agyrtis, Empiricis sese credunt, quorum remediis seminium morbosum retundi forsan, debellari numquam potest.

§. I. TUMORES TESTIUM.

I. Tumores testium.

Inter infortunia hujuscemodi, quæ curationem non admittunt, numerantur I. Tumores testium, quicumque ad hernias humorales pertinent, ut spermatocele, sarcocele, hydrocele, pneumatocele, kirsocele &c. de quibus suprà *Capite III. §. V.*

Spermatocele, quæ cæterarum herniarum humoralium est veluti principium, causam habet geminam, nempe 1°. Stagnationem seminis, quo spermatica testium vasa turgent, ut quoties fluxus gonorrhœæ injectione astringente, crapulâ, equitatione, coitione, febre &c. derepente supprimitur 2°. Congestionem viscidioris seminis, quo vasa eadem offerciuntur, ut quoties à latente causâ venereâ sanguis inficitur, semenque spissitudinem vitiosam inde nanciscitur.

Prior spermatoceles species, quæ in gonorrhœâ frequens, levior est cùm à stagnatione solâ fiat ; & ubi primùm restituitur gonorrhœæ effluxus, datâ stagnanti semini viâ, plerumque sponte resolvitur. Posterior verò, quæ à lue venereâ ortum habet, curatu difficilior est, quia semen tardè congestum, morâ magis indurescit atque ideò difficiliùs discutitur.

De utrâque ferè desperandum est, si hydrargyrosis spem frustrata sit, cùm sit experientiâ compertum tùm semen humorum omnium, qui concrescunt, difficillimè resolubile esse ; tum inveniri vix posse remedium alterum, quod ad inspissatos humores eliquandos ac nativæ fluxilitati restituendos magis valeat, quàm Mercurius ipse, qui jam incassùm adhibitus fuit.

Quibus remediis curandi sint, si curari possint?

Tunc ergo spes quæ reliqua est in eo tota sita est, 1°. Ut diutissimè repetantur inunctiones ex unguento mercuriali super scrotum, bis aut ter hebdomade quâlibet, ad dosim ʒ j. quâque vice; vel si commodius forsan videatur, ut tumenti testiculo continenter admoveatur emplastrum de Vigo quadruplicato Mercurio, solum vel cum æquâ parte diabotani subactum, quod mense quolibet vel etiam quinto decimo quoque die renovari necessum est; vel tandem ut apponatur cataplasma ex pulpis radicum coctarum Bryoniæ, cucumeris silvestris, & ireos, addito gummi ammoniaco in aceto dissoluto.

2°. Interim verò ne pondus testem aggravet, ac funiculum, ex quo dependet, nimiùm distrahat, unde tum doloris morsus, tum novum regressuris humoribus impedimentum, opus est ægrum uti subligaculo *suspensorio* dicto, cujus ope in appenso folle sive marsupio testis uterque sustineatur.

3°. Porrò sedulò cavendum, ne immoderato aut præpostero usu incidentium & resolventium internorum aut externorum skirrhodes testis in abscessum abeat, quod ex præsentibus suppurationis signis palam foret; aut quod pejus est, carcinomatodem naturam paulatim contrahat, de quo conjectura esset ex repetitâ doloris lancinatione & varicosâ venarum circumrepentium dilatatione. Proinde satius est malum, quod quantumcumque sit, præsenti periculo caret, fortiter pati, quàm impotenti sanationis desiderio ea experiri remedia, quibus morbus desperatus fiat.

4°. Quòd si nimia tumoris moles, aut durities quasi lapidea spem omnem præcidant futuræ resolutionis, si testis pondere nimio gravissimam exhibeat molestiam, si periculum sit ne malum à teste ad funiculum spermaticum, & inde ad abdomen usque procurrat, de testiculo exscindendo cogitandum est, præsertim si in suppuratum aut in carcinoma proximè degener sit.

5°. Priùs tamen cautè attendendum est, utrùm funiculus spermaticus, quem arteria venaque spermatica, vas deferens, limphaticæ venæ nonnullæ, nervus versùs testem progrediens & suspensorius testis musculus componunt, mollis sit & naturalis statûs retinens? Sin aliter enim ab operatione prorsus abstinendum esset, cùm palam sit ex calloso funiculi tumore morbum in abdomen usque prorepere, neque adeo resciso teste posse ullâ ratione penitùs extirpari.

6°. Numquam feliciùs succedit hæc operatio, quàm si dorso amputandi testiculi priùs apponantur frustula aliquot lapidis cauterialis ordinatim dispositа, quibus tum scrotum, tum vaginalis tunica testis altè erodantur. Hinc enim educto sero & pure, si qua fortè lateant, & contracto testiculo, quidquid reliquum est licet expeditiùs prosequi. Adde eâ ratione certiùs dignosci statum testiculi morbidi, quem nosse permulti refert, cùm acciderit non semel in hydrocele, imò & in sarcocele, ut testiculus ipse sanus esset, totumque vitium ipsius tunicis adnatum foret, cui proinde mederi facile fuit citra castrationem.

7°. Explorato testis morbo, si durus, skirrhodes; tumidus, suppuratus, syderatus sit, quæ singula cunctationem non recipiunt, ligatura fili duplicati spermatico funiculo arctè injicienda est, quam infra ad unum

pollicem appenſus teſticulus exſcindendus eſt, laciniæ exinaniti in ſcroto loculi reſecandæ, vulnuſque ex arte curandum vulgari methodo, nempe digeſtivo dum ligatura decidat, deinde balſamo Arcæi, ac demùm cùm plaga ad cicatricem tendit, epuloticis, de quibus ſæpiùs dictum eſt.

§. II. PENIS DISTORTIO.

II. Penis erecti diſtortio.

II. Infortunium alterum eſt Penis, dum rigeſcit, diſtorſio in diverſas partes, ſurſùm, deorsùm aut ad latus alterutrum, quæ uſum rei venereæ ſi non interdicit, at certè difficilem & propagandæ ſpeciei plerumque imparem efficit.

Id mali provenit à nodo ſive ganglio in præputii fræno, in urethræ parietibus, in ligamento penis ſuſpenſorio, vel in ipſis cavernoſis corporibus ex causâ venereâ enato, unde fit ut penis, qui dum flaccidus eſt liberè & rectà propendet, verſus partem affectam detorqueri neceſſum habeat, dum erigitur, quandoquidem obſtat latens in illâ parte ganglion, ne poſſit illa debitam adipiſci longitudinem. Hinc penem ſurſùm, ſi ligamentum penis ſuſpenſorium; deorsùm ſi frænum præputii aut urethra; ad dextram ſiniſtramve partem revolvi neceſſe eſt, ſi pars ulla dextri ſiniſtrive corporis cavernoſi malè afficiantur.

Remedia & exempla.

Incurvati penis remedia eadem ſunt cum remediis teſtis skirrhodis, cùm in utroque affectu perinde opus ſit impactam materiem diſcutere & reſolvere. Repetantur ergo ex præcedente paragrapho: Quæ ſi irrita ſint, æquo animo feratur malum, immedicabile quidem, ſed planè innoxium.

Memorat Jacobus Hollerius, *Comm. ad Aphoriſm. 63. Lib. 5.* ſi non idem, certè haud abſimile penis vitium peculiari artificio à ſe correctum. *Vidi*, inquit, *qui membro ita obtorto non poterat gignere, quòd ſemen ſemper reſtitaret in cervice uteri. Huic paratus eſt canaliculus plumbeus vel argenteus, accommodatus craſſitudini ipſius penis, in quem immiſſo pene circumpoſitæ & alligatæ ſunt ciſtellæ, ita ut tandem figuram membri rectam ac naturalem recuperarit & genuerit.* Quæ licet ſatis obſcurè proponantur, inde tamen colligi poteſt quali artificio uſus ſit ille, atque adeo ſi ex uſu fuerit, pronum eſt cuivis ſuo periculo experiri.

Non moror quæ Julius Cæſar Arantius, *Libr. de tumoribus præternaturalibus, Cap. 50.* refert de quâdam penis incurvatione, quam cenſet deducendam eſſe à laxitate cellularum in alterutro corpore cavernoſo, unde fiat ut quantùm cellulæ illæ, quæ laxiores ſunt, cæteris magis dilatantur, tantumdem in rigido membro decreſcat longitudo cavernoſi illius corporis, ad quam debuiſſet alioquin extendi, ex quo ſequitur penem versùs illam partem neceſſariò detorquendum eſſe. Ait autem ille *in hanc morbi ſpeciem incidere, qui veneri nimis indulgent, & qui frequenter & diù, ut mulierculis placeant, diſtento ſunt genitali*, utpote in quibus diſtractione nimiâ & diuturniore pars quædam in cavernoſo alterutro corpore relaxetur; putatque illud malum non emollientibus, ſed aſtringentibus curandum eſſe, quorum formulas aliquot recenſet. Sed hæc ſi veritate nitantur, in quod non lubet nunc inquirere, ſaltem ab inſtituto noſtro planè ſunt aliena, cùm ad luem veneream nullomodò pertineant.

§. III.

§. III. IMPOTENTIA AD VENEREM.

III. Impotentia ad venerem morbis venereis frequenter induci ſolet: Nec ſanè admirari ſubit, ſi qui pugnant acriùs in veneris caſtris, ac frequentiora patiuntur vulnera, cæteris citiùs huic militiæ impares fiant. III. Impotentia ad venerem pendet à causâ multiplici.

Species tres impotentiæ iſtiuſmodi obſervamus, *Primam*, in quâ arrigitur quidem nec invalidè, ſed in quâ nullum, vel paucum & ſeroſum ſemen emittitur: Hanc puto pendere ab omnimodâ conſtipatione ductuum emiſſariorum, quibus veſiculæ ſeminariæ & proſtatæ cum urethrâ communicant, ideoque præpoſterum nimiumque uſum injectionum fortiùs aſtringentium ſequi, quo nonnulli ad gonorrhœæ curationem abuti ſolent.

Alteram, in quâ è contrario ſine voluptatis ſenſu, vel ſaltem cum ſenſu pauco, ſolitoque celeriùs ſemen diſtillat, affectâ tantùm necdum perfectâ erectione, unde præceps & involuntaria reſolutio. Videtur iſta oriri à nimiâ ductuum eorumdem amplitudine, per quæ ſemen è conceptaculis exprimitur faciliùs promptiùſque, atque adeo antequàm omnia ad opus comparata ſint. Solet ea impotentiæ ſpecies gonorrhœis diuturnioribus ſuccedere, ſi naturâ aut ægrotorum negligentiâ, contumaciores fuerint.

Tertiam demùm, in quâ penis flaccidus & vietus jacet, neque poteſt arte ullâ exſuſcitari. Et hæc multa variaque vitia ſupponit latentia, 1°. Vel in ipſis ſeminis conceptaculis, ubi potiſſimùm viget rei venereæ ſenſus, nempe in proſtatis, veſiculiſque ſeminariis, ut ſi callis induruerint, aut fungoſis carnibus oppleantur, ex quo efficiatur ut à collecto ſemine nullatenus, aut ſegniùs afficiantur; 2°. Vel in muſculis erectoribus aut acceleratoribus, quorum miniſterio virga rigeſcit & tenditur, ut ſi laxi & inertes ad erectionis negotium inepti vel minùs comparati ſint: Quibus ſingulis noxis haud rarum eſt ſeminis conceptacula, muſculoſque erectioni famulantes à causâ venereâ patere.

Prima impotentiæ ſpecies nullam videtur curationem admittere; neque ſanè novi quo pacto emiſſaria arctiſſimè conſtipata poſſint iterùm reſerari. Per me tamen cuivis licet operam ludere, ſi lubitum fuerit, injectiones emollientes immittendo in urethram, balnea aut ſemicupia emollientia uſurpando, cataplaſmata malactica perinæo admovendo, aquas minerales, præſertim ſaponaceas exhibendo &c.

Neque remediis faciliùs ceſſura eſt poſtrema impotentiæ ſpecies, præſertim ſi contra hydrargyroſim jam pervicax fuerit. Ne quid tamen reliqui fiat quod ad curationem pertinere poſſit, auctor ſum ut ea tententur remedia, quæ ad callos reſolvendos efficacia ſunt, & quæ ſuprà propoſita ſunt *paragrapho* 1. *n.* 1. ad skirrhum teſtium: Imò ut ſupra perinæum fiant aquarum thermalium ſtillicida ſeu embroches, quæ adversùs muſculorum erectorum & acceleratorum inertiam remedio eſſe poſſunt. Quomodo medendum ſit cauſis, quæ curationi non repugnant.

At verò licet plerumque ſecundæ impotentiæ ſpeciei paulò efficaciùs medicari, ſi perfectè mederi non detur, uſu ſcilicet remediorum omnium, tùm internorum, tùm externorum, quæ adversùs gonorrhœas in-

veteratas valere ſuprà diximus *Capite præcedente*, §. 1. quandoquidem hæc ſingula latioribus emiſſariis conſtipandis & coercendis aptiſſima ſunt. Velim tamen, ne qua noxa poſſit inferri, ut à blandioribus remediis iſtiuſmodi fiat ad fortiora progreſſus, & fortiora, ſi ex uſu ſint, cautè & interjecto ſpatio repetantur.

§. IV. NODI, GANGLIA, TUBERCULA, GUMMATA.

IV. Nodi, ganglia, tubercula, gummata.

IV. Nodi, ganglia, tubercula, gummata &c. medicinam omnem plerumque vincunt, præſertim ſi hydrargyroſis jam fruſtrà adhibita fuerit: Neque enim valentiora reperire eſt remedia, quæ impactam limpham efficaciùs liquent, aut liquefactam potentiùs reſolvant.

Iiſdem remediis curantur, quibus herpetes.

Profuit tamen aliquando diu & pertinaciter adhibuiſſe medicamina, quæ ſuprà *præcedente Capite*, §. 12. contra ſtrumas facere dictum fuit, & emplaſtrum de Vigone quadruplicato Mercurio, modò ſolum, modò cum diabotano permiſtum; vel tenuem lamellam plumbeam hydrargyro quotidie illitam appoſuiſſe, maximè ſi nodi & ganglia molli ſed iteratâ contrectatione quotidie ita priùs atterantur, ut ſubacta materies remediis ſolventibus faciliùs obſequi poſſit.

Sed vix auctor eſſe velim, ut torturis iſtiuſmodi quiſquam utatur, niſi cùm nodi, ganglia, gummataque vel mole nocent artuum motui, vel faciei manuumque venuſtatem deturpant. Cæterum quoties neque officiunt ullo modo, imò neque conſpicua ſunt, à remediis temperandum puto, vel ideò maximè quòd non ſemel obſervatum ſit gummata gangliaque remediis & præſertim fortioribus frictionibus malè habita in carcinomata degeneraſſe.

§. V. EXOSTOSES.

V. Exoſtoſes & earum ſpecies.

V. Suprà *Cap.* 3. §. 5. ſtatuimus duo eſſe prima exoſtoſium genera, alterum ſpuriarum, quæ à perioſtio in durum ganglium ſive tuberculum craſſefacto; alterum legitimarum, quæ ab ipſâ oſſis ſubſtantiâ tumefactâ dependeant: Hoc rurſus in duas ſpecies ſecundariò dividi, prout oſſea ſubſtantia, quæ in exoſtoſim protuberat, vel in plures cellulas concameratione diſtinguitur, quæ ſingulæ cartilagineâ aut fungoſâ carne oppleantur, vel ex toto ſolida eſt, imò reliquo oſſe plerumque durior.

Prima exoſtoſium ſpecies hydrargyroſi haud rarò; poſtrema ferè numquam diſcutitur. Secunda medium tenet, ut quæ diſcuti ſoleat, ſi parva & recens fuerit, ſi ſpongioſâ concameratione conſtet, ſi molliorem carnem concludat; ſin aliter, adverſùs ipſum Mercurii uſum ſit ut plurimùm contumax.

Curatio exoſtoſium.

1°. Si ſucceſſerit ut exoſtoſium ulla ullibi ſuperſit poſt hydrargyroſim, præſtare puto quandiù indolens fuerit, omitti ſine remediis, quàm operoſiorem medicinam morbo immedicabili cum nullo vel cum minimo ſucceſſu adhiberi. Sin tamen ægrotanti aliter videatur, adverſari nolim, quin ea tentet remedia, fiduciâ tamen suâ, quæ *ſuprà* §. 1. & 4. allata ſunt tanquam efficacia contra teſtium skirrhos gummataque quarumvis partium.

2°. At verò ſi exoſtoſis, quæ adverſùs hydrargyroſim contumax fuit,

ſponte vel remediis nimiùm vexata acutè doleat lancinetque cum manifeſto cutis ſuperjectæ calore & rubore, ita urget periculum ne in abſceſſum cum oſſis carie conjunctum, vel quod pejus etiam eſt in carcinoma degener fiat, ut resunctationem nullam recipiat. Igitur præmiſſis univerſalioribus, quæ viam cæteris præmuniant, ad operationem quàm ocyſſimè devenire neceſſe eſt, quâ cutis in crucem incidenda; anguli quatuor qui propendent, forfice reſecandi, deraſoque perioſtio exoſtoſis terebrâ variis in locis perforanda ut attenuetur; deinde ferrâ vel ſcalpro penitùs exſcindenda, baſiſque cui inſiſtebat, pulveribus myrrhæ, aloës, euphorbii; tincturis ex iiſdem extractis; vel ſi ita poſtulaverit cariei altitudo, ferro ignito ad exfoliationem deducenda; demùm plaga, quæ ſupereſt, eâdem planè methodo curanda, ac ſuprà *Capite præcedente*, §. 10. dictum eſt de ulceribus, quæ cum ſuppoſiti oſſis carie conjuncta ſunt.

§. VI. DOLOR OSTEOCOPUS.

VI. Contingit nonnumquam poſt hydrargyroſim legitimè adminiſtratam, ut dolor profundus, fixus, oſteocopus, aſper, perpetuus, & aliquando per intervalla lancinans certum in oſſe quodam locum occupet & infeſtet, ſine tumore ullo & cum leviſſimâ in cute caloris & coloris mutatione, quod mali genus, ſi contra emollientia, anodyna, paregorica & reſolventia remedia pervicax ſit, haud inanis conjecturæ locus futurus eſt pendere vel à carie latente in oſſe partis dolentis, vel ab exoſtoſi cum carie in internâ oſſis ejuſdem facie, quæ ad medullam ſpectat, vel quod omnium peſſimum eſt, ab abſceſſu medullaris ſubſtantiæ.

VI. Dolor oſteocopus oſſi inſidens cariem oſſis aut medullæ abſceſſum indicat.

Itaque ſi conjectura in dies urgentior fiat, ſi nulla ſuppetat alia ſalutis ratio, durus & crudelis medendi modus ſupereſt, ſed unicus, nempe cutem loco dolenti ſuperextenſam in crucem incidere, anguloſa ejus labra circùm reſecare, perioſtium deradere, demùm os nudatum terebrâ perforare ad meditullium uſque. Si nihil inde profluat præter paucas ſanguinis ſtillas, res ulteriùs urgenda non eſt, niſi certiora latentis cariei aut abſceſsûs indicia oſtendantur. Sin verò purulenta aut ſanioſa materia inde profundatur, os novis foraminibus tum infrà, tum ſuprà pertundendum eſt, ut attenuetur, ac interjectæ intercapedines ſcalpro cum malleo plumbeo ita exſculpendæ ſunt, ut via libera fiat tum effluxuro puri, tum immittendis medicamentis. Reliqua omnia curanda ſunt juxtà methodum ſuprà propoſitam *Cap. præcedente*, §. 10. donec medullari ſubſtantiâ ſuppuratâ & detersâ, & carioſi oſſis facie *exfoliatâ* omnia ad cicatricem pro votis properent.

Quibus ſolâ operatione mederi licet.

Cæterùm, ut liberè dicam, cùm Medici naturam & cauſam morbi, qui in oſſe medio latet, tardè conjiciant; cùm tardiùs audeant ex conjecturâ gravem & moleſtam ac periculi plenam operationem decernere; demùm cùm ægrotantes Medicis monentibus & inſtantibus auſcultent tardiſſimè, plerumque antè conclamatum eſt, quàm operatio inſtituatur, ex quo efficitur ut vix unquam de illâ benè ſperare liceat.

§. VII. CARCINOMATA.

VII. Carcinomata à causâ venereâ.

VII. Compertum eſt carcinomata, quæ à causâ venereâ vel maximè ortum habent, hydrargyroſeos uſu ferinam naturam ſemper non deponere, nec in mitiora ulcera aut apoſtemata perpetuò commutari. Compertum pariter ganglia, tubercula, gummata, imò excreſcentias quaſcunque skirrhodes, & exoſtoſes fornicatas, quæ cellulis cartilagineam carnem continent, ſi hydrargyroſi ſuperſint, in cancros non rarò degenerare abuſu attenuantium & reſolventium acriorum, quæ fortiùs atterant ſine reſolutione, vel ad ſummum cum reſolutione imperfectâ. Quâ verò ratione aut quibus de cauſis hæc ita eveniant, non juvat hîc inquirere, cùm de hoc argumento abundè diſputatum ſit *Lib. III. Cap.* 5. §. 3.

Remedia, quæ carcinomatis iſtiuſmodi poſſunt adhiberi.

In utroque caſu præſens carcinoma, ſive inveteratum, ſive recens ſit, manifeſtum eſt tum ex naturâ & indole tumoris ſuperſtitis, qui durus, renitens, skirrhodes eſt; tum ex morſu doloris atrocis, perpetui, per intervalla lancinantis, quo tota tumoris moles intimè percellitur & fodicatur: Nam quoties ea duo concurrunt, certum eſt verum adeſſe carcinoma, malum ſcilicet difficile, morâ citò ingraveſcens, contra quod celeri & efficaci medicinâ opus ſit.

Itaque 1°. Præmiſſis univerſalibus & præparatoriis remediis, quæ dyſcraſiam ſanguinis emendent, tumor carcinomatodes, ſi protuberet ſupra cutem quâcum tenui vel lato pediculo adhæreſcat, novaculâ vel ſcalpello reſecandus eſt, & ſi quid cancroſi aut ſkirrhodis in baſi ſubſit, ſummis forficibus exſcindendum vel cathæreticis abſumendum: Tandem reſolutis cruſtis à vivo, plaga ſi mollis ſit, ſi carne firmâ & granosâ oppleatur, ad cicatricem deducenda eſt ut artis Chirurgicæ ratio poſtulat, eaque methodo de quâ jam ſæpè.

2°. Quòd ſi carcinomatodes tumor partibus circumjectis ſepultus ſit, ita tamen ut nec in vaſis majoribus aut nervis, nec in oſſe aut cartilagine ullâ ſit adnatus, ſed ab iiſdem ſejunctus ac liberè mobilis, cautionibus iiſdem parique celeritate extirpandus eſt; nempe hinc & inde lunatâ plagâ altè circumcidendus, deinde ſiniſtrâ arreptus ſuſpenſuſque à vicinis ſubjectiſque partibus ſcalpello vel forfice exſcindendus, & ut ita dicam, enucleandus: Demùm vulnus, quod ſupereſt, primùm linamento ſicco, alterâ verò vel tertiâ die digeſtivo ſimplici, ac deinceps balſamo Arcæi ex arte curandum eſt.

3°. Si exoſtoſis celluloſa in carcinoma ipſa quoque degener fiat, diſſectâ in crucem cute ſuperjectâ, reſciſſis labris anguloſis, deraſoque perioſtio, exoſtoſis vel tenui ſerrâ ſubſecanda, vel ſcalpro cum malleo plumbeo partitis ictibus minutè concidenda ad oſſis reliqui libellam; poſteà baſeos exfoliatio vel tincturâ myrrhæ & aloës, vel pulvere euphorbii, vel ſolutione Mercurii in aquâ ſtygiâ, vel tandem cauterio actuali, ſi efficaciore remedio opus fuerit, procuranda eſt, ac denique delapsâ oſſis exfoliati lamellâ, & ſuccreſcente ab oſſis vivi facie carne granosâ & firmâ, cicatrix inducenda eſt ex artis legibus, de quibus ſuprà nec ſemel.

4°. Quòd ſi cancroſi tumoris ſitus vel connexio, aut deploratus ægro-

tantis ſtatus difficilem & periculoſæ plenam aleæ operationem diſſuadeant, tanquam non inutilem modò, ſed & noxiam, palliativis medicinis tunc inſiſtendum erit, quæ morbum leniant quem curare non licet. De illis abundè dictum eſt ſuprà *Lib. III. cap.* 5. §. 3. *artic.* 2. ideoque ne videatur actum agi, inde velim ut repetantur. Cæterùm potiſſima præſentiſſimi levaminis ſpes in opiaticis ſita eſt, qualia ſunt decoctum unius aut alterius capitis papaveris albi; ſyrupus diacodii vel ſyrupus de karabe ad ℥ ß. laudanum ad gr. j. pilulæ de cynogloſſo ad gr. vj. tinctura anodyna ad gutt. xx. vel xxiv. quorum ſingulorum doſis per gradus paulatim augenda eſt, prout morbus ingraveſcit, vel remediorum virtus hebetatur aſſuetudine.

§. VIII. ULCUS UTERI.

VIII. Ulcera uteri genere multa ſunt,

VIII. Ulcus uteri malum eſt in mulieribus quæ lue venereâ laboraverunt haud infrequens: Et profectò quidem debet uteri cavitas præ cæteris totius corporis partibus & graviùs & frequentiùs affici, cùm ſemini corrupto, quod à viro infecto inter concumbendum emittitur, & primùm & potiſſimùm pateat.

Ulcus uteri venereum inducitur causâ geminâ, nempe 1°. Latente eroſione, quam interna uteri facies contrahit ab admiſſo viri ſemine, à menſtruis extillantibus, ab humore limphatico-lacteo, quo madet &c. ſi venereo contagio contaminentur; hæc ulceris ſpecies initio vix dignoſcibilis eſt, ac principio quidem pus paucum & æquivocum ſuggerit, ſed tacitis progreſſibus paulatim tandem invaleſcit. 2°. Suppuratione, quam ganglion, gummatum, tuberculum, nodus, atheroma, ſteatoma, meliceris &c. in ipsâ uteri ſubſtantiâ genita vel juxtà adnata concipiunt, unde ruptâ in uterum vomicâ ſive abſceſſu pus derepente & ubertim exundat è muliebribus.

Prius ulceris uterini genus poſt hydragyroſim legitimè adminiſtratam non advenit de novo, vel ſi adveniat forſan, ſaltem non à causâ venereâ, quandoquidem humores, qui in uterum affluunt, nullo peccant ampliùs contagio; ſed ſi fortè præextiterit, ſæpiſſimè eludit vim Mercurii, nempe quòd vitium hujuſcemodi altis defixum radicibus pervicax eſſe ſoleat, præſertim in utero muliebri, qui totius corporis ſentina eſt. Poſterius verò ulceris genus poteſt poſt adhibitam hydrargyroſim ſine novâ ſeminii venerei acceſſione accidere, videlicet ſi ganglia, tubercula, gummata &c. quibus reſolvendis Mercurii efficacia impar fuerit, in abſceſſum veniant vel ſpontè, vel præpoſtero reſolventium uſu.

Porrò ulcus uteri ab utrâlibet causâ pendeat, in duo genera perinde ſubdividendum eſt, alterum *ſimplex* in quo uterus & ipſæ ulceris oræ nativam mollitiem tuentur, nullo vel levi dolore tentantur, & pus album læve, ſpiſſum profundunt: Alterum *cancroſum*, in quo è contrario ulceris confinia, imò & ipſius uteri pars ſκirrhodea ſunt, crebrâ & atroci lancinatione fodicantur, ac demum pus emittunt paucum, ichoroſum, ſanioſum, feroſum. Prius ulceris genus rarò, poſterius verò numquam ſanari experientiâ compertum eſt.

At nihilominus tamen, cùm natura morbi, qui in occulto eſt, perfectè Quamvis.

fint plerumque insanabilia, tentanda tamen remediorum alea.

non liqueat ; cùm etiamsi liqueret, liceat numquam ægrotantem quasi deploratam sine auxiliis ullis deserere, tentanda est remediorum alea, quæ si non sanationem, at certè lenimen allatura sunt.

Idcircò 1°. Adhibeantur quæcumque valent sanguinis dyscrasiam salsam & muriaticam edulcare, atque adeo vitium limphæ, quæ ad ulceratam partem confluit, emendare : Ut 1°. Ptisana ex radicibus althææ, consolidæ majoris, bistortæ &c. confecta & superaffuso plumbo liquefacto alterata. 2°. Juscula cum pullo gallinaceo, cancris fluviatilibus, foliisque agrimoniæ, pimpinellæ, scolopendrii, cichorii silvestris, fumariæ, nasturtii &c. 3°. Aquæ minerales acidulæ, ut *les eaux de Forges, de Pougues, de Spa*, vel Saponaceæ, ut *les eaux de Plombieres*. 4°. Balnea aut semicupia & insessus in aquâ fluviatili tepidâ. 5°. Serum lactis chalybeatum infusis fumariæ foliis alteratum ; lac asininum aut caprillum semel vel bis inde die, vel quod præstabilius est, modò ventriculus lactis patiens sit, lac vaccinum pro omni alimento. 6°. Denique si sanguis spissior sit, bocheta leviora ex decoctis radicibus Chinæ & Sarsæ-parillæ, quorum tres haustus in die exhibeantur.

2°. Instituantur identidem blandæ purgationes cum cassiæ aut mannæ ℥ j. aut ℥ ij. in cyatho ptisanæ vel seri lactis, ad eum finem ut primarum viarum cacochylia, & biliosa sanguinis amurca everrantur. Mittatur pariter sanguis identidem è brachiorum alterutro ad ℥ viij. vel x. ut facto momento sanguinis, qui in uterum ruit, locus phlogosi vel numquam vel rariùs præbeatur.

3°. Dum catamenia actu fluunt, si nondùm morbo intercepta sint, alvus quotidie enematis subducatur, ex jusculo pingui, vel ex infuso semine lini, vel etiam ex levi decocto foliorum matricariæ & artemisiæ, & florum chamæmeli, si qui affuerint motus hysterici, addito oleo amygdalarum dulcium : Imò verò ptisanæ quotidianæ tunc incoquatur caput unum aut alterum papaveris albi, ut eo pacto menstruorum eruptio sine phlogosi & erethismo perficiatur.

4°. Per intervallum, quod à menstruatione vacuum erit, injiciantur in uterum ope metrenchytes decocta pro naturâ aut gradu morbi varia ; nimirùm 1°. Malactica & paregorica, si dolor & calor urgeant, ut emulsiones seminum frigidorum leviter coctæ, serum lactis caprilli cum infuso croco orientali, decocta foliorum plantaginis, summitatum malvæ, radicis althææ, nymphææ, capitum papaveris albi &c. 2°. Detergentia, si ulcus mundari possit sine periculo, ut decocta hordei integri, lentium, fabarum non excorticatarum, furfuris macri, foliorum agrimoniæ, absintii, caprifolii, marrubii ; radicum aristolochiæ, ireos florentinæ, zedoariæ &c. quibus addi poterit aqua vulneraria, imò collyrium Lanfranci aut unguentum Ægyptiacum, si ulcus sit valdè sordidum. 3°. Demùm exsiccantia & epulotica, si ulcus detersum & mundificatum cicatrici non repugnet, ut decocta radicum consolidæ majoris, bistortæ, foliorum plantaginis, caudæ equinæ, bursæ pastoris, saniculæ, pilosellæ, millefolii ; rosarum rubrarum &c. addendo cuilibet injectioni drachmam ß. unguenti pompholygos vel de cerussâ, aut quod cæteris præstat terebinthinæ Venetæ vel balsami Copaivani ovi vitello soluti scrupulum j.

5°. Quòd si ulcus cancrosum esse videatur, de quo ex dolore lancinante conjectura fiet, infundantur in uterum succi depurati plantaginis, portulacæ, sempervivi, foliorum vel baccarum maturarum solani; cancrorum fluviatilium &c. in mortario plumbeo cum pistillo pariter plumbeo subacti & attriti donec nigrescant, addendo injectioni cuilibet, si ita è re esse videatur, syrupi diacodii ʒ ij. aut olei ex vitellis ovorum, aut mucilaginis seminum psyllii vel lini ʒ ß. aut plumbi usti sæpiùs loti, tuthiæ præparatæ, cerussæ, sacchari Saturnini, aut camphoræ ℈ j.

6°. Interim nec omitti debent interna remedia, quæ adversùs internas suppurationes valent, inter quæ potissimùm laudantur balsamica, ut terebinthina lota cum saccharo rosaceo ad ʒ ß. balsamum de Copaü vel Canadense ad ℈ ß. pilulæ de Bdellio ad ℈ j. quæ pluries repeti possunt cum regimine. Imò putaverim tutò etiam usurpari posse tum opiatam, tum aquam, quibus Zacutus Lusitanus testatur *Observat.* 87. *&* 88. *Lib.* 2. desperata uteri ulcera à se perfectè sanata fuisse, & quarum usum à Lazaro Riverio laudari novimus, *Praxeos Medicæ Lib.* 15. *cap.* 8. *De Ulcere uteri.* Sed nolim tamen dissimulavisse, ne quis imprudens ejusdem testimonio nimiùm confidat, Zacutum illum Aretalogum mihi videri maximum.

7°. Si ulcus in vaginâ, seu ut olim loqui amabant, in collo uteri sedem habeat, præter injectiones modò propositas, quæ tamen magno usui semper futuræ sunt, poterunt ulceri, cùm inaccessum non sit, unguenta balsamaque varia apponi, nempe primùm digestiva, deinde balsama detergentia, ut balsamum Arcæi, ac demùm varia epulotica, eâdem planè methodo ac cæteris ulceribus omnibus quæ possunt oculis usurpari.

8°. Miseris ægrotantibus, si noctes ducant irrequietas & insomnes, si dolore torqueantur atroci, si cætera remedia irrita fuerint, narcotica exhibenda sunt, de quibus suprà, *paragrapho* 7. *n°.* 4. quæ si non medelam, at saltem certissimum lenimen præbitura sunt, donec ægræ dolore, febre, tabe confectæ miserrimam & calamitosam vitam cum meliore tandem commutent.

§. IX. PARALYSIS.

IX. Vidimus suprà *Cap.* 3. §. 9. *n°.* 8. Paralysim venereamgeminâ causâ induci, 1°. Obstructione nervorum ab hærente limphâ, cui devehendæ inserviunt, & quæ spiritus animales constituit: 2°. Compressione, quam nervi patiuntur a nodis, gangliis, tuberculis &c. in ipsis genitis vel juxtà adnatis.

IX Paralysis rarò curationem admittit, sed idoneis tamen remediis impugnanda est.

Si paralysis venerea solito contumacior hydrargyroseos vim eluserit, vix ostenditur spes ulla fore ut causæ, quibus fovetur, quæ jam usu Mercurii discuti non potuerunt, discutiantur unquàm ab aliis remediis, quorum efficacitas inferior est. Attamen minimè committam ut quemquam ab eorum remediorum usu dehorter, quæ ad paralysim solvendam valere creduntur, & quæ si non profutura sint, at certè nocere non possunt, qualia sunt

1°. Decocta vel bocheta diaphoretica ex lignis Guaiaci & Sassafras, radicibusque Sarsæ-parillæ & Chinæ parata cum antimonio crudo, quorum exhibendorum ratio jam sæpiùs exposita est.

2°. Juſcula ex decoctis in diploo viperis vel colubris cum gallo veterī additiſque foliis naſturtii, fumariæ &c. & raſurâ cornu cervi, quæ per dies viginti poſſunt uſurpari cum regimine.

3°. Balnea, embroches, ſtillicidia aquarum thermalium, ſive quæ muriaticæ ſunt, ut *les eaux de Bourbon, de Balaruc* &c. ſive quæ ſulfureæ, ut *les eaux de Bourbonne, Bareges, Aix-la-Chapelle* &c.

4°. Ammochoſia, inſeſſus in vinaceis fermentatione calentibus, aut ſi ſuppetat in fæce tepente olivarum prelo ſuppoſitarum, unde tum calore, tum partium tenuitate ſolent obices, qui nervis partibuſve impacti ſpirituum influxui officiunt, ſatis feliciter plerumque reſolvi.

5°. Demùm illitus varii & multiplices cum axungiâ anſeris, ſerpentis, taxi, vulpis; humanâ adipe; oleo vulpino, lumbricorum, rutaceo, chamæmelino, laurino, lateritio ſive philoſophorum, balſamo Guidonis, cæteriſque id genus, quæ uſu receptiſſima ſunt.

§. X. TREMOR ARTUUM.

X. Tremor artuum à causâ venereâ.

X. Geminum tremorem artuum agnovimus ſuprà *Cap.* 3. §. 9. *n°.* 9. Alterum, in quo pars tremori obnoxia debilis eſt: Alterum, in quo robore ſuo pollet. Utrumque hydrargyroſi ſupereſſe haud rarum eſt, ſed rarum eſt ullum remediis unquàm perfectè ſanari.

Prior quidem, cùm naturâ & causâ ad paralyſim proximè accedat, à quâ ſolo gradu differt, & quâcum & dùm invadit, & dùm deſinit, plerumque conjungi ſolet, iiſdem remediis impugnandus eſt, quibus ipſam paralyſim impugnari modò diximus.

Quâ ratione curandus ſit.

De poſteriore verò, qui tum à vehementiore arteriarum pulſatione, tum ab immodicâ fibrillarum nervearum diſtenſione dependet, magis ambigitur. Sanè ſi audiatur Practicorum turba, nefas eſſe crederetur adversùs hanc tremoris ſpeciem alia uſurpare remedia præter volatilia, ſpirituoſa, aromatica &c. quorum numeroſæ formulæ nullibi non proſtant. Sed cùm hæc nervorum tonum & erethiſmum, arteriarumque pulſum magnoperè intendant, conſequens eſt noxam inde illatum iri, nedum levamen ullum, de quo ipſa quoque experientia nobiſcum apertè conſentit.

Quocirca ſatius eſt methodo planè contrariâ ea adhibere medicamina, quæ nervos arteriaſque relaxent & emolliant, ac circulatorium ſanguinis motum promoveant diluendo & attenuando, atque adeo æquabiliorem efficiant & faciliorem, nempe juſcula diluentia, balnea in aquâ tepidâ, ſerum lactis chalybeatum, aquas minerales acidulas, cæteraque iſtiuſmodi, quæ cum blandioribus aperientibus & incidentibus ex Marte, Mercurio, Antimonio præparatis maritanda ſunt. Sic enim unâ eâdemque operâ utrique morbi cauſæ ſimul occurritur, atque eâ therapeiâ morbus, ſi non evincatur, quod ſperare vix licet, at ſaltem frangetur & imminuetur, ut mihi non ſemel feliciter experiri contigit.

§. XI. ALOPECIA.

XI. Alo-

XI. Alopecia, ſi capillitium ſolum infeſtet, leve malum eſt, ex quo percrebuit

percrebuit uſus comæ adſcititiæ, vulgò *Perruque*, quâ calvities abſcondi- pecia & ejus cauſæ.
tur: At ſi barbam, ſupercilia, maximè verò cilia adoriatur, non turpis modò & odioſa eſt, ſed etiam probro verti ſolet.

Statuimus ſuprà *Cap.* 3. §. 2. *n°.* 4. alopeciam triplici causâ induci, nempe 1°. Si tenues fibrillæ, quibus capilli & pili conſtant, præcidantur in mediis glandulis ſive capitulis, illæſis tamen primis radiculis. 2°. Si primæ illæ radiculæ, unde pili & capilli pullulant, eroſione extirpentur. 3°. Si glandulæ ſeu capitula, in quibus radicantur capilli & pili ab ulceribus cutem depaſcentibus peſſundentur. Harumce cauſarum ſecunda & tertia irremediabiles ſunt, ſiquidem partes organicas ſemel deſtructas remediis reſtitui inauditum eſt, ideoque prima ſola eſt cui medicinam facere liceat.

Præcipuum omnium quæ noverim hujus alopeciæ remedium eſt, ſi prima renaſcentium pilorum aut capillorum lanugo identidem raſitetur; ut enim ſylva cædua opacior fit, cùm ſæpiùs cæditur, ſic capillitium & barbam denſiora fieri neceſſe eſt, ſi ſæpè tondeantur, quoniam ſcilicet limpha nutritia, dum in ipſis capillorum pilorumve radiculis tota coercetur frequenti raſione, capillos detonſos & idcirco breviores magis nutrit, capilloſque plurimos, qui lanuginoſi ſunt & vix conſpicui, quia nutrimento defraudantur, explicat, & eo pacto unâ eâdemque operâ capillos tum craſſiores tum denſiores efficit. Quo modo poſſit capillorum renaſcentium regerminatio promoveri.

Poſſunt tamen, ſi ita lubeat, omnia remediorum genera uſurpari, quæ vulgò creduntur ad pilorum capillorumve regenerationem facere; ut quorum uſus, ſi ſine emolumento ſit, at certiſſimè ſine damno futurus eſt; cujuſmodi ſunt 1°. Decocta foliorum marrubii, abrotani, verbenæ, centaurei, capillorum veneris, lupinorum, fabarum &c. quibus pars fovetur.

2°. Lixivia è cineribus teſtarum nucum juglandium, vel nucleorum amygdalarum amararum, echini terreſtris aut marini, apum, muris domeſtici &c. quibus pars glabra abluitur.

3°. Linimenta cum pinguedine urſi, cuniculi, talpæ, cervi &c. vel oleo laurino, juniperino &c. quibus pars illinitur.

§. XII. DEPRESSIO NASI.

XII. Tandem uſu venit aliquando, ut malum ægrotantium incuriâ, aut imprudentiâ medentium altiùs ſeſe inſinuans organicas partes non paucas corrumpat & peſſundet irreparabili labe: Sic modò ſpongioſis narium oſſibus carie exeſis corruit tota naſi concameratio, & deprimitur acrorinium; modò dentes carioſi alveolis excidunt; modò uvula ſive columella ulcerata ſuppuratione abſumitur; modò oſſa palatina, quæ columellæ appoſita ſunt, in mali conſortium veniunt & dilabuntur carie; modò tandem oſſea palati fornix carie ad nares uſque perforatur &c. XII. Depreſſio naſi, caſus dentium, columellæ amiſſio, jactura oſſium palatinorū.

1°. Si narium concameratio conciderit oſſium carie, quantumcumque offenſionis inde accedat in deformitate faciei, forti animo ferendum eſt infortunium, cui mederi jam ampliùs non licet. Cavendum ſolummodò ne quid ulceris in occulto lateat, ideòque narium interiora identidem eluenda ſunt aquâ thermali quâvis, ut Balerucanâ, Baregienſi, Borbonienſi &c. quæ ſpiritu per nares in os adducenda, aut ex ore per nares foras

educenda est. Quòd si aquarum istiusmodi thermalium copia non suppetat, poterit substitui decoctum hordei, foliorum veronicæ, agrimoniæ, aut radicum Aristolochiæ, cum guttis aliquot aquæ vulnerariæ, quæ ex plantis vulnerariis cum vino albo infusis distillatur; aut etiam si morbi natura ita poscat, tincturæ myrrhæ vel aloës.

2°. Ad dentes firmandos, si in alveolis malè hæreant, ea valent remedia, quæ gingivarum putredini medentur, & quæ suprà *Cap.* 6. §. 1. & 5. & *Cap.* 10. §. 11. ad scorbutum proposita sunt. Præ cæteris autem probo opiatam quandam, cujus formula *Capite sequente* proponetur. Hac enim sæpiùs expertus sum gingivas putrescentes efficacissimè detergi, mundari, consanescere, ita ut nativo tono redditæ dentes labantes stabiliant. Verùm si dentes jam sede moti sint, id unum reliquum est, ut detersis priùs & sanatis gingivis, in deciduorum locum adulterini ex arte restituantur, non ex ebore, quod nimis citò flavescit, sed ex dentibus Hippopotami, qui candorem tuentur diutiùs.

3°. Columellæ, quæ ulcere eroditur, iisdem remediis medendum est, quibus cæteris oris ulceribus, quâ de re vide præter alia loca, *Caput* 8. §. 3. *artic.* 1. Neque verò si columella erosione jam absumpta fuerit, de amissione magnoperè laborandum est, modò semel cohibitum sit ulcus ne serpat ulteriùs, siquidem experientiâ compertum est nec deglutitionem nec loquelam inde offendi.

4°. Cùm ossa palatina pessum abiere, aut alterutrum ossium maxillarium in mediâ palati fornice ad nares usque perforatur, non satis est serpenti cariei occurrisse idoneis remediis, at verò simul etiam oportet mederi vitio vocis, quæ tunc raucè, inconditè, ex naso ideò sonat, quòd emissus spiritus in patentia narium penetralia absorbeatur; quocirca necesse est partis defectum prosthesi reparare. Solenne fuit olim in hunc finem obturando foramini tenuem & cameratam lamellam, auream vei argenteam apponere, & ope spongiolæ mollioris dorso alligatæ, quæ in apertum foramen intrudebatur, admotam detinere, quâ de re consule Ambrosium Paræum, *Lib.* 33. *cap.* 4. & Guillelmum Fabricium Hildanum, *Cent.* 2. *Observat.* 22. Verùm cùm spongia illa muco corrupta fœtorem brevi contrahat maximum, jam pridem placuit aptare laminæ elaterem parvum argenteum, qui foramini insertus sibique permissus lamellam suspendat, ut videre est apud Cornelium Solingen, *Operation. Chirurgicar. Lib.* 1. *cap.* 43. & Joannem Muys, *Praxeos Chirurgic. rational. Decad.* 7. *Observat.* 10.

CAPUT XII.

Appendix de rarioribus aliquot remediis, quæ ad morbos venereos præclarè faciunt, vel creduntur facere.

Hic plura quidem refero quàm approbo; quocirca velim ut de singulorum utilitate feratur judicium non ex vanis Aretalogorum pollicitationibus, sed ex notâ rei veritate, vel, si ea fortè in ambiguo fue-

rit, ex doctrinâ in hoc Opere traditâ; nullumque ex proponendis remediis in uſum medicum à quoquam vocetur meâ ſaltem fide & auctoritate, niſi quod ipſe diſertis verbis dixerim proficuum vel ſaltem tutum eſſe: Siquidem arcanorum inventoribus, fautoribus, diribitoribus minimè credendum, quorum pleroſque palam eſt inexperientiam & imperitiam ſummam ſummâ cumulare vaniloquentiâ, quoſque putidiſſimorum mendaciorum nullatenus pudet, dummodò remediis ſuis plerumque nullius pretii & valoris, non rarò noxiis & veneno quaſi delibutis, ſemper temerè & imperitè adhibitis auram captent popularem, (*a*) *Famamque verboſis ſtrophis* conentur *acquirere*; uno verbo dummodò malis artibus quid lucelli corradant, cui unicè inhiant Ἀισχροκερδεῖς, ac quam (*b*) *rectè non poſſunt*, ſibi *quocumque modo rem faciant.*

(*a*) Phædr. *Lib.* 1. *Fab.* 14.

(*b*) Horat. 1 *Epiſtol. Libr.* 1.

I.

Panacea (*c*) de la Vigne *Medici Regii Pariſienſis, ſeu potiùs Mercurius præcipitatus ruber Solaris & Lunaris.*

(*c*) Pharmacopœa Medico-Chimica Friderici Hoffmanni. *Lib.* 3 *cap.* 15. §. 22.

Rec. & in amalgama coge ☉ & ☽ *ana* ℥ j. ß. ☿rii vivi ℥ iij. idque in- « dureſcat in maſſam albam. Simul ac conteritur, ut ne granula duriuſcu- « la maneant, (hæc enim adhærent poſtea vitro & non excuti nec in pul- « verem converti poſſunt) ſtatim apparebit materia humidior, & expri- « metur per linteum Mercurii currentis bona pars. Poſt probè conteratur « amalgama, ut ſubigantur granula omnia, fietque materia ſubfuſca & « nigricans. Si ſic relinquetur ſtatim recandeſcet & obdureſcet, ex tri- « turâ verò ſemper madorem & nigrorem contrahit. Affundatur rurſus « Mercurius expreſſus & protinus à materiâ combibetur. Additur autem « ſemper aliquid novi Mercurii, ita ut cùm initio dupla Mercurii pro « ſimplâ ſeu unicâ portione maſſæ Solaris & Lunaris ſit, poſtremò cùm « ſæpe conteritur & exprimitur Mercurius, decem partes Mercurii ad « unam partem maſſæ veniant. «

Hæc omnia infunde phialæ, digerantur igne lampadis continuo, & « per quinque vel ſex hebdomadas Arbor Hermetica inde gignetur (tribus « chopinis Pariſienſibus olei per menſem facilè ignis alitur, ut ellych- « nium unum concinnatum ex quatuor filis continuò ardeat) leviter mo- « dò claudatur phiala chartâ, arctiùs ut claudatur non opus eſt, quia Mer- « curius non ultra quàm ad medietatem aſcendit, indeque decidit per « blandas quaſi ſublimationes, idque circiter decies fit. Ad finem fit « pulvis ruber ad omnis generis morbos vel deſperatiſſimos creberrimâ « experientiâ probatus. «

Tota operatio novem menſium ſpatio abſolvitur adhibito continuo « lampadis igne. Doſis gran. j. vel ij. uſque ad v. vel ϑ ß. in vehiculo « appropriato. Uſu illius panaceæ N. de la Vigne in morbis deſpera- « tiſſimis quaſi miracula præſtitit. *Hactenus Hoffmannus* «

Peccat ea Mercurii præparatio deleteriâ acrimoniâ, ſicut & cæteræ ejuſdem generis, ideoque ſtomachum graviter ſubvertit cum ſyncope, & aliquando cum eroſionis periculo. Quocirca Medici ſibi caveant velim, ne illâ temerè utantur, vel ſi uti viſum ſit, exhibeant nunquam niſi ro-

buſtis ægrotantibus, quibus latera firma ſint, qui tolerando acriori medicamini pares eſſe videantur, & quibus non liceat lubeatve tutiora ſed tardiora remedia experiri.

II.

Præcipitatus ſolaris (*a*) Gervaſii Ucay *Doct. Medici Toloſani.*

℞. *Auri purificati* part. j.
Mercurii è cinnabari redivivi part. iij.

(*a*) Traité de la maladie Vénérienne, 3. édition, pag. 90.

Fiat *amalgama*, quod in mortario luto diligenter obducto exponatur tres menſes igni lampadis, primùm quidem levi, mox per gradus intendendo, donec amalgama colorem pulveris obſcurè rubri adipiſcatur.

(*b*) Ubi ſuprà.

Ea Mercurii præparatio miris effertur laudibus ab Auctore (*b*) laudato, quaſi omnium præſtantiſſima. Attamen cùm draſticè purget ἄνω καὶ κάτω, & deleteriæ acrimoniæ expers non ſit, nemini auctor eſſe velim, ut id præparati genus facilè adhibeat, cùm tot alia ſuppetant mitiora medicamina, quæ periculo vacant. Si cui tamen ſecùs facere viſum fuerit, poterit præparatio illa exhiberi à gran. iij. ad xij. ad quam tamen doſim numquam aſcendendum, niſi in robuſtiſſimis; & permiſceri cum pilulis polychreſtis aut catholicis, quibus præcipitati vis inferiora versùs ducatur.

III.

Æthiopes Minerales varii.

Mercurius cum pinguibus ac reſinoſis quibuſcumque corporibus tritus convertitur ſeu ut vulgò loqui amant, extinguitur in nigros aut fuſcos pulveres, quibus habitâ tum coloris tum originis ratione nomen *Æthiopum Mineralium* inditum fuit.

Ut varium eſt ac multiplex materierum genus, quæ cum Mercurio tritu conjungi poſſunt, ſic varia quoque ac multiplex Æthiopum ſpecies.

I. Si Mercurius cum balſamo Peruviano ſicco aut cum balſamo Copaivano vel Canadenſi extinguatur, *Æthiops anti-phthiſicus*;

II. Si cum gummate Guaiacino, *Æthiops anti-rheumaticus* ſive *anti-ſcorbuticus*;

III. Si cum mannâ calabrinâ aut cum reſinâ jalappii, *Æthiops purgans*;

IV. Si cum gummate juniperino, vel cum ſale ammoniaco, *Æthiops diureticus*;

V. Demùm ſi cum oculis vel pulvere cancrorum fluviatilium, aut teſtis oſtreorum, *Æthiops alkaliſatus* vel *abſorbens* appellatur.

Poſſunt Æthiopes illi varii variè exhiberi debitâ congruâque doſi, prout diverſis ſatisfaciendum eſt indicationibus, ſed tamen Medicos monitos velim, in præparationibus hujuſcemodi Mercurii guttas ſolo tritu malè coercitas, calore interaneorum facilè denuò coire & reviviſcere, atque ab ingreſſu in chylifera vaſa præcluſas tùm mole, tùm pondere, cum fæcibus ex toto fermè excludi, unde fit, ut præparata iſtiuſmodi,

quantiſcumque celebrentur laudibus, conceptam ſpem non rarò fruſtrentur, ac nullam vel minimam efficaciam plerumque præſtent.

IV.

Panacea N. . . . de la Brune, *quâ uti ſolent in regio Veteranorum Infirmorumve Militum Hoſpitio, vulgò* l'Hôtel Royal des Invalides.

℞. *Mercurii ex cinnabari redivivi* q. v. *ex. grat.* lib. j. ſuperfunde in matratium quo continetur, ſpiritûs nitri optimi æquale pondus. Digerantur unà balneo arenæ, donec Mercurius diſſolutus ſit. Fiat tunc balneo eodem ſed intenſiore evaporatio ad ſiccitatem uſque.

Maſſa, quæ reſidua eſt, miſceatur cum vitrioli ad alborem calcinati & ſalis marini decrepitati *ana* lib. j. Omnia unà conterantur in mortario vitreo cum vitreo piſtillo, vel in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo, ac in matratium indita ſublimentur ex arte balneo arenæ.

Cryſtallina materies, quæ matratii lateribus adhæret ſublimata, è diffracto matratio exempta & cautè ſecreta tum à fæcibus, quæ infrà, tum à volatiliore & farinaceo polline, quod eſt ſuprà, denuò ut priùs conteratur cum librâ j. ſalis marini decrepitati, & vitrioli ad ruborem calcinati librâ ſemiſſe, mixtaque materies in alterum matratium indatur igne arenæ iterùm ſublimanda.

Tunc fracto rursùs matratio cryſtallina materies à fæcibus & à polline utrimque ſecreta conteratur cum librâ unâ ſalis marini decrepitati, ſed ſine additione ullius vitrioli, ac deinde fiat ex artis legibus ſublimatio tertia, ſic deinceps pari methodo quater repetendo, toties addito eodem ſalis marini decrepitati pondere, donec materies jam ſepties ſublimata ſola tandem conteratur & ſublimetur ſola octavâ vice, ſine ullo ſale marino.

Sublimatus Mercurius corroſivus, qui eâ ratione confectus fuerit, in partes duas æquales dividatur. Sit *v. g.* pars una dimidia librarum duarum, quæ in pulverem contrita in mortario vitreo cum vitreo piſtillo, mixtaque cum librâ unâ reguli antimonialis pariter contriti, diſtilletur ex retortâ igne reverberii gradatim intendendo, donec prodeat in recipiens aquâ ſemi-plenum Mercurius ex ſublimato redivivus, qui probè eluendus eſt & exſiccandus.

Parti alteri dimidiæ ſublimati corroſivi, quæ ſepoſita ſupereſt, & quæ libras duas ſive uncias 24. æquat pondere, addantur partes duæ tertiæ Mercurii illius ex ſublimato redivivi, nempe unciæ 16. & omnia ſimul tam accuratè conterantur in mortario vitreo cum vitreo piſtillo, ut Mercurii vivi ne mica quidem ulla ſuperſit conſpicua.

Inde maſſa illa, quæ ex Mercurii vivi & ſublimati corroſivi connubio coaleſcit, ſublimetur ex arte, ſublimataque ſemel materies à fæcibus & à polline priùs ſecreta ac in pulverem contrita ſublimetur iterùm iterùmque novies repetendo.

Demùm materiei ultimò ſublimatæ & tenuiſſimè contritæ ſuperfundatur ad altitudinem trium digitorum ſpiritus vini aromaticus, hoc eſt quocum aromata, ut cinnamomum, macis, caryophylli &c. infuſa fuerint, ac procuratâ per dies aliquot digeſtione balneo arenæ abſtrahatur & deſtille-

tur ex cucurbitâ ſpiritus vini, ac maſſa quæ in fundo cucurbitæ ſiccata ſupereſt & quæ panaceam mercurialem conſtituit, ſervetur in vaſe vitreo diligenter obturato.

Ex illâ panaceâ tenuiſſimè lævigatâ fiunt cum gummi Tragacanthæ in aquâ roſarum ſoluto pilulæ, quarum graviſſimæ grana quatuor pondere non ſuperent. Hujuſce panaceæ doſis eſt à gr. xij. ad xx. vel xxx. quotidie iterando, dum ptyaliſmus cieatur, vel proximè inſtet.

Miris laudibus extollitur id panaceæ genus, quaſi adversùs morbos omnes venereos præſtantiſſimum. At verò vix capio quo nomine præferendum ſit panaceæ vulgari, quæ compendioſiore quidem proceſſu præparatur & minùs operoſo, ſed tamen haud ita diſſimili. Quin potiùs vulgarem illam panaceam iſti anteferendam eſſe cenſerem, ideò quòd blandior ſit, utpotè in quâ conficiendâ unciis ſex ſublimati corroſivi permiſceantur unciæ quatuor cum ½ Mercurii vivi, cùm è contrà in iſtâ præparandâ unciis ſex ſublimati corroſivi addantur tantùm unciæ quatuor Mercurii, unde acida & corroſiva ſublimati ſpicula minùs infringi manifeſtum eſt.

V.

Modus ſaturandi præparatis Mercurialibus ptiſanam ſudorificam, aut aliam cujuſcunque generis.

Licet Mercurius ſublimatus dulcis ſeu Aquila alba, & panacea mercurialis vulgò credantur in aqueis fluidis indiſſolubiles, certâ tamen experientiâ compertum eſt utramque illam Mercurii præparationem iteratâ ebullitione in ptiſanâ ſudorificâ ex decoctis lignis Guaiaci & Saſſafras, radicibuſque Chinæ & Sarſæ-parillæ; vel in aliâ quâvis ſequenti artificio in totum diſſolvi.

℞. *Sublimati dulcis vel panaceæ mercurialis* ʒ j. *v. g.* Lævigetur tenuiſſimè ſupra porphyriten, deinde injiciatur in ollam in quâ bulliant lib. ij. ptiſanæ ſudorificæ, vel alîus cujuſcumque.

Poſtquàm ebullierint per unum horæ quadrantem, olla ab igne removeatur, ut ptiſana tepeſcat, & pars ſublimati dulcis aut panaceæ, quæ ſoluta non eſt, fundum petat. Dein decantatâ ptiſanâ ſublimatus dulcis vel mercurialis panacea, quæ ſuperſunt in fundo, exſiccentur, lævigentur denuò ſupra porphyriten, ac ptiſanæ iterùm ebullienti diſſolvenda committantur, pari methodo deinceps ter quaterve repetendo, donec ne mica quidem præparatorum Mercurialium in fundo ſubſidat.

Poſſunt eâ methodo ptiſanæ quævis, maximè verò hydroticæ, præparatis Mercurialibus ad certum uſque gradum ſaturari, unde facile futurum eſt ut hauſtu ſolo ptiſanæ hujuſcemodi ptyaliſmus facilè moveatur. Sed ea ratio medendi lui venereæ ad legitimum inunctionum mercurialium uſum minimè comparanda eſt, quem conſtat certiorem, efficaciorem, exploratiorem eſſe, ac minoribus ſimul paucioribuſque periculis obnoxium.

VI.

Mercurius violaceus diaphoreticus, ſive Flores ammoniaco-mercuriales.

℞. *Æthiopis mineralis per deflagrationem parati.* q. v.

Adde *æquale pondus ſalis ammoniaci*, & unà in pulverem contere.

Maſſa in matratium vitreum indatur, cujus duæ partes vacuæ ſint. Fiat ſublimatio ex arte balneo arenæ.

Pars violacea à fæcibus & à cryſtallis pellucidioribus quæ ſuperiora occupant, cautè ſeparetur, & ſervetur in vaſe vitreo obturato.

Conſtat illa Mercurii præparatio ex partibus tenuioribus Æthiopis mineralis, quæ unà cum integrantibus nonnullis ſalis ammoniaci atomis ſublimatæ ſunt, unde virtus illius antivenerea & diaphoretica.

Efficax eſt ille Mercurius, quoties virus venereum corrigendum eſt, liquefacienda limpha ſpiſſior, ac diaphoreſis promovenda ſine ptyaliſmi periculo. Præſcribitur à gr. x. ad gr. xx. in bolis vel pilulis, ut cætera Mercurialia.

VII.

Solutio Mercurii per deliquium, quæ cum ptiſanis quibuſlibet admiſceri poteſt.

℞. *Sal. ammoniac. q. v.* ex. cauſ. ℥ ij. Conteratur in tenuiſſimum pollen in mortario marmoreo cum ligneo piſtillo.

Contrito adjice guttatim *Mercurii crudi* ℥ j. tandiù unà ſimul tere, donec Mercurius extinctus & cum ſale ammoniaco intimè ſubactus in pulverem ſubfuſcum abierit.

Pulvis ſuperimpoſitus marmori declivi permittatur ſenſim colliqueſcere in cellâ vinariâ, ſubjectoque vaſe excipiatur liquor in quem convertitur, in cujus fundo conſpicuæ ſunt nonnullæ Mercurii guttæ in priſtinam formam redintegratæ.

Decantato liquore qui ſupernatat, Mercurius in fundo ſuperſtes cum novo ſale ammoniaco denuò conteratur, pulviſque inde confectus deliquio denuò exponatur eâdem methodo quâ priùs.

Deinde liquore in quem convertetur iterùm, decantato Mercurius, ſi quis etiam tùm ſuperfuerit, cum ſale ammoniaco tertiùm conteratur ac tertiùm exponatur deliquio, eadem toties repetendo, donec tota adhibiti Mercurii uncia in liquorem pellucidum unâ cum adhibito ſale ammoniaco abierit.

Poteſt ea Mercurii ſolutio ptiſanis quibuſlibet, *v. g.* ptiſanæ ſudorificæ affundi doſi idoneâ, atque ore exhiberi ſine noxâ, imò plerumque non ſine emolumento, haud diſpari methodo ac ptiſana eadem præparato quovis Mercuriali per ebullitionem ſaturata, ut ſuprà dictum eſt *Articulo V.* At verò pari quoque ſucceſſu, hoc eſt numquam ſatis certo, & ferè numquam ſatis efficaci, atque adeò qui legitimæ Mercurialium inunctionum adminiſtrationi plurimùm concedat.

VIII.

Medicamina anti-chœradica, quibus utebatur non ita pridem Empiricus quidam nomine Rotrou, *& quæ ejuſdem nomine etiamnum circumferuntur.*

I.

Tinctura aurifica.

℞. *Nitri fixi* lib. iij. *ſolvendas in aq. bullientis* lib. iv.
Antimonii optimi & puriſſimi lib. iij.

Antimonio in pulverem contrito, ac in cucurbitam vitream immiſſo ſuperaffundatur ſolutio nitri fixi: Cucurbita occludatur appoſito vaſe vitreo quod occurrat. Digerantur omnia per octiduum balneo arenæ, cujus calor identidem eò uſque intendatur, ut materia ebullitioni proxima fiat. Tranſacto octiduo recluſiſque vaſis filtretur tinctura chartâ emporeticâ, & ſervetur ad uſum in vaſe vitreo.

Hæc tinctura, quæ à Rotrou *Aurifica* dicebatur, ſummè fœtet, convenitque proximè cum decocto illo ſcoriarum, quæ in conficiendis regulis antimonialibus ſumma petunt, ex quo paratur affuſo aceto *ſulfur auratum antimoniale.*

Hujuſce tincturæ aurificæ doſis eſt à gutt. x. ad xxx.

II.

Elixirium aurificum.

Calci antimonii, quæ in cucurbitâ ſupereſt ex præcedente operatione, ſed priùs exſiccatæ affundatur ſpiritus vini rectificatiſſimus ad ſupereminentiam quinque vel ſex digitorum. Inde appoſito ad cucurbitam occurſionis vaſe, fiat circulatio balneo arenæ moderato per menſem unum. Poſthinc recluſis vaſis decantetur tinctura in vas vitreum probè obturandum.

Affundatur iterùm ſpiritus vini calci eidem antimonii ad ſupereminentiam quatuor digitorum, fiatque ſimilis materierum digeſtio balneo arenæ, donec nova tinctura elicita fuerit, quæ cum priore pari methodo miſcenda eſt.

Hinc diſtillatione ex cucurbitâ abſtrahatur balneo arenæ pars dimidia vel partes duæ ſpiritûs vini: Quod ſupererit in fundo cucurbitæ erit *Elixirium aurificum* quod quæritur, minùs fœtens quidem quàm tinctura, at verò minùs quoque efficax. Hujus doſis eſt à guttis xx. ad lx. in vehiculo appropriato.

Hocce Elixirium mera eſt tinctura ſulfuris aurati antimonii, ſpiritu vini prolecta.

III.

Pulvis liquans.

℞. *Reguli antimonii optimè præparati & in pulverem triti,*
Ac *Nitri purificati & in pulverem ſeorſim redacti* ana lib. j ß.

Mixtis ambobus illis pulveribus fiant ex arte projectiones cochleatim in crucibulum

crucibulum igne candens, finitiſque projectionibus materia ſex horis calcinetur.

Poſtea educta materies in pulverem redigatur dum calet, & per ſetaceum trajecta contineatur in vaſe vitreo probè obturato, ne concepto humore colliqueſcat.

Libræ cuilibet hujuſce pulveris ſuppoſito igne tepidè calentis affundantur guttatim aquæ ſpirituoſæ cinnamomi ℥ vj. ſemper agitando dum aqua affuſa penitùs exhalaverit.

Præparatus eâ ratione pulvis ab Antimonio diaphoretico non loto vix differt. Dicebatur à Rotrou *pulvis* ſuus *liquans*, quocum miſcebat ille pulverem putaminum ovorum probè lævigatum, quem *pulverem alkalinum* appellabat.

Puerulis quidem primis diebus exhibebat pulverem liquantem ad grana iij. bis in die, & pulverem putaminum ovi ad gr. ij. Adultis verò priorem pulverem ad gr. vj. alterum ad gr. v. in utriſque doſim ſucceſſivè deinceps augendo.

IV.

PILULÆ ALEXITERIÆ, SEU POTIUS PURGANTES.

℞. *Nucleorum Indicorum, ſive granorum Tilli à putaminibus mundatorum* lib. j ß.

Conterantur in paſtam tenuiſſimam in mortario marmoreo cum ligneo piſtillo, ex quâ paſtâ denſo linteo concluſa oleum quod ineſt fortiter exprimatur.

Deinde paſta conteratur iterum ſuperaffuſis guttis aliquot ſpiritûs ſulfuris per campanam diſtillati, iterumque ex contritâ exprimatur ſuperſtes oleum, ſic deinceps repetendo donec oleum omne expreſſum eſſe videatur.

Tunc paſta exſiccetur aëre libero, exſiccata in pulverem extenuetur, ac per ſetaceum trajiciatur.

Trajecti pulveris ℥ vj. adjiciantur radicis Viperinæ ſeu Contrayervæ virginianæ in pulverem redactæ ℥ iv. Tartari albi in pulverem contriti ℥ j: Omnia probè invicem commiſta in vaſe parùm alto ſed oris latioris, quod ſuperextensâ tenui telâ obducatur, per unum aut alterum menſem exponantur aëri libero, in loco quò ſolares radii non attingant, omnia ſæpiùs in die ſuccutiendo. Quò diutiùs pulvis ille aëri exponitur, eò mitior fit.

Ex illo pulvere cum affuſis guttis aliquot vini Hiſpanici diluto fiunt pilulæ ſive boli exigui granorum ij. vel iij. qui in aëre ſiccantur & in vaſe vitreo clauſo ſervantur ad uſum.

Vis cathartica granorum Tilli reſidet potiſſimùm in oleosâ parte; quamobrem oleo diligenter expreſſo amurca, quæ ſupereſt, multò minùs acris eſt; cautè tamen velim ut adhibeatur, & in illius remedii uſu præ cæteris ſuprà propoſitis ſumma requiritur in Medico prudentia.

Doſis eſt à gr. ij. ad gr. xvj. cum conſervâ quâlibet aut ſirupo quovis. Minima illâ doſi, à quâ ſemper incipiendum eſt, blandè purgat, & quidem ita blandè, ut remedii efficacia promovenda ſit die eadem enemate

purgante, vel die inſequente cathartico quodam ore exhibito.

Quâcumque die remedium adhibetur, diæta eadem ſervanda eſt, ac ſi catharticum aſſumptum fuiſſet: Scilicet poſt horam tertiam juſculum leve exſorbendum eſt, totâque die tepidè & largiter potandum eſt.

V.

Præcedentium remediorum administratio.

I. Præmittitur præparatio temperamento ægrotantis idonea; nempe ſectâ venâ purgatoque corpore iterantur per dies aliquot apozemata temperantia & diluentia cum humectante diætâ.

II. Exhibentur pilulæ purgantes ad gr. j. ij. vel iij. manè jejuno ventriculo, cum ſolito purgantium regimine, ac ſi alvum ſatis copiosè non moveant, enema purgans veſperi injicitur.

III. Exhibitio pilularum iteratur initio quarto vel quinto quoque die; deinde octavo, decimo quinto, imò trigeſimo tantùm.

IV. Doſis pilularum quâlibet exhibitione augetur, ſed cautè & pro ratione effectûs præcedentis exhibitionis.

V. Si pilulæ alvum ſatis non ſubducant, opus erit die ſequente potionem purgantem ſed blandam propinare.

VI. Diebus ab exhibitione pilularum vacuis adhibebitur pulvis liquans ad grana iij. cum ij. granis putaminum ovorum pulveratorum in infantibus: Ad grana vj. cum granis v. eorumdem putaminum in pueris duodecim annorum, quæ conſerva aut ſyrupo quovis, vel pulpâ pomi cocti excipiuntur & in boli formam componuntur.

VII. Pulvis ille uſurpatur bis in die manè jejuno ventriculo, & quartâ horâ poſt prandium; imò etiam, ſi morbus urgeat, poterit exhiberi tertiùm tribus horis poſt cœnam.

VIII. Quoties iterabitur uſus pilularum, de quibus ſuprà, toties doſis pulveris liquantis & pulveris alkalini augenda granis aliquot pro gradu morbi, aut effectu quem jam præſtiterint.

IX. Poſt devoratum pulverem liquantem exſorbendus vice quâlibet hauſtus ptiſanæ, vel levis decocti carnis vitulinæ, vel quod præſtat, decocti radicis Chinæ.

X. Diebus iiſdem exhibebitur quotidie bis in die, nempe poſt prandium & poſt cœnam tinctura aurifica ad gutt. xij. vel xv. aut elixirium aurificum ad gutt. xx. vel xxv. in cochleari vini vel levis decocti radicis Chinæ.

XI. Licet remedia illa quocumque tempore intermittere, ſi ita è re eſſe videatur.

XII. Si ſit remediorum ceſſatio, utile eſt pro notâ ægrotantis temperaturâ vel aquas minerales chalybeatas, ut Forgenſes aut Paſſiacas, vel lac aſininum aut caprillum præſcribi.

XIII. Quin imò ſi ita lubeat, poterit uſus illorum remediorum cum uſu aquarum mineralium aut lactis conjungi, modò eo die, quo pilulæ purgantes exhibentur, remediis aliis interdicatur: Cæteris verò diebus pulvis liquans pomeridianis & veſpertinis tantùm horis exhibeatur, maximè ſi lac uſurpetur.

XIV. Quod ſi qua fuerit luis venereæ ſuſpicio, nihil obſtat quominus anti-venerea cum remediis propoſitis copulentur; nempe aquila alba cum pilulis, & panacea mercurialis cum pulvere liquante, eâ, quâ par erit, doſi.

XV. Pari modo, ſi opus eſſe videatur, poſſunt cum pilulis purgantibus, aut liquante pulvere remedia alia quævis tutò ſociari, ut agaricum trochiſcatum, trochiſci alahandal, ſcammonium, jalappium, rhabarbarum, hipecacuanha &c. eâ doſi, quæ ægrotantis ætati & viribus, morbique naturæ & intenſioni idonea ſit.

XVI. Tandem in glandulas ſtrumoſas ſi quæ ſint ulceratæ vel fiſtuloſæ, debet tinctura aurifica vel elixirium aurificum ſiphone injici aut linamento apponi, ut calli reſolvantur, fungoſæ carnes colliqueſcant, renovataque ulceris facies ad cicatricem deducatur.

IX.

Aqua Rabelii, ſic ab Empirico quodam dicta, cui Rabel *nomen fuit.*

℞. *Olei vitrioli ritè præparati* p. j.
Spiritûs vini rectificati p. iij.

Oleo vitrioli in matratium infuſo ſuperaffunde ſenſim ſpiritum vini. Inſere recipiens quod occurrat ad circulationem, quæ initio ſolo calore efferveſcentis olei vitrioli, deinde leniſſimo igne arenæ perficitur. Diſtilletur tandem materia igne arenæ, & ſic prolicietur aqua Rabelii.

Aqua illa conducit ad hæmorrhagias quaſcumque ſiſtendas, etiam internas, modò ab inflammatione vacent: Utilis eſt quoque in febribus ardentibus. Inſtillatur guttatim vehiculo convenienti ad gratam aciditatem.

Admiſcetur etiam cum ſucceſſu ptiſanis refrigerantibus, quæ initio gonorrhœæ præſcribuntur, maximè ſi dyſuria nimis diſcruciet.

X.

Tinctura Ambræ griſeæ cum aquâ Rabelii, ſeu oleo vitrioli dulcificato.

℞. *Ambræ griſeæ in pollen redactæ* q. v. *v. g.* ʒ ij.

Immitte in matratium oblongioris colli, ſuperaffunde aquæ Rabelii ad ſupereminentiam unius digiti. Fiat digeſtio ſupra calidos cineres, donec liquor colore ſaturatus ſit.

Tunc decanta, novam affunde aquam Rabelii, affuſam digere cum ſuperſtite ambrâ, digeſtamque cum priore miſce, ac in vaſe vitreo obturato ad uſum ſerva.

Illa tinctura in gonorrhœâ habituali & contumaci ore exhiberi poteſt bono ac felici exitu ad doſim quatuor, ſex, octo decemve guttarum in vehiculo quovis ſub formâ hauſtûs, vel cum pulvere liquiritiæ & conſervâ roſarum ſiccâ ſub formâ boli, ut mihi conſtat auctoritate & exemplo eruditi & cordati Viri.

Poſſunt arte ſimili, neque diſpari admodùm ſucceſſu cum aquâ eâdem Rabelii elici tincturæ è myrrhâ, laccâ &c. quæ ad eumdem ſcopum utiles eſſe poſſunt ſimili methodo.

XI.

Aqua Menthæ (a) Quercetani ad gonorrhœam fœtidam & virulentam, atque etiam inveteratam præstantissima.

(a) Pharmacopœa Dogmaticorum restituta Josephi Quercetani. Cap. 7. De aquis.

℞. *Pulveris Menthæ siccæ,*
Dictamni,
Radicis ireos Florentinæ ana ℥ j.
Pulveris seminum Agni casti,
Rutæ,
Lactucæ ana ʒ j.
Terebinthinæ Venetæ ℥ iv.
Vini albi ℥ xx.

Hæc omnia injiciantur in alembicum & per balneum vaporosum distillentur.

De hac aquâ exhibe manè duo cochlearia per aliquot dies præmissâ convenienti seu mercuriali aliquâ purgatione. Hanc centies expertus sum, *inquit Quercetanus*; conducit etiam ad ulcera renum.

XII.

Lapis medicamentosus, vulgò Crollii *dictus.*

℞. *Aluminis rupei,*
Lithargyrii auri,
Boli armenæ,
Cerussæ ana ℥ j.
Colcotharis vitrioli ʒ iv.

In pulverem contrita bulliant in acet. q. s. ad consistentiam lapidis.

Hujus ʒ ij. liquescant in ℥ viij. decocti radicis althææ, vel infusi seminis lini, unde tepidè f. injectio ad ℥ j. quotidie in urethram vel in vaginam ad reliquias gonorrhœæ habitualis exhauriendas. Cave tamen ne quid virulenti cohibeatur quod tragœdiam renovare possit, quocirca præstat ferè semper à malè tuto remedio abstinere.

Prostant in dispensariis aliæ lapidis illius præparandi formulæ non parùm diversæ, sed quæ ideo videntur rejiciendæ dum lapidis solutio in urethram injicienda est, quòd lapis iis methodis præparatus acrior sit.

XIII.

Pilulæ de (b) Cretâ Palmarii.

(b) In Pharmacopœâ Batavâ.

℞. *Aloës optimæ* ℥ j.
Cretæ albissimæ,
Succini albi,
Gentianæ,
Myrrhæ,
Radic. Fraxinellæ ana ʒ j.
Mithridatii ℈ iv.

Terebinth. lotæ ʒ ij.
Syrupi de althæâ q. ſ. ut fiat maſſa.

« Sunt qui addunt Calomelanos ℥ ß. vel ʒ vj. Dentur ad ϑ ij. vel ʒ j. « horâ ſomni omni nocte per dies 15. Ad gonorrhœam curandam nihil « æquale. Idem præſtant in profluvio albo mulierum ».

XIV.

Pulvis aſtringens, vulgò de Verny *dictus, ab Empirico quodam nomine* Verny.

℞. *Aluminis rupei*,
Ceruſſæ,
Terræ ſigillatæ Bleſenſis,
Cretæ Briançonenſis,
Vitrioli tùm viridis, tùm cærulei ana partes æquales.

Cochleatim in crucibulum candens projiciantur, calcinentur uſque dum ex cæruleo albeſcant. Maſſa in pulverem conteratur in mortario vitreo vel marmoreo & in vaſe vitreo benè obturato ſervetur ad uſum.

Pulvis ille diluitur in vehiculo conveniente, *v. g.* in aquâ ſtillatitiâ roſarum, plantaginis &c. vel in decocto radicis althææ, nymphææ &c. vel in ſero lactis, aut in emulſione coctâ &c. à gr. xv. ad ϑ j. pro unicâ injectione. Sed de illius uſu dictum volo, quod modò de uſu lapidis medicamentoſi.

XV.

Balſamum, quod vulgò Chalybis *dicitur.*

℞. *Aquæ Fortis duplicis*, ℥ iij.

Aciculas ex puro chalybe confectas, quas ex modo quo diſſiliunt dignoſcere facile eſt, aliquot injice, donec ebullitio minima fiat.

Adde tunc *olei olivarum optimi* ℥ iij. vel iv. Confundantur omnia donec in unguenti vel balſami ſpeciem coeant. Ubi refrixerint aquâ iteratò elue, ut dulceſcant.

Balſamum illud utile eſt ad carnes fungoſas abſumendas in cancroſis ulceribus. Poteſt autem vis illius corrodens infringi ſi lubuerit, repetitâ pluries ablutione, quâ acida ſpicula aquæ fortis exterguntur.

XVI.

Unguentum (a) ad Strumas.

(a) Zacutus Luſitanus, *Praxeos Medic. admirand. Lib* I. *Obſervat.* 101.

℞. *Radicis Bryoniæ benè nutritæ* lib. ß.

Seca in talleolas minutiſſimas, frige in lib. iij. olei olivarum, ſi fieri poſſit, inſulſi.

Colatur. add. *Terebinthinæ* lib. ß.
Ceræ ℥ v.

Vaſe remoto ab igne f. unguentum in panno lineo ſtrumis apponendum bis in die.

Laudatur in eumdem finem unguentum Digitalis, cujus præparatio proſtat in pleriſque diſpenſariis.

XVII.

Opiata (*a*) *ad dentes firmandos, ac gingivas detergendas.*

(*a*) Daniel Sennertus, *Operum Lib. III. Part. 5. Sect. 2. Cap. 7.*

℞. *Pulveris folior. Aquilegiæ,*
Salviæ criſpæ,
Et Menthæ ana ʒ ij.
Nucis moſchatæ,
Myrrhæ,
Et aluminis rupei ana ʒ ij ß.
Mellis Narbonenſis lib. ß.

Miſceantur omnia ſimul cum melle igne leni calefacto atque unà diu agitentur & ſubigantur, ut intimè commiſceantur.

Hæc opiata ſuper vittam linteam diducta fungoſis, ulceratis, putreſcentibus gingivis admovenda, & admota per horas aliquot, imò totâ die continenda, donec ſuppuratæ & deterſæ gingivæ conſaneſcant.

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER QUINTUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venereâ ſcripſerunt ab ingreſſu morbi ad exitum uſque ſeculi decimi ſexti, cum brevi plerumque Operum Analyſi & Epicriſi.

SEQUENTEM Indicem Scriptorum, quæ de Morbis venereis in hunc diem edita ſunt, ſeu Chronologicam Bibliothecam Auctorum qui hanc materiam tractavere, utilem fore duxi, ut (*a*) uno quaſi intuitu inſpicere liceat quid de luis illius origine, naturâ, remediis varii variè ſenſerint diverſis temporibus, quid in promovendâ illius curatione à ſingulis præſtitum ſit, uno verbo ex quibus ambagibus, & quorum potiſſimùm operâ hujus therapeia, qualis nunc uſu viget, ad eum perfectionis apicem pervenerit, quo nunc ſtare videtur.

(*a*) Vide *Præfationem.*

Sed hæc omnia Lectorum judicio permitto. Id unum dumtaxat poſtulo petoque, ut concedatur inde conſectaria aliquot eruere, quæ manifeſtâ rerum evidentiâ confirmari credo, & quæ à nemine, ſi ad rem ipſam velit attendere, negari poſſe confido.

I. Luem veneream morbum novum eſſe, qui Europæ primùm incubuerit circa annum 1494. cùm antè de hoc argumento ſcripſerit nemo, ab eo tempore plurimi.

II. Luem veneream in Italiâ primùm (*b*) apparuiſſe, ſaltem palam & apertè, cùm Medicorum omnium primi, qui de lue venereâ ſcripſere, Itali ſint, vel ſaltem in Italiâ arte medicâ inſtituti: quibus verbis deſignari

(*b*) Priùs viſa fuerat in Hiſpaniâ poſt primum Columbi reditum ab Inſulâ Hiſpaniolâ, Sed inter paucos. Vide ſuprà. *Lib. I. Cap.* 10.

volo Germanos aliquot Medicos, quorum extant Opuſcula quædam antiquiſſima de Morbis venereis, ut Joannem Weidmann, Simonem Piſtorem, Martinum Polichium, Joſephum Grundbeckium. Conſtat enim artis medicæ tirocinium ab illis poſitum fuiſſe in Academiis Italiæ, ac præſertim in Patavinâ, unde primam hauſerunt horumce morborum notitiam.

III. Deinde veneream luem in Hiſpanias Galliaſque citiùs prorupiſſe, quàm in ullam cæterarum Europæ regionum, cùm Hiſpani Gallique Medici poſt Italos antiquiſſimi ſint Europæorum, qui de morbis venereis diſſeruerint.

IV. Videri luem eamdem in Angliam, Germaniam, cæteraque Europæ Regna, quæ ad Septemtriones ſita ſunt, ſeriùs irrepſiſſe, cùm ex illis regionibus Scriptores, à quibus hoc argumentum tractatum ſit, tardiùs prodierint.

V. Demùm, qui de Morbis venereis ſpeciales Tractatus ſcripſerint, numero plures eſſe, ſi Peſtem & Febrem peſtilentialem excipias, quàm qui de ullâ aliâ quâvis ægritudine, etiam ab omni ævo cognitâ: Neque mirum videri cùm à primo invaſionis tempore nullus alter morbus extiterit, qui frequentior, gravior difficiliorque fuerit, atque adeò dignior ſtudii Medicorum materies. Epiphanius Ferdinandus jam ætate ſuâ, (*a*) hoc eſt circa annum 1620. octoginta Auctores recenſebat qui de Morbis venereis diſſeruiſſent. Ipſe nunc plures novi quàm centum ſeptuaginta quinque in ſequentibus nominatim enumerandos; neque tamen confido omnium notitiam habuiſſe.

(*a*) In Hiſtoriis Medic. *Hiſtor.* 37.

SECULUM DECIMUM QUINTUM.

VIDENTUR omnia primis luis venereæ temporibus, exeunte ſcilicet ſeculo decimo quinto & ineunte decimo ſexto, novitatem tum morbi, tum methodi morbo medendi palam atteſtari, theoria nempe, quæ dubia erat, incerta, diſcors; therapeia, quæ infida, malè tuta, temeraria; ſumma medentium titubatio, & ægrotantium diffidentia; demùm Agyrtarum & Empiricorum celebritas & arrogantia, ut qui jactatione & favore populari numquam magis valeant, inſolentiùs numquam ſuperbiant, de ſe magnificentiùs numquam ſentiant, quàm ubi doctis, providis, cautis & uſu peritis Medicis aqua hæret maximè.

I. Tunc ſanè ignorabatur morbi natura, quem cenſebant alii novum eſſe & veteribus Medicis incognitum; quem alii contrà contendebant ab omni ævo & viſum & obſervatum fuiſſe, ſed in eo parùm ſecum concordes, quòd diſputarent ad quodnam morbi genus, an ad lepram ſeu elephantiaſim, impetiginem lichenaſne referendus eſſet.

II. Ignorabatur morbi cauſa, quam varii variè arceſſebant ab influxu ſyderum, à pluviosâ & humidâ aeris intemperie, à carne humanâ militibus in annonam præbitâ, ab elephantiacorum ſanguine cum vino confuſo, à meretrice quæ leproſo cuidam ſui copiam pretio fecerat; demùm à contubernio, quod Hiſpani milites nautæque cum barbaris mulieribus inſolenti eâ lue infectis habuerant in Inſulâ Hiſpaniolâ.

III. Ignorabatur

III. Ignorabatur propagationis modus, cùm crederetur ab aliis quidem morbum ſpontè tantùm concipi aeris intemperie, alimentorum vitio, diætæ errore &c. ab aliis verò contagione tantùm diffundi ab ægris in ſanos; demùm ab aliis & ſpontè contrahi, & contagione ſimul propagari; quæ poſtrema opinio diù viguit.

IV. Ignorabatur tandem therapeia morbi, ut cui curando non adhibebantur niſi purgantia, diluentia, temperantia, ad ſummum balnea in aquâ tepidâ, ſtuffæ in furno, illitiones ex aromaticis, aliaque hujuſce generis ſexcenta, quæ therapeiam illorum methodicam complebant, & quæ morbo profligando planè imparia erant.

V. Sed cùm dura neceſſitas remediorum inventrix & magiſtra eſſe ſoleat, contigit non multo poſt intervallo ut Empiricorum exemplo frequentaretur uſus illitionum mercurialium, & exemplo Indigenarum Americæ increbreſcerent decocta lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parillæ, ex quo tempore gemina ſalutis via Syphiliticis oblata eſt, nempe ptyaliſmum vel ſudationem experiri. Ut autem neutra methodus ſuâ carebat utilitate, ſic etiam neutri ſua deerat noxa: Altera periculoſa erat, inefficax altera, unde acriter diùque diſceptatum fuit utra utri præferenda eſſet.

VI. Per idem tempus uſurpabantur ab Empiricis & Agyrtis pleriſque duo alia remediorum genera, ſed quæ apud cordatos proboſque Medicos magnoperè infamabantur; *ſuffumigia* nempe, quæ periculoſa ſi ex cinabrio, quæ venenata erant ſi ex auripigmento parabantur; & *præparata quædam mercurialia* ore exhibenda, ut pulvis ruber Joannis de Vigo aut pulvis angelicus Nicolai Maſſæ, qui pulveres ambo deleteriæ virtutis ſunt, qui cum Mercurio præcipitato rubro apprimè convéniunt ambo, imò qui præcipitato illo ritè præparato acriores ſunt.

MARCELLUS, Cumanus, videtur Cumis natus, in urbe Campaniæ non incelebri. Si vera conjicio, ignoratur ipſius nomen, nam *Marcellus* prænomen eſt, ſed id in Auctoribus hujuſce ætatis haud rarum fuit. Ut ut ſit, conſtat illum Medici & Chirurgi Caſtrenſis officio functum fuiſſe anno 1495. apud Duces exercitûs Veneti, qui cum copiis aliis fœdere conjunctis non dubitavit Carolum VIII. Francorum Regem Neapoli in Galliam redeuntem ad Forum novum prælio laceſſere ſed infelici, die 6. Julii, anno quo ſuprà; unde liquet hunc Auctorem oculatum atque adeo perquàm idoneum teſtem fuiſſe eorum, quæ tunc temporis in primo naſcentis luis ingreſſu contigere. 1495.

Medicas autem Marcelli illius Obſervationes, quæ diù latuerant, acceptas debemus Georgio Hieronymo Velſchio, Medico Auguſtano doctiſſimo, cujus ſtudio Auguſtæ Vindelicorum editæ ſunt *in* 4°. *anno* 1668. cum Obſervationibus Jeremiæ Martii, Achillis Glaſſeri, Joannis Udalrici Rumleri, Hieronymi Reuſneri, & ipſiuſmet Velſchii.

Proſtat ibi obſervatio ſequens, ordine quarta, quâ veraci quidem ſed rudiore ſtylo naſcens lues venerea graphicè deſcribitur.

Anno 1495. in Italiâ, ex uno influxu cœleſti, dùm me recepi in Caſtris Navarræ cum armigeris Dominorum Venetorum (Legendum *No-*

varra, nam compertum eſt Hiſtoricorum teſtimonio partem copiarum Venetarum à Foronovanâ pugnâ ſuppetias iviſſe Ludovico Sfortiæ Mediolanenſium Duci Novariam obſidenti) « Dominorum Mediolanenſium » plures armigeros & pedeſtres ex ebullitione humorum me vidiſſe at» teſtor pati plures puſtulas in facie & per totum corpus, & incipientes » communiter ſub præputio vel extra præputium, ſicut granum milii, » aut ſuper caſtaneam (*balanum*) cum aliquali pruritu patientis. Aliquan» do incipiebat puſtula una in modum veſiculæ parvæ ſine dolore, ſed cum » pruritu; fricabant & inde ulcerabatur tanquam formica corroſiva, & » poſt aliquot dies incurrebant in anguſtiis propter dolores in brachiis, » cruribus, pedibus cum puſtulis magnis. Omnes Medici periti cum diffi» cultate curabant. Ego cum flebotomiâ in ſaphenâ, aliquando in baſi» licâ procedebam cum digerentibus, purgantibus, tandem unctionibus » in locis neceſſariis, & durabant puſtulæ ſuper perſonam tanquam lepro» ſam, varioloſam, per annum & plus ſine medicinis.

Leguntur ibidem aliquot aliæ Obſervationes, quæ ad luem veneream perinde pertinent, ut cariei pudendorum ſeu ulcuſculorum venereorum virgæ *articulis* 21. 70. 72. 73. 75. Phimoſeos aut paraphimoſeos, *articulis* 20. 24. Demùm bubonum venereorum, *articulis* 7. 53. 54.

Equidem nullus dubito quin ea mentio bubonum venereorum, quos Marcellus Cumanus à ſe obſervatos refert, videatur primâ fronte cum iis pugnare, quæ ſuprà dicta ſunt *Lib.* 1. *Cap.* 12. Bubones venereos ſcilicet non priùs viſos fuiſſe quàm circa annum 1530. Sed advertatur velim (*a*) *Obſervationes Marcelli ad oram Chirurgiæ Petri de Argelatâ, quâ utebatur familiariter, adſcriptas fuiſſe* ſine appoſito anno & die, ſi quartam excipias, quæ modò adducta eſt; & inde deſcriptas eſſe à Georgio Hieronymo Velſchio, *in cujus manus liber ille ære ſuo pervenerat*, editoſque Auguſtæ Vindelicorum anno 1668. unde tum primùm Marcellus innotuit Orbi litterario, in quo anteà planiſſimè ignorabatur: Quocirca cùm nullâ ratione liqueat quo anno ſcriptæ ſint Auctoris illius Obſervationes, præſertim modò laudatæ, ubi de bubonibus venereis mentio fit, alienum non videri ſcriptas eſſe poſt annum 1530. cùm repugnet nullomodò Marcellum, qui juvenis caſtra ſequebatur anno 1495. inter vivos fuiſſe anno 1530. imò verò tardiùs: Ac proinde ex illis Marcelli Obſervationibus, ubi bubonum venereorum mentio facta eſt, nihil quidquam poſſe colligi, quod iis adverſetur quæ dicta ſunt ſuprà *Lib.* 1. *Cap.* 12.

(*a*) Velſchius *in Præfatione ad obſervationes Marcelli Cumani.*

Porrò autem qualecumque judicium feratur de bubonibus venereis, at certè conſtat ſaltem verbum ne unum quidem in illis Marcelli Obſervationibus extare de gonorrhœâ venereâ, unde videtur egregiè confirmari quæ *loco* ſuprà *laudato* de epochâ gonorrhœæ venereæ primùm naſcentis propoſita ſunt.

(*b*) Mercklinus *in Lindenio renovato.* Baile, *Dictionn. Critique.*

1497. NICOLAUS LEONICENUS, Vicentinus, natus (*b*) anno 1428. Medicinam Ferrariæ publicè profeſſus eſt 60. annos & ampliùs, primuſque varia Hippocratis & Galeni Opera Latinè interpretatus Commentariis illuſtravit.

(*c*) Joſeph *A* (*c*) *pueritiâ, imò à cunabulis ipſis ad* 30. *annum morbo Comitiali adeò*

tentabatur, ut cùm ad se redierat, pertæsus vitæ penè sibi manus afferre vellet. Sed post trigesimum annum planè eo morbo defunctus est.

Cibi & vini (a) *maximè abstinens, somnique minimi, præsertim verò veneris continentissimus:* Ad extremam senectutem pervenit, omnibus membrorum ac sensuum officiis integer. Obiit anno 1524. ætatis 96.

Præclarè laudatur à Josepho Scaligero, (b) *quòd primus Philosophiam & Medicinam ipsam cum humanioribus Litteris conjunxerit, docueritque homines qui sine bonis Litteris Medicinam tractant, esse similes iis qui in alieno foro litigant.*

Inter cætera, quæ multa sunt, Opera scripsit ad Joannem Franciscum Mirandulensem, Concordiæ Comitem, filium Galeoti Pici qui frater erat celeberrimi Joannis Pici Mirandulensis, Libellum *de Epidemiâ, quam Itali Morbum Gallicum, Galli verò Neapolitanum vocant*, in quo, ut ipse ait in Præfatione, inseruit summa capita disputationis, quæ Ferrariæ paulò antè habita fuerat de morbo Gallico.

Si Antonio (c) Scanarolo illius discipulo fides, ut ego quidem arbitror, adhibenda sit, Leonicenus *primus Medicorum Italorum fuit*, adeòque Europæorum omnium, *qui de morbo Gallico scripserit.* Et sanè constat Libellum, cujus facta est mentio, typis Aldi Manutii editum esse Venetiis anno 1497. & à Natali Montesauro impugnatum fuisse anno eodem vel initio insequentis, cùm Montesaurum Scanarolus refutaverit Opusculo typis excuso anno 1498.

In Libello suo Leonicenus I. statuit, ut *novi Italiæ advenerant olim morbi prioribus sæculis ignorati*, quâ de re testem profert Caium Plinium *Lib. 26. Histor. Naturalis*, sic *simile quoddam suo ævo accidisse.* » Jam enim, « *inquit Ille*, insolitæ naturæ morbus Italiam & multas alias regiones in- « vasit ..... Huic morbo nondùm nostri temporis Medici verum nomen « imposuerunt, sed vulgato nomine Morbum Gallicum vocant, quasi « ejus contagio à Gallis in Italiam importato, aut eodem tempore & mor- « bo ipso & Gallorum armis Italiâ infestatâ. .... Cæterùm, *pergit Ille*, co- « gor existimare (neque mihi potest in captum mentis aliter pervenire) « natam hanc repentè labem nostram ita infeciisse ætatem, ut nullam supe- « riorem. «

II. De naturâ quidem morbi fatetur ipse » non defuisse, qui eum- « dem cum illo putarint, quem Prisci elephantiasim nominaverunt; sicuti « alii Morbum Gallicum esse (d) antiquis Lichenas, alii (e) Asaphati, alii « (f) prunam sive Carbonem, alii ignem (g) persicum sive sacrum exis- « timarunt. » Sed hæc singula singulatim multis ipse confutat statuitque Morbum Gallicum inter epidemias, hoc est morbos populatim vagan- « tes debere connumerari, quæ aut divinâ irâ, ut Theologi sentiunt, « aut vi astrorum, ut Astrologi opinantur, vel ex certâ aëris intemperie, « quemadmodum Medici arbitrantur, eveniunt. «

III. Missis prioribus opinionibus ultimam sequitur sententiam, quæ Medicorum est. « Illud satis constat, *pergit Ille*, eo anno, quo Morbus « Gallicus cœpit pullulare, magnam aquarum per universam Italiam fuis- « se exuberantiam. Testis est Roma, quæ prima id malum sensit, in « quâ Tybris ita intumuit, ut tota sit facta navigabilis.... Tantis deni- «

Scaliger, *in Epistolâ ad Franc. Vertunianum, datâ anno 1575.*

(a) Petrus Castellanus, *in vitis illustrium Medicorum.*

(b) Ubi *suprà.*

(c) *In Præfatione sui Operis.*

(d) Herpetes.

(e) Tineam siccam

(f) Anthracem sive carbunculum.

(g) Herpetem *apud Celsum.* Erysipelas *apud cæteros Medicos Latinos.*

» que imbribus annus ille ubique maduit, ut terris exinde humentibus » atque ſtagnantibus minùs mirandum ſit æſtivum aërem ad illam veniſſe » intemperiem, calidam ſcilicet & humidam, quam Medici atque Phi- » loſophi omnium putredinum matrem eſſe confitentur. » In ſuæ opinionis confirmationem varia loca adducit ex Galeno & ex Hippocrate *in Lib. Epidemiorum.*

IV. Denique ad Morbi Gallici curationem pauca proponit, nec alia præter venæ ſectionem, purgationem, alterationem humorum ſalſorum, diætam &c. Et ne unum quidem verbum de Mercurialibus addit.

1497. CORADINUS GILINUS, Artium & Medicinæ Magiſter, ſcripſit ad Sigiſmundum Ducem Eſtenſem Herculis filium, qui natus anno 1433. obiit anno 1504. *Opuſculum de Morbo Gallico*, quod Epiſtolæ limites vix excedit. Videtur autem ſcripſiſſe anno ipſomet 1497. ex principio Opuſculi, ubi ait: « Cùm anno elapſo 1496. morbus quidam ſæviſſimus mor- » tales quàmplurimos invaſerit tàm in Italiâ, quàm etiam ultrà montes &c.

I. Teſtatur expreſſis verbis « morbum hunc apud Modernos incogni- » tum fuiſſe, variaſque de eo diſceptationes inter Phyſicos, *hoc eſt Medi-* » *cos* habitas fuiſſe (*Ferrariæ ſcilicet. Vid. quæ de Leoniceno modò dicta ſunt*) » & haberi, ideoque ſe decreviſſe pro exiguis ingenioli viribus aliquid » de eo ſcribere quàm breviſſimè, *eo ſcilicet fine quemadmodum ipſe innuit*, » ut oſtenderet Doctores Medicinæ hanc ægritudinem minimè prætermi- » ſiſſe, eamque ab eiſdem capitulatam fuiſſe ad laudem Omnipotentis » Dei.

II. Morbi originem planè ignoravit, quem ideò arceſſit vel à conjunctionibus Jovis & Martis, quæ anno 1494. & Saturni ac Martis, quæ anno 1496. obvenere; vel ab irâ Dei in hominum ſcelera. « Videmus, *inquit*, » ſummum Creatorem hoc tempore nobis iratum ob nefanda ſcelera noſ- » tra nos vexare cum morbo hoc truculentiſſimo, qui jam non per Ita- » liam, ſed etiam per omnem penè Chriſtianam Religionem viget. Ubi- » que tubarum clangor ſonat, armorum ubique ſtrepitus auditur, ubi- » que bombardæ inſtrumenta bellorum conficiuntur & loco ſaxorum » ſphæricorum ferrea remanent, & hoc tempore inaudita fabricant; » Turcæ in Italiam vocantur. Quot jam incendia, quot deprædationes, » quot miſerorum mortalium ſtrages jam vidimus, quot & quantas viſuri » ſumus? Utinam mentiar!

III. Quòd ad naturam morbi, credit Morbum Gallicum *poni poſſe ſub Capitulo ignis perſici*, quod probare conatur ex Galeno 14. *de ſanitatis ingenio, cap.* 7. Avicenna *Lib.* 4. *Fen.* 3. *cap. de igne perſico*, & Cornelio Celſo, *cap. de igne ſacro ſeu perſico*; contrà verò refellit eos qui arbitrabantur Morbum Gallicum cum leprâ Arabum ſeu elephantiaſi convenire.

IV. Licet Gilinus crediderit Luem Gallicam à cauſis univerſalibus oriri, attamen ſubodoratus eſt contagione ex impurâ venere contrahi. » Unum tamen, *inquit*, inter cætera dico, Morbum hunc contagioſum » eſſe, unde iterùm atque iterùm moneo ne cum mulieribus hac perni- » ciosâ ægritudine laborantibus, aut eæ cum viris hac ægritudine infec- » tis ſe commiſerint aliquo pacto, quia vidi multos hac de cauſa infectos » cruciatus maximos paſſos fuiſſe.

V. Ægrotantes dehortatur ne temerè *confidant iſtis imperitis, ut barbitonſoribus, ſutoribus ac cerdonibus, & maximè viatoribus qui noſtrarum carnium ſunt carnifices.... nec humorem facientem morbum evacuant, ſed ſolùm cum localibus*, (ni ipſe fallor cum emplaſtris aut unguentis mercurialibus) *has paſſiones curare volunt.*

VI. Juxta eum *cura hujus ægritudinis tribus completur inſtrumentis.* 1°. *Regimine & nutritivâ* hoc eſt diætâ. 2°. *Phlebotomiâ* & purgatione. 3°. Balneatione in decocto herbarum emollientium, & inunctione partium dolentium cum linimento attenuante & incidente.

VII. Præſcribit ut ulcera & puſtulæ unguantur *ad ſolem vel ignem* unguento ex detergentibus, mundificantibus, exſiccantibus & ſarcoticis, cujus formulam profert. Quòd ſi hoc unguentum impar fuerit, alterum proponit ex iiſdem ferè conſtans, ſed cui ſublimatum ad partem vigeſimam octavam & Mercurius fluens ad partem decimam quartam totius adduntur, quo ſuadet ut ulcera unicâ vice illiniantur, adhibito dein butyro ad eſcharæ delapſum.

VIII. Demùm auctor eſt ut cauterium actuale vel potentiale ſuper commiſſuram coronalem admoveatur, « Et hoc, *inquit*, in pluribus « expertus ſum hanc ægritudinem in gulâ patientibus, & omnes curati « ſunt ad laudem Dei Omnipotentis, qui omnium ſuperiorum & infe- « riorum cauſa exiſtit. «

Extat hoc Gilini Opuſculum *Tom. I. Collectionis Luiſininæ*, ſed anteà typis jam editum fuerat; quandoquidem, ſi Jordanum Ziletum Typographum audiamus, Tomus ille primus Collectionis illius Tractatus eos complectitur qui *impreſſi aliàs fuere*; proſtantque tantùm in Tomo altero hi qui *Manuſcripti dumtaxat antehac fuere.*

JOANNES WIDMAN, ſive WEIDMANN, dictus Meichinger. *Tractatus* (a) *de puſtulis, quæ vulgato nomine dicuntur* Mal de Franzos, 1497. *in* 4°.

(a) Vanderlinden. Mercklinus. Mangetus.

Joſ. Simlerus *in Epit. Biblioth. Geſner.* mentionem quidem facit *Joannis Widman Medici*, ſed Tractatum alium laudat nempe Libellum *De uſu Thermarum Ferinarum.* Idem alibi nomine Joannis Saliceti profert Tractatum *De peſtilentiâ & ejus fugâ.*

Pari ratione *Joannes Widman* à *Joanne Saliceto* diſtinguitur, ab Iſraële Spachio *in Nomenclatore Scriptorum Medicorum*, & à Paſchale Gallo *in Bibliothecâ Medicâ*; & illi quidem Libellus *De uſu Thermarum Ferinarum*: Huic verò Tractatus *De peſtilentiâ & ejus fugâ* adſcribitur.

Sed Joannes Georgius Schenckius *in Bibliothecâ Medicâ* utrumque confundit ſub nomine *Joannis Saliceti dicti vulgò Widman & Meichinger*, cui tribuit tùm Librum *De peſtilentiâ & ejus fugâ*, excuſum Tubingæ 1501. tùm Tractatum *De uſu Thermarum Ferinarum & Cellenſium.*

Demùm à Vanderlinden *De Scriptis Medicis*, à Mercklino *in Lindenio renovato*, & à Joanne Jacobo Mangeto *in Bibliothecâ Medicâ*, tres memorantur Auctores cognomines, *Joannes Salicetus* dictus *Widman*, ad quem Libum *De peſtilentiâ & ejus fugâ* Tubingæ excuſum anno 1501. in 4. *Joannes Widemannus* ad quem Epiſtolam *De Lumbrico lato*, & Trac-

tatum *De Balneis Thermarum Ferinarum* in Ducatu Wurtembergico ; & *Joannes Widman* dictus *Meichinger*, ad quem referunt Tractatum *De Puſtulis, quæ vulgato nomine dicuntur* Mal de Franzos. 1497. in 4.

Quid in hac pugnantium ſententiarum diverſitate ſentiendum ſit vix liquere poteſt, niſi libri ipſi, qui laudantur, inſpiciantur, quos mihi nondum contigit uſurpaſſe. Intereà tamen multa ſunt, quæ ſuſpicionem faciant unum & eumdem Auctorem fuiſſe, quem Vanderlinden, Mercklinus & Mangetus in tres ex errore dividunt, modò tamen excipias Auctorem Epiſtolæ *De Lumbrico lato*, quæ proſtat in undecimo *Libro Obſervationum & Epiſtolarum Medicinalium* Gregorii Horſtii. Conſtat enim Epiſtolam illam ſcriptam fuiſſe anno 1625. à Joanne quodam Widemanno ordinario Ulmenſi Phyſico, qui noſtro Joanne Widmann toto ſæculo ad minus junior fuit.

Cæterùm tres reliqui Tractatus antiqui ſunt, nam 1°. *Liber de Peſtilentiâ & ejus fugâ* Tubingæ excuſus fuit anno 1501. 2°. *Tractatus de uſu Thermarum Ferinarum* in Ducatu Wurtembergico, quæ vulgò *Wildbad* dicuntur, laudatur à Joſ. Simlero *in Epitome Biblioth. Geſner.* quæ primùm edita eſt anno 1574. Imò inſertus fuit à Joanne Rudolpho Camerario Collectioni *Diſputationum Medicarum, in illuſtri Academiâ Tubingenſi ſuperiore quidem tempore habitarum & ob exemplarium ſeorſim editorum paucitatem penè deperditarum*, quam edidit Tubingæ, anno 1611. & Joanni Widmanno dicto *Meichinger* tribuitur. 3°. Tandem *Tractatus de Puſtulis & morbo qui vulgò dicitur* Mal de Franzos, editus fuit anno 1497. atque adeo tres illi Tractatus ad eumdem Auctorem pertinere videntur, ſed Joanne illo altero Widemanno Ulmenſi Medico antiquiorem.

Poſtremus ille *Tractatus Joannis Weidmann, dicti Meichingeri, De puſtulis & morbo qui vulgò dicitur* Mal de Franzos, latet manuſcriptus alicubi in Bibliothecâ Regiâ, quandoquidem indici inſcriptus eſt cum adjecto numero, quo reperiundus ſit, ſed in appoſito numero erratum fuit, neque liber adeſt eo quo deſignatur loco. Si caſu obvius fieret, inde forſan facile futurum eſſet inſpecto Libro Bibliographorum diſcrepantias componere : Sed vix eſt ut in incredibili Codicum omnigenorum multitudine Liber alieno loco repoſitus reperiri poſſit.

1498. NATALIS MONTESAURUS, Veronenſis, impugnavit Opuſculum Nicolai Leoniceni de Morbo Gallico, Libello quem inſcripſit *De Epidemiâ, quam vulgares* Mal Franzoſo *appellant*, & quem in *Capitula* 6. diſtribuit.

(a) *Capitulo* 3. I. In eo contendit (*a*) Morbum Gallicum novum non eſſe, ſed à Medicis olim deſcriptum ſub nomine *Bothor*, *Aſaphati*, & *Tuſii*, hoc eſt Tumorum, Tineæ, & Furfurum ſive Porriginis, quod, licet ex ſe abſurdum ſit, multis tamen conatur confirmare, Leonicenum durè caſtigando quòd aliter ſenſerit.

(b) *Capitulo* 4. II. Ipſe tamen confitetur (*b*) *malas*, ut loquitur, *diſpoſitiones anni* 1496. *& pro parte anni* 1497. *in quibus intenſa caliditas tempeſtati pluvioſæ ſucceſſit, alias putredines in corporibus humanis cauſaviſſe his temporibus . . . . & ideò alias puſtularum ſpecies, & fortè*, ſubjungit ille, *quòd hæc diſpoſitio*

provenit ab influentiâ ſtellarum, quæ ſunt cauſæ quæ ad Medicum non attinent: Dicunt enim Aſtrologi quòd cauſa harum puſtularum eſt conjunctio Saturni cum Capite Arietis.

III. Dicit, (*a*) *quòd in curâ tres principales indicationes habendæ ſint, prima eſt humorum qualeſcumque fuerint evacuatio; ſecunda eſt debitum regimen in ſex rebus non naturalibus; tertia eſt debitus localium uſus.* Liquet abundè quibuſnam remediis primis indicationibus ſatisfaciendum eſſe putet juxta Methodum therapeuticam illius ſæculi. Quòd ad tertiam verò attinet, in uſum advocat unguenta ex detergentibus, mundificantibus, exſiccantibus &c. Sed cum quibus ne gutta quidem Mercurii admiſta ſit.

(*a*) Capitulo 6.

Libellus ille Monteſauri edi debuit anno 1497. vel ut tardiſſimè principio anni 1498. cùm certum ſit Opus Antonii Scanaroli, quo impugnatur, ipſo anno 1498. typis excuſum fuiſſe.

ANTONIUS SCANAROLUS, Mutinenſis, Nicolai Leoniceni ſententiam de Morbo Gallico à Natali Monteſauro impugnatam defendendam ſuſcepit *Epiſtolâ ad Neſtorem Morandum Medicum Bononienſem* ſcriptâ cui titulus eſt: *Diſputatio utilis de Morbo Gallico, & opinionis Nicolai Leoniceni confirmatio contra Natalem Monteſaurum Veronenſem eamdem opinionem oppugnantem*, & quæ Bononiæ typis edita (*b*) dicitur anno 1498. in 4. 1498.

(*b*) Mercklinus *in Linden. renovato.*

Auctor iſte quæ à Leoniceno dicta erant reperit, multiſque probat Morbum Gallicum & ab *Aſaphati* ſive Tineâ, & à Leprâ & à cæteris morbis antè cognitis omnino diſcrepare, & affectum eſſe verè novum, epidemicum, & inductum *nimiâ aëris intemperie in caliditate & humiditate.* Cæterùm de curatione ſilet.

SIMON PISTOR, Lipſienſis, primus Germanorum ſcripſit de Morbo Gallico ſequentia Opuſcula. 1498. 1500. 1501.

I. *Poſitio de Malo Franco.* Lipſiæ 1498. in 4.

II. *Declaratio defenſiva poſitionis de Malo Franco.* Lipſiæ 1500. in 4.

III. *Confutatio conflatorum circa poſitionem quamdam extraneam & puerilem Doctoris Martini Mellerſtad de Malo Franco nuper ventilatam in Gymnaſio Lipſienſi.* Lipſiæ 1501. in 4.

Lucubrationes illas Simonis Piſtoris hactenus obvias non habui, ſed eas arbitror nihil aliud eſſe præter meras Poſitiones ſive Theſes in diſputationis argumentum propoſitas. Et ſanè vix poterat anno 1498. hoc eſt quarto anno poſt luis venereæ ingreſſum quidquam diligentius expectari à Medico Lipſienſi, qui videtur non in Saxoniâ ubi morbus ille nondùm pervulgatus erat, ſed in Italiâ hujus notitiam hauſiſſe.

Ultimum recenſitorum Opuſculorum polemicum eſt adversùs Martinum Polichium Merleſtadium, de quo infrà ad annum 1502. Patet autem ex Epiſtolâ Joannis Manardi ad Martinum illum Polichium ſcriptâ, de quâ infrà ubi de Manardo, 1°. Simonem in multis redarguiſſe Leonicenum. 2°. Credidiſſe *Morbum Gallicum ab antiquis collocatum fuiſſe ſub Capite puſtularum, anthematum, aut ut* (Simon dicit) *alhumere.* 3°. *Ad commune Medicorum illius ætatis confugium ſe recepiſſe*, aſſerendo morbum hunc

occultâ fieri proprietate de cœleſtibus corporibus emanante ; quæ ſingula Joannes Manardus doctè confutat.

1498. SEBASTIANUS AQUILANUS. Ignoratur hujus Medici nomen ſi vox, *Aquilanus*, patriam ut videtur deſignet, ac ille oriundus fuerit ex urbe Epiſcopali *Aquilâ*, quæ Metropoli Romanæ ſubeſt. In Epiſtolâ ad Ludovicum de Gonzaga, Epiſcopum Mantuanum ſcriptâ, ſe referre ait, *quæ diebus elapſis de ægritudine, quam Morbum Gallicum vocant, apud Principes ſuos diſputata erant* ; quibus videtur ſubindicare diſputationem Ferrariæ habitam, de quâ plura vide in articulo *De Leoniceno*. Sanè conſtat Ludovicum Gonzagam, qui Ludovici Mantuæ Marchionis quartogenitus erat, Sedem Mantuanam tenuiſſe ab anno 1483. ad annum uſque 1511. quo fato functus eſt. Potuit ergo ea Epiſtola ad illum facilè ſcribi anno 1498. ut vel inde colligi poſſe videtur, quòd Sebaſtianus neminem laudet, laudetur verò ipſe à Jacobo Cataneo de Lacu Marcino unà cum Leoniceno & Torellâ, hoc eſt cum primis & antiquiſſimis Scriptoribus de lue venereâ.

Conſtat eam Aquilani Epiſtolam non modò editam fuiſſe anno 1517. Bononiæ in 8. apud Benedictum Hectorem cum Marco Gattinariâ *De Curis ægritudinum particularium* ; Gentili de Fulgineo, Blaſio Aſtario, & Cæſare Landulpho; ſed Lugduni typis priùs excuſam fuiſſe anno 1506. apud Bevelaque, in 4. unà cum Marco Gattinaria, Blaſio Aſtario & Blaſio Cæſare Landulpho, ut videre eſt apud Mercklinum in verbo *Marcus Gattinaria*.

In eâ Epiſtolâ *declaratur primò, quo nomine debeat appellari hæc ægritudo, & quòd in Galeni Operibus memoria habeatur* ; in cujus opinionis confirmationem loca non pauca è Galeno adducit *De Elephantiaſi*, ut hanc cum Morbo Gallico eamdem eſſe conetur aſtruere.

Secundò verò, an talis morbus ſit unus vel plures? Et unum eſſe, nempè elephantiaſim ſolam Auctor pronuntiat.

Tertiò venit in rationalem curam, quæ juxta eum perficitur *Diætâ, Pharmaciâ & Chirurgiâ* ; *Diætâ*, quâ præſcribitur rectus uſus rerum non naturalium ; *Pharmaciâ*, quæ varia ſuppeditat remedia, purgantia, digerentia, alterantia, inter quæ plurimùm laudat vinum viperarum ; Demùm *Chirurgiâ*, ope ſcilicet phlebotomiæ, & unguenti quo ulcera & puſtulæ illinuntur.

Id unum notatu dignum videtur, quòd in compoſitione unguenti Mercurium admittat ad partem decimam quintam. At verò ſequentia immediatè ſubdit. « Ab hac (*a*) tamen unctione caveant, qui ſunt debilis com-
(*a*) *Cap.* 3. » plexionis ; etenim potiùs ſophiſtica invenitur quàm vera : Nam vidi » ferè omnes recidiviſſe ut priùs. Sed ſi quis hoc pati poteſt, curatur.

1499. GASPAR TORELLA, Hiſpanus, natus eſt Valentiæ in Hiſpa-
1500. niâ ex patre Medico celebri ; « Genitor meus, *inquit ipſe, in Præfatione* » *præmiſſâ Tractatibus* De dolore & de ulceribus in pudendagrâ, Medi-
» cus fuit, cujus memoria ob hujus artis eximiam peritiam ſempiterna
» erit. Inſuper ſumus hac tempeſtate tres germani ab eodem patre nati,
» in eadem Facultate Doctores, inter quos ipſe minimus ſum.

Innotuit

innotuit Cardinali Roderico de Borgia, qui & ipſe ex eodem regno Valentino oriundus, & à ſummo Pontifice Calixto III. ſuo avunculo ad Archiepiſcopatum Valentinum promotus erat anno 1455. & apud illum dignitate ſummi Pontificis potitum anno 1492. Medici domeſtici miniſterium obivit. Ipſe enim in antiquiſſimis ſuis Operibus anno 1497. ſcriptis ſe profitetur Alexandri VI. Pontificis maximi *Prælatum domeſticum ac Medicum* eſſe. Quod idem munus obtinuit etiam ſub Julio II. ut liquet ex alio ejuſdem Libro *De Regimine ſeu præſervatione ſanitatis*, quem ad Julium II. ſcripſit anno 1506.

Ignoratur quo tempore ab Alexandro VI. Epiſcopus Sanctæ Juſtinæ renuntiatus ſit. Sed conſtat Auctorem illo titulo gloriari in ipſo Tractatu *De pudendagrâ*, qui omnium ipſius Operum antiquiſſimus eſt, & anno 1497. ſcriptus. Imò locus eſt conjecturæ ad eam dignitatem anno 1487. provectum eum fuiſſe, quòd ipſe referat in laudati Tractatûs proœmio, *agi tunc annum decimum, cùm circa eccleſiaſtica occupatus arti Medicinæ minimè vacare potuit*; niſi id non de Epiſcopatu, ſed de munere quodam Eccleſiaſtico apud ſummum Pontificem videatur intelligendum.

Epiſcopatus ille Sanctæ Juſtinæ, quem Gaſparem Torellam obtinuiſſe certum eſt, in Sardiniâ ſitus ſuberat Metropoli Arboreenſi, vulgò *Oriſtagni*. Dicitur à Franciſco de Vico, *Hiſtoria general de la Iſla y Reino de Sardeña, parte 6. Cap.* 80. & 81. ſuppreſſus anno 1504. & unitus eſſe Eccleſiæ Metropolitanæ Arboreenſi. Conſtat (*a*) tamen Gaſparem noſtrum Seſſioni ſecundæ Concilii Lateranenſis V. ſub Julio II. interfuiſſe anno 1512. & ſubſcripſiſſe cum titulo *Epiſcopi Sanctæ Juſtinæ*: Unde neceſſe eſt, ſi jure ceſſerit, titulum ſaltem retinuiſſe.

(*a*) Vid. ad illum annum *Collect. Concilior. P. Labbe.*

Extant hujus Auctoris Tractatus quatuor De Morbo Gallico.

I. Primus, qui inſcribitur *De pudendagrâ*, (*b*) *Romæ* ſcriptus eſt *ad Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum in Chriſto Patrem & D. D. Cæſarem de Borgia titulo Sanctæ Mariæ novæ Diaconum Cardinalem Valentinum.* Hinc abundè liquet ante annum 1498. ſcriptum fuiſſe, quo Cæſar de Borgia nothus filius Alexandri VI. fratre Joanne de Borgia Gandiæ Duce an dolo, an caſu interfecto, Cardinalis dignitatem abdicavit. Imò verò conſtat Auctoris teſtimonio in fine Operis hunc Librum anno 1497. ſcriptum fuiſſe: Unde minimè mirum eſt ſi ab Antonio Scanarolo laudetur in Opere, quod Bononiæ typis excuſum eſt anno ſequente 1498.

(*b*) In principio Dialogi *De dolore in pudendagrâ.*

In illo Libro affirmat Torella, « Malignam hanc ægritudinem incepiſ- « ſe anno 1493. in Franciâ (*hujus loco legitur in Collectione Venetâ Aloiſii « Luiſini*, in Alverniâ) & ſic per viam contagionis perveniſſe in Hiſpa- « niam, ad Inſulas (*Siciliam*,) in Italiam, & finaliter ſerpendo totam « Europam peragraviſſe, & ſi fas dicere eſt, totum orbem.

Dicunt Aſtrologi, *pergit ille*, hunc morbum evenire à conſtellatione « corporum ſuperiorum: Nam dicunt quòd effectus univerſalis in cauſas « univerſales reſolvi debet, & hoc propter Saturnum exiſtentem in Arie- « te: Nam in Ariete & in Piſcibus ſunt quædam ſtellæ habentes virtutes « generandi monſtra.... Alii dicunt quòd eſt flagellum Dei. «

Refert inde eorum opiniones qui putabant Morbum Gallicum deſcriptum fuiſſe ab Avicenna 2. *Canone, cap. de Thure*, ab Hugone Senenſi

Consilio 70. *de infectione cutis & asaphati cum pustulis faciei*, imò ab Hippocrate *Aphorismis* 20. & 21. *sectione* 3. & à Galeno *Commentario in eosdem Aphorismos.*

Fatetur quidem morbum » Contagiosum esse sicut scabies, cujus spe» cies est; *sed* licet ut plurimùm eveniat per viam contagionis, *censet* » nihilominùs aliter posse evenire, ut utendo malo regimine.... si utan» tur cibo & potu salso, acuto aut amaro, ut evenit Magistro Antonio » Marci, Catalano, Artium & Medicinæ Doctori.... Si non utantur bal» neatione ut erant soliti; si non mutent pannos; si priventur exercitio » aut frictionibus; aut si utantur medicinis aut cibis adducentibus mate» riam ad cutim.

Credit *curam pudendagræ compleri diætâ & potione.* Circa diætam multa proponit, sed vulgaria. *Cura verò per potionem tres indicationes* complectitur: *Primam ad evacuandum phlebotomiâ & purgatione, præmissâ humoris peccantis digestione: Secundam ad resolvendum* & exsiccandum ope balneorum & remediorum localium, inter quæ laudat præsertim sudationem *in furno calido, aut saltem in stufâ: Tertiam denique ad consumendum reliquias materiæ, si quæ remanserunt in cute*, ope unguentorum, quorum varia proponit genera ex detergentibus, mundificantibus, exsiccantibus, addito etiam in nonnullis Mercurio salivâ humanâ extincto, sed ad minimam dosim.

II. Sequuntur ex ordine temporis *Consilia quinque Medica*, seu potiùs Historiæ ægrotantium quinque, quos curandos Auctor habuit eodem anno 1497.

Æger I. Morbum contraxerat quia » De mense Augusti anni 1497. rem » habuerat cum muliere habente pudendagram. Illi aderat initio ulcus » in virgâ cum quâdam duritie longâ tendente versùs inguina ad modum » radii, cum sorditie & virulentiâ. Post sex dies ulcere semicurato arrep» tus fuit ab intensissimis doloribus capitis, colli, spatularum, bra» chiorum, tibiarum & costarum. Elapsis postea 10. diebus apparuerunt » multæ pustulæ in capite, facie & collo.

Alter æger, si Torellæ fides sit, sed credat Judæus Apella, ex *immoderatis laboribus* per mensem Augustum anni 1497. & pravo regimine infectus fuit *pudendagrâ sanguineâ cum ulcusculis in virgâ, maculis latis, rubeis, sive pustulis in universo corpore, quæ cortices instar furfuris emiserunt; ac demùm doloribus intensis capitis, colli & spatularum.*

Tertius *per viam contagionis fuit infectus pudendagrâ phlegmaticâ cum pustulis grossis, crustosis, ex quibus exibat sordities grossa, alba, ad fuscedinem tendens, cum doloribus.* Curandum illum habuit mense Octobri anni 1497.

Quartus *infectus erat pudendagrâ ab anno uno, & ut ipse retulit Torellæ, evenit ei dormiendo in eodem lecto cum fratre suo infecto.* Aderant initio dolores, & deinde *pustulæ grossæ, crustosæ, cineritiæ*, quibus evanescentibus rediere dolores cum ulceribus in tibiâ. Curatus fuit anno eodem 1497.

Quintus morbum concepit spontè juxta Torellam ex pravâ sanguinis diathesi. *Fuit autem arreptus pudendagrâ cum pustulis ac intensissimis doloribus brachiorum, spatularum, colli, pedum ac manuum, & præcipuè in partibus anterioribus tibiarum, ubi ossa quasi à carnibus sunt denudata.*

Præmiſſis alterantibus, digerentibus, purgantibus, ſtufarum uſu, unde affatim ſudaverunt, & inunctione ulcuſculorum & puſtularum cum unguento detergente, omnes dicuntur perfectè convaluiſſe.

III. Tractatus tertius, qui inſcribitur *De dolore in pudendagrâ evenire ſolito* ſcriptus fuit *anno* 1499. *in oppido Bleſenſi* in Galliâ, ut ipſe ait in proœmio, ubi Auctor cum Cæſare de Borgia, *qui Curiam Chriſtianiſſimi Ludovici Francorum Regis ſequebatur, moram traxit per totam quadrageſimam propter aliquam aëris peſtiferi ſuſpicionem.* Non mirum igitur, ſi in illo Tractatu laudet Torella *Tractatum de pudendagrâ à ſe compoſitum ſuperioribus annis, quando Romæ erat*, Cæſaremque de Borgia, ad quem ſcribit, non Cardinalem dicat ut in priore, quippe qui dignitate illâ ſe jam abdicaverat, ſed *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Gonfaronarium ac generalem Capitaneum & Ducem Valentinæ.* Siquidem Cæſar de Borgia illo Ducatu à Ludovico XII. Francorum Rege donatus fuit anno 1498. Gonfalonerius verò & Capitaneus generalis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ ab Alexandro VI. patre ſuo renuntiatus eſt die 29. Martii anno 1500. ut liquet *ex Diario Alexandri VI. à Burchardo ſcripto & à G. G. Leibnitio edito.* Unde colligere eſt Librum hunc Torellæ, etſi Bleſis ſcriptus fuerit anno 1499. publici juris factum non fuiſſe niſi anno 1500.

In Epiſtolâ nuncupatoriâ fœdè putidèque adulatur Cæſarem Borgiam hominum ſceleratiſſimum, quem tamen apertè laudat, ceu « unum qui « ſeculum exornet ſuum, unum inter Principes doctum & litterarum « cultorem, unum Litteratiſſimum, unum in armis peritiſſimum, unum « qui domi bellique magnus ævo illo videri poſſit, unum qui Eccleſiæ li- « bertatem & auctoritatem dilucidet & augeat, à quo juſtitia Bruti, conſ- « tantia Mutii, continentia Scipionis, fidelitas Marci Reguli, ac magna- « nimitas Pauli Æmilii ſuperetur. »

Inter adulatoria mendacia videretur quoque referenda nomenclatio Cæſari Borgiæ adſcripta, quem *de Franciâ* dicit. Sed conſtat (*a*) à Ludovico XII. Cæſarem de Borgia ejuſque poſteros omnes authentico diplomate dato menſe Maio anni 1499. in nomen ac ſcutariam teſſeram Franciæ (*au nom & armes de France*) adoptatos fuiſſe. Inde eſt quòd teſte eodem Burchardo hoc Franciæ nomen & Alexander VI. Cæſari de Borgia tribuerit, dùm eum Gonfalonerium creavit; & Cæſar ipſe de Borgia ſibi arrogaverit. Sed iis miſſis, quæ ſunt alieni inſtituti, ad ea redeamus quæ de lue venereâ afferuntur & quæ ſunt noſtri.

(*a*) Hiſtoire Généalogique des Grands Officiers de la Couronne, par le Pere Simplicien. *Tom. V. Duché de Valentinois.*

Itaque in hoc Libello, in quo duo introducuntur Collocutores, *Vulgus*, quod de pudendagrâ multa quærit, & *Medicus*, qui Vulgi quæſtionibus reſpondet, legere eſt

1°. Gallis manu forti Italiam ingredientibus, & maximè Regno Par- « thenopæo occupato, & ibi commorantibus hunc morbum detectum « fuiſſe. Idcircò ab Italis Morbum Gallicum cognominatum eſſe imagi- « nantibus ipſum Gallis connaturalem eſſe: In Galliâ verò, quia in rever- « ſione Regis Caroli cum ſuis in Galliam hic morbus apparere incepit, « credentes Gallos eum ex Neapoli apportaſſe, hanc ob cauſam Morbum « Neapolitanum vocaviſſe. «

2°. Morbum Gallicum extirpari poſſe, ſi præſidentes, ut ſummus Pon- «

» tifex, Imperatores, Reges atque alii Domini ordinent matronas inqui-
» ſitores hujus morbi, & perquirant in primis publicas mulieres, & ſi eas
» infectas invenerint, relegent ad locum à Communitate ſeu à Domino
» deſtinatum, ibique curentur à Medico ſeu Chirurgico deputato & ſa-
» lariato, & hoc pacto infaillibiliter extirpabitur morbus iſte non ſolùm
» horrendus ſed etiam contagioſus.

» 3°. Deceptores ac trufatores ſuis temporibus uſos eſſe pernitioſis un-
» guentis cum quibus maximam auri copiam devorarunt .... versùs quos
» Protomedici nullam faciunt inquiſitionem, & profectò impiè agunt.
Propoſitis dein tribus unguentorum ſpeciebus, quæ ſingula Mercurialia ſunt, & quorum præcipuum eſt unguentum Saracenicum, ſic concludit:
» Supradicta unguenta tanquam à peſte fugienda ſunt, & contra Practi-
» cantes inſurgant, ſi velint, Protomedici, aut ipſa natura humana cla-
» mabit: interficiuntur homines, non moriuntur; qui ſi non in hoc ſæ-
» culo, in alio tamen reddent rationem & ſubmergentur in puteo pœ-
» nitentiæ.

4°. Affirmat eâ curâ mercuriali extinctos eſſe *Alfonſum de Borgia*, qui Alexandri VI. ex fratre Petro Ludovico nepos erat, *& ejus* (Alfonſi) *fratrem*, Joannem ſcilicet de Borgia, ut mihi quidem videtur, Archiepiſcopum Montis Regalis in Siciliâ, ad Cardinalis dignitatem evectum ab Alexandro VI. anno 1492. quem conſtat (*a*) inter primos lue venereâ occubuiſſe; præſagitque Cardinalem ipſum Segobricenſem, qui *unguento iſtiuſmodi curatus credebatur non diù victurum eſſe, quia maraſmatus eſt.* Et ſanè rectè de illo augurabatur Torella: Nam Cardinalis ille Segobricenſis, Bartholomæus ſcilicet Martinus, Valentinus apud Hiſpanos, Magiſter domûs Papæ, Epiſcopus Segobricenſis, qui Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Agathæ in Suburrâ creatus fuerat ab Alexandro VI. anno 1496. unde Cardinalis Segobricenſis dicebatur, fato functus eſt 8. Kalendas Februarii, anno 1500. hoc eſt 1501. ſi novæ computationis ratio habeatur juxta quam anni principium à primâ die Januarii exordiri ſolenne eſt.

(*a*) Vie d'Alexandre VI. & de Céſar de Borgia. Par Alexandre Gordon. *Pag.* 54.

Porrò notandum cenſeo Torellam, qui à Mercurialibus ita abhorret in hoc Dialogo, in priore Tractatu pauculam Mercurii doſim cum unguentis ad ulcera miſcuiſſe, ſed forſan infortuniis, quæ imprudenti Mercurialium uſu eveniſſe viderat, ab eâ methodo deterritus eſt.

IV. Quartus Tractatus *De ulceribus in pudendagrâ*, qui unà cum præcedente editus eſt, multa continet de naturâ & cauſis ulcerum, ſed ex Arabum doctrinâ deprompta, ut ea ferebant tempora. Quòd ad eorum curam attinet, ſuadet uſum multiplicem detergentium, mundificantium, incarnantium, conſolidantium &c. ſed cum quibus in iſto, ſicut in præcedente Tractatu, ne guttam quidem Mercurii admiſtam reperire eſt.

Haud videtur ſilentio prætermittenda medicina, quam ad ulcera virgæ
» proponit. » Infectus, *inquit*, & ulceratus in virgâ, quanto citiùs po-
» terit, faciat ſibi fugi locum ulceratum ab aliquâ vili perſonâ, exteriùs
» ſemper exprimendo, aut parumper ſcarificetur, aut deſuper apponatur
» parum de ſapone molli cum calce, aut gallus ſive columbus in culo de-
» plumatus & excoriatus, ſic vivus loco ulcerato ſæpiùs apponatur, aut ap-
» ponatur rana per medium inciſa.

Porrò Lectorem monitum velim me ad prædicta excerpenda antiquâ Operum Gaſparis Torellæ editione uſum eſſe, quæ Romæ prodiit apud Joannem Bericken & Martinum de Amſterdam : Multa enim addita, omiſſa, interpolata ſunt in Collectione Venetâ Aloiſii Luiſini.

(a) Schenckius, *in Bibliothecâ Medicâ.* Lindenius, *De ſcriptis Medicis.* Paſchalis Gallus *in Bibliothec. Medic.* Mercklinus in *Linden. renov.*

SECULUM DECIMUM SEXTUM.

CONRADUS SCHELLING, Heidelbergenſis, ſcripſit (*a*) *Conſilium ad puſtulas malas, morbum quem* Malum de Franciâ *vulgus appellat, editum Heidelbergæ* in 4.

1500.

Auctor ille Medicus fuit *Philippi Electoris Palatini* teſte (*b*) Joanne Georgio Schenckio. Cùm autem Philippus ille Poſthumus dictus, filiuſque Ludovici III. Electoris Palatini, & Margaretæ filiæ Amedæi VIII. Ducis Sabaudiæ, natus ſit anno 1448. obieritque anno 1508. veriſimile eſt Conradum Schelling, qui ejus Medicus fuit, ſcripſiſſe laudatam Diſſertationem circa annum 1500. quod ſanè & ipſa inſcriptio videtur ſatis innuere.

(*b*) Ubi *ſuprà.*

Hoc Opus Conradi Schelling videre nondum contigit, ſed tantùm *Conſilium ad peſtem* germanicè ſcriptum & editum Heidelbergæ in 4.

MARTINUS POLICHIUS, Mellerſtadius, natus Mellerſtadii in Franconiæ oppido, Lipſiæ in Medicinâ Doctoralem lauream aſſecutus & ibidem Profeſſor publicus conſtitutus eſt. Fredericum III. dictum Sapientem, Erneſti filium, Electorem & Saxoniæ Ducem in Palæſtinam religionis ergò anno 1493. peregrinantem ſecutus eſt tanquam Medicus. Cùm Academia Wittebergenſis erecta fuit anno 1502. ipſe primus Rector, primus matriculæ inſcriptus, primus Theologiæ Doctor fuit. Obiit ibidem anno 1513. ſecundùm (*c*) Geſnerum & (*d*) Vanderlinden, aut 1514. ſecundùm (*e*) Mercklinum & (*f*) Mangetum.

1501.

(*c*) *In Bibliothecâ.* (*d*) *De ſcriptis Medicis.* (*e*) *In Linden. renov.* (*f*) *In Biblioth. Medic.*

Inter alia ejuſdem Opera, quæ à Geſnero recenſentur, extat libellus inſcriptus *Reſponſio in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii de* Malo Franco, qui Lipſiæ editus fuit apud Marcum Brandt, anno 1501. in 4.

(*g*) *In Bibliothecâ.* (*h*) *In nomenclatore ſcriptor. Medic.* (*i*) *In Bibliothec. Medic.* (*k*) *In Biblioth. Medica.*

Extat Joannis Manardi Epiſtola ad Martinum illum Mellerſtadium data Mirandulâ anno 1500. quæ prima eſt *Lib.* 2. *Epiſtolarum ejuſdem Medici Italium*, in quâ ait Manardus ſe *& defenſionem Martini & Simonis Piſtorii accuſationem* accepiſſe : Quæ intelligi non poſſunt niſi de aliâ quâdam Polichii defenſione, quæ ante annum 1500. edita fuerit, vel ſaltem de aliâ editione *Reſponſionis illius in ſuperadditos errores Simonis Piſtorii*, quæ ſit anno 1501. antiquior, niſi erratum fuerit in anno Editioni appoſito.

JOSEPHUS GRUNBECKIUS, natione Germanus, ſcripſit Tractatum *De mentulagrâ ſive Morbo Gallico* (juxta alios *Regio*) editum Venetiis, 1503. in 4.

1503.

(*l*) *De ſcriptis Medicis.* (*m*) *In Lindenio renov.* (*n*) *In Biblioth. Medic.*

De Libri titulo ſumma inter Bibliographos diſcrepantia. Agitur ſecundùm (*g*) Geſnerum, (*h*) Spachium & (*i*) Paſchalem Gallum *de Mentulagrâ ſive Morbo Gallico.* At verò juxta (*k*) Schenckium, (*l*) Lindenium, (*m*) Mercklinum & (*n*) Mangetum agitur *de Mentulagrâ ſive Morbo Regio.*

Mirum ſanè, ſi à Grunbeckio *Mentulagra ſive Morbus Gallicus, Regius* dictus fuerit, quod ſupponendum eſt, ut Bibliographorum teſtimonia conveniant.

Mihi tamen in mentem venit à Zachariâ ſummo Pontifice Morbi Regii mentionem factam eſſe circa annum 746. (*a*) in Epiſtolâ 12. ad Bonifacium, Archiepiſcopum Moguntinum, qui ad ipſum de morbo illo in Germaniâ tunc vulgari ſcripſerat, eo conſilio ut de Diſciplinâ erga ægrotantes iſtiuſmodi obſervandâ certior fieret. Liquet autem ex laudatâ illâ Epiſtolâ Regium hunc morbum ipſiſſimam eſſe Arabum Lepram, quæ in Europâ tunc temporis vulgò graſſabatur. Potuit ergo eadem lepræ denominatio in Germaniâ abhinc permanere ad ætatem uſque Grunbeckii, atque inde effici ut ille affinitate adductus, quæ initio inter luem veneream & lepram intereſſe à nonnullis credebatur, ſyphilidem quam *Mentulagram* dicit, non modò *Morbi Gallici*, ſed etiam lepræ, ſeu ut quotidianus erat in Germaniâ ſermonis uſus, *Morbi Regii* vocabulo deſignandam eſſe arbitratus ſit. Sed de his viderint illi, penes quos Grunbeckii Liber latet.

(*a*) *Tom. 6. Collect. Concilior. P. Labbe.*

JOANNES DE VIGO, Genuenſis, oriundus ex urbe *Rapallo*, quæ eſt in ditione Genuenſi, unde *Rapalligenam* ſeipſum dicit initio *Lib. 7. ſuæ Chirurgiæ copioſæ, & in proœmio Compendioſæ*, Chirurgus primarius fuit Julii II. Pontificis Maximi, qui electus die ultimâ Octobris anni 1503. obiit 21. Februarii anni 1514. Vixit in Curiâ Romanâ, ubi Julius II. eum (*b*) *ſummis honoribus, officiis & beneficiis honeſtavit, & Sixtus* Gara de Ruvere, Julii II. ex ſorore Luchinâ nepos, *S. P. ad vincula Cardinalis, ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius trecentis aureis pro Opere ſingulis annis donabat.* Compoſuit circa annum 1503. ut ipſe ait *in proœmio*, Chirurgiam ſuam copioſam, quam nuncupavit Bandinello de Saulis, Cardinali Presbytero tituli Sanctæ Sabinæ.

(*b*) Vide *Epiſtolam Joann. Antracini D. M. Compend. præfixam.*

Hoc Opus Libris 9. univerſam Chirurgiam complectitur. In 5°. diſſeritur ſatis fusè de Morbo Gallico duobus primis Capitibus, quæ eadem in Collectione Aloiſii Luiſini excerpta proſtant.

Teſte Auctore illo 1°. Morbus apparuit in Italiâ anno 1494. menſe Decembri, » Et iſta ægritudo erat incognita & numquam à Doctoribus » viſa prout tunc erat.

» 2°. Contagioſus fuit, præſertim per coitum ſive conjunctionem mu» lieris fœdæ cum viro & è contrà.

» 3°. Pro ejus curatione operæ pretium fuit nova auxilia & pharmaca » indagare; & in rei veritate ſi quid ſalutis inventum fuerit in iſto mor» bo, fuit potiùs ex novis experimentis, quàm ex antiquis auxiliis.

4°. Duplicem diſtinguebat ſtatum morbi, *recentis & confirmati.* Cenſebat quidem recenti convenire poſſe curationem methodicam jam ſuprà deſcriptam quæ obtinebatur uſu diætæ legitimæ, alterantium, phlebotomiæ, purgantium, balneorum, ſtufarum, & linimentorum, quibuſcum argentum vivum admiſcebatur, » Quandò antedictâ curatione iſte mor» bus cum ſuis doloribus & puſtulis removeri non poterat.

5°. Ad confirmatum verò morbum Mercurio ſemper utebatur. » Nul» la, *inquit*, melior meditina eſt (crede mihi) quàm protinus patientem

illinire infrà ſcripto linimento, aut loco linimenti ceratum imponere « in brachiis & tibiis ſemel aut bis in die, donec dentes dolere incepe- « rint, & cùm dentes dolere inceperint, tunc ceſſatur ab inunctione, « & ſe calidum teneat donec fluxus phlegmatis ceſſet per gingivas. «

6°. Utrumque & linimentum & ceratum argenti vivi ſalivâ extincti partem decimam ſextam circiter continet. Linimentum quidem jam pridem obſolevit, quamvis proſtet ex parte in quibuſdam Diſpenſariis ſub nomine *Unguenti Neapolitani*. Ceratum verò etiamnum in uſu eſt nomine *Emplaſtri de ranis Vigonis*. Ait autem Vigo linimentum quidem « eſſe no- « biliſſimæ operationis, & valere in quocumque tempore hujuſmodi mor- « bi; ſed aſſerit ſe ceratum millies expertum eſſe cum honore & utilitate » non parvâ. » Unde liquet poſt Jacobum Berengarium Carpum, Joannem de Vigo & antiquiſſimum & egregium hydrargyroſeos promotorem fuiſſe.

Joannes de Vigo primus omnium externè adhibuit ad virgæ puſtulas Mercurium præcipitatum rubrum, quem vocat (*a*) *pulverem ſuum carnis ſuperfluæ remotivum*, cujus præparationem ipſe explicat *Antidotarii Lib.* 7°. In vivis erat etiamnum anno 1517. ut liquet ex Epiſtolâ ipſius ad Joannem Antracinum Maceratam, & Epiſtolâ ejuſdem Antracini reſponſoriâ ad Joannem de Vigo, quæ Compendioſæ præfixæ ſunt.

(*a*) *Lib. 5. cap. 2.*

ANTONIUS BENIVENIUS, Florentinus, claruit anno 1495. obiit autem anno 1525. Scripſit Opus *De abditis nonnullis ac mirandis morborum & ſanationum cauſis* per Capita 110. editum Florentiæ, anno 1507. in 4. in quo *Cap.* 1. pauca profert *De morbo, quem vulgò Gallicum vocant*, ſed pro illius temporis ratione egregia. 1507.

1°. Novum eſſe morbi genus, quod anno 1496. ab Hiſpanis inci- « piens per Italiam primùm, tùm Galliam, cæteraſque Europæ Provin- « cias latè diffuſum mortales quàmplurimos occupaverit. «

2°. Morbum accuratè deſcribit ut ſe ferebat eâdem ætate.

3°. Curationem methodicam paucis proponit; & unguentum quocum Mercurius admiſtus ſit, indicat quidem, ſed tanquam remedium quod ab aliis adhibitum noverit, & *quo inunctos ægros ſudare cogant.*

WENDELINUS HOCK DE BRACKENAW, Artium & Medicinæ Doctor in Gymnaſio Bononienſi, ſcripſit anno 1514. ut ipſe teſtatur *Cap.* 1. Librum *De Morbo Gallico* cui titulum fecit *Mentagram, ſive Tractatum de cauſis, præſervativis, regimine & curâ Morbi Gallici, vulgò* Mala Françoſa, cujus ſunt Capita ſexdecim. Errant proinde (*b*) Bibliographi, qui Librum hunc Venetiis editum dicunt apud Octavianum, anno 1502. niſi id de priore quâdam editione debeat intelligi. 1514.

(*b*) *Merklinus & Mangetus.*

In hoc Libro reperire eſt eadem, quæ in cæteris jam notavimus, Morbum primùm apparuiſſe anno 1494. Novum eſſe; Præcedentibus ſæculis incognitum; Ab antiquioribus morbis planè diverſum; quod multis probat de Elephantiaſi & Aſafati; Non (*c*) *provenientem ſolùm à contagio, ſed veram cauſam ejus & magis appropriatam fuiſſe aliquam influentiam ſtellarum erraticarum.*

(*c*) *Cap.* 1.

Quòd ad curationem multus eſt.

(a) Capp. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

1°. (a) In explicando legitimo usu rerum non-naturalium.

2°. In (b) proponendâ curâ mentagræ per varia Medicinæ *ingenia*; puta *per evacuationes, Phlebotomiam, Pharmaca, syrupos, lotiones, balnea, stufas &c.*

(b) Cap. 11.

(c) Cap. 15.

3°. (c) Varia proponit unguenta quibus Mercurius inest, sed minimâ quantitate, qualia olim ad scabiem à Gordonio & à Guidone de Cauliaco proposita sunt : » Nam, *inquit*, unguenta in quibus ingreditur ar-» gentum vivum extinctum cum salivâ hominis jejuni mirabilem faciunt » operationem in hoc morbo mentagræ & ejus accidentibus dolorosis. *Ni-» hilominus tamen* non consulit usum unguentorum, in quibus ingreditur » argentum vivum, nisi magnâ cum cautelâ fiant & in debitâ quantitate » cum suis Bezoarticis ; nam, *inquit*, nocumentum aliquandò juvamento » est majus. Concludit *denique* (d) quòd in doloribus mentagræ & par-» tium capitis conveniens auxilium cauterium dicitur.

(d) In fine capitis 16.

Juxta Wendelinum Hock inunctionibus utendum est non continenter » sed per intervalla, interjectis identidem catharticis. (e) » Talis, *in-» quit*, servetur ordo : Primò patiens accipiat medicinam minorativam. » .... die sequenti patiens accipiat syrupum de fumo terræ ..... tertiâ » verò die facias inungi cum unguento .... & hoc quando patiens vadit » dormitum, & de manè etiam accipiat suum syrupum, ita ut sextâ die » sint accepti sex syrupi, & sint factæ tres unctiones. Et tunc dabis medi-» cinam solutivam, ut humores qui per os expelli deberent ad inferiora » divertantur, & sic nocumentum in ore evitabitur. In diebus autem se-» quentibus simili modo utaris.

(e) Cap. 15.

Hic Auctor dicitur erroneè *Wendelinus Hack de Brakeman* in Bibliotheca Conradi Gesneri, & *Wendelinus Hack de Braheman* in Bibliothecâ Medicâ Paschalis Galli.

Extat juxta Bibliographos alterum Wendelini Opus *inscriptum De curandis ulceribus Morbum Gallicum utplurimùm consequentibus*, sed quod nondùm videre mihi contigit.

1516. JACOBUS CATANEUS DE LACU-MARCINO, Genuensis. Ignoratur quo tempore scripserit *De Morbo Gallico* ; sed tamen certum est scripsisse quidem post Nicolaum Leonicenum, Sebastianum Aquilanum, & Gasparem Torellam, cùm eosdem laudet ; scripsisse verò ante annum 1518. cùm de curatione per Guaiacum taceat, licet cæteroquin curatoriam morbi hujus methodum diligenter expendat.

(f) Cap. 1.

(g) Cap. 3.

(h) Cap. 3.

Consentit autem cum præcedentibus morbum primùm (f) *exortum esse in Italiâ anno* 1494. *monstrosum fuisse, nullis antè saculis visum, totoque in orbe terrarum incognitum*, & à (g) leprâ seu Elephantiasi omninò diversum, in quo acriter castigat Sebastianum Aquilanum aliter sentientem.

Multa profert (h) de morbi contagione, quæ ante illum nondum erant observata. 1°. Morbum contagione contrahi multiplici ratione, concubitu, cubatione, lactatione, suctione. 2°. Morbum tamen contagione semper non propagari ab infecto in sanum : Ait enim *se vidisse complures concubitus immundarum non recusantes & in sordes venereas sese præcipitantes, qui tamen nullam inde infectionem hauserunt.*

Sed

Sed quod majore attentione dignum videtur, cenſet (*a*) ad *curationem integram & perfectam novem* eſſe neceſſaria. 1°. *Diatam.* 2°. *Phlebotomiam.* 3°. *Digeſtionem.* 4°. *Evacuationem.* 5°. *Adminiſtrationem viperarum.* 6°. *Adminiſtrationem Balnei.* 7°. *Adminiſtrationem Malagmatum.* 8°. *Accidentium quæ unctionem ſubſequuntur, remotionem.* 9°. *Accidentium quæ hunc morbum ſequuntur, correctionem.* (*a*) Cap. 7.

Sex priora Capita pertinent ad curationem methodicam, quæ jam fusè (*b*) expoſita fuit. In *ſeptimo*, ubi uſus Malagmatum mercurialium proponitur, Gaſparem Torellam Epiſcopum Sanctæ Juſtinæ redarguit, quòd » malagmaticam hanc curationem damnaverit, & talem curationem « exercentes Sicarios appellaverit. Hæc, *inquit*, opinio quia contradicit « ſenſui, non eſt bona .... cùm hiſce temporibus viderimus talia malag- « mata, in quæ magna vis argenti vivi ſubintrat, curaſſe tali morbo af- « fectos, materiam per oris excrementa, & corruptos humores ex axillis « in modum rivuli educendo. « (*b*) Suprà *Lib. II. cap.* 6.

Deinde multa *ibidem* profert de unguenti mercurialis adminiſtratione, quæ ab hodierno uſu non ita multùm abludunt; ac in fine Tractatûs adducit formulam malagmatis mercurialis, ſimplicioris linimento Joannis de Vigo, & in quo major adeſt Mercurii quantitas, nempe ad octavam partem. Imò narrat ibidem *quoſdam in curatione horum languentium vice malagmatum ſuffitionibus ex cinnabari, ex argento vivo & ſulfure conſtante, uti, & mirabilia quandoque operari, ſed malagmata ſalubriora eſſe.*

» Proponit *Capite* 8. Accidentia quæ unctionem comitantur, nempe « caloris extinctionem, debilitatem ſtomachi, oris fœtorem & dentium « commotionem: *Et Capite* 9. accidentia, quæ hunc ſequuntur morbum, « ut cutis defœdationem, dolores in univerſo corpore, nodoſitates & ul- « cera, « & ſingulis mederi conatur ex artis regulis, adeò ut Tractatus ille, etſi brevis, eximius haberi debeatur, primuſque in quo Mercurii adminiſtratio accuratè propoſita fuerit.

JOANNES ALMENAR, Hiſpanus, Artium & Medicinæ Doctor, primus eſt Hiſpanorum, qui de Morbo Gallico Libellum ſcripſerit ſeptem Capitibus abſolutum. Satis temerè promittit in Præfatione ſe mira præſtiturum in præcavendo & curando morbo, neque enim in hoc Opere quidquam reperire eſt quod datam fidem liberet. Nempe (*c*) curationem hujus morbi per ſeptem intentiones compleri arbitratur: Prima eſt ventris lenitio: Secunda minorativa evacuatio: Tertia materiæ « digeſtio: Quarta ipſius evacuatio: Quinta membrorum alteratio: Sexta « ipſorum confortatio: Septima accidentium correctio. « 1516. (*c*) Cap. 4.

Priores ſex indicationes methodicam Morbi Gallici therapeiam conſtituunt. Ad ultimam varia proponit unguenta cum addito argento vivo, ſed doſi minimâ, quibus tamen conſtat ptyaliſmum non rarò inductum fuiſſe, cùm ipſe os ab uſu argenti vivi fœtere affirmet, & *oris nocumento* quod inde accidit, conetur occurrere.

Hic Auctor, ſicut & Wendelinus Hock, cenſet illitiones mercuriales per intervalla adminiſtrandas eſſe, interpoſitis catharticis, ſuamque ſententiam iiſdem verbis exprimit ac Wendelinus, non ſine plagii ſuſpicione.

(a) *Cap.* 4. » Talis ergo, *inquit*, (*a*) ordo ſervetur, ut primâ & ſecundâ die acci-
» piat ſyrupum (*alterantem*) patiens. Tertiâ autem die facias ungi cum
» unguento inferiùs deſcribendo omnes partes domeſticas (*hoc eſt interio-*
» *res*) tibiarum & brachiorum, & plantas pedum, & palmas manuum,
» leniter tamen & parùm apponendo de unguento, & hoc quando vadit
» patiens dormitum, & manè accipiat etiam ſuum ſyrupum, ita ut in ſex-
» tâ die ſint accepti ſex ſyrupi & ſint factæ tres unctiones, & tunc dabis
» Medicinam ſolutivam, & humores qui per os expelli deberent, ad in-
» feriora divertentur, & ſic evitabitur nocumentum in ore. In diebus
» autem ſequentibus ſimili modo utaris.

Porrò certum eſt hunc Auctorem ſcripſiſſe ante annum 1516. cùm hoc anno Liber iſte de quo agitur, Papiæ excuſus fuerit.

1516. COLLECTIO PAPIENSIS, quæ omnium prima, prodiit Papiæ ex officinâ Bernhardini de Garaldis, anno 1516. *in folio*, ubi collecti exſtabant.

Nicolaus Leonicenus, Vicentinus, *De Morbo Gallico*;
Et Joannes Almenar, Hiſpanus, *De Morbo quoque Gallico.*

Acceſſerunt ſimul.

Angeli Bolognini, Bononienſis, *De curâ ulcerum exteriorum, & unguentis communibus in ſolutione continui Lib.* 2.
Alexandri Benedicti, Veronenſis, *Liber de peſtilenti Febre,*
Dominici Maſſariæ, Vicentini, *De Ponderibus & menſuris medicinalibus, Lib.* 3.

1516. GEORGIUS VELLA, Brixienſis, ſcripſit conſilium medicum *Pro egregio Artium Doctore Aloyſio, Mantuano*, qui Morbo Gallico ægrotabat, in Capita ſeptem diviſum; ſed quo tempore ſcripſerit incertum eſt. Verùm cùm nullam Guaiaci mentionem faciat in curatione Morbi Gallici, videtur ſcripſiſſe antequam lignum illud in uſum advocatum fuiſſet, atque adeo ante annum 1518.

(b) *Cap.* 1. In eo conſilio affirmat (*b*) *eos qui inficiuntur tali morbo*, non infici *niſi ferè propter ipſorum coitus cum mulieribus tali infectione infectis*; *& ſi hoc*, inquit, *non ſit univerſaliter verum, at tamen pro majori parte.*

(c) *Cap.* 7. Ad curationem quinque intentiones admittit, (*c*) 1°. *Materiæ peccantis minorationem*; 2°. *Digeſtionem*, 3°. *Evacuationem*, 4°. *Accidentium correctionem*, 5°. *Reſidui humoris infecti rectificationem*; quæ ſingula methodicam curationem ſapiunt quidem, cui potiſſimùm inſiſtit, ſed ita tamen ut uſum quoque proponat unguenti mercurialis, quo cenſet inungendum eſſe » patientem à quatuor extremitatibus corporis uſque ad ſubaſcellas
» & inguina excluſivè per decem dies vel circà, ſecundùm tolerantiam
» virtutis, non negligendo etiam aſſidua clyſteria divertentia vapores à
» partibus ſuperioribus ulcerare ſolentibus.

1518. PETRUS MAYNARDUS, Veronenſis, ſcripſit (*d*) circa annum 1518. duos Tractatus *De Morbo Gallico:* alterum de morbi ætiologiâ qui *Capita quatuor*; alterum de therapeiâ, qui *Capita totidem* complectitur.

(d) J. Freind, *Hiſtor. Medicin. parte* 3.

Circa prius ſtatuit quidem Morbum (*a*) primùm apparuiſſe anno 1496. *Epidemialem eſſe*, & ortum ab *influentiis* ſyderum malignorum coeuntium; (*b*) *Prædictum fuiſſe aliàs in prognoſtico viginti annorum clariſſimi Artium & Medicinæ Doctoris Pauli de Medelburgo Zelandiæ Oceani* (qui Epiſcopus Foroſempronienſis deinde electus eſt) *anno Virginei partûs* 1487. Demùm (*c*) *defecturum eſſe anno* 1584. *contrariis aſtrorum influentiis.*

(*a*) *Prior. Tractat. Cap.* 1.

(*b*) *Ibidem.*

(*c*) *Poſterior. Tract. Cap.* 3.

Circa poſterius verò curationem tantùm methodicam proponit, quæ *diætâ, alteratione humorum, purgatione, & membrorum confortatione* perficitur, nec unguento mercuriali utitur ullo, niſi cùm dolores urgent in juncturis, in quo caſu ſuadet ut (*d*) « unguantur ſpatulæ, collum, nucha, omnes juncturæ coxarum & crurum cum infrà ſcripto unguento. «

(*d*) *Ibid. Cap.* 3.

℞. *Axungiæ porcinæ vetuſtiſſimæ* lib ij.
Cineris lignorum Vitis ℥ vj.
Argenti vivi mortificati cum medullâ vituli ℥ ij.
Demùm omnia benè commiſceantur, & fiat unguentum, & adminiſtretur ſuper dicta loca, & ligentur benè calida, & dimittantur per quatuor dies, & ſic unguantur dicta loca quaternis diebus in quaternos dies, donec ſanentur à doloribus.

LEONARDUS SCHMAI, Salisburgenſis, in *Lucubratiunculâ* quatuor Capitibus comprehensâ, quam Salisburgi in Germaniâ ſcripſit *De Morbo Gallico & curâ ejus noviter repertâ cum ligno indico*, Auguſtæ typis editâ anno 1518. *in* 4. de morbi quidem novitate eadem refert quæ cæteri, ſed primus affirmat (*e*) *Indos Occidentales per plurimos annos hoc morbo graviter laboraſſe, medicinamque quâ ſemper uſi ſunt contra hunc morbum noſtris mercatoribus indicaſſe.* Nihilominùs tamen concludit hunc morbum in Europâ ortum eſſe *ex aëris intemperie calidâ & humidâ anno à Salutiferâ Incarnatione Chriſti* 1494. *quo fuit omnium totius Europæ aquarum inaudita inundatio.* 1518.

(*e*) *Cap.* 1.

Parvi pendit methodos curatorias omnes, quæ uſque ad ſua tempora adhibitæ fuerant. (*f*) « Non fuit, *inquit*, hactenus reperta medicina, « quæ in hac ægritudine profuiſſet multùm, nocuiſſet verò nihil . . . . . ſed « modò, *pergit ille*, Deorum (ut mihi perſuadeo) beneficio inventa eſt « medicina ſimplex, quâ maximè gaudet natura, & quæ ſimul omnes in- « tentiones complectitur in ſuis qualitatibus. «

(*f*) *Ibid.*

Ea autem Medicina eſt lignum *Guaiacum* ſeu Arboris *Guaiacanæ*, cujus mentionem facit primus & cujus uſum & adminiſtrationem primus quoque deſcribit. Refert ſe (*g*) « cùm mira, magnifica, & vix credibilia paſ- « ſim accepiſſet de ligno quodam in Occidentali Indiâ, in Inſulâ Spa- « gnuolâ noviter repertâ, non ceſſaſſe vel dormientem ſomniare ligni hu- « jus naturam, donec litteris patronorum ſuorum & ſuis decem & no- « vem Doctrinas & Relationes ex Indiâ & Portugalliâ ad diverſos Germa- « niæ Principes & Viros primarios tranſmiſſas accumulaſſet, ex quibus na- « turam, proprietatem, qualitatem, uſum, & operationem planè piſca- « tus eſt. «

(*g*) *In Præfatione.*

ULRICUS DE HUTTEN, Eques Germanus, natus eſt anno 1488. 1519.

Steckelbergæ, (*a*) in caſtello Franconiæ cujus dominio ejus familia potiebatur, Litterarum ſtudio dedit operam Fuldæ, Coloniæ & Francofurti ad Oderam. Inde meruit aliquandiu in Italiâ in caſtris Imperatoris Maximiliani I. unde redux verſatus eſt in aulâ Alberti Brandeburgenſis, Archiepiſcopi Moguntini & Magdeburgenſis, ac poſteà S. R. E. Presbyteri Cardinalis titulo Sancti Chryſogoni, ab anno 1517. ad annum uſque 1520. quo Lutheri partes amplexus ſibi fugâ conſulendum eſſe duxit, cùm audiviſſet ſe juſſu Leonis X. ſummi Pontificis, in quem acerbiùs ſcripſerat, comprehendendum eſſe. Toto Belgio peregrinatus profugit tandem in Helvetiam, venitque Baſileam anno 1522. exeunte, ſed ab Eraſmo hoſpitio excluſus, urbe ipsâ exire juſſus eſt menſe Januario anni ſequentis. Obiit paulopoſt in Inſulâ quadam lacûs Tigurini, ubi latitabat, die ſcilicet 29. (*b*) Auguſti, anno 1523. ætatis anno 35. vel 36.

(*a*) Bayle, *Dictionnaire critique, in voce* Huttен.

(*b*) Eraſmus in *Epiſtolâ ad Conrad. Gocleníum datâ 6. Calend. Octobris anni* 1523.

Licet Huttenus Medicus non fuerit, ſcripſit tamen ad Albertum Brandeburgenſem, Cardinalem & Archiepiſcopum Moguntinum patronum ſuum, Libellum *De Morbi Gallici curatione per adminiſtrationem ligni Guaiaci*, Moguntiæ editum in 4°. 1519. qui Capita 27. complectitur, & ubi ea narrat quorum ipſe *pars magna fuit.*

Liquet enim inde Huttenum jam ab anno 1509. vel 1510. luem veneream contraxiſſe, annos natum 21. vel 22. dùm in Italiâ militabat, cùm fateatur ipſe in hoc Opuſculo edito anno 1519. (*c*) *ſe per novem annos cum hoc malo luctatum fuiſſe:* & hoc temporis intervallo (*c*) *undecies curationem mercurialem expertum fuiſſe*, ita ut *vix* credere liceat (*d*) *quas torturas, quot ſupplicia ſub Chirurgicis exhauſerit, quas cruces tulerit, quantùm illi virium ex Medicorum inſcitiâ deperierit.*

(*c*) Laudati libelli *cap.* 4.

(*d*) *In Epiſtolâ Dedicatoriâ.*

Sed placet ipſum audire (*e*) *dicentem, ut affectus fuerit.* » Primùm, *inquit*, ſiniſtro pede eram inutilis jam, hærente ibi octo plus annis morbo; & in mediâ quidem tibiâ, quâ parte tenuiſſima cruri obducitur caro, ulcera erant cum inflatione carnis inflammata, putreſcentia ingenti cum dolore, & hujuſmodi ut uno ſaneſcente erumperet ſtatim aliud. Erant enim complura ſparſim, nec ope Medicorum fieri poterat, in unum omnia ut redigerentur. Supra ea tuber erat (*exoſtoſis*) ut os crederetur ita induratum, & in eo ſuppungens citra intermiſſionem dolor immenſus, immodicus; fuit & ſupra dextrum proximè talum collectio, & ipſa in oſſis modum dura, ex recentis olim morbi reliquiis vetuſtiſſima. Hanc mihi ferro, hanc igne & cauſticis omnibus adaperire cùm molirentur Medici, nihil profecerunt. Illa autem modò vehementer intumeſcebat ac ſummo cum dolore, modò reſidebat mitior, dolebatque minùs igni admoto pede, nec ſuſtinuit tamen multiplici veſte contegi. Eò fluxus erat vehemens, & qui inextinguibilis planè videretur; ac quoties pedi inſiſterem, dolore afficiebar impatibiliter. Deinde ſuperiùs coxa & genu penitùs confrigerant, attenuato ibi ad ſummam uſque macritudinem femore, atque ita immiſnutâ carne, ut præter cutem vix eſſe videretur quo ſe os contegeret. Præterea in tantum luxata utraque junctura fuit, ut diù ægerrimè liceret inſiſtere, tandem non ampliùs etiam, evanidâ omnino ex cluni- bus alterâ. Dolebat item lævus humerus, ut levari jam brachium non

(*e*) *Cap.* 26.

poſſet. Debilitata extrema ſcapula occalluerat, & in medio muſculo tuber ovi magnitudine, imminuto aliis partibus ad miram tenuitatem brachio ad ipſam uſque manum; & in dextro latere ſub infimâ ſtatim coſtâ ulcus erat ſine dolore quidem, ſed fœdum quoddam pus effervens, & ſpurcâ manans ſanie, fiſtulæ in morem anguſto exteriùs ore, at amplâ intùs cavitate. Supraque ipſum aliud iterùm tuber, quaſi ſupernato coſtæ quodam ibi oſſe. Denique à ſummo retrò vertice fluxus ibat ad omnia iſta manifeſto ſenſu. Quâ incipiebat is ad leniſſimum etiam tactum, quaſi pertuſo cranco dolebat caput, nec verti in tergum, niſi cum ipſo una corpore facies potuit. «

Profligandæ huic affectionum Iliadi impar fuit inunctionum mercurialium uſus vel undecies repetitus, forſan medentium inſcitiâ vel negligentiâ. » His (*a*) auxiliis, *inquit ille*, ſuſtinere morbum potui, extinguere non potui: Et cùm lenire dolorem, non cauſam doloris exſcindere, hoc eſſet differre perniciem, non auferre, præſentius remedium habui ex Guaiaco, *cujus uſu* (*b*) depulsâ omni invaletudine ita vires recepi, ut de novo factus ac renatus homo videar. «

Hæc autem de ſe tanto liberiùs fatebatur, quòd ſibi probro verti poſſe non ſuſpicaretur, cùm eâ ætate nondum exploratum eſſet luem ſcortatione tantùm contrahi, ſed ſatis ſtolidè crederetur ſolo rerum non-naturalium vitio, vel ad ſummum colloquio vel contubernio cum infectis concipi poſſe. Inde ſanè eſt, quòd Huttenum non pudeat in extremo Libro Archiepiſcopum & Cardinalem, ad quem ſcribit, ſic alloqui. (*c*) » Hæc ita Celſitudini tuæ conſcripſi, ut non vellem his quidem uti, (faxit hoc enim ſervator Chriſtus, ne unquam debeas) ſed ut in tuâ hæc aulâ eſſent omnium neceſſitati expoſita. «

In hoc Opere præmiſſis de morbi origine, naturâ, & cauſis, iiſdem quæ jam ſæpiùs repetita ſunt; ac enarratis torturis horrendis, quibus ægrotantes hac ætate diſcruciabantur, ut à morbo Gallico convaleſcerent, Huttenus apertè ac fortiter improbat mercuriales inunctiones, uſum decocti ex ligno Guaiaci mirabiliter approbat, rectam ejuſdem adminiſtrandi methodum ſummâ diligentiâ perſequitur: Quocirca Tractatus ille verè dignus eſt qui legatur, Auctore (*d*) ipſo Hermanno Boerhaave, hac in re judice maximè idoneo.

Cæterùm, quod notari velim, quantumcumque ſibi gratuletur Huttenus de reſtitutâ valetudine uſu Guaiaci, conſtat tamen ipſum neque hac methodo perfectè convaluiſſe, cùm ex redivivâ lue venereâ, quæ remedio tantùm ſopita fuerat, miſeram mortem obierit & ante diem, ut narrat (*e*) Conradus Geſnerus.

(*a*) *Cap.* 5.

(*b*) *In Epiſtolâ Dedicatoriâ.*

(*c*) *Cap.* 27.

(*d*) *In Præfat. præfixâ editioni Lugduno-Batavæ Aloyſii Luiſini.*

(*e*) *In Bibliothecâ.*

(*f*) Vide *ipſius Epiſt.* 6. *Lib.* 18.

(*g*) Petrus Caſtellanus, *in vitis illuſtrium Medicorum.*

(*h*) *Epiſtola* 1. *Lib.* 4.

(*i*) *Epiſt.* 1. *Lib.* 7. *Budâ data* 7. *Id. Septembris, ann.* 1514.

(*k*) *Epiſtol.* 3. *Lib.* 2.

(*l*) *Epiſtol.* 1. *Lib.* 8.

JOANNES MANARDUS, Ferrarienſis, natus (*f*) anno 1461. (*g*) 1500.
Nicolaum Leonicenum in Medicinâ audivit. Conſtat (*h*) ex ejus Epiſtolis Medicinam illum feciſſe Ferrariæ ad annum uſque 1513. Anno ſequente 1514. in Hungariam à Rege Ladiſlao VI. advocatum fuiſſe, (*i*) ut Archiatri munere fungeretur; eoque mortuo anno 1516. in Hungariâ vel Auſtriâ (*k*) moram tamen feciſſe ad annum uſque 1518. Unde in patriam regreſſus (*l*) anno 1519. Medicinam Ferrariæ cum laude profeſſus 1525. 1532. 1533.

(a) Caſtellanus. *Ubi ſuprà.*

eſt. » Duxit (*a*) uxorem valdè ſenex & articulorum dolore diſtortus, ab » ætate formâque florentis juvenis thoro dignam, adeò levi judicio & » lethali intemperantiâ, ut funus ſuum maturaverit. Obiit Ferrariæ anno » 1536. ætatis 74.

Scripſit inter alia *Epiſtolarum Medicinalium Lib. XX.* ſub titulo *Curiæ Medicæ*, quorum pars jam edita fuerat Lutetiæ anno 1528. & Argentinæ anno 1529. ſed qui omnes unà collecti primùm Baſileæ excuſi ſunt anno 1540. Proſtant ibi Epiſtolæ duæ *De Morbo Gallico*, & duæ aliæ *De Ligno Indico.* Epiſtola *prima* ſcripta eſt Mirandulâ anno 1500. *ad Martinum Mellerſtadium*, hoc eſt ad Martinum Polichium, Mellerſtadienſem, *illuſtriſſimi Ducis Saxonum* (Frederici III.) *Phyſicum*, eſtque prima Libri ſecundi.

In eâ Simonem Piſtoris acriter caſtigat, qui in Poſitiones quaſdam Martini Polichii inſurrexerat, quâ de re vide ſuprà articulos *De Simone Piſtore & Martino Polichio.*

Altera ad *Michaëlem Sanctannam Chirurgum* ſcripta eſt Ferrariâ, anno 1525. & ſecunda eſt *Lib. VII.*

In eâ reprehendit Nicolaum Leonicenum, quòd exiſtimaverit Morbum Gallicum eſſe *Epidemicum, æſtivum, à nimiâ aëris humiditate & caliditate ortum.* Ipſe contrà ſtatuit morbum eſſe novum, qui contagio tantùm ſerpat & propagetur, qui ab Hiſpanis *ex Inſulâ quadam Antiquis incognitâ, ubi frequentiſſimus eſt*, in Europam tranſlatus fuerit, vel Valentiæ in Hiſpaniâ genitus *in ſcorto, quocum Elephantioſus quidam ex Equeſtri ordine rem habuit.*

Tertia eſt Conſilium Medicum *pro Reverendiſſimo Cardinale Campegio*, id eſt pro Laurentio Campegio, cive & Epiſcopo Bononienſi, poſtea Feltrenſi, Presbytero Cardinali Tituli Sancti Thomæ in Parione, ac deinde Tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim, Epiſcopo Cardinale Sabino & Præneſtino, qui à Leone X. creatus Cardinalis anno 1517. obiit Romæ anno 1539. Hæc Epiſtola, quæ quarta extat Lib. XVI. ſcripta fuit anno 1533.

In eâ præſcribit quâ methodo ligno Indico ſive ſancto utendum ſit; cæterùm non modò ut decoctum illius potetur conſulit, ſed etiam ut ſpumâ decocti, vel quod illi præſtabilius videtur, ut oleo ex ligno per deſcenſum deſtillato loca dolentia illinantur.

Demùm *quarta* Medicum quoque Conſilium eſt pro Epiſcopo Cracovienſi in Poloniâ. Scripta fuit Ferrariâ, *in Vigiliâ ſancti Matthæi*, anno 1532. & ordine tertia eſt Lib. XVII.

In eâ ait *anno duodequadrageſimo ab orto Morbo Gallico ſe ſcribere*; unde facili ratione colligere eſt juxta eum morbum primùm apparuiſſe anno 1494.

Extant aliæ duæ Epiſtolæ de eodem Epiſcopo Cracovienſi ſcriptæ: Altera, quæ ordine quarta eſt Lib. XIV. *anno eodem* 1532. *ſeptimo Idus Februarii*: Altera, quæ quinta eſt Lib. XVII. ſcripta ad Academiam Cracovienſium Medicorum, 12. *Calendas Martias, anno* 1532. ex quibus liquet hunc Epiſcopum *Imbecillitate ventriculi & omnium principalium membrorum*, atque affectione verè hypochondriacâ laboraſſe *ex reliquiis ſubdoli & atrocis Morbi Gallici vocati, & hydrargyro per quod ſanari viſus eſt, derelictâ.*

BENEDICTUS RINIUS, Venetus, ſcripſit brevem *De Morbo Gallico* Tractatum *Conſultationis causâ in gratiam illuſtriſſimi cujuſdam Antiſtitis*, quem diù poſt mortem patris Fabritius Rinius ejus filius Antonio Cauco Archiepiſcopo Corcyrenſi dicavit, & excudendum permiſit in Collectione Venetâ *De Morbo Gallico* anno 1567. 1520.

In curando *Morbo Gallico* utitur Rinius linimentis variis mercurialibus, ſed ad Operis calcem, quædam adjicit de decocto ligni Guaiaci, quod ait *novum eſſe ſui ſæculi inventum, & tanquam per Deorum manus traditum auxilium pro Morbi Gallici expugnatione, ac omnimodâ illius evictione*, unde videtur poſſe colligi Conſilium illud Rinii circa annum 1520. ſcriptum fuiſſe.

JOANNES (*a*) LE MAIRE, Belga, lucem vidit Bagaci, in Hannoniâ gallicè *Bavai*, unde ſe dicit gallicè *de Belges*, ideò quòd putet Bagacum olim Belgidem dictum fuiſſe. Natus eſt anno (*b*) 1473. & ante annum 1525. fato functus. Scripſit tum ſtrictâ, tum ſolutâ oratione Opera varia Gallicè & Latinè, non ſine ingenii acumine ac doctrinæ laude ut ea erant tempora, quibus vixit. 1520.

Extat inter cætera Carmen Allegoricum Gallicè ſcriptum, & in tres Fabulas diſtributum, quod typis excuſum fuit anno 1525. in 8°. apud Galiottum du Pré, cum hac inſcriptione.

Les trois Comptes, intitulez de Cupido & d'Atropos, dont le premier fut inventé par Seraphin, Poëte Italien, le ſecond & tiers de l'invention de Maiſtre Jean le Maire.

Fingitur ibi in Primâ fabulâ Cupidinem ebrium cum Atropo mortis Deâ, commutatis caſu arcubus munia quoque ita commutaſſe, ut ille quidem imprudens neci daret adoleſcentes, quos quærebat amore ſaucios efficere; hæc verò ſenes depontanos turpi amore dementaret, quos morti deſtinabat.

Narratur in Alterâ lethiferum illum mortis arcum, quem Cupido in palatium matris intulerat, juſſu Veneris abjectum fuiſſe in palatii foſſas, unde factum ut aquæ hinc ſcaturientes veneno lethali pollutæ viris feminiſque Veneris aſſeclis, à quibus epotabantur, novum morbi genus intulerint, ſeu ipſiſſimam luem veneream.

Demùm refertur in Tertiâ Jovis edicto Comitia generalia Turonibus habita fuiſſe, ibique diſſidium Cupidinis de arcûs redintegratione cum Atropo litigantis his conditionibus compoſitum eſſe, ut utrique novus arcus reſtitueretur; at verò nullum à Jove remedium adversùs luem veneream inventum fuiſſe, quæ idcirco ſibi permiſſa in miſeros mortales ſævire pergit.

Cæterùm Poëta veneream luem in fabulâ ſecundâ ita deſcribit, ut liceat inde colligere, quid ætate ſuâ de morbi origine, novitate, propagatione, atrocitate, vulgò crederetur. Ait nempe Aquas, quæ è foſſis palatii Veneris decurrebant, à viris feminiſque plurimis cum voluptate quidem perpotari, ac gratas videri, at verò varia & inaudita morborum monſtra inde generari, quibus potores miſerrimè affligebantur.

Mais en la fin, quand le venin fut meur,

(*a*) Dicitur ſed perperam *Joannes Marius* à Gerard. Joann. Voſſio. *Lib.* 3. *De Hiſtor. Latin. cap.* 10.

(*b*) Vide Præfationem Gallicè ſcriptam, quæ præfigitur Libro inſcripto *Les Illuſtrations des Gaules*.

Il leur naiſſoit de gros boutons ſans fleur,
Si trez hideulx, ſi laits & ſi énormes,
Qu'on ne vit onc viſaiges ſi difformes,
Ne onc ne receut ſi treſmortelle injure
Nature humaine en ſa belle figure :
Au front, au col, au menton & au nez
Onc on ne vit tant de gens boutonnez.
Et qui pis eſt ce venin tant nuiſible
Par ſa malice occulte & inviſible
Alloit chercher les veines & arteres,
Et leur cauſoit ſi étranges (*a*) myſteres
Dangier, douleur de paſſion & goutte
Qu'on n'y ſauroit remede, ſomme toute,
Fors de crier, ſouppirer, lamenter,
Plorer & plaindre & mort ſe ſouhaitter.
Ne ne ſceut onc lui bailler propre nom
Nul Medecin, tant eut-il de renom.
L'ung la voulut *Sahafati* nommer
En Arabic ; l'autre a peu eſtimer
Que l'on doit dire en Latin *Mentagra*,
Mais le commun quand il la rencontra,
La nommoit *Gorre* ou *la Vérolle groſſe*,
Qui n'eſpargnoit ne Couronne ne Croſſe ;
(*b*) *Doncques* l'ont dit les Flamens & Picquarts,
Le *mal Francois* la nomment les Lombars,
Si a encores d'autres noms plus de quatre,
Les Allemans l'appellent (*c*) *Groitte blaire*,
Les Eſpagnols (*d*) *les Bouës* l'ont nommée ;
Et dit-on plus que la puiſſante Armée
Des fors Francois à grant peine & ſouffrance
En Naples l'ont conquiſe & miſe en France,
Dont aucuns d'eulx (*e*) *le Souvenir* la nomment,
Et pluſieurs faits ſur ce comptent & ſomment.
Les Savoyſiens (*f*) *la Clavela* la diſent :
Delà comment pluſieurs gens en deviſent,
Delà comment Amour, le jeune yvrongne
A fait aux gens grant dommage & vergongne
Et ne ſcet-on pour ſes cloux deſcloüer
Bien bonnement à quel Saint ſe voüer,
Néantmoins aucuns par grace ſouveraine
Ont imploré Madame Saincte Reine,
Les autres ont eu recours à Sainct Job,
Peu de guéris, en ſont de mors beaucop,
Car regne a ce trez cruel tourment
Par tout le monde univerſellement.

(*a*) *Miſeres*,

(*b*) *Lege* Pocken *Variola*.

(*c*) Gross Blatter, *Magna variola*.

(*d*) *Las Buas*.

(*e*) Videtur vox illa mendoſa eſſe.

(*f*) *La Clavelée*,

1524. DESIDERIUS ERASMUS, Roterodamus, Vir maximi nominis & eruditionis

eruditionis multiſciæ natus eſt Roterodami die 27. Octobris, anno 1466. ut maximè probabile videtur. Baſileæ mortuus eſt die 12. Julii anno 1536. jam ſeptuagenarius. Cætera quæ ad ejus vitam ſpectant ſilemus, tùm quòd paſſim occurrant, tùm quòd non ſint inſtituti noſtri, cùm Eraſmus nec de lue venereâ quidquam ex profeſſo ſcripſerit, nec Medicinæ vacaverit unquam.

Nihilominùs tamen, cùm Eraſmus ſuppar vixerit ingreſſui luis venereæ, haud pauca ſuis Operibus interſperſa reliquit teſtimonia de morbi origine, fœditate, contagione. Sic in *Epiſtolâ ad Chriſtophorum à Schydlovietz, Palatinum & Capitaneum Cracovienſem, Regnique Poloniæ Cancellarium*, Baſileâ ſcriptâ anno 1525. poſtridie Idus Auguſti, & Libro *De linguâ, ſive de linguæ uſu & abuſu* præfixâ, dùm ſui ſæculi calamitates enumerat, in hæc verba erumpit. « Jam ſi quis percontetur, inter corporum morbos, cui debeatur principatus; me judice facilè tribuetur ei malo, quod incertâ origine tot jam annos per omnes orbis plagas impunè graſſans nondùm certum nomen invenit. Plerique vocant (*a*) *Poſcas Gallicas*, nonnulli *Hiſpanienſes*. Quæ lues unquam pari celeritate percurrit ſingulas Europæ, Africæ, Aſiæque partes? Quæ penitiùs ſeſe inſerit venis ac viſceribus? Quæ tenaciùs hæret aut pervicaciùs repugnat arti curæque Medicorum? Quæ faciliore contagio tranſilit in alterum? Quæ crudeliores habet cruciatus? Vitiligo præter cutis deformitatem nihil habet noxæ & curationem recipit. Lichenes fœdo quidem furfure primùm faciem, deinde reliquum corpus operiunt, ſed citra cruciatum, nulloque vitæ diſcrimine, etiamſi remedium non admittunt, niſi cui mors ſit anteferenda. Hæc lues quicquid in aliis eſt horrendum unà ſecum defert, fœditatem, cruciatum, contagium, vitæ periculum, curationem difficillimam pariter ac fœdiſſimam, & tamen utcumque cohibita ſubinde repullulat, non aliter quàm podagra. «

(*a*) *Variolas. Pocken* enim Germanicè & Belgicè variolas ſignificat.

Nec diſſimilia profert initio *Conſultationis de Bello Turcicis inferendo, quæ ad Joannem Rinckium Juriſprudentiâ celebrem ſcripta eſt apud Friburgum Briſgoiæ, 17. die Martii, anno à Chriſto nato* 1530. Sed nullibi diſertiùs luem deſcribit quàm in Colloquio, quod inſcribitur Ἄγαμος γάμος *ſive conjugium impar*, quod primùm anno 1524. typis editum puto, & in quo nomine Equitis ſcabie Gallicâ infecti opinor perſtringi Ulricum de Hutten, Equitem Germanum, de quo modò, fato quidem jam functum ſed qui in Eraſmum ſcripſerat acerbiùs anno ſuperiore Librum, quem edendum curaverat in 4°. cum hac inſcriptione, *Ulrici ab Hutten cum Eraſmo Roterodamo Expoſtulatio*. Sed ut ut ſit, Eraſmus in illo Colloquio ſic inducit loquentem alterum ex interlocutoribus. *Superbiſſima ſcabies eſt, quæ nondùm ſuum habet nomen, cum ipſa tàm multorum habeat nomina, quæ nec lepræ, nec elephantiaſi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mentagræ cedat, ſi res veniat in certamen.* Sed audiendus præſertim dum loquitur de modis quibus præcludi poſſet contagioſa morbi propagatio. » P E. Viros caſtrarem ac ſummoverem, Fœminis verò adderem fibulas. G A. Ita quidem proſpectum eſſet ne ex malis corvis naſcantur mala ova..... Verùm non uno modo tranſilit malum, ſed oſculo, ſed colloquio, ſed contactu, ſed compotatiunculâ ſerpit ad alios. Et videmus huic malo fatalem quam-

» dam malitiam adjunctam, ut quiſquis eo tenetur, vel nullo ſuo com-
» modo gaudeat quàm plurimis ſuam affricare ſcabiem..... PE. Nemo
» barbæ ſylvam patiatur ſibi demeti, aut ſibi quiſque tonſorem præſtet.
» GA. Quid ſi uterque claudat os? PE. Afflant naribus malum. GA. Eſt
» & iſti malo remedium. PE. Quodnam? GA. Ut quod ſolent Alcumi-
» ci, addant perſonam, quæ per vitreas feneſtellas præbeat lumen oculis;
» ori naribuſque reſpirationem, cornu à perſonâ per axillas in tergum por-
» recto. PE. Bellè, ſi nihil metuendum eſt à contactu digitorum, linteo-
» rum, pectinis, & forcipis. GA. Optimum igitur barbam uſque ad ge-
» nua dimittere. PE. Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem ſit
» tonſor & Chirurgus. GA. Ad famem relegas Tonſores. PE. Minuant
» ſumptus, & aliquantò pluris radant. GA. Eſto. PE. Tum feratur Lex,
» ne quis cum alio poculum habeat commune. GA. Iſtam vix recipiat
» Anglia. PE. Neve duo miſceantur eodem lecto, præter uxorem &
» maritum. GA. Placet. PE. Ad hæc in diverſoriis ne quis hoſpes indor-
» miat linteis, in quibus alius indormiit. GA. Quid facies Germanis, qui
» vix lavant bis in anno. PE. Exſtimulent lotrices. Præterea tollatur mos,
» quamvis vetuſtus, ſalutandi oſculo. GA. Etiamne in Templis. PE. Ta-
» bellæ ſuam quiſque opponat manum. GA. Quid de colloquio. PE. Vi-
» tetur illud Homericum, Αἶγχι χοὴν κεφαλήν, & viciſſim qui auſcultat com-
» primat labra. GA. Vix iſtis legibus ſuffecerint duodecim Tabulæ.

1525. BARTHOLOMÆUS SILEBER.
Præcautio luis venereæ. Viennæ 1525. in 4°.

1527. JACOBUS A BETHENCOURT, Rothomagenſis Medicus.
Nova pœnitentialis Quadrageſima, necnon Purgatorium in Morbum Gallicum ſive venereum, unà cum Dialogo Aquæ argenti ac Lignì Guaiaci colluctantium ſuper dicti morbi curationis prælaturâ. Opus fructiferum. Pariſiis, Nicol. Savetier, 1527. in 8.

Patet hujuſce inſcriptionis ratio ex Libri proœmio. » Nunc temporis,
» *inquit Auctor*, in dicti morbi curatione duæ præcipuè prorumpunt hære-
» ſes, altera Guaiacum extollens lignum, altera aquam argenti non me-
» diocri efferens præconio. Illâ pœnitentiali Quadrageſimâ (*nempè prop-
» ter inediam*) hæc verò quodam Purgatorio (*propter ptyaliſmi dolores*) me-
» deri videtur.

Hoc Opuſculum conſtat articulis ſive Capitulis viginti, ſed nullo diſtinctis numero.

I. Refert *eodem anno, quo Galliarum Rex Carolus Octavus impetum Neapoli fecit, ſuorum aut peditum aut equitum quibuſdam talem prorupiſſe morbum* ..... qui proinde *abhinc triginta circiter annos viſus eſt.*

II. Tres morbi cauſas admittit, *Supercœleſtem*, quam Theologi dicunt eſſe iram Dei in fornicatores; *Cœleſtem*, quam Aſtrologi dicunt eſſe concurſum planetarum; & *Phyſicam*, quam Medici dicunt eſſe corruptionem ſeminis à ſalacitate nimiâ, concurrente tamen maligno aſtrorum concurſu.

III. Expendit naturam ligni Guaiaci, quod dicit à *mercatoribus reper-*

tum esse in Insulâ quâdam, ac proponit methodum curandi luem veneream decocto illius ligni.

IV. Inquirit in naturam aquæ argenti, ut sua ferebant tempora, ac varia proponit linimenta, quæ adhibebantur suo tempore. Censet autem in hac curatoriâ methodo ægrum identidem purgandum, & inunctiones intermittendas esse. *Utile satis erit*, inquit, *si post sextum aut septimum diem sumat patiens cassiam fistulam, & ad vires reficiendas duos aut tres dies quiescat.*

V. Describit gonorrhœam virulentam *Capite de Pustulis*; quæ sanè descriptio gonorrhœæ prima omnium quas sciam, esse videtur. » Vidi, *inquit*, juvenem quemdam, *cujus* mentula sesquiannum perpetuò sanio- « sum ac virulentum vomebat succum, quod venereo contraxerat certa- « mine ..... mentula dolorosè arrigebatur ..... major meiendo ac- « crescebat dolor. «

VI. Adest in fine *Dialogus aquæ argenti, & ligni Guaiaci colluctatorum super eorumdem prælaturâ*, quâ finitâ sic concludit in *Epilogo: His causis ac rationibus æquo animo perpensis, aquæ argenti methodo ..... quàm Guaiaci methodo magis fidendum puto.* Fatetur tamen rem aliquando minùs prosperè succedere; Sed id totum in medentium imperitiam refundit. » Nimirùm, *ait ille*, si optati rarenter succedant eventus, quippe cerdones, scorta, « mulierculæ, nonnullique Apostatici litterarum penitùs ignari, nullis vo- « catis Medicorum decretis, frequentiùs cum aquâ argenti, ne dicam il- « lius methodo, omni vorato pudore huic medentur morbo. «

Hic Auctor primus est Gallorum omnium, quos novi, qui de Lue Gallicâ scripserit. Anne ideò quòd venerea lues Rothomagi & citiùs & crudeliùs sævierit quàm in cæteris Galliarum urbibus? Certè lues Rothomagensis in Galliis vulgari circumfertur proverbio quasi curatu difficillima, quâ de re vide Rabelæsum, *Pantagruel, Liv.* 5. *chap.* 21. Histoire *de Francion, Liv.* 10. Et Menjotii *Dissertation. de Lue venereâ, pag. m.* 39.

HIERONYMUS FRACASTORIUS, Veronensis, natus est Veronæ: Patavii operam dedit Medicinæ, inde Livianum copiarum Venetarum Ducem sequutus est pluribus bellis, sed eo mortuo ad Abduam anno 1515. in patriam se recepit. Medicus fuit Patrum Concilii Tridentini. Fato functus est septuagenario major in suis Caphiis propè Veronam, 8. Idus Augusti anno 1553. apoplexiâ correptus in mensâ. 1530. 1546.

Inter cætera illius Opera duo extant de Morbo Gallico.

Prius est eximium illud Poëma, in quo eleganter lusit tribus Libris *De Morbo Gallico*, sive ut ille ait, *De Syphilide*, quam à Syphilo Pastore in Deos impio sic dictam fingit,

Syphilidemque ab eo labem dixere Coloni.

Dicatum est Petro Bembo Leonis X. Pontificis Maximi tunc à Secretis, ideòque scriptum ante annum 1521. quo Leo X. fato functus est, sed editum non novi ante annum 1530. quo Veronæ excusum est.

Posterius est Opus *De contagionibus & contagiosis morbis & eorum curatione*, in tres Libros distributum, quod primùm editum est anno 1546. Venetiis. In illo *Capitibus* 11. & 12. *Lib.* 2. Morbi Gallici naturam & causas; *Capite verò* 10. *Lib.* 3. ejusdem curationem explicat.

In utroque Opere Fracaſtorius eadem docet 1°. Circa naturam & cauſas morbi, (*a*) morbum *novum* eſſe ; præcedentibus ſæculis non viſum ; *ab elephantiâ & ab Arabum ſafati planè diverſum ; in Inſulis, quas Hiſpanæ navigationes adinvenere* endemium ; inde *contagione* devectum. At verò, ne quid diſſimulem, aſſerit (*b*) ille tametſi *maxima quidem mortalium pars à contagione morbum hunc contraxerit, obſervatum tamen fuiſſe innumeros alios ſine ullâ contagione per ſe infectionem eam perpeſſos fuiſſe :* Atque adeò, licet contagionem admittat, præjudicio ductus cenſet etiam admittendam eſſe *ſordidam* aëris *putrefactionem*, quam tria ſuperiora ſydera, Saturnus, Jupiter & Mars coëuntia intulerint. 2°. Quòd ad curationem, proponit ſtatim methodicam therapeiam, quam cenſet ad incipientem morbum ſufficere. Si verò inveteratus ſit, auctor eſt ut æger utatur decocto ligni Guaiaci, cujus præparandi rationem explicat, aut decocto radicum cynarum quæ paucos ante annos in Europam delatæ fuerant.

(*a*) *Lib.* 2. *cap.* 12.

(*b*) *Ibidem.*

Poſt hæc profert duo alia remediorum genera, *quibus* ut ipſe ait (*c*) *primis temporibus ſtatim utebantur, ab Empiricis primùm inventa, inunctionem* ſcilicet *& ſuffitum.* Et primò quidem inunctionem mercurialem deſcribit, neque illam damnat, licet incommoda exaggeret : (*d*) » Os, *in-*» *quit*, & palatum exulcerantur, ac ſordities tanta per os concitatur per » dies 15. & ampliùs, ut nihil fœdius, nihil intolerabilius videatur, ci-» bus nullus mandi poteſt, etiam vix ſorberi datur, dentes luxantur, ſom-» nus adimitur, & breviter per id tempus nihil gravius ſentiri poteſt.

(*c*) *Lib.* 3. *cap.* 10.

(*d*) *Ibidem.*

Inde verò ſuffitum deſcribit » Acerbiſſimum medicamentum, quo *ille* » numquam auſus eſt uti ad totum corpus, ſed quod ad certas tantùm par-» tes, ut crura & brachia, cùm vel ſphaceli adſunt, vel feræ gummoſi-» tates, vel dolores vel ulcera malè morigerata, etiam præſtantiſſimum ar-» bitratur : Cæterùm ab eo abſtinendum ſuadet, nec Empiricis creden-» dum, quibus nihil temerarium eſt magis, quando & per os etiam auſi » ſunt argentum vivum, & quod præcipitatum vocant, confectis ex iis » pilulis exhibere.

1532.

LAURENTIUS FRISIUS *vel* PHRISIUS, (*e*) Medicus Civitatis Metenſis, (*f*) claruit in Germaniâ, dicitur Argentinenſis (*g*) à Joanne Bernier D. M.

(*e*) Schenckius, *in Bibliothecâ Iatricâ.*

Præter Opera alia ſcripſit *Epitomen Opuſculi de Curandis puſtulis, ulceribus & doloribus Morbi Gallici*, mali Franzoſi *appellati*, quæ Baſileæ excuſa eſt anno 1532. & Capitibus octo abſolvitur.

(*f*) Valerius Andreas, *in Bibliothec. Belgicâ.*

In hoc Opere eadem reperire eſt, quæ apud Auctores alios, de novitate, origine, naturâ, ſignis & cauſis hujus morbi ; imò & de curatione, cùm methodicam tantùm therapeiam proponat, quæ, ut jam ſæpiùs dictum eſt, obtinetur diætâ, alterantium uſu, purgatione, & unguentis detergentibus, exſiccantibus, cicatricem inducentibus.

(*g*) Eſſais de Medecine, *Part.* 1. *chap.* 4.

Indicat quidem unguenta quinque mercurialia, ſed eo tantùm fine ne ignoraſſe videatur, & ut indicando eadem damnet. » Iners (*h*) vulgus, » *inquit*, nonnumquam peritiſſimos Medicos floccipendere non veretur, » cùm putat illos latere ea unguenta, quibus Medici carnifices corpora » inungunt. Non ſunt autem abſcondita, ſed propter nocumenta illorum

(*h*) *Cap.* 6.

eis uti nolunt. Deſcribam igitur tibi, *pergit ille*, aliqua unguenta illo- « rum Medicorum, ut ſentias quòd non ſunt Medicis ſecreta, quemadmo- « dum fatentur illi Empirici. «

Cæterùm videtur fide optimâ proferre quæcumque utiliſſima noverit. (*a*) Sic *ſub finem Diſſertationis* proponit *ſecretum chariſſimum ad ulcera virgæ, cùm ampliùs nulla ſpes eſt, cum quo*, ut ait, *ſæpiùs famam & pecuniam acquiſivit*. Secretum autem tale eſt :

(*a*) Cap. 8.

℞. *Pulverum Barbæ* (*b*) *ſylvanæ* ℥ j.
Myrrhæ & thuris ana ʒ ij.
Oſſis ſepiæ ʒ j.
Aſpergatur cum eo ulcus.

(*b*) Barba ſylvana eſt plantago aquatica. Vid. *Dodonæum.*

JOANNES PASCHALIS, Sueſſanus, hoc eſt oriundus ex urbe Epiſcopali Sueſsâ, quæ Metropoleos Capuanæ Suffraganea eſt, ſcripſit Diatribam cui titulus eſt : *De morbo quodam compoſito, qui vulgò apud nos* Gallicus *appellatur, in Capita novem* diſtributam, & editam Neapoli anno 1534. *in* 4°. in quâ pauca præfatus de morbi epidemiâ, novitate, naturâ & cauſis, ad curationem citò properat; quam cenſet quidem methodicâ therapeiâ aggrediendam eſſe, ſed ita tamen ut triplicem aliam methodum ſubjungat, *Primam* ope inunctionum, quarum tertia quælibet fiat cum unguento mercuriali : *Alteram* ope ſtuffarum, (*c*) » Ægrum *ſcilicet* intra dolium vel commodam tinam benè coopertam intrare per- « mittendo, ubi duos vel tres vel plures lapides molares, vel pyrites ſive « focarios benè ignitos intromittas, ſupra quibus, dum ſic igniti & ar- « dentes ſervantur, cum petiis vel ſcopa aliqua de acerrimo aceto ſu- » peraffundatur, adeò & tandiù quouſque indifferenter totum corpus « exquiſitè ſudaverit. » *Tertiam* demùm ope decocti (*d*) *cujuſdam ligni, quod nominatur lignum Sanctum ſive Indiacum, quia inde ductum eſt recèns*; cujus decocti adminiſtrationem multis explicat. 1534.

(*c*) Cap. 6.

(*d*) *Ibidem.*

Cæterùm affert remedia ad corrigendas læſiones, quæ ſingulas illas curationes ſequi ſolent, *v. g.* (*e*) » Gargariſma ad ulcera oris poſt inunc- « tionem ; (*e*) Pulverem ad dentes relaxatos ab inunctione ; (*e*) Con- « ditum, ſyrupum, unguentum &c. ad corrigendam calidam dyſcraſiam, « quam hepar & renes acquirunt, tùm poſt ſtuffam prædictam, tum poſt « aſſumptionem decoctorum ligni prædicti. «

(*e*) Cap. 7.

AUGUSTINUS NIPHUS PHILOTHEUS, Sueſſanus, hoc eſt ex eadem urbe Campaniæ, fuit ſuo tempore celeber Medicus & Aſtrologus. Præter alia Opera ſatis multa ſcripſit *Librum De Morbo Gallico*, qui Neapoli editus eſt *in* 4°. anno 1534. 1534.

Ipſe (*f*) ſibi Eutychi Philothei nomen adoptavit pro more ætate ſuâ recepto.

(*f*) Renat. Moreau, *in vitâ Jacobi Sylvii.*

GUNDISALVUS FERNANDEZ, Hiſpanicè *Gonçalo Hernandez de Oviedo y Valdés, genere* (*g*) *Aſtur, natali Matritenſis, natus eſt circa annum* 1478. in Aulâ Ferdinandi Regis Aragoniæ & Iſabellæ Caſtiliarum Reginæ educatus fuit inter Ephebos aulicos, ac ipſe præſens adfuit Barci- 1525. 1535.

(*g*) Nicol. Antonio, *in*

Bibliothec. Script. Hiſpan.

none anno 1493. quo Chriſtophorus Columbus ab Inſulâ *Haiti* ſive Hiſpaniolâ, quam detexerat, primùm reverſus eſt. Cùm amicitiâ vel conſuetudine junctus fuerit cum pleriſque comitibus Columbi, cæteriſque quinis ſequentibus ab Antillis rediere, (*a*) ab iiſdem ſæpiùs audivit quæcumque in primis illis navigationibus acciderant. Meruit inde in Neapolitano bello adversùs Gallos, ac demùm (*b*) anno 1513. à Ferdinando miſſus eſt in Hiſpaniolam, ut fuſionibus auri, argentive è terra effoſſi & effodiendi præeſſet. Sic ipſe præſens vidit & obſervavit quæcumque per id tempus in Hiſpaniis, in Regno Neapolitano & in Inſulâ Hiſpaniolâ contigerunt.

(*a*) *Vid.* La Hiſtor. general y natural de las Indias *Lib. II. cap.* 14.

(*b*) Ipſe Fernandez, *in Præfat. Hiſtor. general. & naturalis Indiarum,*

Scripſit Hiſpanicè Volumina duo de rebus Indicis, *Alterum* Toleti anno 1525. in Hiſpaniam negotiorum causâ reverſus, quod ad Carolum V. Imperatorem & Hiſpaniarum Regem dedit cum hac inſcriptione,

Summario de la Hiſtoria general y natural de las Indias Occidentales.

Alterum, quod rerum copiâ duplò majus eſt, anno 1535. cum inſcriptione ſequente.

La Hiſtoria general y natural de las Indias Occidentales.

In utroque I. Multis probat luem veneream in Inſulâ Haiti antiquitùs familiarem fuiſſe & endemiam, ac inde in Hiſpaniam primùm, & ab Hiſpaniâ in Regnum Neapolitanum traductam fuiſſe, quâ de re vide quæ ſuprà dicta ſunt, *Lib.* 1. *cap.* 10.

II. Multis deſcribit arbores, quæ lignum Guaiacanum & lignum ſanctum proferunt, modum quo ligna illa decoqui, methodumque quâ decocta adminiſtrari debent, ac emolumenta quæ inde ſolent colligi.

III. Proſtant in Collectione Luiſininâ, quæ Venetiis prodiit anno 1566. Tractatus duo breviſſimi, quorum alter de ligno Guaiacano, alter de ligno ſancto inſcribitur. Prior quidem dicitur ibidem in Annotatione oræ libri adſcriptâ excerptus ex *Cap.* 2. *Sect.* 1. *Lib.* 10. *Hiſtoriæ naturalis Indiarum Occidentalium* Conſalvi Fernandez; poſterior verò ex *Cap.* 17. *Lib.* 16. *ejuſdem Hiſtoriæ.* Attamen ſi Nicolao Antonio, *in Biblioth. Scriptor. Hiſpaniæ* credimus, Tractatus ille uterque à Fernandez Hiſpanicè ſcriptus ſeorſim in lucem prodiit cum hac inſcriptione, *Dos Tratados del Palo de Guayacan, y del Palo Santo.* Certè compertum habeo Tractatus illos ambos in totâ Fernandez Hiſtoriâ extare nullibi verbis totidem, quantumvis illorum ſumma ibidem obvia ſit.

1535. COLLECTIO prima VENETA, quæ numero ſecunda eſt. Petrus Bonnet Bourdelot, Archiatrus Mariæ Adelaidis à Sabaudiâ uxoris Ludovici Ducis Burgundiæ, ſcripſit in annotationibus, quas (*c*) ad amplificandum Mercklini Opus *De ſcriptis medicis* deſtinabat & quæ manuſcriptæ extant in Bibliothecâ Regiâ, Venetiis in lucem prodiiſſe anno 1535. Collectionem variorum Auctorum, qui de lue venereâ ſcripſerant, cui ſequens inſcriptio præfixa fuit.

(*c*) Vide Præfation. Joannis Jacobi Mangeti *Biblot. Medic.* præfixam,

Liber de Morbo Gallico, in quo diverſi celeberrimi in tali materiâ ſcribentes Medicinæ continentur Auctores, videlicet Nicolaus Leonicenus Vicentinus, Ulricus de Hutten, Petrus Andreas Matthiolus, Laurentius Phriſius, Joannes Almenar, Angelus Bologninus. Venetiis, in 8. 1535.

Hinc, ſi vera referat ille, colligere eſt proſtare in eâ Collectione.

I. Nicolai Leoniceni, Vicentini, *Librum de Morbo Gallico*, qui jam pridem excuſus fuerat Venetiis typis Aldi Manutii, anno 1497.

II. Ulrici de Hutten, Germani, *Librum de Guaiaci Medicinâ & Morbo Gallico*, qui Moguntiæ editus fuerat anno 1519.

III. Petri Andreæ Matthioli, Senenſis, *Dialogum de Morbo Gallico*, quem tùm primùm in lucem emiſſum fuiſſe opinor.

IV. Laurentii Phriſii, Germani, *Epitomen Opuſculi de curandis puſtulis, ulceribus & doloribus Morbi Gallici* Mali Frantzos *appellati*, quæ Baſileæ ſub prælo ſudaverat anno 1532.

V. Joannis Almenar, Hiſpani, *Librum de Morbo Gallico*, qui jam typis mandatus fuerat Papiæ anno 1516. in Collectione Papienſi omnium primâ, de quâ ſuprà ad illum annum.

VI. Angeli Bolognini, Bononienſis, *Libros II. de curâ ulcerum exteriorum & de unguentis communibus in ſolutione continui*, qui proſtabant quoque in Collectione Papienſi anni 1516.

NICOLAUS POLL, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, hoc eſt Caroli V. Phyſicus, ſcripſit Opuſculum ſeu potiùs Conſilium Medicum *De curâ Morbi Gallici per lignum Guaiacanum*, quod editum eſt Baſileæ anno 1536. Notat in Præfatione » per dicti Gallici Morbi tabificam deturpationem « omnes ferè pro deploratis habitos fuiſſe, ubi in quibuſdam nulla alia « medicinarum, (etſi innumeris utebantur) aliquid efficere potuerat: In « aliis verò deſperationis causâ nihil medicinarum applicatum fuerat, quo- « rum poſteà omnium per Guaiacanum lignum curatio quaſi pro mira- « culo ab omnibus habita fuit. Hæc enim, *inquit ille*, uno quaſi & eo- « dem tempore tria ferè hominum millia ad bonam valetudinem redu- « xit, qui poſt convaleſcentiam ſibi ipſis renati videbantur. « 1536.

Novem Capitibus methodum utendi decocto ligni Guaiaci ſatis fusè explicat, cenſetque ſtrictiori diætæ, quæ in uſu hujuſce decocti in Indiâ & Hiſpaniâ præſcribebatur, *aliquid laxamenti* dandum eſſe in *Alemannis tùm propter operationes naturales, corporaque robuſtiora, tùm etiam propter climata frigidiora, conſuetudines, proprietates & ſimilia.*

NICOLAUS MASSA, Venetus, Medicus ſuo tempore celeberrimus, ſcripſit de Morbo Gallico, (*a*) *cùm hæc Lues pullulare cœpit, ſi non primus omnium, certè inter primos, qui quidem pauci admodùm extiterunt & mutila ſcripſerunt.* Sanè conſtat Maſſam (*b*) ſyphiliticorum corpora diſſecuiſſe jam anno 1524. imò Librum ejus de Morbo Gallico Baſileæ excuſum fuiſſe anno 1536. in Collectione Baſileenſi, & non tantùm ab Antonio Gallo laudari, qui ſcripſit anno 1540. ſed ab ipſo etiam Petro Andreâ Matthiolo redargui in Opere, quod Venetiis prodiit anno 1535. unde liquet editionem anni 1563. quam Maſſa dedicavit Cardinali Carolo Borromæo, Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſanctitate conſpicuo, haud primam fuiſſe, ſed *tertiam*, ut ipſe in Præfatione teſtatur, & *multis additamentis auctam.* 1536. 1563.

(*a*) *In Præfat. tertiæ editioni præfixâ.*

(*b*) *Tract. I. cap. 4.*

Hic autem Nicolai Maſſæ Liber *De Morbo Gallico* eximius eſt & verè dignus qui legatur. Diſtribuitur in *ſex Tractatus*, quorum primus qui

complectitur *Capita ſeptem* agit de naturâ, origine & cauſis Morbi Gallici. Ibi ſtatuit Morbum eſſe ægritudinem novam, quæ multiplici contagionis viâ propagatur; ſed (*a*) *quæ cauſatur etiam ab alteratione intrinſecâ, concurrentibus aliquibus diſpoſitionibus corporis, & regimine in cibo & potu, & aliis rebus non-naturalibus.*

(*a*) Tract. 1. cap. 1.

Secundus tractat *Capitibus* 8. de diætâ, de alteratione, purgatione, phlebotomiâ & utilitate *ventoſarum & ſanguiſugarum* in hac ægritudine.

In tertio agitur *Capitibus* 14. *de Medicinâ ligni Indici, ſalſæ-parillæ, atque radicis Chinæ*; moduſque præparandi & adminiſtrandi varia ex ſingulis decocta fusè explicatur.

In quarto proponuntur *Capitibus* 6. varia genera inunctionum vel ceratorum mercurialium, cautiones quæ neceſſariæ ſunt ut iis uti tutò liceat; demùm » modi (*b*) ſuccurendi oris, gingivarum, & aliarum par- » tium gutturis alterationibus. » Affirmat autem Maſſa (*c*) » linimenta & » inunctiones ex axungiâ & argento vivo & aliis factas, eſſe mirabile præ- » ſidium & medicinam ſecuritatis, cum quâ, ut ſæpiſſimè viſum eſt, om- » nes patientes Morbum Gallicum ſanantur.

(*b*) Tract. 4. cap. 4.

(*c*) Ibidem cap. 1.

Cæterùm duo notari velim 1°. Inunctiones à Nicolao Maſſa (*d*) quandoque per intervalla tantùm adhibitas fuiſſe, cùm ægri debiliores eſſe videbantur. 2°. Ab eodem (*e*) » laudari etiam multùm ſi interungendo ac- » cipiatur aliqua evacuatio appropriata, quoniam non ſinit materias om- » nes currere per os, & ego, *inquit*, ſæpè hoc pacto procedo, & mihi » benè ſuccedit.

(*d*) Ibidem cap. 2.

(*e*) Ibidem cap. 4.

Quintus explicat *tribus Capitibus* qualitatem & adminiſtrationem ſuffumigiorum, » & regimen obſervandum in ipſorum adminiſtratione; *circa* » *quod* oportet (*f*), *inquit*, in primis medentes admonere, quòd iſte mo- » dus non eſt ſine timore nocumenti membrorum principalium, imò ſæ- » pè recidivant, & ad malas ægritudines cum iſto deveniunt.

(*f*) Tract. 5. cap. 1.

Demùm in ſexto differitur *Capitibus* 7. de curatione *accidentium*, quæ Morbo Gallico peculiaria ſunt. Mira autem prædicat *De pulvere ſuo angelico*, ſeu Mercurio præcipitato rubro, cujus præparationem ſic explicat. » (*g*) « Et quamvis, *inquit*, Joannes de Vigo vir doctiſſimus ipſum pul- » verem doceat componere ſub nomine pulveris rubei, nihil ei debeo in » hoc, quoniam antequam ipſe ſcriberet, ego ipſum componebam, & » habui à quodam viro Alchimiſta ſene, qui erat mirabilis experimenta- » tor, & multa alia ipſe docuit me, cujus anima requieſcat in pace, quo- » niam mortuus eſt.

(*g*) Tract. 6. cap. 6.

Nicolaus Maſſa erat etiamnum in vivis anno 1566. cùm hoc ipſo anno Aloyſius Luiſinus illi inſcripſerit primum ſuæ Collectionis Tomum.

1536. PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS, Senenſis, natus (*h*) anno 1500. Studuit Medicinæ Patavii, ubi Doctor renunciatus eſt. Accerſitus in aulam Cæſaream, diù Imperatorum Archiatrus fuit. Inde Tridentum ſe recepit, ubi extremum clauſit diem peſtilentiâ è vivis ereptus anno 1577. ætatis ſuæ 77. Conſtat (*i*) ipſius teſtimonio eum Romæ commoratum fuiſſe ſub Adriano VI. hoc eſt ab anno 1522. ad annum 1523.

(*h*) Mangetus, *in Bibliothec. Medic.*

(*i*) *In Dialogo, de quo infrà.*

Multa extant illius Opera, potiſſimum *de Botanice*, in quâ maximè clarſuit;

tuit. Habemus tamen præter cætera *De Morbo Gallico Librum unum*, ubi ſe inducit colloquentem cum Franciſco Aligero, & qui Baſileæ excuſus eſt anno 1536.

In illo affirmat morbum novum eſſe, & ab elephantiaſi diverſum; negat ortum eſſe ab influxu ſyderum; caſtigat Nicolaum Maſſam, quòd dixerit *nullâ aliquando contagione fieri, ſed evenire ex affectis humoribus*; redarguit Laurentium Friſium *tanquam penitus ignorantiâ refertum, & à quo ne una tantùm veritas elici poſſit*, quòd nempe crediderit *ſyderum aſpectibus morbum eveniſſe*, & aſſerat ſe *Gallicum Morbum fugare linimentis Mercurio carentibus, quibus quidem penè levis ſcabies curari poſſet.*

Diſtinguit ipſe Morbum Gallicum pro humoris prædominio & ægri temperamento *in ſanguineum, bilioſum, pituitoſum & melancholicum*; unicuique idoneam curationem alterantem proponit, ac dein in unoquoque præſcribit uſum inunctionum mercurialium cum unguento mercuriali, cujus compoſitio varia ſit pro variâ humoris prædominantis naturâ. Affert inde ſequentia ſigna, quibus licet *ſcire ægrum illinitum ſatis, cùm dentes dolent, os exulceratur, lingua intumeſcit, dolores medicamentis cedunt, diſtenſio nervorum deficit, & totum corpus laſſatur.* Quòd ſi *ex hujuſmodi unctionibus propter humorem, qui ex toto corpore ad os redundat, accidat ut fauces exaſperentur, guttur exulceretur & gingivæ malè habeant*, multa affert gargariſmatum genera, quibus malum corrigatur vel mitigetur.

Refert novos eſſe Medicos, qui arbitrentur ægros tutiùs curari uſu ligni Indici, unde arreptâ occaſione ſatis fusè deſcribit hanc curationis methodum, ſed fatetur *exhibentium incuriâ*, qui ægris diætam ſolitam non imperant, factum eſſe *ut diebus iſtis, ſicut jam priùs, non videatur hujuſmodi lignum malè habentibus conferre, nam plerique ejus decoctum aſſumentes non ſanantur.*

Duo proponit remedia nova, tanquam utilia ad curationem Morbi Gallici, 1°. Mercurium præcipitatum rubrum, cujus præparandi modum docet, & quem utiliſſimum eſſe cenſet, non modò ad curandum Morbum Gallicum, ſed etiam ad affectus alios non paucos. 2°. Oleum ſeu potiùs ſpiritum ſulphuris per campanam eductum, cujus præparandi rationem explicat, & quem laudat quaſi valdè proficuum, tùm ad Morbum Gallicum, tùm etiam ad morbos alios quamplurimos.

Videtur meritò caſtigandus, quòd credulitate nimiâ cenſuerit poſſe Morbum Gallicum profligari remediis variis, quæ proponit, ſed quæ planè inefficacia ſunt. *Prima* eſt aqua diſtillata ex decoctis anguibus cum farragine herbarum alterantium aut vulnerariarum, cujus præparationem dicit *in intimo cordis ſui hactenùs delituiſſe. Alter* eſt potus ex decoctione remediorum multorum alterantium, temperantium, diluentium, vulnerariorum, purgantium &c. quem *decreverat omninò nemini unquam aperire. Tertia* eſt aqua, quam *Philoſophicam* dicit, alembico diſtillata ex ſimili ſimilium herbarum farragine, *quam alicui nunquam dicere voluerat.*

COLLECTIO tertia, ſive BASILEENSIS. Hæc tertia Collectio ſive 1536.
συναγωγὴ, primâ Papienſi copioſior, alteri ſeu Venetæ Auctorum numero

ferè æqualis, edita fuit à Joanne Bebelio, *in* 4°. Baſileæ anno 1536. cum inſcriptione ſequente.

Morbi Gallici curandi ratio exquiſitiſſima, à variis iiſdemque peritiſſimis Medicis conſcripta.

Ibi proſtant

Petrus Andreas Matthiolus, Senenſis. *Dialogus de Morbo Gallico.*
Joannes Almenar, Hiſpanus. *De Morbo Gallico Liber.*
Nicolaus Maſſa, Venetus. *Liber de Morbo Gallico.*
Nicolaus Poll. *De curâ Morbi Gallici per lignum Guaiacanum.*
Benedictus de Victoriis ſive Victorius, Faventinus. *Liber de Morbo Gallico & ejus curâ.*

His acceſſit

Angelus Bologninus, Bononienſis. *De ulcerum exteriorum medelâ Opuſculum; & Ejuſdem de unguentis ad cujuſvis generis maligna ulcera conficiendis Lucubratio.*

Cæterùm Tractatus *de Morbo Gallico & ejus curâ*, quem in illâ Collectione Baſileenſi diximus adſcribi Benedicto de Victoriis, Faventino, idem ille eſt quem negat ipſe Benedictus Victorius *è ſua officinâ erutum eſſe*, ut infrà videbimus ad annum 1551.

1536. AUREOLUS PHILIPPUS THEOPHRASTUS PARACELSUS BOMBAST ab Hohenheim, natus anno 1493. in viculo Pagi Suitenſis apud Helvetios, dicto *Einſidlen*, quod *Eremum* germanicè ſonat, unde (*a*) *Eremita* à Deſiderio Eraſmo dictus eſt, patrem habuit Guillelmum in Medicinâ Licentiatum, qui artem exercuit Villachii in Carinthiâ ab anno 1504. ad annum uſque 1534. quo mortuus eſt, & quem ferunt nothum filium fuiſſe Equitis cujuſdam ex nobili familiâ Bombaſtorum ab Hohenheim.

(*a*) *In Epiſtolâ ad Paracelſum ſcriptâ, quæ extat in Tomo 3°. Operum Paracelſi.*

Paracelſus ab ætate primâ ſtudio Chemiæ, quæ tunc in obſcuro latebat, ſedulò incubuit, primùm apud Joannem Trithemium Abbatem Spanheimenſem, Virum doctum; inde apud Sigiſmundum Fuggerum Virum nobilem, alioſque non paucos, quos ipſe (*b*) recenſet non ſine oſtentatione: Et arcana quotquot reperire potuit, corraſit undique delectu nullo *à Medicis*, (*c*) *Chirurgis*, *Tonſoribus*, *Aniculis*, *Magis*, *Chimiſtis*, *Nobilibus ac Ignobilibus*; imò etiam (*d*) *à Zigeunis*, (les Bohémiens) *Nigromanticis*, *Agyrtis*, *& ſenioribus Ruſticis.*

(*b*) *Chirurg. Lib. 2. Tractat. 3. cap. 1.*

(*c*) Ipſe ſic ait in *Præfat. Chirurgiæ magnæ.*

(*d*) Ipſe ſic ait in *Lib. de Philoſophiâ occultâ, in fine.*

Vitam duxit inopem, vagam, errabundam, multùm peregrinatus per Helvetiam, Alſatiam, Carinthiam, Auſtriam, Moraviam, Sueviam, cæteraſque Germaniæ Provincias pleraſque, ſed tamen *non per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Portugalliam, Angliam, Boruſſiam, Lithuaniam, Poloniam, Pannoniam, Valachiam, Tranſylvaniam, Croatiam, Illyricum* &c. ut ipſe gloriatur in *Præfatione Chirurgiæ magnæ*; ac multò minùs per Arabiam integro decennio, ut fingit Bickerus in *Hermete redivivo*, quâ de re conſule Sennertum, *De conſenſu & Diſſenſu Galenicorum & Peripateticorum cum Chimicis, cap.* 4.

Ubicumque verſatus eſt, ſive fortunâ ſive animi levitate jactatus, Medicinam factitavit ſuo modo, remedia ſua thraſonicè venditans, aliena

curiosè expiscans. Si ejus assectas audiamus, nullibi miracula non edidit, quod ab adversariis negatur. Eum tamen *in curandis ulceribus etiam deploratissimis* expertum fuisse constat testimonio Joannis Oporini, (*a*) qui ejus amanuensis per biennium fuerat, sed hac de re tantò magis credendus, quòd in cæteris illi minimè aduletur. Utique facilè crediderim Paracelsum hanc Medicinæ partem paulò meliùs calluisse, quam per biennium, annis scilicet 1527. & 1528. Basileæ linguâ vernaculâ hoc est germanicâ docuerat, *amplo Dominorum Basileensium stipendio invitatus*, ut ipse testatur in *Programmate*. Sanè quod conjecturam firmare videtur, Paracelsus ipse ait odiosè sibi objici (*b*) *se Physicæ* (Medicinæ) *rudem & ignarum omninò existere, at in Chirurgiâ Rabbinum præstare; non*, pergit ille, *quòd seriò hanc laudem mihi conferant, sed ut per contemptum ac contumeliam me ex omni Medicorum ordine excludant.*

Certè prodigium hominis fuit, qui (*c*) ebrietati & crapulæ deditus, (*d*) Aurigæ similis & Aurigarum sodalitio mirificè delectatus, litterarum ignarus, latinè vix sciens, (*e*) Magiæ credens, (*f*) volens ipse Magus credi, (*g*) nomen Professoris sacræ Theologiæ sibi falsò assumens, (*h*) circa religionem delirans, mente (*i*) parùm consistens, Nugivendulus, fabularum artifex egregius, opinionum portenta vocibus (*k*) novis, inauditis, barbaris, monstrosissimis (*l*) occultabat, nec plura unquam aut impudentiùs effutiebat, quàm ubi aqua hærebat maximè. Veterem Medicinam ceu fallacem & falsam abrogare, novamque ex inanibus veterum Chimicorum commentis depromptam, sed suis deliramentis auctam & locupletatam condere conatus est. Jure dubitatur utrùm sanâ satis mente id consilii ceperit, necdum proinde satis liquet deceptusne an deceptor habendus sit. Id tantùm mirum est insulsis & anilibus hujuscemodi fabellis Medicos, nec numero paucos, nec gradu infimos, ita dementari aliquandiù potuisse, ut ipsos non puduerit in Paracelsi verba jurare, tanquam Magistri certissimi & ab omni errore tuti: Quæ vesania ut in Galliâ nostrâ apud Medicos semper rarior fuit, sic ex illâ jam pridem penitùs exulat.

Obiit Paracelsus Salisburgi die 24. mensis Septembris, anno 1541. ætatis anno 47. ita ut qui aliis longævitatem pollicebatur, qui sibi solo Elixirio proprietatis annos Mathusalemi spondebat, ne virilem quidem ætatem excesserit.

Liquet ex ejus tum operibus, tum testamento Paracelsum propriis nominibus dictum fuisse *Theophrastum Bombast ab Hohenheim*. Postrema duo

(*a*) In Epistolâ *ad Solenandrum & Wierum.*

(*b*) *Lib. 2. De Podagricis. p. m. 646. Tom. edit. Genev.*

(*c*) Oporinus, *ubi suprà.*

(*d*) Henricus Bullingerus, qui Paracelsum Tiguri ipse noverat, *apud Erastum. Disp. 2. contra Paracelsum.*

(*e*) Georgius Wetterus qui Paracelsi per biennium comes individuus fuerat, *in Epistolâ apud Erastum in 2. parte Disputat. contra Paracelsum.*

(*f*) Paracelsus ipse *Lib. 5. De Morbis invisibilibus.* Bullingerus & Wetterus *locis laudatis.*

(*g*) *In libello De Peste scripto ad civitatem Sterzingensem.*

(*h*) Passim *in suis Operibus.*

(*i*) Paracelsus ipse fatetur *in Responsione ad quasdam accusationes & calumnias suorum æmulorum & obtrectatorum, Defensione 6.* sibi objici *quòd capitis heteroclini sit, & miri comatis.*

(*k*) Ut sunt Chærionium, Relollaceum, Iliadus, Ilech, Iliastrum, Archæus, Ens Pagoycum, Cagastrum, Cagastricum, Evester, Traramas, Nostoch, Scajolæ, Leffas, Neastron, Turban, Zoneni, Stannar, Perenda, Zenda, Dualech, Domor, & alia sexcenta ejusdem generis.

(*l*) Omnia enim stolidi magis admirantur amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt. *Lucret. lib. 1.*

nomina gentilitia erant, primum verò Baptiſmi tempore impoſitum : *Et naturæ & Baptiſmatis jure Theophraſtus nominor*, inquit ipſe, *in Præfatione Paragrano præfixâ*. Cætera ergo nomina *Aureoluſ*, *Philippus*, *Paracelſus*, quibus videtur ſuperbire, adſcititia ſunt. Ignoratur quâ de causâ duo prima aſſumpſerit, niſi forſan iis declarare voluerit & auream ſuam eloquentiam, & ſuum in equos ſtudium ; ſed de tertio videtur poſſe conjici hoc *Paracelſi* Epitheto quo maximè gloriatur, ſe quaſi *maximè excelſum* ſive *Triſmegiſtum* dicere voluiſſe, ut qui Latinæ Linguæ parum gnarus putaret *Paracelſum & Percelſum*, idem eſſe. Sic idem inſcripſit unum ex ſuis Operibus *Paramirum*, quaſi *Permirum*, hoc eſt *maximè Mirum*.

(a) *In Præfatione præfixâ Part. 4. Chirurgiæ magnæ.*

Inter cætera Paracelſi Opera numero multa exſtat *Chirurgia magna*, quam integram anno 1536. Ferdinando tunc Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi inſcripſit. Hujus Chirurgiæ pars quarta, quam jam anno 1528. ſcripſerat, & quam dicaverat *Hieronymo Bonero urbis Colmar Dictatori*, agit *De tumoribus, puſtulis ac ulceribus Morbi Gallici* & in decem libros diſtributa eſt. Ejuſdem pars quinta idem Argumentum tractat, & in Libros 4. diſtribuitur, quorum primus, *De impoſturis in Morbo Gallico :* Secundus, *De correctione impoſturarum in curatione Luis Gallicæ :* Tertius, *De malè curatis ægris reſtituendis :* Quartus, *De cauſis & origine Luis Gallicæ*, qui ſubdividitur ipſe in octo alios particulares Tractatus.

(b) *Quintæ Partis Chirurgiæ, Lib. 3. cap. 4.*

(c) *Part. 4. Chirurgiæ, Lib. 4. cap. 3.*

(d) *Part. 5. Chirurg. Tractat. 1. cap. 3.*

Ad ſequentia referri poteſt ſumma Doctrinæ Paracelſi circa luem veneream, qualem ex lutulento ſterquilinio gerrarum, inficetiarum, ineptiarum, battologiarum, convitiorum ſannarumque in Medicos, quibus ejus Libri ſcatent, non ſine labore colligere licitum fuit.

(e) *Lib. 1. De Peſte, cap. 4.*

I. Luem Gallicam morbum eſſe in orbe noſtro (*a*) *novum*, (*b*) antiquis Medicis incognitum, qui primùm in Europâ apparuerit circa annum (*c*) 1478. vel (*d*) 1480.

(f) Chirurg. *Part. 5. Lib. 3. cap. 6.* Et *Lib. 4. Tractat. 1. cap. 6.*

II. (*e*) *Joannem de Monte Regio*, ſive Regiomontanum celebrem ſeculi decimi quinti Aſtronomum, cujus Petrus Gaſſendus vitam ſcripſit, & qui fato functus eſt Romæ anno 1476. *inſultum luis Gallicæ prædixiſſe* ex aſtrologiâ. Sed iis, cùm ſine auctoritate proferantur, fides nulla habenda eſt.

(g) *Ibidem, & Chirurg. Part. 4. Lib. 4. cap. 3.*

III. Gallicam luem duabus cauſis inductam fuiſſe, ſcilicet (*f*) *influxu cœleſti Veneris*, ſeu ut alibi ait, *Veneris exaltatione*, tanquam causâ efficiente ; & (*g*) *terreſtri luxuriâ*, ſeu ut vulgò dixit, *luxu ſive venerearum rerum intemperantiâ, tanquam à causâ ſine quâ non.*

(h) Chirurg. *Part. 4. Lib. 4. capp. 3. & 4.*

IV. (*h*) » Ab nullâ unquam hominum memoriâ tantam fuiſſe in ve» neris uſu intemperantiam, quæ tantum malum excitare potis fuiſſet ; (*i*) » nec Veneris influentiam in majore exaltatione unquam fuiſſe..... quàm » illo ipſo ſeculo, quo puſtulæ Gallicæ primùm extiterunt.

(i) Chirurg. *Part. 5. Lib. 4. Tractat. 1. cap. 2.*

V. (*k*) » Influentiæ hujus, (quæ luem hanc peperit) tantam virulen» tiam fuiſſe, ut totum terrarum orbem pervagata omnes mortales vel » lue hac, vel alio non minùs gravi morbo affligeret..... Neque priùs » malum hoc deſiturum eſſe ſævire, donec omnes totius orbis regiones » pervagatum ſit. *Dicit alibi* (*l*) ſperandum non eſſe hunc morbum abo» litum iri, niſi *qui infecti ſunt* actu venereo poſthac omninò abſtineant. » ..... Quocirca conſultum eſſet ut lue venereâ laborantes, perinde ut » elephantici, ſeorſim ab hominibus diſtincti viverent.

(k) Chirurg. *Part. 5. Lib. 3. cap. 4.*

(l) Chirurg. *Part. 5. Lib. 4. Tractat. 1. cap. 4.*

VI. (*a*) » Sequentibus ſeculis non ſemper parem fuiſſe veneris actionem ac influxum, ſed ejus in locum alias duas ſucceſſiſſe ſoboles ſeu filias, quæ in omnem deinceps ætatem ac ſexum dirum hoc malum propagarunt, nempe vel in ſanguine vitium inhærere, vel contagione quâdam communicari. «

VII. (*b*) » Morbum quidem in ſanguine conſiſtere, ubi materia quædam luis Gallicæ ſpermati commixta in ipsâ conceptione vitium implantaverit: . . . Contagium verò variis modis contrahi, contactu, ſudore, affectione, aliiſque non paucis rationibus, quibus venenum conceptum intrò ſerpit . . . . . (*c*) Cæterùm venenum Gallicum aliud non eſſe quàm ſpiritum quemdam ſubſtantiæ noſtri corporis quâdam proprietate occultâ adverſantem, qui in frigido corpore calidus, in calido frigidus ſentiatur. «

VIII. Signa diagnoſtica luis venereæ non rarò obſcura eſſe & æquivoca, ſed tunc (*d*) » hoc catholicum eſſe debere, quod ubicumque aliquis' affectus ſupra id quod talis eſt, aliquid ampliùs eſt, id eſt malignior exiſtit, ſtatim ad Morbum Gallicum referri debeat. «

IX. (*e*) » Uſum Guaiaci incertum, imò nocuum eſſe in curandâ lue Gallicâ, & de hoc omnibus conſtare eos, qui ſemel curam ligni ſubierint, priſtinæ ſanitati numquam penitùs reſtitui poſſe; & etſi videatur morbus curatus eſſe, nihilo tamen tutiùs vivere ægros, namque vel de præproperâ recidivâ periclitantur, vel ſi diutiùs ea differatur, capitis affectus, aliaque mala paulatim radices agunt ac ingraveſcunt, morbuſque priore duplo pejor erumpit tandem. «

X. (*f*) *Uni Mercurio omnem* luis Gallicæ *curationem deberi, ſed Mercurium in iſtis morbis ſummum eſſe myſterium*; ſcilicet (*g*) *periculoſa eſſe tùm unguenta, tùm ſuffumigia mercurialia, neque uſurpanda*, niſi priùs Mercurius ritè præparatus fuerit; adeoque (*h*) » Montiſpeſſulanos & Salernæ Medicos cinnabrio in ſuffumigiis adhibito, cùm jam perfectam ſe curandi morbi rationem aſſecutos eſſe opinarentur, præpropero concepto gaudio ſubſequentem calamitatem graviorem reddidiſſe. «

XI. (*i*) » Cavendum proinde ne Mercurius in ſubſtantiâ, id eſt Mercurius corporalis uſurpetur, ne quod cæteris evenit, tibi quoque accidat; namque ſi Mercurii corpus noſtrum corpus ſubeat, non poteſt non gravis alicujus morbi cauſa eſſe. (*k*) Mercurius enim, ſi aliâ ratione quàm inſtar cibi adhibeatur, nihil niſi venenum eſt. «

XII. (*l*) *Summum in arte Medicâ myſterium eſſe ſcire quâ formâ Mercurius adhibendus ſit*, unde meritò dicatur (*m*) *remedium Morbi Gallici verè arcanum eſſe.* Ideò Paracelſus multos varioſque proceſſus præparatorum mercurialium ænigmaticè profert, potiſſimùm 8. & 9. *Libro Partis quartæ Chirurgiæ magnæ*, ubi agit *de curatione Phyſicalium*, id eſt Medicinalium, *& Chirurgicalium morborum luis venereæ*: Sed Libros ipſos adeat Lector, ſi plura deſideret. Certè ex eâ officinâ prodiere arcana ferè omnia, quæ adluis venereæ curationem oggeruntur paſſim quaſi certiſſimæ & indubitatæ virtutis, ſed quorum tamen pleraque neque ſatis efficacia, neque ſemper innoxia eſſe ſuprà probavimus, *Lib. II. cap. 9.*

XIII. His addenda puto quæ Paracelſus dicebat de futuris periodis

(*a*) Chirurg. *Part. 5. Lib. 4. Tract. 1. cap. 4.*

(*b*) *Ibidem*

(*c*) Chirurg. *Part. 5. Lib. 4. Tract. 2. cap. 6.*

(*d*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 5. cap. 6.*

(*e*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 7. cap. 2.* Vid. etiam Chirurg. *Part 4. Lib. 1. capp. 3. & 12.*

(*f*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 1. cap. 8.*

(*g*) Chirurg *Part. 4. Lib. 7. cap. 2.* Et *Part. 5. Lib. 2. cap. 5.*

(*h*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 1. cap. 8.*

(*i*) Chirurg. *Part. 5. Lib. 2. cap. 5.*

(*k*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 7. cap. 2.*

(*l*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 7. cap. 2.*

(*m*) Ibidem, *Lib. 1. cap. 10.*

luis Gallicæ. (*a*) » Morbus Gallicus, *aiebat ille*, incepit cùm ſal corro-» ſivum ſe ſeparavit ab Yliado; & nunc quandiù ille morbus ſævit, eſt » in ſecundâ ætate, & non ceſſabit donec reſolvatur & ad tertiam ætatem » veniat.

(*a*) *Lib. 2. De Morbis ex Tartaro oriundis. Tractat. 2. Comment. in cap. 3.*

Cæterùm haud diffitetur Paracelſus Tractatum ſuum de morbis venereis ſibi vitio datum fuiſſe; ſic enim in Medicos invehitur. (*b*) » Cur » vos ſaniores convitium mihi de lue Gallicâ ſcribenti dicitis? Et me » aliud nihil ſcire nugamini? An verò id tenue & contemnendum eſt, ſi » quis maximum, maligniſſimum ac latè diſperſiſſimum morbum, de quo » * prior nemo commentatus eſt, deſcribat? Ex hoc Opere mihi potiùs » honorem collatum iri ſperaveram, quamquam ut à vobis laudarer » numquam magnoperè expetiverim. Laudarer enim ſaltem ab impoſto-» ribus, quorum laus cruce rependi debeat.

(*b*) *In Fragmentis Medicis Tom. 2. p. m. 335. edit. Genev.*

Notari velim à Paracelſo mentionem fieri in Chirurgiâ magnâ, quæ ut tardiſſimè circa annum 1536. ſcribi debuit, tum (*c*) *bubonis*, tum (*d*) *gonorrhœæ*, quaſi ſymptomatum, quæ in lue venereâ rara non eſſent. De priore quidem parùm miror, notum eſt enim bubonem in lue venereâ obſervatum fuiſſe jam ab anno 1526. vel ſaltem 1530. Sed de poſteriore miror magis, nam vulgò creditur gonorrhœam in lue venereâ primùm apparuiſſe circa annum 1540. Fortaſſe hæc addita fuere ab Interpretibus vel ab Editoribus, neque enim Paracelſi Opera, quæ germanicè ſcripta erant, in Latinam Linguam verſa, typiſve latinè edita ſunt ante annum 1560. aut etiam 1570. Memini tamen gonorrhœam veneream à Jacobo à Bethencourt deſcriptam fuiſſe in Opere, quod certè conſtat anno 1527. typis vulgatum eſſe, ſed de his vide ſuprà ad annum 1527.

(*c*) Chirurg. *Part. 4. Lib. 5. cap. 9.*

(*d*) Ibidem, *Lib. 6. cap. 7.* Et *Lib. 8. cap. 7.*

1537. JOANNES VOCHS, Colonienſis, ſcripſit *Opuſculum præclarum de omni peſtilentiâ, ſive ſit ab aëre corrupto, ſive ab aquis putridis, aut è cadaveribus; & De diuturnâ Peſte Morbi Gallici, quæ non ceſſabit donec putredo ejuſdem morbi funditùs eradicetur*, per Joannem Dryandrum noviſſimè repurgatum. Coloniæ 1537. in 8.

1537. JOANNES ANTONIUS ROVERELLUS, Bologninus, Artium & Medicinæ Doctor.

Tractatus de Morbo Paturſa, affectu, qui vulgò Gallicus *appellatur, Cypris impreſſus anno* 1537. *in* 8.

Duas urbes Italiæ *Cypras* dictas Ptolomæus in Piceno memorat, Maritimam *alteram*, quæ creditur nunc eſſe *le Bourg de Grotte*: *Alteram* Montanam, quæ nunc appellatur *Loretto*. Sed in utrâ Liber editus ſit planè ignoro.

1538. ALFONSUS FERRUS vel FERRIUS, Neapolitanus, Artium & Medicinæ Doctor, publicus in patriâ Chirurgiæ Lector, primarius fuit

* Hoc ſupinam Paracelſi ignorantiam palàm arguit, cùm ante annum 1527. quo ut quàm citiſſimè Partem quartam Chirurgiæ ſuæ ſcribere potuit, plures jam eſſent quàm 30. Auctores Medici, qui de lue venereâ ſcripſerant Tractatus typis editos.

(*a*) Chirurgus, vel ut alii volunt, (*b*) Medicus Pauli III. ſummi Pontificis, qui electus anno 1534. fato functus eſt anno 1549. Scripſit *Libros quatuor De Morbo Gallico & ligni ſancti naturâ uſuque multiplici*, qui Baſileæ primùm editi ſunt anno 1538. in 8.

(*a*) Vanderlinden, *De ſcriptis Medicis.*

(*b*) Nicolaus Toppius, *in Biblioth. Neapolitanâ.* Mandoſius, *in Vitis Archiat. Pontifical.*

In *Lib. I.* agit *Capitibus* 30. *de ligno ſancto cognoſcendo, eligendo, præparando & exhibendo.*

In *II.* diſſerit *Cap.* 29. *De Morbis* à Morbo Gallico diverſis, qui « curandi ſunt per ligni ſancti medicinam; Cephalæâ ſeu Hemicraneâ; vigiliâ immodicâ; perturbatione intellectûs, defectu & amiſſione memoriæ, melancholiâ, vertigine, epilepſiâ, paralyſi, ſpaſmo ſeu contractione, fluxu nimio lachrymarum, auditu obtuſo; naſi morbis, polypo videlicet aliiſque ulceribus; linguæ ſpaſmo & ranulâ, gingivarum imbecillitate, defluxu humoris, ulceribus ac dentium commotione; aſthmate, phthiſi, faſtidio cibi, ſpiritu fœtido, ſtomachi apoſtematibus, apoſtemate carnoſo & duro jecinoris, hydrope ſeu aquâ inter cutem, ulceribus renum ac veſicæ, fluxu ex matrice, ſterilitate, cancro in matrice, ulceribus matricis, herniâ, elephantiâ & varicibus, podagrâ & iſchiade, ſtrumulis ſeu ſcrofulis puerorum. «

In *III. Capitibus* 16. loquitur de Morbo Gallico, cujus naturam, cauſas, originem & curationem explicat: Cenſet in recente curationem methodicam ſufficere, at in inveterato adhibendum eſſe potum decocti ligni ſancti, (*c*) » nec veniendum eſſe ad unctiones mercuriales, niſi ex Medicinâ ligni ſancti bis terve ſumptâ cognitum fuerit ægrum non convaleſcere. Nam, *inquit*, hæc ligni Medicina propria eſt ad Morbum Gallicum curandum, ac præter cæteras maximè ſalutaris, nullæque remanent ex eâ corporum offenſiones, quod minimè fit ex argenti vivi aut cinapri (cinnabrii) Medicinâ. «

(*c*) *Lib. 1. cap. 6.*

Demùm in *IV.* quærit *Cap. 6.* an & quomodo vinum addendum ſit in decoquendo ligno ſancto.

THOMAS RANGONUS, dictus Philologus, Ravennas, Medicinæ (*d*) ſtudio operam dedit in Academiâ Patavinâ, ubi lauream doctoralem retulit. Inde Ferrariæ & Venetiis Medicinam cum laude fecit ſummâ, nec ſine lucro. Anno 1496. obtinuit jus docendi in Lyceo Patavino: Deceſſit anno 1557. propè nonagenarius. 1538.

(*d*) *Hiſtor. Gymnaſ. Patavin. Tom. 1.*

Scripſit Rangonus Tractatum de Morbo Gallico cum inſcriptione ſequente.

Malum Gallicum, Depilativam, Unguitivam, Dentativam Nodos, Ulcera, Vitia quæque, Affectus & Rheumata-uſque ad contortos ſanans. Ligni Indici, Aquæ, Vini, Sublimati, Cynæ, Spartæ-parillæ, Hyſan, Hetechen, Caravalgii Altar, Mechoacan, Antimonii, Unctionis, Ceroti, Suffumigii, Præcipitati, Seminis Indi, ac additorum mundi novi & reliquorum modos omnes & facultates explicat. Venetiis 1538. *in* 4.

Hic Auctor deſignat luem veneream ſive Gallicam præcipuis ſymptomatis, qualia ſuo tempore obſervabantur, ſcilicet pilorum, unguium, & dentium caſu, eamque idcircò *Depilativam*, *Unguitivam*, *Dentativam* vocat. Varia autem remedia ad hunc morbum congerit, quorum pleraque

(a) Prosper Borgarutius, *Method. De Morb. Gallic. cap.* 14.

(b) Gabr. Fallopius, *Tract. De Morb. Gallic. cap.* 40.

(c) Bernard. Tomitanus, *Lib.* 2. *De Morb. Gallic. cap.* 16.

ne nomine quidem jam nota sunt, ut enumeratione patet. 1°. Quidem manifestum est *ligno Indico* Guaiacum & lignum sanctum intelligi. 2°. Parum liquet quid significent voces illæ *aquæ, vini, sublimati*, nisi forsan elisis virgulis *de aquâ vini sublimati* hoc est de spiritu vini distillati debeant accipi. 3°. *Cyna & Sparta-parilla* notissimæ sunt nomine radicum Chinæ & sarsæ-parillæ. 3°. *Hysan* ne nomine quidem novi. 4°. Censeo nomine *Hetechen* indicari lignum illud (*a*) Hestedeen, (*b*) Hestebdehen, (*b*) Heddeen, vel (*c*) Hetechen, de quo loquitur Avicennas *Lib. II. Tractat.* 2. *Can.* 335. & quod olim credidere nonnulli idem esse cum Guaiaco, sed nullo prorsus fundamento. 4°. Nescio quid sit *Caravalgii Altar.* 5°. Cætera notissima sunt, si *semen Indum* excipias.

1540. JOSEPHUS STRUTHIUS, Polonus Posnanienſis, natus anno 1510. Medicinam Patavii didicit & docuit, ubi Librum suum De pulsibus scripsit anno 1540. Reversus in Poloniam Sigismundi Augusti Regis Poloniæ Archiatrus fuit. Obiit anno 1568. ætatis 58.

Ars sphygmica, seu pulsuum doctrina supra 1200. *annos perdita & desiderata, omnibus tamen Medicinam cum nominis celebritate, maximaque utilitate facere volentibus summè necessaria, Libris* 5. *conscripta.* Basileæ 1540. in 8.

In hoc Opere agit Auctor ille *Lib.* 4. *Cap..... De pulsibus Morbi Gallici inveterati*, quos ait *parvos, tardiores, rariores, languidos esse, sed si febricula accedat, crebriores & celeriores.*

Nomen *Struthius*, Στρούθειος, quod Auctor ille sibi adoptavit pro more suâ ætate recepto, Græcum est, ac passerem significat, seu potiùs id quodcumque ad passerem pertinet, unde fit ut non dubitem, quin polonicè vocatus fuerit nomine, quod ad eamdem significationem alluserit.

1540. DIONYSIUS FONTANONUS, Monspessulanus, florebat Monspelii anno 1526. Obiit post annum 1544. De eo plura in Historiâ nostrâ Scholæ Medicæ Monspelienſis brevi edendâ. Notari velim hunc primum esse Medicorum Monspelienſium, & alterum Medicorum Gallorum, qui de lue venereâ scripserit.

Practica Medica, sive de morborum internorum curatione Libri IV. in lucem dati à Joanne Renerio, Lugduni anno 1550. in 8.

Libro primo hujus Operis *Capite octavo*, quæstio est de *Cephalalgiâ à Morbo Gallico*, ad cujus curationem Fontanonus proponit 1°. Alterantia & purgantia multigena. 2°. Decoctum ligni sancti potandum per aliquot dies. 3°. Emplastrum ex multis constans remediis, sed præsertim ex emplastro nobili Joannis de Vigo, cui inest Mercurius; quo *in alutam extenso fingitur pileolus capiti dolenti superponendus.*

1540. ANTONIUS GALLUS, Parisienſis.

De ligno sancto non permiscendo. Parisiis, anno 1540. *in* 8.

Videtur hoc Opus, quod Capita sex complectitur, ad hunc tantùm finem scriptum fuisse, ut ostenderetur decoctum ligni sancti ad curandam luem veneream utilissimum esse, & ligno, dùm decoquitur, nihil quid-

quam

quam permiſcendum eſſe, in quo utroque videtur Alphonſi Ferri opinio impugnari.

Palam eſt ex Henrico Garetio Antonium Gallum & Pariſiis Medicinam feciſſe & inter Pariſienſes Medicos celebrem fuiſſe. (a) Narrat enim ille Petrum Bruheſium, Medicum Eleonoræ Chriſtianiſſimæ Francorum Reginæ, & Caroli V. Imperatoris ſororis, in Belgio poſt obitum Franciſci I. cui nupſerat, degentis, Lutetiam ad Antonium Gallum, Jacobum Sylvium & Joannem Fernelium ſcribere juſſum eſſe, ut eorum conſilia exquireret de adversâ valetudine Ludovici à Flandriâ, Prati Domini, arthritide vagâ & anomalâ dudùm laborantis.

(a) *Paraſceve in Epiſtolas de Morb. Articularibus.*

Idem liquet ex Roberto Lyonnet, Anicienſi, qui in *Epiſtolâ nuncupatoriâ Diſſertat. De Morbis hæreditariis*, ubi celeberrimos omnis ævi Medicos Pariſienſes enumerat, Antonii Galli mentionem facit, quaſi Fernelio ſupparis. Conſtat autem ex Theoderico de Hery (b) Antonium illum gallico nomine dictum fuiſſe *le Coq*, ut ille Paſchalis Gallus, qui Bibliothecam Medicam ſcripſit, nomen habuit *Paſchal le Coq*, quâ de re vide (c) Citeſium.

(b) *Methode curatoire de la Maladie vénérienne*, pag. 17.

Hic autem Gallus idem ipſe eſt, qui, ut ferunt, (d) in conſilio Medicorum de reſtituendâ valetudine Franciſci I. Galliarum Regis Lue venereâ infecti, cùm Fernelius uſum ſuaderet ſuæ opiatæ anti-venereæ, cui plurimùm, ſeu ut veriùs dicam, cui nimiùm fidebat, contrà tenuit inunctionem mercurialem præferendam eſſe in hæc verba erumpens, *Inungatur*, ſeu ut ipſiſſimam vocem uſurpem, *Frottetur, ut viliſſimus quiſque è ſuo regno, cùm nec diſpari modo contaminatus fuerit*, quam tamen loquendi libertatem aiunt à Rege haud iniquo animo latam fuiſſe.

(c) *Ad calcem tractat. De dolore colico Pictonico*, pag. 234.

(d) Lettres de Gui Patin. *Tom.* 1. *Let.* 133.

REMACLUS FUCHSIUS, Limburgus, Frater (e) Gilberti Philareti, *Canonicus fuit ad ſanctum Paulum Leodici*, ubi deceſſit anno 1587. 12. Calendas Januarii. 1541.

Inter cætera Opera ſcripſit *Methodum curandi Morbi Hiſpanici ſive Gallici per lignum Guaiaci decoctum. Pariſiis, apud Wechel.* 1541. *in* 8.

(e) Valerius Andreas, *in Biblioth. Belgicâ.*

ANDREAS VESALIUS, Bruxellenſis. Sic dictus à Weſaliâ Cliviæ civitate, unde familia Andreæ oriunda fuit: Natus eſt Bruxellis anno 1514. patremque habuit cognominem, qui Caroli V. Imperatoris medicamentarius fuit. 1542.

Juvenis (f) *Lutetiæ Præceptorem habuit Jacobum Sylvium, eruditiſſimum & celeberrimum artis Medicæ Profeſſorem* in Collegio Franciæ Regio. *Ab illo inſtitutus, ingenio duce & labore ad ſumma mox pertigit.*

(f) Valerius Andreas, *in Biblioth. Belgicâ.*

Stipendia (g) *meruit* tanquam Chirurgus & Medicus *in bello* à Carolo V. *anno* 1535. *inchoato. Anno* 1537. *Patavii publicus fuit Anatomes Profeſſor, quo munere præclarè per ſeptem ferè annorum decurſum functus eſt.*

(g) Joann. Jacob. Mangetus, *in Bibliotheca*

Meruit denuò in bello Geldrico, quod Imperator confecit anno 1543. abienſque Cæſar juſſit ut maneret aliquandiù Noviomagi ad curandam valetudinem Bernardi Navagerii Venetorum Legati, qui difficili ac [illegible]vi morbo conflictabatur, unde unà cum ægrotante ad ſanitatem jam [illegible]ducto Ratiſponam ſe contulit.

Mox adſcitus inter Medicos aulicos Imperatoris Caroli V. & ejus filii Philippi II. Hiſpaniarum Regis, egit reliquum vitæ tempus in aulâ ad annum uſque 1564. quo ſubitò converſa eſt magni viri fortuna.

(a) *Ibidem.*

» Hiſpanum (*a*) curabat Nobilem, nec morbi cauſam ſatis intelligere ſe dolens, petiit ab amicis defuncti corpus aperire, ut morbi ratio» nem & mortis ſcrutaretur cauſam. Quo conceſſo viſum eſt cor in aperto » jam pectore adhuc palpitans, cognati accuſant homicidii apud Judices » & impietatis ad Tribunal Inquiſitionis Hiſpanicæ ..... poſtremò datus » eſt Regi, totique ſimul deprecanti Aulæ, eo omine ut peregrinatione re» ligionis ergo ſuſceptâ Hieroſolymas expiaret crimen. Ivit ergo Venetias » Veſalius exul anno 1564. indeque in Cyprum & à Cypro Hieroſolymas » navigavit, unde à Senatu Veneto largiſſimi ſtipendii oblatione vocatus » Patavium, ut mortui pridem Fallopii in Anatomicis locum ſuppleret. » Rediit ergo ſed adverſis ventis ejectus in Zacynthum Inſulam, in loco » ſolitario inops, omnique carens ſubſidio miſerabiliter vitam finivit, » menſe Octobri anno eodem, vix natus ipſe 50. annis, » unde liquet errare (*b*) Valerium Andream, dum ait Veſalium anno ætatis 58. mortuum fuiſſe.

(b) *In Biblioth. Belgicâ.*

Scripſerat anno 1542. *Epiſtolam De Radice Chinæ ad Joachimum Roëlants, in quâ inſerta ſunt & De Spartâ-parillâ ſub finem nonnulla*, Ratiſbonâ datam anno 1543. & in lucem editam à Franciſco Veſalio fratre ſuo, *Venetiis* 1543. *in* 8.

Ibi narrat Veſalius quali ſucceſſu radix Chinæ olim Venetiis adhibita fuerit, cùm ipſe *ſub Præceptoribus & præcipuis illic artem exercentibus ægros inviſeret*; quali ſimilique ſucceſſu in reliquâ Italiâ, & in Burgundiâ adhibitam fuiſſe audiverit.

Deinde ait Carolum V. *cùm articularis ſui morbi & mali habitûs ratione Guaiaci decocto uſus eſſet, ſuo potiùs marte quàm conſilio D. Cornelii, (cujus tunc potiſſimùm operâ à D. Cavalii diſceſſu utebatur) Chinæ decoctum aſſumpſiſſe quindecim tantùm diebus, & in variâ victûs ratione & mutato ſubinde propinandi modo, idque potiſſimùm ſuo arbitratu.* Inde tamen paulò meliùs habuiſſe, unde brevi tantùm nomen remedio conciliatum eſt, ut *vicini Germaniæ Medici, & qui Comitiis in ſuorum Principum familiâ intererant, ſedulò ac diligenter de ejus decocti apparatu percunctarentur, neque priùs moleſti eſſe deſinerent, aut exigendi orandique finem ponerent, quàm formulam nacti fuiſſent, quâ Medicos Cæſareos decoctum illud offerre ſibi perſuadebant.* Inde arreptâ occaſione Veſalius paucis ad amicum Medicum deſcribit Hiſtoriam Chinæ, decocti præparandi modum & uſum, eumque monet *Chinæ decoctum bibentes tenuigine ſummâ tentari*, quæ virtus Aphrodiſiaca hujuſce radicis certiſſimis experimentis explorata eſt. Ad Epiſtolæ calcem nonnulla adjicit de ſpartâ-parillâ.

1542. (c) Ipſe *in conſilio* urbem Patavinam vocat *ſuam.*

BARTHOLOMÆUS MONTAGNANA Junior, (*c*) Patavinus, Philoſophus ac Medicus, ſcripſit Conſilium Medicum ad Petrum Zenum Venetum, pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo & Ungariæ Prorege Morbo Gallico laborante, quod primùm editum eſt in ſecundo Tomo Collectionis Venetæ Aloyſii Luiſini, *anno* 1567.

I. Ibi docet Auctor circa Theoriam, 1°. *Morbum Gallicum Hippocrati, Galeno, Avicennæ, & aliis Medicis antiquis incognitum fuisse.*

2°. *Aliquas ægritudines esse, quæ non accidant nisi longis temporum intervallis, & quæ fortè sequuntur stellarum conjunctiones, quæ non fiunt nisi rarò.*

3°. *Sic Galenum, ut refert Avicenna* 3. quarti, Cap. de venâ Medene, *numquam vidisse illam ægritudinem*, (scilicet venam Medene) *neque vidisse febrem septenam aut novenam.*

4°. Sic eumdem *non vidisse lapidem egredientem ab intestinis*, (ex kystide felleâ) *sicut ipse recitat in* Libro de Interioribus; *& tamen Gentilem vidisse eum bis.*

5°. Sic *Gentilem vidisse quoque lapidem à stomacho egressum per vomitum post vehementes stomachi dolores, quod à prædecessoribus nostris non fuit visum.*

6°. Proinde *pariter non videri inconveniens, quòd Morbus Gallicus appareat temporibus nostris, qui tamen temporibus Hippocratis, Galeni & Principis non fuit.*

7°. Inde tamen non sequi *Morbum Gallicum numquam fuisse*; quin imò *necesse esse ipsum aliàs fuisse, si mundus est æternus, ut voluit Aristoteles* 8. Physicorum & 1. Cœli. *Eædem enim revolutiones & stellarum conjunctiones, & causæ ipsarum productivæ infinities fuere..... Si verò mundus est factus de novo, (ut est rei veritas) credendum esse etiam talem morbum aliàs fuisse, non tamen tempore illustrium Auctorum prædictorum, quorum Opera temporibus nostris vigent.*

II. Circa Therapeiam verò jubet 1°. Accuratum esse *regimen sex rerum non-naturalium* quas singulatim persequitur. Inter cætera verò præscribit ut *Coitus sit temperatus & ineundus celebratâ jam primâ & secundâ digestione, cùm mediatur dispositio in digestione tertiâ.* Egregium sanè consilium, quod daretur Episcopo, & si vera conjicio, Episcopo tunc 60. annos jam nato!

2°. Deinde multis proponit curationem methodicam ex alterantibus, temperantibus, & purgantibus variis, sed ne verbum quidem addit de Guaiaco, Sarsa-parillâ, Chinâ, Mercurio &c. quæ sanè Auctorem incipienti lui venereæ coætaneum sapere viderentur, nisi obstarent quæ nunc allaturi sumus.

Conjectura est, neque sanè inanis, consilium hocce, de quo agitur scriptum fuisse in gratiam Georgii Martinusii; quippe nullum alium novi, qui ab ingressu luis venereæ & Episcopus & Hungariæ Prorex simul fuerit. Martinusius verò, qui jam ab aliquot annis Episcopus Varadiensis erat, Hungariæ Prorex non fuit, nisi post mortem Joannis Zapolihæ Regis Hungariæ & Transylvaniæ Principis, ac postquàm Solimanus Turcarum Imperator Isabellæ Reginæ dicti Joannis viduæ suppetias tulit adversus Ferdinandum Caroli V. fratrem, quæ in annum 1541. incidunt. Proinde, si vera conjicio, consequens est consilium Medicum, de quo quæstio est, ante annum 1541. scriptum non fuisse.

Hinc ergo sequitur 1°. Scriptum non esse à (*a*) Bartholomæo Montagnanâ seniore sive I. qui in Academiâ Patavinâ claruit circa annum 1440. cùm ille vitam non produxerit ultra annum 1460.

2°. Neque pariter scriptum fuisse à (*b*) Bartholomæo Montagnanâ al-

(*a*) *Apud omnes Bibliographos.*

(*b*) *In Historiâ Gymnasii Patav. Tom.* 3.

tero, qui in eodem Gymnaſio Medicinam profeſſus eſt, cùm ille fato functus ſit anno 1525.

3°. Sed fuiſſe ſcriptum à Bartholomæo Montagnana III. ab omnibus Bibliographis ignorato, qui filius fuerit II. & nepos I. quem ideò quoque Auctor hujus conſilii (*a*) *avum ſuum paternum* vocat non ſemel.

(*a*) *In fine conſilii.*

4°. Proinde Bartholomæum Montagnanam II. quem Auctor (*b*) Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini credit nepotem fuiſſe Bartholomæi Montagnanæ I. ex fratre vel ex filio, filium ejuſdem fuiſſe.

(*b*) *Loco laudato.*

1542. LEONARDUS FUCHSIUS, Rhætus, natus Wemdingæ in Rhætiâ, anno 1501. ad Doctoratûs gradum promotus eſt Ingolſtadii anno 1521. ubi paulopoſt, nempe anno 1526. Profeſſoris Medici munere functus eſt. Inde electus eſt Archiatrus Marchionis Brandeburgici Onoltzbachienſis anno 1528. Onoltzbachium conceſſit. Tandem Tubingam vocatus eſt anno 1535. ubi Medicinam publicè docuit ad annum 1566. qui vitæ ultimus fuit.

Extat in Collectione Luiſininâ *Caput unum de Morbo Gallico*, excerptum ex Appendice ad Librum V. *Tractatûs de curandi ratione, ſeu de ſanandis totius humani corporis, ejuſdemque partium, tam internis quàm externis malis*, qui excuſus fuit Baſileæ in fol. anno 1542.

Fuchſius docet ibi Morbum Gallicum *novum eſſe, omnique ævo priore incognitum; Si recens ſit, levioribus ſæpè tolli remediis*, quæ paucis proponit: *Quòd ſi verò is morbus jam longo tempore corpus infeſtavit, ad ligni uſum quod barbara gens, quæ nobis illud tranſmittit, vernaculâ Linguâ Guaiacum appellat, confugiendum eſſe*, cujus adminiſtrationem breviſſimè explicat.

1542. MICHAEL ANGELUS BLONDUS, Italus, *militavit*, (*c*) ut ipſe ait, *pleriſque annis ſub diſciplinâ Auguſtini Niphi*, hoc eſt eo Præceptore & Magiſtro diù uſus eſt.

(*c*) *In Libro De origine Morbi Gallici.*

Scripſit Tractatum *de Origine Morbi Gallici, deque ligni Indici ancipiti proprietate*, qui anno 1542. in 8°. Venetiis excuſus fuit à Joanne Antonio & Petro de Nicolinis ad calcem Tractatûs *de Partibus ictu ſectis citiſſimè ſanandis, & Medicamento aquæ nuper invento.* Proſtat uterque Tractatus in Collectione Tigurinâ Scriptorum optimorum de Chirurgiâ Tiguri à Conrado Geſnero editorum anno 1555. in fol.

Liber ille *de origine Morbi Gallici* brevis eſt, nullo ordine digeſtus, & ita obſcurè ſcriptus, ut vix liceat interdum Auctoris ſenſum aſſequi.

I. Ait Morbum Gallicum antiquitùs notum fuiſſe, quandoquidem *Hippocrates & Galenus ſcripſerunt de omni ſpecie morborum, quibus humanum corpus ſubjicitur.... Antiquum ergo ſymptoma hoc; quod omnes etiam aſſerunt, qui de Leprâ, Serpigine, Herpete, & ſimilibus ſcripſerunt, ut eſt Ægineta, aut etiam Cornelius* (Celſus) *qui de Elephantiâ.... Non dicamus*, inquit, *Morbum ab Indis transfretaſſe ad nos, quoniam fatuitatem profitebimur dicentes.*

II. Confitetur ſe uſum fuiſſe *juribus Indici ligni* (Guaiaci) in Syphiliticis.... *qui omnes præ tenui victu & inſubſtantiali potu tenuiſſimi & exangues deveniebant; ſed cùm arbitrabatur liberos eſſe.... tamen priuſquam luna com-*

plebat orbem ſuum, pleroſque comperiebat in graviorem recidiſſe morbum.

III. Proponit ad curationem 1°. *Regimen vitæ in ſex rebus non-naturalibus.* 2°. Remedia quædam ex alterantibus vulgaribus, quæ mutuatur, ut ipſe refert, *à Joanne Almenar, Doctore Hiſpano*, vel *ab Auguſtino Nipho.* 3°. Pilulas mercuriales quaſdam ex Mercurio crudo, moſcho, rheo & ſcammonio confectas. Dicit *id remedii genus fuiſſe præſtans medicamen Barbarorum, quo ipſe* (*a*) *Teucrorum Rex frequenter uſus ſit.* Quem autem Rege illo Teucrorum intelligat vix ſatis capio, niſi forſan eo nomine deſignet Chairadinum Barbaroſſam Regem Algerii, de quo ſuprà *Lib. 2. cap. 7.* qui ſi non iiſdem, at certè haud valdè diſparibus pilulis utebatur. 4°. *Præſidium*, ut ille loquitur, *quoddam familiare*, ſeu *cœleſte ex Pilulis de Hermodactylis majoribus cum parvâ portiunculâ* præcipitati Mercurii rubri, cujus peculiarem quemdam proceſſum proponit. 5°. Denique ad diſcutiendos dolores artuum, delendos tumores, exſiccandas puſtulas cutaneas &c. innumera profert unguentorum & ceratorum genera, inter quæ plurima Mercurium admittunt, ſed nullomodo explicat, nec quâ cautione adhiberi illa debeant, nec quid ab illorum uſu metuendum ſit.

(*a*) Sic Henricus Wolter in *Chronic. Archiepiſc. Bremenſ.* circa ann. 1480. ſcripto, quod extat in *Tom. 11. Collect. Henrici Meibomii*, ait *Turcos in Latino dici Teucros.*

Dicitur Blondus à Joanne Georgio Schenckio (*b*) *in ſuum Tractatum pleraque remedia tranſtuliſſe ex Tractatu Auguſtini Niphi de eodem morbo.* An ea vera ſint mihi non liquet, cui nondum contigit Tractatum Auguſtini Niphi uſurpare. Sed certè ſi vera fuerint, in hoc culpandus videtur Blondus, cui cùm poſſet Auctores alios melioris notæ exſcribere, placuerit quiſquilias iſtiuſmodi ſuas furto facere.

(*b*) *Biblioth. Medic.* in voce *Auguſtinus Niphus.*

ALOYSIUS LOBERA, Abulanus, hoc eſt ex civitate Abulâ, quæ nunc *Avila* in vetere Caſtiliâ, Medicus fuit Caroli V. Imperatoris & Regis Hiſpaniarum: Scripſit Hiſpanicè circa annum 1544. Librum *De quatuor ægritudinibus aulicis*, inter quas recenſet Morbum Gallicum, neque ſanè mirum, cùm (*c*) teſte Gaſpare Torellâ morbus ille in ulteriori Hiſpaniâ *morbus Curialis* vocetur, *eò quia Curiam inſequitur.* 1544.

(*c*) *De dolore in pudendagrâ.*

Hæc eſt Libri illius inſcriptio:

Libro de las quatro enfermedades corteſanas, que ſon Catharro, Gotta, mal de Piedra, y mal de Buas, por el Doctor Luys Lobera de Avila, en Toledo, 1544. quem Italicum fecit, ediditque Venetiis Petrus Laurus, anno 1558. *in* 8°.

Hinc excerptus eſt Tractatus *De Morbo Gallico* in Collectione Aloyſii Luiſini extans, qui *Capita ſeptemdecim* continet, ubi Auctor affirmat (*d*) *Morbum ignotum fuiſſe Veteribus, cùm nulla ejus indicia attulerint.* Inde verò explicat morbi curationem triplicem, potu decocti ligni Guaiacani, uſu inunctionum mercurialium, & ope ſuffumigiorum; ſed unicuique cenſet præmittendam eſſe præparationem cum purgantibus, alterantibus, temperantibus. Exiſtimat potum decocti Guaiacani cæteris præſtare; uſum verò ſuffumigiorum plerumque gravioris eſſe periculi. Sub finem pauca addit de uſu radicum Chinæ.

(*d*) *Cap.* 1.

Id autem imprimis notatu dignum videtur, quòd Lobera velit inunctiones aliquando per intervalla fieri. Si *ægritudo*, inquit, *ingens fuerit, ægroto imbecillo exiſtente, unctionem alternis diebus fieri probaverim, interpoſi-*

tâ etiam quiete abſque unctione per biduum, interim alimenta optima offerendo.

1548. HIERONYMUS CARDANUS, Mediolanenſis, natus anno 1501. Bononiæ Medicinam docuit. Fertur plura ſcripſiſſe quàm legiſſe, pluraque docuiſſe quàm didiciſſe. Dicitur etiam ſtatuiſſe milleſimo quoque anno vix unum perfectum & excellentem Medicum dari, & ſe eorum ſeptimum feciſſe. Hæc & alia non pauca, quæ ipſe de ſe refert in Opuſculo quod *De vitâ ſuâ* inſcripſit, probant de illo ſaltem verum eſſe. quod à Senecâ dici meminimus, *nullum magnum ingenium fuiſſe ſine miſturâ dementiæ.* Obiit Romæ anno 1576. ætatis 75. eo ipſo anno & die, quibus ſe moriturum prædixerat. Sed non deſunt (*a*) qui aſſerant, ne falſa vaticinatus videretur, mortem ſibi inediâ accerſiviſſe.

(*a*) Thuanus, *Hiſtor. ſui tempor. Lib.* 62.

Omnia illius Opera in 10. Tomos digeſta ſunt ſtudio Caroli Sponii, & Lugduni edita *in fol.* anno 1663.

Jam olim, anno ſcilicet 1548. Lugduni editus fuerat *in* 4°. Libellus ejuſdem *De Cynâ radice ſeu de Decoctis*, qui proſtat in Collectione Venetâ Aloyſii Luiſini.

Deſcribit ibi Cardanus modum adminiſtrandi decocti radicis Cynæ, quo quidem Morbum Gallicum curari poſſe ait, ſed *nihilominùs non adeò hujus radicis decocto favet, ut illud ligni ſancti aut corticis decocto conferat.*

Porrò addit in fine Libelli, *vim medicamenti hujus, ſi ad lignum ſanctum conferre libeat, ſic expedito. Advehitur ad nos hæc radix poſt biennium rarò uſus ante quinquennium: Unciæ tres in quindecim libras aquæ, ligni ſancti unciæ quindecim; proportio effectûs fermè tripla, proportio ergo quindecupla; cui ſi adjiciatur moræ ratio, erit trigintupla. At lignum ſanctum inter præcipua medicamenta habetur, & hydrargyrio fermè par, unde haud rectè dictum videtur vulgare & inefficax fore medicamentum.*

1550. JOANNES RODRIGUEZ DE CASTELLO-BIANCO, aliàs, AMATUS, Luſitanus, natus in oppido Luſitaniæ, quod *Caſtel-Branco* dicitur in Provinciâ Beirenſi, Medicinæ ſtuduit Salmanticæ, ac eodem tempore Chirurgiam in Noſocomiis ejuſdem urbis exercuit. Inde per celeberrimas Galliæ, Belgii & Italiæ Academias peregrinatus Ferrariæ Medicinam docuit, Anconæ diù ſubſtitit, ſed ſibi timens quòd ad Judaïcam ſuperſtitionem relapſus eſſet, hinc Piſaurum, & Piſauro Theſſalonicam in Græciâ confugit, ubi celebris eſt Hebræorum Synagoga, cui adhæſit. A tempore ejuratæ religionis Chriſtianæ, nomine priſtino renuntiato, Amatum Luſitanum dici maluit.

Curationum Medicinalium Centuriæ ſeptem, variâ multiplicique rerum cognitione refertæ. Venetiis 1557. *in* 8°.

Seorſim antè editæ fuerant duæ primæ Centuriæ: Altera, *cui commentatio De introitu ad Ægrotos, & Criſeon tractatio præmiſſa eſt*, Florentiæ anno 1551. *in* 8°. Altera, *in quâ Methodus & Canon propinandi Decoctum radicis Chynæ locupletiùs deſcribitur.* Venetiis 1552. *in* 12.

Ex Centuriâ primâ depromptæ ſunt Epiſtolæ geminæ Collectioni Venetæ inſertæ, quarum priore ſcribit gallicoſum virum quinque inunctionibus mercurialibus; Poſteriore verò matronam gallicâ lue labo-

tantem decocto Guaiaci quinquaginta dies exhibito ; nutricem & nutricis maritum unguentis mercurialibus à ſe perfectè ſanatos fuiſſe.

Ex alterâ Centuriâ excerpta eſt Epiſtola tertia, de methodo propinandi Decoctum radicis Cynarum, ſcripta ad Vincentium de Nobilibus, qui Julii III. tunc Pontificis Maximi nepos erat ex ſorore.

JOANNES-BAPTISTA MONTANUS, Veronenſis, natus anno 1498. Medicinam exercuit (*a*) Veronæ, Brixiæ, Neapoli, (*b*) Romæ & Patavii; & in hac ultimâ urbe etiam publicè docuit ab anno 1540. annos 11. Lentâ tabe confectus interiit anno 1551. ætatis ſuæ 63. 1550.

(*a*) Pet. Caſtellan. *in vitis Medic.*

Præter alia Opera numero permulta ſcripſit quæ ad rem præſentem faciunt 1°. *De Morbo Gallico* Tractatum. 2°. *Conſultationes Medicas de variorum morborum Curationibus*, ubi proſtant Epiſtolæ ad diverſos datæ, ſive conſilia ſex de Morbo Gallico.

(*b*) *Hiſtor. Gymnaſ. Patavini.*

Conſtans Auctoris doctrina eſt I. (*c*) Morbum Gallicum novum eſſe, ab Hiſpanis contractum contubernio cum barbaris mulieribus in Inſulâ Sancti Dominici; & ab iiſdem in Europam traductum.

(*c*) *In principio Tractatûs.*

II. Morbum præparato priùs corpore curandum eſſe uſu ligni ſancti, cujus decoquendi & exhibendi methodum perſequitur, damnatque eos qui in vino decoquunt.

III. Improbat argentum vivum *tanquam peſſimum venenum & exterminandum à toto uſu Medicinæ, quod licet videatur curare, non tamen curat*; ſive per linimentum, ſive per ſuffumigium adhibeatur.

IV. *Statuit Gallicam hanc luem ex eo corpore, in quo ſemel egit radices, penitùs tolli non poſſe, quamquam ita mitigari atque extingui poſſe non neget, ut per longum temporis intervallum nullam moleſtiam faceſſat.*

BARTHOLOMÆUS MAGGIUS, Bononienſis, natus anno 1477. (*d*) fuit Archiatrus Julii III. ſummi Pontificis qui electus eſt anno 1550. Obiit in urbe patriâ anno 1552. ætatis 75. 1550.

(*d*) Mandoſius, *in vitis Medicor. Pontific.*

Conſilium Medicum *in Capita 6.* diſtinctum ſcripſit anno 1550. pro Galeotto Pico II. Comite Mirandulæ & Concordiæ Domino, pro quo Montanus Conſilium quoque ſcripſerat. Laborabat ille *Morbo Gallico* jam ab annis novem, hoc eſt ab anno (*e*) 1541. contracto, qui ſemel viſus debellari uſu decocti Guaiaci, ita recruduerat, ut (*f*) æger laboraret tunc ulcere in ano skirrhode & *Rhagadioſo*, duritie hepatis cum ictero, *caſu pilorum barbæ, cum maximâ totius corporis demacratione & decoloratione faciei tendente ad fuſcum*, (*g*) *ulcuſculis narium*; demùm *cutis aſperitate & maculis rubeis quæ aſſimilabantur Eſſaræ Arabum.*

(*e*) *In præmio.*

(*f*) *Cap.* 1.

(*g*) *Cap.* 4.

Refert Maggius (*h*) Galeottum *quater aſſumpſiſſe Guaiaci ligni decoctum, & numquam in totum potuiſſe liberari, quòd fortaſſe fuit vel quia denuò infectus fuerit, quod facilè evenire potuit, cùm alias mulieres & Venetiis & Galliæ pertractaverit..... aut quoniam nondum tota illa malignitas per medicamenta penitùs diſcuſſa fuerit.*

(*h*) *Cap.* 4.

Fatetur Maggius *duo eſſe remedia alexipharmaca aut antidota in Morbo Gallico, lignum Guaiacum & argentum vivum*, ſed addit *de argento vivo pro illuſtriſſimi Domini curatione non eſſe loquendum*, neque tamen rationem

ullam affert hujus aſſumpti. Inde tantùm concludit, *quòd quamvis æger decocta de ligno ſæpiùs aſſumpſerit, & tali morbo non convaluerit, nihilominus à tali antidoto non ſit deſiſtendum, quia tutius eſt cæteris aliis in hoc morbo.* Verùm ut intendatur Guaiaci efficacia præſcribit ut præmittatur vel conjungatur uſus variorum purgantium & alterantium, in quibus proponendis multus eſt, ſed quæ planè inefficacia ſunt.

1550. JOANNES BENEDICTUS, Germanus, ſcripſit Libellum de Morbo Gallico, qui Capita quatuor comprehendit, ubi loquendo de *Rheu Pontico*, mentionem facit (*a*) de *Rheu Lithuanico*, ſive de *Radice tempore invictiſſimi Sigiſmundi Regis Poloniæ in montibus Lithuaniæ repertâ, quæ ſolvit & evacuat citra moleſtiam, choleram & phlegma.* Unde liquet hunc Auctorem ſcripſiſſe poſt annum 1548. cùm illo tantùm anno Sigiſmundus I. Poloniæ Rex interierit, de quo ea debent intelligi.

(a) Cap. 4.

(b) Cap. Auctor ille Medicinam diù fecit, ut (*b*) ipſe ait, Romæ, Venetiis, Bononiæ & in aliis multis Italiæ urbibus.

In Tractatu de quo agitur, I. Conſentit cum cæteris de naturâ & origine morbi, quem novum & Antiquis incognitum fuiſſe ait; & de modis morbi contrahendi contagione, nempè (*c*) *coitu, tactu, oſculis, lactis aſſumptione in pueris, converſatione cum infectis.*

(c) Cap. 2.

(d) Cap. 4. II. Ad curationem proponit (*d*) *ſeptem intentiones.* 1°. *Lenitionem ventris.* 2°. *Minorationem materiæ.* 3°. *Digeſtionem.* 4°. *Evacuationem.* 5°. *Alterationem membrorum.* 6°. *Confortationem eorumdem.* 7°. *Correctionem accidentium.*

(e) Ibidem. III. Laudat ad digeſtionem & evacuationem materiæ uſum linimentorum mercurialium, quem dicit *inventionem novam eſſe.* (*e*) « Clamabunt forſan, *inquit*, periiſſe pudorem, ſi dixero quòd Morbus Gallicus habet canonicè curari unctionibus, præmiſſis univerſalibus digeſtivis & evacuativis priùs : Clament dummodò habeam pro me auctoritates & rationes. . . . Et ſi interdum malus effectus præfatas unctiones mercuriales ſequatur, hoc fit errore Empiricorum, & præſertim Alchimiſtarum.

(f) Cap. 4. IV. Damnat (*f*) *Empiricorum ſuffumigia, in quibus ponitur cinabrium, tanquàm præſentiſſima venena, ex cujus fumo vidit periiſſe quemdam nobiliſſimum Pictorem Bononiæ, & mulierem deveniſſe ad apoplexiam.*

V. Non improbat *ſudatoria aut ſtuffas*, neque *eſum ſerpentum coctorum in ollâ*; imò neque *anguillarum*; ſed quod nimis credulum animum ſapit, ait ſe ſyrupo de pomis compoſito Meſuæ (*g*) *rem mirabiliorem non vidiſſe; liberat enim*, inquit, *à puſtulis & ſcabie, & à doloribus in paucis diebus; & ideò in eo, quia non me fallit, plurimùm confido, & multos perfectè non modò Romæ, verùm etiam Venetiis curavi etiam à gummis abſque unctionibus.*

(g) Ibid.

(h) Ibid. VI. Cæterùm ait (*h*) *non eſſe ludendum cum puſtulis virgæ poſt coitum, quia facilè pervenitur ad virgæ & teſtium totalem amiſſionem, quemadmodum accidit Venetiis cuidam Impreſſori dicto Herczok. Nec*, pergit ille, *verecundia eſt habenda, cùm boni Medici ſint ut boni Confeſſores, qui non revelant occulta eis commiſſa; Et ideò mox peracto coitu optimè abſterges pudibunda cum tuâ camiſiâ aut panno lineo, deinde lava cum vino albo aut cum aquâ calidâ, non autem cum frigidâ, quia compingeres materiam in loco.*

ANTONIUS

ANTONIUS MUSA BRASSAVOLUS, Ferrarienſis. Hactenus Schedulas, Epiſtolas, Conſilia Medica, vel breviſſimas Diſſertationes de Morbo Gallico vidimus. Primus Tractatus, qui juſtæ magnitudinis fuerit, ille eſt quem Antonius Muſa Braſſavolus conſcripſit anno 1551. ut ipſe teſtatur. Conſtat tamen totum excerptum eſſe ex Opere ampliore, ſcripto *De examine omnium Looch, hoc eſt Linctuum, Suffuſ id eſt pulverum, aquarum, oleorum & decoctorum, quorum apud Ferrarienſes Pharmacopolas uſus eſt*, quod Venetiis typis excuſum fuit *in* 8°. anno 1553. apud Juntas. 1551.

Ibi *Lib. 6.* in quo de decoctis à propoſito digreſſus de Morbo Gallico multa diſſerit egregiè.

I. De Morbi naturâ, origine, novitate affert eadem quæ jam ſæpiùs in præcedentibus retulimus.

II. Diſtinguit 234. ſpecies diverſas Morbi Gallici pro diverſo diverſorum ſymptomatum plurium pauciorumve concurſu, ſed hæc oſtentationis ergò magis quàm utilitatis.

III. Probat cum Leoniceno, quem laudat, Morbum Gallicum alium eſſe ab Elephantiaſi, Leprâ, Lichenibus, Prunâ, Igne perſico & Aſaphati.

IV. In curando Morbo Gallico, qui recens eſt, utitur tantùm alterantibus & evacuantibus, ſed ad affectiones ſingulas locales, quæ in pudendis eveniunt, ulcuſcula cancroſa, puſtulas, gonorrhœam, phimoſim, bubonem &c. præſcribit uſum topicorum.

V. Si verò morbus inveteratus ſit, poſt debitam præparationem quatuor proponit remediorum genera, *Suffumigium, Inunctionem, Decoctum ligni Indici, & quartum nuper additum, quod eſt Decoctum radicis China.*

VI. Suffumigium ſemel tantùm in die *per octo vel ad ſummum per decem dies exercendum eſſe* dicit: Et » Ne dentes, *inquit*, doleant, vel ne tam ci- « tò ſingulo manè ſcrupulus unus pilularum Alexandri exhibendus eſt, *qui- « bus alvus ſolvatur. Æger* ſuffumigandus eſt exerto è conopeo capite, « *alioquin* periculoſiſſimum eſt. *Hoc remedio* plerumque gingivæ ulceran- « tur, lingua & fauces; & tum gargariſmatis uti oportet. *Porrò notat ille* « *ſe* rariſſimos vidiſſe qui fuerint per ſuffumigium ab affectu Gallico peni- « tùs abſoluti, licet aliqui plus temporis intermiſerint, alii minùs à recidi- « vatione; ſed pro majori parte in recidivam incidêre. «

VII. Utramque methodum utendi Mercurio vel in ceratis vel in linimentis deſcribit. Cerata mutanda cenſet *tertio quoque die per novem dies*; linimenta verò admovenda *ſemel quolibet die per dies novem vel decem*; ſed *ſingulo manè ſcrupulum unum pilularum Alexandri* exhibendum eſſe, *ne gingivæ, palatum & fauces exulcerentur:* Cæterùm *multùm non probat ejuſcemodi cerata, quoniam fallacia ſunt; nam etſi unum quandoque in ſanitatem reſtituant, decem erunt qui ſanitati minimè reſtituentur.*

VIII. Multis explicat & modos varios componendi linimenta mercurialia, & cautiones ſecundùm quas debent illini; ac demùm concludit *ſe rariſſimos vidiſſe qui per inunctionem non ſint ſanitati reſtituti, vel pro parte ſaltem ab ægritudine abſoluti, quamvis nonnulli ſint qui inunctiones reprehendant.*

IX. Multa profert de electione & præparatione ligni Indici & admi-

niſtratione ejuſdem decocti per dies ferè quadraginta exhibendi, quo tempore tenuiſſimo victu æger nutriendus eſt, ut jam alibi docuimus. Porrò aſſerit Braſſavolus *inunctionem & decocti Guaiaci potionem illa eſſe, quæ potiſſimùm & verè in ſanitatem deducunt.*

In Tractatu altero, qui *De radicis Chinæ uſu* inſcribitur, Braſſavolus profert modum utendi decocto radicis Chinæ, quam in Italiam non ita diù advectam eſſe ait.

Adeſt & Tractatus tertius, in quo Braſſavolus reſpondet *Quæſtionibus Alexandri Fontanæ, Medici Mutinenſis, de Morbo Gallico & de Ligno Indico,* ſed in quo vix quidquam eſt quod ſit notatu dignum.

(a) *In Epiſtolis ad diverſos.* Joſephus Scaliger de Braſſavolo peſſimè ſentiebat, cùm (*a*) ſcriberet ad Franciſcum Vertunianum 4. *Nonas Februarii ann.* 1575. jam dudùm ſibi perſuaſiſſe & ex Braſſavolæ Scriptis comperiſſe, *nihil aliud eum Virum fuiſſe quam Cymbalum ineptæ Medicorum plebis.* In quo videtur quidem Scaliger iniquior eſſe, ſed unde liquet Braſſavolum jam tùm fato functum fuiſſe.

1551. BENEDICTUS VICTORIUS, Faventinus, nepos (*b*) Leonelli Victorii Bononiæ Medicorum principis, fuit ipſe Philoſophus & Medicus ac theoricæ Medicinæ Profeſſor Bononiæ.

(b) Mercklinus *in Linden. renovato.* Scripſit (*c*) anno ætatis ſeptuageſimo *Librum de Morbo Gallico & ejus curâ in* 10. Capita diſtributum, qui Florentiæ editus eſt anno 1551. apud Laurent. Torrentium. *Negat* (*d*) *autem Tractatulum quemdam alium De Gallico Morbo Baſileæ* (*e*) *impreſſum ex ſuâ officinâ erutum eſſe;* aitque *errore ſibi adſcriptum fuiſſe, niſi fortè fortunâ id contigerit, ut per modum empiricum præſidia quædam morbo convenientia Gallico, quibuſdam ſuis olim diſcipulis, qui ad hoc illum impulerint, condonaverit.*

(c) *Ipſe in fine Operis De Morbo Gallico.* (d) *Cap.* 10. (e) *Apud Bebelium, anno* 1536.

Cenſet Auctor in illo Opere I. Morbum (*f*) *epidemialem* eſſe; (*g*) *cauſam* illius *procartarticam* eſſe contagionem concubitu vel ſolo afflatu conceptam: Huic addi poſſe alteram, nempe *cœli Statum*, unde nemo *turbari debet, ubi quiſpiam aſſeverat hominem Gallico Morbo aliquando corripi poſſe, nullâ cum infectâ muliere habitâ coitione, nulloque commercio. Sanè*, pergit ille, (*h*) *occurrerunt mihi quandoque honeſtæ & ſanctæ Moniales, fortiſſimis Clauſtris obſeratæ, ſub arduâ quippe & inviolabili cuſtodiâ, quæ ex præſentis cœli ſtatu atque ex ſtatu humorum in eis putreſcentium, cum ſtatu imbecillium membrorum, malo fato, in Gallicum cecidere Morbum.*

(f) *Cap.* 1. (g) *Cap.* 2. (h) *Cap.* 3.

II. Ait accidentia Morbi Gallici præcipua eſſe (*i*) 1°. *Dolorem capitis.* 2°. *Tubercula gummoſa in capite & membranis oſſa tegentibus.* 3°. *Ulcera per corporis habitum.* 4°. *Fœdum ulcus in pene, aut profluvium ex eo ſuperfluitatis putreſcentis* (Gonorrhœam virulentam) *aut tumorem & inflammationem in inguinibus* (Bubonem.) 5°. *Alopeciam, quam ait ille ſuis temporibus contigiſſe.* 6°. *Tubercula calloſa plantis pedum contingentia.* 7°. *Quaſdam corroſiones & ſciſſuras in palmis manuum ortas.*

(i) *Cap.* 3.

III. Curationem obtinendam eſſe (*k*) *primò per victûs rationem; poſteà per medicinarum oblationem; deinceps per manuum opera, quæ Chirurgia perficit.* Prima duo Capita ad therapeiam methodicam pertinent, de quâ jam fusè. Ad tertium duo revocantur remediorum genera, inunctiones mer-

(k) *Cap.* 4.

curiales & ſuffitus ex cinnabari. Utrumque parùm quidem tutum Auctori videtur, » Sed (*a*) etſi, *inquit*, uterque hic modus curæ Gallici Morbi « fallax atque periculoſus ſit, minoris tamen periculi is eſt, qui unguento ex Mercurio confecto molitur, eo qui per ſuffumigia exercetur. «

(*a*) Cap. 7.

IV. (*b*) *Cæteris omnibus Gallici Morbi curativis intentionibus expeditiorem eſſe atque ſecuriorem & minùs periculoſam illam, quæ potu decocti ligni Guaiaci efficitur*, quapropter eamdem pluribus deſcribit.

(*b*) Cap. 8.

V. *Medicum* (*c*) *nullo criminari poſſe errore, ubi ad thermas calidas, non quippe valentis caliditatis, gallica corpora.... conducet, & in hoc indubitatam ipſe facit fidem ſe examinatâ ægrotantis temperie, pariterque & thermarum Italiæ, ad thermas* moderatè *calidas gallica miſiſſe corpora..... thermas autem multùm excedentis caliditatis prohibuiſſe.*

(*c*) Cap. 9.

Exſtat prætereà *Conſilium* Medicum Auctoris ejuſdem pro *Reverendo D. Bartholomæo, Vicentino*, in quo ad Morbum Gallicum proponit tantùm diætam, & uſum medicinarum alterantium & purgantium. *Ubi verò*, ſubdit ille, *fortè fortunâ his non ſaneſceret Reverentia ſua, conſulo ut non ſubmittatur inunctioni ex Mercurio propter nocumenta quæ ſuæ Dominationi facilè contingere poſſent; eam autem devenire ad potum decoctionis aquæ ligni Guaiacani cum convenienti ordine & rectis modis diætæ non poſſum vituperare, ſed ſummè laudare..... Ubi verò hæc non in totum patientem ſanarent, conſulo ut fiant duo vel unum ſaltem cauterium in cruribus.*

(*d*) Méthode curatoire de la maladie Vénérienne, *p.* 129.

Hoc autem Conſilium excerptum eſt ex *medicinalibus* Auctoris *Conſiliis*, quæ primùm excuſa ſunt Venetiis apud Vincentium Valgriſium anno 1551. Eodem quoque anno primùm typis editus fuit Liber *De Morbo Gallico & curâ ejus*, de quo ſuprà, unde colligere eſt Benedictum Victorium, qui tùm ſeptuagenarius erat, natum eſſe circa annum 1481.

(*e*) Ibidem, *pagg.* 141. & 185.

(*f*) Ibidem, *pag.* 121.

(*g*) Vercellonus, *in Præfatione præfixâ Tract. De pudendor. morbis.*

THEODERICUS DE HERY, Pariſinus, ſtuduit Chirurgiæ Lutetiæ, ubi gloriatur ſe Profeſſoribus (*d*) uſum eſſe Jacobo Hollerio & Antonio Saillard, celebribus Medicis Facultatis Pariſienſis. Inde caſtra (*e*) ſecutus in Italiam ſe contulit, ubi regnante Franciſco I. diù & ancipiti belli fortunâ à Gallis & Hiſpanis dimicatum eſt. Inde Romæ, quò digreſſus erat, curandis Syphiliticis aliquandiù miniſtravit (*f*) in Noſocomio Sancti Jacobi Incurabilium, ad quod ægrotantium lue venereâ infectorum confluxus maximus olim fuit, ut (*g*) & nunc. Demùm in patriam redux curando eidem morbo ſedulò vacavit, neque ſine ſucceſſu, cùm indè & famam & opes non mediocres ſibi comparaverit.

1552.

(*h*) Moyen de parvenir, *pagg.* 578. 579. Et *Index funereus Chirurg. Pariſienſium.*

Aiunt (*h*) illum, cùm in Eccleſiâ Sancti Dionyſii ad pedes ſtatuæ Caroli VIII. provolutus oranti ſimilis eſſet, à Monachorum quodam monitum ſe non adſtare ad Divi ſtatuam, reſpondiſſe id à ſe non neſciri, ſed velle gratum animum teſtari erga Regem illum, à quo lues venerea in Gallias primùm invecta fuerat, undè haud pœnitenda fortunæ acceſſio ſibi fuiſſet; Sed eadem fabula jam antè (*i*) de alio quodam Chirurgo nomine Magiſtro Joanne narrata fuerat, nec tamen, ut videtur, meliore fide, quâ de re vide (*k*) *Menagiana* à D. de la Monnoie aucta.

(*i*) Contes d'Eutrapel, *par Noël du Fail, chap.* 28.

(*k*) *Tom.* 4. *pag. m.* 317.

Dicitur Theodericus ſenex (*l*) obiiſſe anno 1599. ſed falsò, cùm ex Præfatione præmiſsâ *Lib.* 19. *Operum Ambroſii Parai, Edition.* 4. certum ſit

(*l*) *Index funereus Chirurgor.*

Theodericum de Hery fato functum fuiſſe longè ante annum 1585.

Edidit Lutetiæ anno 1552. Librum de Lue venereâ gallicè ſcriptum, cui titulum ſequentem fecit:

La Méthode curatoire de la Maladie vénérienne, vulgairement appellée Groſſe Vairolle, *& de la diverſité de ſes ſymptomes. in* 12.

In quo cum tantâ judicii laude collegit quæcumque ab Italis Medicis de hoc argumento vel prudenter dicta vel ſapienter inventa erant hac ætate, ut Ambroſius Paræus Theoderico ferè ſuppar, & in Chirurgicis nemini ſecundus, non modò Auctoris illius doctrinam & methodum ſequi, ſed Tractatum ferè totum exſcribere non dubitaverit, quod ipſe ingenuè agnoſcit *in Præfatione Libro* 19. *ſuorum Operum præfixâ.*

Theodericus præmiſſis in eo Tractatu non paucis de morbi origine, naturâ, diagnoſi & prognoſi, in quibus cum cæteris Scriptoribus conſentit, ad curationem progreditur, quam ait triplici methodo obtineri poſſe; uſu ſcilicet, 1°. Decoctorum Guaiaci; 2°. Unguentorum vel emplaſtrorum mercurialium; 3°. Suffimentorum cum Mercurio. Uſum verò unguentorum ſolum eſſe, qui certus, tutus, efficax ſit, adeoque duabus aliis curandi methodis multùm præferendus, paſſim affirmat, ſed præſertim *pagg.* 73. *&* 90.

Præter hæc quæ cum cæteris ferè omnibus ſuæ ætatis Auctoribus communia habet, ſingularia non pauca ac notatione digna memini in hoc Opuſculo legi.

(*a*) *Pag.* 69. I. Poſſe (*a*) luem veneream declinari, etiam cùm proximè inſtat, ope aquæ cujuſdam ex raſurâ Guaiaci, aliiſque multis materiebus diſtillatæ balneo Mariæ, ſed cujus uſum planè inefficacem eſſe certum eſt.

(*b*) *Pag.* 139. II. Salivationem (*b*) aliquando æquè copioſam cieri uſu decocti Guaiaci, ac uſu Mercurii.

(*c*) *Pagg.* 154. *& ſuivantes.* III. Inunctiones (*c*) ægrotis debilioribus adhibendas non eſſe continuas & quotidianas, ſed diſcretas & intermiſſas, uno, duobus, tribuſve diebus intercalaribus.

(*d*) *Pag.* 157. IV. Ptyaliſmum (*d*) inunctionibus mercurialibus non adeſſe perpetuò, ſed aliquando deficere: Deficere verò ſine damno ſi inunctiones ritè fuerint adminiſtratæ, morbumque perindè curari diaphoreſi, diureſi, vel alvi fluxu ſpontè oborto vel arte proritato.

V. Mercurium à nonnullis ſuâ ætate etiamnum infamatum fuiſſe, ſed temerè, ut contigit non ſemel optima & tutiſſima remedia damnata fuiſſe; in cujus rei teſtimonium (*e*) exemplum affert Rhabarbari, remedii quidem benigni, & Auctoris ætate ab annis circiter viginti uſu receptiſſimi, ſed quod paulò antè vulgò ſuſpectum erat, nec à pleriſque Medicis ægrotanti ulli exhibebatur, niſi jam deplorato, quaſi Rhabarbaro uti numquam licitum eſſet, niſi in evidenti mortis periculo.

(*e*) *Pag.* 340.

1554. JOANNES LANGIUS, Lembergius, natus (*f*) Leobergæ Sileſiorum anno 1485. Medicinæ ſtuduit Piſis in Hetruriâ, ubi Doctoralem Lauream adeptus eſt. Inde Heidelbergæ Medicinam fecit, fuitque ſucceſſivè Archiatrus quatuor Electorum Palatinorum, inter quos Fridericum II. triginta ſeptem ampliùs annos comitatus Hiſpaniam, Italiam, Galliam,

(*f*) Merklinus, *in Lindenio renovato.*

& maximam Europæ partem peragravit. Interiit Heidelbergæ anno 1565. ætatis anno 80.

Medicinalium Epiſtolarum Miſcellanea, variâ ac rarâ cùm eruditione, tùm rerum ſcitu digniſſimarum explicatione referta. Baſileæ 1554. in 4.

Hinc deſumpta eſt Epiſtola Joannis Langii, quæ proſtat in Collectione Aloyſii Luiſini, *Tom.* 1. In illâ agitur pauciſſimis lineis *de Tuberibus Morbi Gallici*, ſed nullum remedium proponitur.

1554.

PETRUS (*a*) HASCHARDUS, Inſulanus, vel (*b*) HASSARDUS, Armenterius, Flander. Se *Medicum Chirurgum* dicit in titulo *Tractatûs de Morbo Gallico*, qui Lovanii excuſus eſt anno 1554. & qui extat in *Appendice ad Tom. I.* Collectionis Venetæ *de Morbo Gallico.*

(*a*) *In Collectione Venetâ Aloyſii Luiſini.* Et apud Gerard Joann. Voſſium, *De Philoſphiâ cap.* 8. §. 10.

In Tractatu illo, qui breviſſimus eſt, electio, præparatio, adminiſtratio ligni indici explicatur *Capitibus* 11. nec ullum aliud præſidium proponitur adversùs Luem Gallicam.

Hic ille Petrus Haſſardus Aſtrologiæ maximè addictus fuit, ut liquet ex ſequente Hiſtoriâ. Ediderat anno 1551. Antuerpiæ Franciſcus Rapardus Brugenſis Medicus Opus, cui titulum fecerat, *Magnum & perpetuum Almanach, à conſuetis nugis liberum eòque verè Medicum, de Phlebotomiâ, de Balneis, de Purgationibus certiora præcepta continens, ut meritò dici poſſit vulgarium prognoſticôn Medicorum, Empiricorum & Medicaſtrorum flagellum.* » Huic Petrus Haſchardus reſpondit (*c*) Libro, quem inſcripſit *Clypeum Aſtrologicum.* Extendit verò hanc obſervationem ſyderum etiam « ad tonſuræ tempus, ac memorat quomodo Brugenſium Magiſtratus De- « creta ſanxerit, ut tonſores omnes ſe componerent juxta Almanach * « Petri Bruhezii. Hoc Edictum riſerat Raſpardus. At Haſchardus rectè « factum ait, atque addit: *Utinam & in aliis id omnibus civitatibus obſer-* « *varetur.* «

(*b*) *In Lindenio renov. Mercklini.* Et apud Valer. Andream, *in Bibliothec. Belgic.*

(*c*) Gerard. Joann. Voſſius, *ubi ſuprà.*

1555.

NICOLAUS MACCHELLUS, Mutinenſis.

Tractatus methodicus & omnibus numeris abſolutus de Morbo Gallico, ejuſque naturâ & cauſis, & quæ eum ſequuntur ſymptomatis, nec-non ſingulorum curatione. (*d*) Venetiis 1555. in 8. apud Andream Arrivabenum.

(*d*) Iſrael Spachius, *in nomenclatore Scriptor. Medicor.*

Auctor ille exiſtimat morbum novum non eſſe, ſed ab Antiquis cognitum fuiſſe; quod ut probet, ſingula expendit ſymptomata, ut hæc à Veteribus obſervata fuiſſe demonſtret. Sed futiliſſima eſt ea argumentandi ratio, cùm non agatur de ſymptomatis ſeorſim ſumptis, ſed de morbo, cui ea ſymptomatum ſyndrome eſſentialis ſit, quem certum eſt numquam viſum fuiſſe ante annum 1494.

Ad curationem verò nulla adhibet remedia quæ efficacia ſint, præter decoctum ligni Indici, cujus præparationem & adminiſtrationem ſatis perfunctoriè explicat.

* Petrus ille Bruhezius Medicus fuit Eleonoræ Auſtriacæ, Caroli V. ſororis, uxoris Franciſci I. Galliarum Regis, quæ poſt conjugis obitum in Belgio degebat. Vid ſuprà *pag.* 465. ad annum 1540. ubi *de Antonio Gallo.*

1555. Rodericus Diaz de Isla, hoc est Rodericus Jacobus de Isla, Medicus Hispalensis, scripsit Hispanicè.

Tratado contra las Bubas. Hispali apud Dominic. Roberti, in 4.

Tractatus ille cùm scriptus sit ad Joannem III. Lusitaniæ Regem, qui fato functus est anno 1557. 11. mensis Junii; paulò antè scribi debuit, adeoque circiter anno 1555.

1556. Joannes Fernelius, Ambianus, natus est anno 1486. Claromontii Bellovacorum, quod à Lutetiâ viginti duntaxat leucis distat, sed Ambianum in Operibus idcirco se prædicat, quòd patrem ex Ambiano oriundum habuerit. Scriptis & praxi celeberrimus fuit: Ab Henrico II. in Archiatrum electus munus illud gloriosè sustinuit. Obiit Lutetiæ anno 1557. ætatis suæ 72. Proinde erravit Thuanus dum (*a*) ait Fernelium anno ætatis 52. defunctum fuisse.

(*a*) *Histor. Lib.* 21.

Inter cætera illius Opera, sequentia sunt quæ ad præsentem tractationem faciunt.

I. *De abditis rerum causis Libri duo*, Parisiis 1560. Ibi *Cap.* 14. *Lib.* 2. agitur de morbis contagiosis, & proinde de lue venereâ; ideoque Caput illud Collectioni Venetæ insertum est.

II. *Pathologiæ Libri VII.* ubi agitur etiam de lue venereâ *Capite ultimo Libri* 7. quod ideò eidem quoque Collectioni insertum est.

III. *De luis venereæ curatione perfectissimâ Liber* in Capita 15. distributus, cum cæteris Fernelii Operibus primùm excusus Parisiis anno 1567.

Fernelius docet indubitanter 1°. Luem veneream morbum esse novum: Ab Indiâ devectum, (*b*) Quo *nemo labefactatur inquinati aëris inspiratione nec alimentorum impuritate aut vitio*; Qui proinde *in contagiosis haberi tantùm debet.*

(*b*) De abditis rerum causis, *Lib.* 2. *cap.* 14.

2°. (*c*) *Hydrargyrum luis non esse antidotum, sed Empiricorum inventum, quod tanquam fucum malo adhibent, neque à Viris bonis & Reipublicæ studiosis tam fallacem, incertam, atque adeo crudelem curationem umquam tentari debere.*

(*c*) Lib. de Luis venereæ curatione, *cap.* 15.

3°. Decoctum ligni Guaiaci utiliorem esse & efficaciorem Medicinam, ideoque illius præparandi & exhibendi methodum (*d*) accuratè describit; cujus ut fidem faciat adducit (*e*) exemplum *Domini de Mesieres, Prioris sancti Dionysii à Carcere*, qui 40. *annos natus lue correptus venereâ duodecies duobus annis* incassùm inunctus fuit, *unde siccum adeo & exangue corpus evasit, ut in eo nihil præter aridam cutim & ossa supereſſet, cum tophis super ossa brachiorum, crurum, tibiarum & capitis, diriſque cruciatibus, qui impediebant quominùs integro biennio somnum inire potuerit:* Quem tamen ipse methodo, quam describit, sed potissimùm usu Guaiaci & ope æstuarii post exactos menses aliquot pristinæ valetudini tandem restituit.

(*d*) Ibid. *capp.* 10. 11. 12. & 13.

(*e*) Ibid. *cap.* 15.

4°. Demùm, quod judicium in tanto Viro vix probem, *perfectissimum curationis modum eum esse*, qui fiat (*f*) opiatâ ex remediis vulnerariis compositâ, cujus formulam profert, & quam *Antidotum Alexipharmacam* vocat; vel (*f*) aquâ, quam *mirificam* dicit, & quæ ex remediis ejusdem generis distillando prolicitur, in cujus rei confirmationem *duos refert à se restitutos, quorum imitatione* ait *cæteros curari posse.*

(*f*) Ibid. *cap.* 15.

Cæterùm constat *Librum de Luis venereæ curatione perfectissimâ* anno 1557. tantùm conscriptum fuisse, cùm mentionem faciat *Capite* 7. tùm *Pictoris cujusdam Andegavensis*, qui cinabrio casu deguſtato anno 1557. tùm *Fabri cujusdam aurarii, qui solius hydrargyri vapore anno* 1556. *gravissima senserunt incommoda.*

PETRUS DE BAYRO, Taurinensis, natus circa annum 1468. Proto-physici nomen adeptus in patrio Gymnasio Medicinam per plures annos docuit. Archiatrus fuit Caroli III. Sabaudiæ Ducis. Obiit Taurini nonagenarius anno 1558. 1557. 1561.

De medendis humani corporis morbis Enchiridion, quod vulgò Veni mecum *vocant, cum adjuncto Tractatu de Peste.* Lugduni anno 1561. in 12.

Hinc excerptum est Caput unum *De doloribus musculorum ex Morbo Gallico genitis*, quod insertum est Collectioni Venetæ *De Morbo Gallico.* Ibi legere est doloribus istiusmodi sedandis conducere unguentum mercuriale: Laudat ibidem ad Morbum Gallicum decoctum Guaiaci, vel *pilulas quibus utuntur Moderni contra Morbum Gallicum, quæ in aliquibus mirabilem fecerunt operationem.* Harum autem formulam refert, quæ cum formulâ pilularum Barbarossæ eadem est; hæcque *Recepta*, inquit, *ex Turchiâ apportata fuit, & qui primus inter Christianos his usus est pilulis, cecidit repentè mortuus super pontem Avenionis, dùm ibidem profugi essemus propter prælia anno* 1537. nempe cùm Franciscus I. Gallorum Rex, exacto Carolo III. quocum bellum erat, Sabaudiam & Pedemontium occupabat.

JOANNES SYLVIUS, Insulensis seu Insulanus in Flandriâ, Medicinam primùm Valencenis factitavit, posteà eamdem Duaci professus est. Habuit anno 1557. Lovanii declamationem *De Morbo Gallico*, quæ edita fuit eodem anno Antuerpiæ apud Plantinum, ad calcem Tractatûs *De curatione morbi articularis* in 8. 1557.

Ea declamatio exstat in Tomo II. Collectionis Venetæ; sed nescio quem ad finem, cùm in eâ nec novum, nec utile quidquam sit.

PETRUS LAURUS, Italus, italicè vertit Librum Aloysii Lobera, Abulani, *De quatuor ægritudinibus aulicis*, & excudendum curavit Venetiis, anno 1558. in 8. apud Joannem Baptistam Sessam. 1558.

FRANCISCUS FRIZIMELICA, vel FRIGIMELICA, Patavinus, natus anno 1491. in Academiâ Patavinâ Medicinæ Theoreticæ Professor publicus fuit. (*a*) *Pervagatâ ejus famâ Julius III. Pontifex Maximus Romam eum vocavit ad Medici Pontificii munus obeundum, cui muneri optimè satisfecit.* Mortuo Julio anno 1555. *Patavium regressus est*, ubi decessit anno 1559. ætatis 68. Narrat Hieronymus Capivaccius (*b*) *excellentissimum Frisimelicam, qui solam aquam potabat, dolori colico obnoxium & aliquando gravissimè afflictum ano excrevisse calculum ad magnitudinem ovi gallinacei*, qui à vesicâ felleâ per ductum cysticum admodùm dilatatum prodierat, sed quem Capivaccius in intestinis genitum fuisse erroneè existimat. Laudatur in *Sylvio ocreato* Ludovici Arrivabeni (*Henrici Stephani*;) & ab 1558.

(*a*) Mandosius, *in vitis Archiatr. Pontific.*

(*b*) Pratic. Medic. *Lib. 3. Cap. 13. De dolore intestinorum.*

Alexandro Maſſaria (*a*) *ſuus dicitur præceptor numquam ſatis laudandus.*

(*a*) Diſputat. *De ſcopis mittendi ſanguinem. Part.* 2.

Scripſit *Tractatum de Morbo Gallico, & lucubratiunculam adversùs defluvium pilorum*, ubi adhibitis priùs phlebotomiâ & uſu purgantium atque alterantium, proponit 1°. Suffumigia, quæ tamen ipſe damnat *tanquam periculoſa:* 2°. Inunctiones mercuriales, quas nec ipſe multùm probat: 3°. Decoctum ligni Indi, hoc eſt Guaiaci. De cæteris verò ſilet.

1558. HIERONYMUS MONTUUS, dicitur Archiatrus Henrici II. Galliarum Regis *in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, in verbo *Archiatros*, *& in Bibliothecâ Medicâ Joannis Georgii Schenckii:* Sed an ſatis rectè addubito. Sanè ipſe anno 1558. idibuſque menſis Decembris, hoc eſt ſex menſibus ante Henrici II. deceſſum Lugduno, ubi videtur vitam degiſſe, ſcribebat ad Franciſcum à Lotharingiâ Guiſiæ Ducem Epiſtolam nuncupatoriam, quæ Operi præfixa eſt, de quo infrà; Ac in ipsâ Operis ejuſdem fronte ſe quidem dicit Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Conſiliarium, Medicum verò aut Archiatrum minimè.

(*b*) Ab Iſraele Spachio. Joanne Georgio Schenckio. Joanne Vanderlinden. Georgio Abrahamo Mercklino.

Huic adſcribitur à Bibliographis pleriſque (*b*) Liber *De Morbo Gallico, Lugduni editus anno* 1558. *in* 4. *apud Tornæſium & Gazeium*, qui mihi nondùm venit in manus, niſi fortè idem ſit cum ſequente; ſed quid Auctor ille de luis venereæ ætiologiâ & therapeiâ ſenſerit, abundè notum habui ex ipſo Libello, cui ſequentem inſcriptionem fecit.

Chirurgica Auxilia ad aliquot affectus qui repentinam exigunt curationem; Morbi item venerei, ac eorum qui huic vicini ſunt, curationes Lugduni apud Joann. Tornæſium & Guillelmum Gazeium, in 4. 1558.

Ibi enim diſſerit *Capite* 29. *De Lue Indicâ ſive venereâ*, paucis quidem ſed quæ curatorias methodos ſuâ ætate uſu receptas complectantur.

Scilicet propoſitis remediis præparatoriis Therapeiam triplicem indicat, Nempe I. Uſum decoctorum hagioxyli ſive ligni Guaiaci; radicum Sinarum, vel ſi ea deficiant, Cannarum noſtratium, Calami aromatici, Radicis Perſonatiæ &c. Quòd ad Spartam-parillam, radicem hanc à ſe floccifieri fatetur.

II. Uſum Enchriſtorum ſive unguentorum ex hydrargyro, quæ illi *mira videntur; nam*, inquit, *totus morbus ad os repercutitur, & qui deplorati ferè ſunt ſanantur, modò is qui medetur, hujuſmodi remedium parare faciat ad temperaturam & ætatem ægrotantis & morbi magnitudinem.*

III. Uſum emplaſtrorum vel ſuffimentorum mercurialium, ſi tolerari non poſſint illitiones.

(*c*) Thomaſius in Elog.

(*d*) Ipſe ait *Tract. De Morbo Gallico, cap.* 47.

Demùm topica nonnulla præſcribit remedia, 1°. *Ad oris ulcera.* 2°. *Ad artuum dolores, duritieſque.* 3°. *Ad ulcera cava & putrida.* 4°. *Ad ſcabiem feram in palmâ manûs.* 5°. *Ad veſtigia puſtularum delenda.* 6°. *Ad ulcuſcula pudendorum*; ac tandem 7°. *Ad præcautionem*, ad quam conferre putat inter cætera, ſi *mox* poſt coitum *penis immittatur in diſciſſam & adhuc calentem columbam, quæ venena omnia rapit, ſive à proprietate, ſive à carnis nuper mactatæ caliditate virus trahatur & hebeſcat.*

1560. GABRIEL FALLOPIUS, Mutinenſis, natus (*c*) anno 1490. Diſcipulus (*d*) Antonii Muſæ Braſſavoli & Joannis Baptiſtæ Montani, primùm

mùm in Piſano Gymnaſio Anatomiam docuit, deinde in Patavino, ubi quoque ab anno 1551. ad obitum uſque Botanices Profeſſor fuit. Inter celeberrimos ſui ſæculi Anatomicos recenſetur. Mortem obiit Patavii anno 1563. non 1562. ut aiunt (*a*) Thuanus & (*b*) Caſtellanus, ætatis ſuæ anno 73. non verò 39. ut iidem referunt.

(*a*) Hiſtoriar. *Lib.* 34.

(*b*) In vitis *Illuſtr. Medicor.*

De Morbo Gallico Tractatus, Patavii 1564. cum Petri Angeli Agathi, Matheratis, Scholiis Marginalibus, & Annotationibus orationis contextui inſertis, ſed quæ hac notâ [ ] diſtinguuntur.

Opus quidem eximium non ſtilo ſed re, in quo Fallopius *Capitibus* 102. quidquid ætate ſuâ de Morbo Gallico notum erat accuratiſſimè explicat.

I. De naturâ, origine, novitate, cauſis & ſymptomatis hujus ægritudinis diſſerit; ac cum cæteris ſtatuit Morbum novum eſſe: Ab Hiſpanis ex Indiâ Occidentali delatum: Planè diverſum (*c*) à Leprâ Arabum, à (*d*) Sahafato Avicennæ, ab (*e*) Albotim ejuſdem ſive Termintho Græcorum, demùm (*f*) à variolis & pſorâ.

(*c*) *Cap.* 3.

(*d*) *Cap.* 4.

(*e*) *Cap.* 5.

(*f*) *Cap.* 6.

II. Methodos curatorias Morbi Gallici in *Regias* ſive Methodicas, & *non Regias* ſive Empiricas diſtinguit.

Prima Regiarum ea eſt, quæ obtinetur diætâ, alterantibus, purgantibus, exercitatione; quam credit incipienti morbo ſufficere.

In *alterâ* uſus eſt ligni Guaiaci, cujus eligendi, decoquendi, adminiſtrandi methodum multis explicat. Hanc viam dicit (*g*) *Regiam, certam & tutam, quâ Gallicus ſanatur, & hac conſulit ut omnes utantur in ſuis ægrotis.*

(*g*) *Cap.* 59.

In *Tertiâ* adhibetur decoctum radicis Chinæ, cujus hiſtoriam & præparationem docet, & cujus uſum Gallis, Germanis & Flandris familiarem eſſe dicit; at verò ſimul monet in curando Morbo Gallico parùm efficacem eſſe. *Expertus ſum* (*h*), inquit, *ter & quater, & numquam aliquid potui aſſequi.* Et alibi: *Ego*, (*i*) inquit, *uſus ſum iſto medicamento in infirmitatibus viſcerum, in cancris exulceratis, & in lippitudinibus felici ſatis ſucceſſu, ſed non in Morbo Gallico.*

(*h*) *Cap.* 60.

(*i*) *Cap.* 61.

Quarta ſupereſt (*k*) *via Regia, quæ fit per ſalſam parillam*, cujus electionem & præparationem proponit. Cenſet autem ſalſam-parillam eamdem eſſe cum ſmilace aſperâ, aitque (*l*) *ſe ad hoc medicamentum confugere, cùm in Gallico adſunt ulcera, tanquam ad certiſſimum & tutiſſimum auxilium, & ſi non facit prima diæta, facere ſaltem ſecundam vel tertiam.*

(*k*) *Cap.* 63.

(*l*) Ibid.

III. Inter methodos, quæ non ſunt Regiæ, prima eſt methodus ſuffumigiorum, quam Auctor deſcribit; fatetur tamen, (*m*) *Sæpe ac ſæpiùs graviſſima ſuccedere incommoda, nec ita tutò procedere illam curationem. Quare*, inquit, *ſemper probavi, ut talem (quantùm fieri poteſt) fugiamus; aliquibus enim peſſima & lethalis eſt.*

(*m*) *Cap.* 69.

Via altera, quæ non Regia eſt, ea eſt quæ utitur inunctionibus mercurialibus, (*n*) « Quarum, *inquit*, ita viget auctoritas, ut iis tota Gallia utatur. Tamen, *inquit ille*, non probo uſum earum; ſuperant quidem morbum, ſed ſi habemus Regias rationes curandi, quæ ut plurimùm & certiùs ſanant, ſine corporis incommodo, & ſi non ſanant, leniunt ſine noxâ, non proritant affectum, cur utemur hydrargyro, ex quo non ita certa, non ita tuta ſuccedit ſanitas? ..... *Iis tamen, ſubdit Idem*, utor aliquando, quando non potui viâ Regiâ aſſequi inten-

(*n*) *Cap.* 76.

» tum. Ego vidi adoleſcentem laborantem Gallico, in quo omnia Regia » infeliciter experta ſunt; Empiricus hydrargyro curavit.

(a) Cap. 79. IV. *Sciatis* (a) *autem*, inquit Fallopius, *quòd non ſolùm Empirici ſanant inunctione iſtâ, ſed exhibito argento vivo per os, non quale eſt, ſed præcipitatò; & ſunt Chimiſtæ, qui profitentur inveniſſe ſecreta, & facere præcipitatum præſtantiſſimum pro Morbo Gallico.* Deinde proponit ille proceſſum conficiendi præcipitatum Mercurium rubrum, quem exhiberi ait ad pondus 7. granorum; ad ſummum 10. ſed rarò. At hujus uſum damnat. *Incommoda*, inquit, *ſubſequi ſolent non pauca ex aſſumptione talium; ſolvitur enim alvus copiosè, vomitus movetur violentiſſimus, dyſenteria inducitur, rumpitur in pectore vena. Medicina hæc pro aſinis & ruſticis ſervetur, atque à thalamo viventium hominum excludatur.*

V. Fallopius poſteà ſingula expendit ſymptomata morbi ex ordine, ac remedia topica proponit, quæ ſingulis medeantur.

Porrò notandum eſt hunc Fallopii Tractatum poſt Auctoris mortem editum fuiſſe Patavii in 4. anno 1564. operâ Petri Angeli Agathi, Matheratis, qui de ſuo addidit non modò Scholia marginalia, ſed etiam textui inſeruit annotationes varias uncinis diſtinctas, quibus ſanè lucem aliquam Fallopio præfert in nonnullis locis, ſed quibus etiam acriter eumdem identidem redarguit. Sic *v. g.* cùm dixiſſet Fallopius *Cap.* 23. *Hiſpanos induxiſſe tyrannidem in Italiam, Gallicum, & barbæ longæ uſum*, Agathus ita reponit *in adnotatione margini adjectâ: Imò Rex Philippus, atque pater Carolus veram conati ſunt inducere Monarchiam:* O lepida ſanè animadverſio!

1560. * GUILLELMUS RONDELETIUS, Monſpeſſulanus, natus eſt anno 1507. In Facultate Medicâ Monſpeſſulanâ Doctor anno 1537. Profeſſor Regius anno 1545. Cancellarius fuit anno 1556. Obiit anno 1566. ætatis ſuæ 59. in *Regali monte*, quo nomine non (b) *Montreal*, ut à (b) multis video, ſed *Realmont* in Diœceſi Albigenſi intelligi debet, quâ de re vide Petrum Borellum, *Antiquitez de Caſtres, Liv. 2. Chap.* 21. ſed de eo plura in Hiſtoriâ Scholæ Medicæ Monſpeſſulanæ mox edendâ.

(b) Antoine Teiſſier, *Additions aux Eloges des Hommes Illuſtres de M. de Thou.*

De Morbo Italico Liber unus.

Proſtat ille Liber in Collectione Venetâ, ſed Editori placuit Luem veneream, non *Italicum*, ut ab ipſo Rondeletio dicebatur, ſed *Gallicum Morbum* mutato nomine appellare.

Ad curationem luis venereæ Rondeletius laudat inunctiones varias mercuriales; decocta varia ligni ſancti ſeu Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ; ſyrupum Sancti Ambroſii ex decocto milio; pilulas Barbaroſſæ; imò ipſa quoque ſuffumigia ex cinnabrio. Sponte tamen confitetur (c) *argentum vivum eſſe antidotum & maximè accommodatum remedium ad Morbum Italicum, quia quocumque modo adminiſtretur, morbum curat.*

(c) In fine Libri.

Porrò notandum eſt à Rondeletio purgationem laudari in ipsâ linimentorum adminiſtratione. » (d) Iſtis omnibus, *inquit*, utile erit ſi non fluat » alvus, ſyrupum laxativum præſcribere, vel Apozema (*purgans*) quo » initio uſi ſumus. Hæc enim evacuatio impedit effumationem ad os, à » quâ ulcera oris & dentium ſordes proveniunt; ab effumatione & ſorde

(d) Cap. De unguentis.

ulcus; ab ulcere pituitæ fluxus. Ratò autem ejuſmodi effumatio ſine ulcere accidit; quare ad hæc vel majora vitanda, utile erit purgare. «

DOMINICUS LEO, Lunenſis de Zuccano. 1562.

Methodus curandi febres, tumoreſque præter naturam ex Græcorum placitis deprompta. Bononiæ 1562. *in* 4°.

Inde excerptum eſt Caput unum, in quo agitur *De Morbo Gallico*, quod proſtat in Collectione Venetâ.

Si huic Auctori fides adhibeatur, *nihil deterius eſt Morbo Gallico affectis, quàm adhibere ſive interiùs ſive exteriùs ſub formâ unguenti vel ſuffumigii ipſum argentum vivum. Itaque illius loco laudat decoctum ligni ſancti.*

ANTONIUS FRACANTIANUS, Vicentinus. *Vir præclarâ eruditione ac ſingulari judicio* dicitur ab Alexandro Maſſaria, *Diſput. de purgatione principio morborum*, qui eo præceptore ſe uſum eſſe gloriatur. In Scholis Patavinâ & Bononienſi (*a*) *multos annos artem Medicam profeſſus eſt honorificentiſſimè.* Deceſſit Patavii anno 1569. ac (*b*) ſucceſſorem habuit Hieronymum Mercurialem. 1564.

(*a*) Alex. Maſſarias, *ibid.*

Excudendum curavit Patavii anno 1564. *in* 4°. Librum *De Morbo Gallico*, in quo docet,

(*b*) Dictionnaire de Moreri, *in voce* Mercurial.

I. Morbum Gallicum novum eſſe, & ab Indiis Occidentalibus devectum, qui contagio tantùm propagetur: *Neque enim*, inquit, *viſus eſt unquam apud nos aliquis, qui aliter in ipſum inciderit.*

II. Morbum Gallicum curari diverſis modis. 1°. *Per evacuationem, quæ fit & venæ ſectione & expurgantibus pharmacis*, & per alterationem. 2°. *Per continuata exercitia & vehementiora.* 3°. *Per ſuffumigia.* 4°. *Per inunctiones hydrargyrum recipientes* vel per cerata Mercurialia. 5°. *Per decoctum Chinæ*, ſed quod non *eſt multi juvamenti, ut experimento cognoſcitur.* 6°. *Per decoctum Spartæ ſeu Salſa-parillæ.* 7°. *Per decoctum ligni Guaiaci, quod præſtantiſſimum eſt auxilium ad hunc Morbum Gallicum ſanandum.*

III. Poſt has methodos diverſas ſingulatim explicatas, remedia profert topica, quæ ſingulis ſymptomatis Morbi Gallici medeantur, in quibus Fallopii & Ant. Muſæ Braſſavoli veſtigia premit.

ANTONIUS CHALMETEUS, (*c*) Vergeſacus apud Anicienſes, Chirurgus fuit ſuo tempore celeber, quem *Guillelmus Rondeletius* (*d*) *unicè amavit*, & à quo habemus ſequentem Tractatum. 1564.

(*c*) Bibliotheca Schenckiana, *in voce* Antonius Chalmeteus.

Enchiridion Chirurgicum externorum morborum remedia tùm univerſalia, tùm particularia breviſſimè complectens. Quibus Morbi Venerei curandi methodus probatiſſima acceſſit. Pariſiis anno 1564. *in* 8°.

Ea diatriba *De curatione Morbi Venerei*, quæ Capita 10. continet, proſtat in Collectione Venetâ. Paucis Auctor docet luem veneream curari poſſe, 1°. Therapeiâ methodicâ, quæ obtinetur purgantibus & alterantibus. 2°. Uſu ligni Indici, cui ſi curando morbo non ſufficiat, inunctiones aliquot addit ſub finem. 3°. Decocto radicis Chinæ. 4°. Inunctionibus vel ceratis Mercurialibus, quæ laudat tanquam præſtantiſſima remedia. (*e*) » Affirmare auſim, *inquit*, eos qui tantoperè Mercurii uſum «

(*d*) Joubertus, *in vitâ Rondeletii.*

(*e*) *Cap.* 5.

» improbant, aut numquam aut non ut docet, illius periculum feciſſe. » Sed, ut ſit, ego tamen confirmo illius uſum me numquam fefelliſſe, » qui quàmplurimos ab hac deteſtandâ lue etiam inveteratâ Dei benefi- » cio liberaverim. Demùm propoſitâ curatione per pilulas Mercuriales & per ſuffumigia, quam ultimam curandi rationem parùm probat, properat ad curationem morborum ſive ſymptomatum venereorum localium.

1564. AUGERIUS FERRERIUS, Toſolas, natus anno 1513. Doctoratûs gradum aſſecutus eſt in Academiâ Monſpelienſi anno 1539. Deinde innotuit (*a*) Cardinali Joanni Bertrandi, Galliæ Cancellario, quem in Italiam proficiſcentem ſequutus eſt, & cujus patrocinio Medicus ordinarius Catharinæ Medicææ, Galliæ Reginæ electus fuit.

(*a*) Thuanus, *Hiſtor. ſui temporis. Lib.* 89.

In patriâ obiit anno 1588. ætatis ſuæ 75. Fuit intimus Julio Cæſari Scaligero, qui Aginni Medicinam faciebat.

Exſtat præter alia Opera Tractatus ab illo ſcriptus & Collectioni Venetæ inſertus, cui titulus *De pudendagrâ, gravi lue Hiſpanicâ, Libri duo*, Antuerpiæ anno 1564. *in* 8°.

Horum quidem Librorum priore ad curationem generalem proponit Diæram, Purgantia, Alterantia, inunctiones Mercuriales, Cerata & emplaſtra, Suffumigia ex Cinnabari, decocta ligni Indici, Chinæ, Spartæ vel Sarzæ-pariliæ &c. Laudat autem uſum inunctionum Mercurialium, tanquam efficacem, ſed credit (*b*) *reprimendam eſſe multorum temeritatem & laſciviam, qui iis utuntur inconſiderantiſſimè.*

(*b*) *Cap.* 11.

Poſteriore verò paucis expendit ſymptomata localia pudendagræ, affertque methodos, quibus ſingulis mederi liceat quàm efficaciſſimè. Cæterùm in illo Tractatu vix reperias quicquam quod novum ſit.

1565. LEONARDUS BOTALLUS, Aſtenſis, Henrici III. Medicus ordinarius, famoſus venæ ſectionis frequentioris promotor, Tractatum ſcripſit, cui titulus eſt *Luis venereæ curandæ ratio*, qui Lugduni excuſus fuit anno 1565. & in *Capita* 31. diſtribuitur.

Haud opus eſſe videtur ea annotare, quæ Botallus in Montanum dicit de naturâ & ſubjecto luis venereæ; Hæc enim pertinent ad Galenicam Pathologiam, quæ jam pridem obſolevit. Obſervaſſe ſufficit, tria curationis genera ab Auctore admitti, decoctum nempè ligni Guaiaci, illitiones aut emplaſtra, ſpleniave Mercurialia, & ſuffitus cinnabarim recipientes. Hæc autem duo poſtrema remedia miris extollit laudibus, utpote (*c*) *quæ curent mirificè corpora humana hac lue infecta*; multiſque invehitur in Montanum, quòd Mercurium damnaverit tanquam venenum, cùm ipſe è contrario diſertè aſſerat hydrargyrum (*d*) *venenum non eſſe, neque corporibus humanis nocuum, niſi ubi perperam fuerit admotum Medici culpâ, vel negligenter receptum ægrotantis incuriâ.*

(*c*) *Cap.* 27.

(*d*) *Cap.* 25.

1565. ALEXANDER TRAIANUS PETRONIUS, Cittacaſtellanus, hoc eſt ex urbe quæ dicitur *Civita vel Citta Caſtellana* aut *di Caſtello* ſub Metropoli Romanâ, Medicus fuit (*e*) Gregorii XIII. ſummi Pontificis, qui electus anno 1572. mortem obiit anno 1585.

(*e*) Petrus Caſtellus, *in Antido-*

Scripſit (*a*) anno 1565. Tractatum *de Morbo Gallico*, Collectioni Venetæ inſertum & Libros ſeptem complexum.

Primum, in quo Auctor probare conatur (*b*) *Morbi Gallici, ſicut & Elephantiaſis, morbillorum & variolarum, cauſam eſſe alimentum, quod in matris utero, non ſine quâdam putredine humanus fœtus neceſſariò trahit.*

Secundum, in quo Auctor, poſtquam docuit vitium quod connaturale eſt, ſolo contagio excitari poſſe, ſigna diagnoſtica & prognoſtica explicat.

Tertium, in quo agitur de præparatione ægrotantium ad remedia efficaciora, qualis obtinetur venæ ſectione, purgantibus & alterantibus multigenis.

Quartum, in quo quæſtio eſt de electione, præparatione & adminiſtratione ligni Indici ſive Guaiaci.

Quintum, in quo (*c*) *Sarzæ-parillæ atque radicis Chinarum decocta examinantur per eaſdem rationes quibus ad Guaiaci proximè* Auctor uſus eſt.

Sextum, in quo diſſeritur, (*d*) *de unguento ex argento vivo & ſuffimento ex cinnabari; quippe*, ait ille, *hæc quidem curant Morbum Gallicum, non minùs quàm ſingula prædicta, ſed ſæpe cum tantâ fœditate, tantoque cum periculo, ut ægri dum curantur malint ſeſe non incepiſſe, quàm curatos eſſe.*

Demùm *Septimum*, ubi Auctor ſingula Morbi Gallici ſymptomata, ſive morbos venereos locales ſigillatim proſequitur, propoſitâ particulari ſingulorum therapeiâ.

Auctor ille in ſcribendo nimius eſt & ita verboſus, ut nauſeam moveat.

tario Romano, in Electuario Alexandrino.

(*a*) Ipſe ſic refert, *Lib. 6. cap. 1.*

(*b*) *Lib. 2. cap. 1.*

(*c*) *Lib. 5. cap. 1.*

(*d*) *Lib. 6. cap. 1.*

PETRUS TRAPOLINUS, Patavinus, fuit ordinarius Theoricæ Medicinæ Profeſſor in Academiâ Patavinâ; & ſanè Tractatus *De Morbo Gallico* quem ſcripſit, & quem in Collectione Venetâ reperire eſt, agit tantùm de Theoriâ Morbi Gallici, multaſque continet quæſtiones planè futiles & nugatorias, quales forſan inter diſputandum in Academiâ Patavinâ tunc temporis agitabantur. Nempe (*e*) 1°. *An Morbus Gallicus ſit Epidemialis?* Concludit affirmativè. 2°. *Quo nomine à veteribus Medicis fuerit nominatus?* Fatetur illis ignotum fuiſſe. 3°. *Utrùm comprehendatur inter morbos nominatos ab Hippocrate Aphor. 21. Sectione 3. ubi æſtivales morbos enumerat?* Hæret dubius, ſed neganti propior. 4°. *Utrùm ab humore melancholico ſolùm, an etiam ab aliis poſſit cauſari humoribus?* Reſpondet, ab aliis etiam cauſari poſſe. Cæterùm Opus imperfectum eſt, & multis interſperſis lacunis mutilum, ita ut ex Codice Scholaſtici Trapolinum audientis exſcriptus fuiſſe videatur. De curatione luis venereæ ne unum quidem verbum additur. 1566.

(*e*) *Initio Tractatûs.*

MARINUS BROCARDUS, Venetus. Ignoratur quo tempore ſcripſerit brevem Diſſertatiunculam *De Morbo Gallico*, quæ ſub ejus nomine exſtat in Collectione Venetâ. Conſtat tamen ſcriptam fuiſſe ad minùs ante annum 1567. cùm eo anno illa Collectio prodierit. 1566.

In hac diatribâ nec novum nec utile quidquam obſervare eſt. Cenſet Brocardus *meliorem morbi cauſam afferri non poſſe, quàm illam trium lumi-*

narium (Saturni, Jovis & Martis) *conjunctionem quæ adhuc durat, ac etiam per aliquot annos perseverabit.* Ad curationem verò proponit diætam, alterantia & evacuantia universalia & particularia : *Quâ methodo* affirmat se *procul dubio sanaviſſe multos patientes talem morbum.* Fatetur tamen, *his non conferentibus, neceſſe eſſe devenire ad extrinſecùs applicanda*, in quem finem proponit *unctionem mercurialem, quæ*, inquit, *& Cruſtas & Bothor & Apoſtemata, ac in primis dolores omninò aufert : Eſt enim mirabilis.* Profert deinde gargariſmata quibus os eluatur, *ſi tempore inunctionis ex vaporibus elevatis ad os appareant ulcera in ore.* Demùm laudat ſtuphas, ſed nullam ſuffumigiorum mentionem facit.

Cùm hic Auctor luem veneream ad ſyderum influxum referat, ut vulgare fuit ſub primo morbi ingreſſu, & cùm de decocto ligni Indici nihil quidquam dicat, cujus uſus ab anno 1518. increbuerat, videtur utroque nomine antiquior eſſe quàm vulgò creditur, & inter primos qui de lue venereâ ſcripſerint forſan numerandus.

1566. BERNARDINUS TOMITANUS, Patavinus, ad Medicinam (*a*) acceſſit, poſtquam docuiſſet Patavii Dialecticam annos 25. unde minimè mirum eſſe debet, ſi Tractatus, quem *de Morbo Gallico* ſcripſit, tot futilibus ac nugatoriis quæſtionibus plenus ſit, quæ otioſum Dialecticum ſapiunt. Deceſſit (*b*) anno 1576. ferè ſeptuagenarius.

(*a*) Ipſe ait *in Proœmio Operis.*

(*b*) Mangetus, *in Bibliothec. Medicâ.*

Tractatus ille duos Libros complectitur ; Priore *Capitibus* 29. differitur de origine, naturâ, & cauſis Morbi Gallici, non medicè quidem, ſed verè dialecticè ; quærendo ſcilicet, (*c*) *An Morbus Gallicus ſit, necne? An gallica infectio morbus propriè dici debeat? Sub quo genere morbi contineatur gallica infectio? Quales ſint hujus differentiæ?*

(*c*) *Capp.* 6. 7. 10. & 11.

Poſteriore verò, poſt propoſitam djætam & ægrotantium præparationem, agitur de curatione Morbi Gallici, quam Tomitanus in univerſum quadruplicem eſſe ſtatuit, (*d*) nempè *Exercitatione corporis, Suffumigio, Unctione, aut His quæ per os ingeruntur.*

(*d*) *Cap.* 10.

(*e*) *Cap.* 11.

1°. Ait (*e*) *multos ſanitati fuiſſe reſtitutos ſolâ exercitatione perpetuis motibus comparatâ.*

(*f*) *Cap.* 12.

2°. Curationem per ſuffumigia mercurialia (*f*), *utcumque ſe habeat, paſſim damnari, uti incertam primùm, deinde & gravem periculoſamque.*

(*g*) *Cap.* 13.

3°. Inunctionem mercurialem (*g*) *damnari poſſe per eaſdem rationes, quibus ſuffitus improbantur. Accedit*, inquit, *quòd nemo viſus eſt exactè ſanatus hoc genere auxilii, aut ſaltem diuturno tempore*, cùm morbus recrudeſcat.

(*h*) *Cap.* 14.

4°. Ea quæ per os ingeruntur eſſe triplicis generis, (*h*) alia *certa & opportuna, ut Palus Guaiaci & ſalſæ-pariliæ* ; alia *incerta nec periculo vacantia, ut præcipitatum vulgò appellatum* ; alia *media, uti hauſtus decocti, quod ex ligno Hetechen (ſi modò id haberi poſſit) conficitur, aut radice Chynæ, aut olivaſtro & junipero, & alio domeſtico ligno ad hunc uſum adhibito.*

Denique præter univerſalem curationem morbi Gallici profert *Cap. ultimo* curationes particulares, quæ ſingulis morbis venereis localibus adhibeantur.

Laudat paſſim Fracaſtorii tum *Poëma de Syphilide*, tum *Librum* 3. *de Contagione & Morbis contagioſis.*

MICHAEL JOANNES PASCHALIS, Valentinus (*a*) Caſtellonenſis in Hiſpaniâ, Doctor Medicinæ, quam ſub Joanne Falcone Monſpeſſulanæ, & Ludovico Collado Valentinæ Hiſpanorum Academiæ Profeſſoribus didicit, ſcripſit Tractatum *De Morbo Gallico*, qui exſtat in Collectione Venetâ Aloyſii Luiſini, in quo de morbi ætiologiâ pauciſſima, de therapeiâ verò pauca. 1566.

(*a*) Nicolaus Antonio, *Biblioth. Hiſpanâ.*

Præmiſſis diætâ legitimâ, venæ ſectione, uſu purgantium & alterantium, proponit ad morbi curationem 1°. Syrupum ex decocto Guaiaci, cujus formulam affert. 2°. Aquam ſive decoctum Guaiaci. 3°. Aquam ſive decoctum ſmilacis aſperæ ſive ſarzæ-parillæ. 4°. Aquam ſive decoctum radicis Chynæ. 5°. Vinum ſanctum ſive vinum cum decocto Guaiaci commixtum.

Quòd *ſi morbus fuerit antiquus & curatu difficilis, fortioremque poſcat curationem*, cenſet tunc *potentioribus opus eſſe*, inter quæ laudat *medicamenta ex Mercurio*; neque putat *facultatem argenti vivi eſſe pertimeſcendam, cùm olim ſapè multis morbis levioribus admotum ſit, ut ſcabiei.*

Hinc ordine proponit unguenta & ſuffumigia multa mercurialia, imò præcipitatum ipſum rubrum ſeu pulverem Joannis de Vigo, ſed quem ideò profert ut damnet. « Nonnulli, *inquit*, in curatione hujus morbi antiquiſſimi & fortiſſimi, præter jam dicta utuntur pilulis, addendo gra- « na aliquot pulveris Joannis de Vigo. Ego non auderem uti illo pulve- « re, ne in parvâ quidem quantitate & correcto, quia eſt corrodens me- « dicamentum. «

PROSPER BORGARUTIUS Patavii anno 1567. ſcripſit *Capitibus* 14. *Methodum de Morbo Gallico ad Illuſtriſſimum & Colendiſſimum DD. Franciſcum Mariam de Marchionibus Montis, Abbatem Sanctæ Crucis*, quem ſic alloquitur in Epiſtolâ: « Jam verò nihil opus eſt à me diffuſiùs « commentari quanta dignitas, quantuſque ſit ſplendor, non dicam il- « luſtriſſimi, ſed planè Regii ſtemmatis tui; cùm illud nihil aliud fo- « ret, quàm ſolem, quod aiunt, facibus velle illuſtrare: Quis enim hac « tempeſtate ignorat heroicam Marchionum Montis familiam ex Regiâ « Borbonum ſtirpe ortam, originemque habuiſſe. « Nempe (*b*) *ferunt hujus familiæ Hiſtorici* Marchiones illos Montis *ab antiquiore Regioque Borbonio ſanguine originem duxiſſe, & ab Uguccione Borbonio Collis Marchione anno Chriſti* 917. *claro deſcendiſſe.* Sed hæc (*c*) *gerræ germanæ, atque ædepol λῆροι λήρων*; quaſi verò, ut cæteris jam parcam, ſanguis Borbonius Regius fuiſſet anno 917. 1566.

(*b*) Ciaconius, *Hiſtor. ſummor. Pontific.* In Sixto V in vitâ Franciſci Mariæ à Monte, *Tom. IV. p.* 193.

(*c*) Plautus *in Panulo*, *Act.* 1. *Scen.* 1.

Diſſertatio Borgarutii nec inelegans nec inſulſa videtur. In principio diſſerit de origine, naturâ, cauſis & ſymptomatis Morbi Gallici, quem novum & ab Indiâ Occidentali traductum eſſe, atque contagione ſolâ propagari exiſtimat.

Deinde ad curationem progreditur, ad quam 1°. Adhibet (*d*) *varia Medicinæ inſtrumenta, videlicet Evacuationes, Phlebotomiam, Pharmaca, Syrupos, Lotiones, Balnea &c.* 2°. Inunctiones (*e*) mercuriales, ſed quæ diſcretis vicibus paulatim admoveantur. 3°. (*f*) Decoctum ligni Guaiaci debitâ methodo adminiſtratum.

(*d*) *Cap.* 12.

(*e*) *Cap.* 13.

(*f*) *Cap.* 14.

(a) Cap. 23. Circa inunctiones mercuriales disertè asserit (a) » nihil obstare cur » inunctionibus ex hydrargyro minimè uti debeamus in Morbo Gallico, » tùm præcipuè cùm reliqua Medicamentorum auxilia prodesse non pos- » sunt; sed tamen hæc ulteriùs ab aliis omnibus Auctoribus non perspecta » consideranda venire, quòd si immodicè lue Gallicâ laborantes inungan- » tur, præter maxima quæ succedunt accidentia, ita testes & reliquæ om- » nes partes, per quas sagax natura semen humanum administrat, sublæ- » duntur, ut ulteriùs non generent ampliùs, ut ego, *inquit*, innumeros » penè novi & homines & mulieres, qui post indebitas unctiones, filios » numquam habuerunt. » Quam tamen observationem ab uno tantùm Bor- garutio relatam novi, & falsam esse certus scio.

(b) Cap. 24. Circa decoctum verò ligni Guaiaci, putat (b) » cæteris omnibus Morbi » Gallici curativis intentionibus expeditiorem esse atque securiorem & » minùs periculosam illam, quæ potu decocti ligni Guaiaci efficitur, » cu- jus præparationem & administrationem satis accuratè describit.

Mentionem nullam facit neque sarsæ-parillæ, neque radicis Chinæ, quas tamen constat in usu fuisse tempore quo scribebat. Cæterùm reperio (c) apud Borgarutium, qui scripsit anno 1566. eadem de *nebulonibus se Medicos mentientibus & in asinum strigosum raptis, ut ex urbe cum scommatis educantur*, quæ totidem verbis legere est in Epistolâ Joannis Liebautii, Parisiensis Medici, ad Marcum Mironem Henrici III. Archiatrum datâ anno 1582. & præfixâ Commentariis Jacobi Hollerii in Aphorismos Hippocratis, unde consequens est Borgarutium à Liebautio expilatum videri.

(c) Cap. 2.

1566. 1567. Collectio quarta, sive Veneta secunda. Aloysius Luisinus, Medicus Utinensis, in unum corpus coegit Auctores quotquot ad suam usque ætatem *De Morbis Venereis* scripsisse noverat, ac edendos curavit Venetiis apud Jordanum Zilettum. Ea Collectio in duos Tomos *in folio* divisa est, quorum prior, qui Opera complectitur antè impressa, anno 1566: Posterior verò, quo Opera illa continentur, quorum pleraque antè edita non fuerant, anno 1567. prodiit.

Prostant in priore Tomo Auctores sequentes, sed promiscuè confusi, nec ordine ullo digesti sive Chronologico, sivé Alphabetico,

A

Joannes	Almenar, *Hispanus.*
	Amatus, *Lusitanus.*
Sebastianus	Aquilanus.

B

Petrus	Bayrus, *Taurinensis.*
Joannes	Benedictus, *Germanus.*
Antonius	Benivenius, *Florentinus.*
Anton. Musa	Brassavolus, *Ferrariensis.*

C

Hieronymus	Cardanus, *Mediolanensis.*
Jacobus	Cataneus de Lacu Marcino, *Genuensis.*

F

Joannes	Fernelius, *Ambianus.*

Consalvus

Conſalvus Fernandez de Oviedo, *Matritenſis.*
Alphonſus Ferrius, *Neapolitanus.*
Hieronymus Fracaſtorius, *Veronenſis.*
Leonardus Fuchſius, *Rhætus.*

G

Antonius Gallus, *Pariſinus.*
Coradinus Gilinus.

H

Wendelinus Hock de Brackenau.
Ulricus de Hutten, *Eques Germanus.*

L

Nicolaus Leonicenus, *Vicentinus.*
Aloyſius Lobera, *Abulanus.*

M

Nicolaus Macchellus, *Mutinenſis.*
Joannes Manardus, *Ferrarienſis.*
Nicolaus Maſſa, *Venetus.*
Petr. Andreas Matthiolus, *Senenſis.*
Petrus Maynardus, *Veronenſis.*
Joann. Baptiſta Montanus, *Veronenſis.*
Natalis Monteſaurus, *Veronenſis.*

P

Joannes Paſchalis, *Sueſſanus.*
Laurentius Phriſius, *Germanus.*
Nicolaus Poll.

S

Antonius Scanarolus, *Mutinenſis.*
Leonardus Schmai, *Saliſburgenſis.*

T

Gaſpar Torella, *Valentinus apud Hiſpanos.*

V

Georgius Vella, *Brixienſis.*
Andreas Veſalius, *Bruxellenſis.*
Benedictus Victorius, *Faventinus.*
Joannes de Vigo, *Genuenſis.*

Proſtant verò in altero Tomo, ſed neque meliore ordine diſtributi.

B

Proſperus Borgarutius.
Leonardus Botallus, *Aſtenſis.*
Marinus Brocardus, *Venetus.*

C

Antonius Chalmeteus, *Vergeſacus apud Anicienſes.*

F

Gabriel Fallopius, *Mutinenſis.*
Augerius Ferrerius, *Toloſas.*
Dionyſius Fontanonus, *Monſpeſſulanus.*
Antonius Fracantianus, *Vicentinus.*

Franciſcus	Frizimelica, *Patavinus.*
	H
Petrus	Haſchardus, *Inſulanus.*
	L
Joannes	Langius, *Lembergius.*
Dominicus	Leo, *Lunenſis.*
	M
Bartholomæus	Maggius, *Bononienſis.*
Bartholomæus	Montagnana, *Patavinus.*
	P
Mich. Joannes	Paſchalis, *Valentinus Caſtellonenſis.*
Alex. Trajanus	Petronius, *Cittacaſtellanus.*
	R
Benedictus	Rinius, *Venetus.*
Guillelmus	Rondeletius, *Monſpeſſulanus.*
	S
Joſephus	Struthius, *Polonus Poſnanienſis.*
Joannes	Sylvius, *Inſulanus.*
	T
Bernardinus	Tomitanus, *Patavinus.*
Petrus	Trapolinus, *Patavinus.*

Huic autem Collectioni, licet Editor in eâ concinnandâ multa peccaverit, ut infrà videbimus ad annum 1728. acceptum referendum eſt, quòd temporis diuturnitate non interciderint Opuſcula variorum Auctorum, qui de lue venereâ primi ſcripſere; qui morbi naſcentis origini coætanei vixere; & ex quibus licet certò cognoſcere, quid olim de morbi origine Medici ſenſerint, quæ fuerit varia diverſarum methodorum curatoriarum ſucceſſio, quid etiamnum de primâ morbi causâ, & tutiſſimâ therapeiâ ſentiendum ſit.

1568. VICTOR TRINCAVELLIUS, Venetus, natus (*a*) anno 1496. Doctoris gradum adeptus eſt in Academiâ Patavinâ, ac Medicinam aliquandiù fecit in Murano, Inſulâ Venetiis vicinâ, unde in Collegium Medicorum Venetorum adſcitus eſt. Anno 1551. ſucceſſit Joanni Baptiſtæ Montano, primuſque Medicinæ practicæ Profeſſor electus eſt in Academiâ Patavinâ, ubi deceſſit anno 1568. ætatis 72.

(*a*) Nicolaus Comnenus Papadop *Hiſtoria Gymnaſii Patavini, Tom. I.* Petrus Caſtellanus, *in vitis illuſtr. Medicor.*

Auctor Hiſtoriæ Gymnaſii Patavini adſcribit illi Tractatum *De Morbo Gallico*, à Bibliographorum nullo memoratum, ne quidem à Petro Caſtellano, qui vitam Trincavellii ſcriptis mandavit.

GEORGIUS DORDONUS, Placentinus.

1568. *De Morbi Gallici Curatione Tractatus quatuor. Papiæ apud Hieronymum Bartholum.* 1568. *in* 8.

Teſtatur hic Auctor *Tractat.* 1. *Cap.* 6. *ſe Lauream Coronam ſumpſiſſe Placentiæ* annos 23. natum, *& tunc legere incœpiſſe in Gymnaſio Ticinenſi ſub Franciſco Rege Francorum*; undè liquet hæc ad annum 1522. ineuntem ad minùs referenda eſſe, cùm Franciſcus I. Ducatu Mediolanenſi cedere

coactus fuerit anno 1522. menſe Julio. Certè conſtat ex *Cap. 7. Tractatûs ejuſdem*, Dordonum jam ab aliquot annis Papiæ habitaſſe, cùm *Rex Franciſcus Gallorum captus fuit à militibus Cæſaris in anno* 1525.

Scipſit ille Ticini, dum Chirurgiam publicè profiteretur, Librum de quo agitur, *in quatuor partes ſive Tractatus diviſum*, in quorum *Primo dat modum curandi morbum hunc per purgationes & evacuationes. Secundo, Per unctiones. Tertio, Per ſuffimenta ſeu ſuffitus. Quarto & ultimo, Per ligni Indici decoctum, necnon & per radicem Chinam ſeu Cynam, & Salſam-parilliam.*

I. In *Tractatu primo* Therapeia illa methodica proponitur, quæ ad præparandos, alterandos, evacuandos humores noxios olim adhibebatur, & quæ plurimam parùm utilium remediorum farraginem admittebat. His itaque omiſſis, notari tantùm velim ab Auctore ſtatui *Cap.* 1. venereum *morbum ſemper viguiſſe apud Indos Mauroſque* (hos enim cum Indis Auctor confundit errore maximo) *ex quorum regionibus vehitur lignum Indicum.... Cùm ergo morbus iſte à Mauris* (ab Indis) *originem contraxerit, ob loci diſtantiam, regioniſque ignotionem non facilè cognitus fuit, adeò ut non mirandum ſit ſi ab antiquioribus Medicis nulla facta ſit ipſius mentio.*

II. In altero Tractatu variis variorum linimentorum formulis, methodoque hydrargyroſeos quæ ſuo ævo uſu valebat, explicatis, addit: » Si aliquâ ex causâ oris exulceratio evitanda, & per alias vias & regiones « materia ducenda ſit .... cùm materia aſcendit ad ſuperna, tunc pro- « pinandum eſſe pharmacum forte evacuativum, ut materia quæ deberet « ad fauces aſcendere tranſmittatur & ducatur ad inferna. Hoc, *inquit*, « obſervatum eſt à nobis in multis viris mulieribuſque, qui pati non pote- « rant oris fauciumque exulcerationem. «

III. Tertio Tractatu paucis exponitur tùm ſuffumigiorum *materia*, tùm modus ſuffumigia adhibendi; ſed Auctor pluribus in locis indicat methodum luis curandæ tùm inunctionibus, tùm ſuffumigiis *à peritis Medicis non multùm probari.*

IV. In Tractatu quarto traditur multis electio, præparatio, adminiſtratio ligni Indici ſive Guaiaci, cujus uſum Mercurii uſui Auctor præferendum eſſe cenſet.

Demùm ad Operis calcem peculiaribus Capitibus exponit modum decoquendi Guaiaci in vino, ac rationem utendi radice tùm Chinæ, tùm Salſæparillæ, quam poſteriorem non ita pridem notam eſſe dicit.

Hic Auctor dicitur per errorem *Dardanus* ab Iſraële Spachio, *in Nomenclatore Script. Med.* Paſchali Gallo, *in Biblioth. Medic.* & Zacuto Luſitano, *Hiſtor. Medic. princip. Hiſtor.* 73. *Obſerv.* 52.

ANTONIUS SAPORTA, Monſpelienſis, patrem habuit Ludovicum Saportam, Doctorem Medicum Monſpeſſulanum. Ipſe in Academiâ patriâ profeſſorio munere fungi cœpit anno 1530. ac demùm Cancellarius electus eſt anno 1566. poſt obitum Guillelmi Rondeletii. Denatus eſt anno 1573. Sed de illo fuſiùs in *Hiſtoriâ Facultatis Medicæ Monſpelienſis.* 1570. 1624.

De Tumoribus præter naturam Libri quinque, editi ſtudio Henrici Gras Doctoris Medici Monſpelienſis, & Practici Lugdunenſis. in 12. *Lugdun.* 1624.

Conſtat hunc Tractatum ab Auctore ſcriptum fuiſſe poſt annum 1566. cùm Rondeletii, ceu jam defuncti, mentio ibidem fiat *Lib.* 3. *Cap.* 49. *Guillelmus Rondeletius*, inquit Saporta, *Collega olim meus*, &c. Sed tamen ante annum 1573. quo certum eſt Auctorem fato functum eſſe. Videtur ergò circiter ad annum 1570. referendus.

Proſtant in illo Tractatu quædam *de Bubone venereo*, *& de Bubonis venerei Curatione*, *Capp.* 18. *&* 19. *Lib.* 1. Sed *Libro* 3. fuſiùs agitur de Lue venereâ, ſeu, ut Auctor dicit, *Morbo Parthenopæo ſive Hiſpanicâ Lue.*

Itaque *Cap.* 49. Morbus definitur *contagioſus affectus ex vitioſi hominis aut mulieris contactu contractus, primùm hepar, deinde reliquas corporis partes multifariam labefactans.*

Cap. 50. afferuntur morbi cauſæ, quales ab omnibus admitti ſolent, nempe uſus rei venereæ, oſcula, lactatio, ſuctio; quibus ille addit *inſpiratum aërem à peſſimâ illâ qualitate conſpurcatum.* Ibidem ſalsè irridet eos qui *carnoſum panniculum in univerſo corpore diffuſum, illudque tegentem conſtituunt, à quo perniciosæ hujus labis ſcaturiginem emanare ſomniant.*

Deindè ſignis luis venereæ propoſitis ſequente Capite, Curationem explicat *Cap.* 52. aſſeritque poſt *decentem uſum rerum non-naturalium*, debitamque *noxii humoris concoctionem . . . . ſudores movendos eſſe linimentis, emplaſtris, ceratis, ſuffitibus* mercurialibus, *aut inſtitutâ victûs ratione ex Guaiacini Ligni decocto, Sarzæ pariliæ vel Chinnæ.*

Præfert uſum Mercurii uſui Guaiaci, ſtatuitque eos *cæcutire & hallucinari, qui hunc peſſimum morbum ſine hydrargyro depellere ſcribunt . . .* cùm *experientiâ omnium rerum magiſtrâ compertum ſit hunc morbum ſine hydrargyri ſodalitio curari non poſſe, quamvis ex illius malâ adminiſtratione multa corpori incommoda ſuboriantur.*

Si qui verò *moroſi unguentorum aut ſuffitûs uſum reſpuunt . . . . tunc inſtituendam eſſe ſuadet eam victûs rationem, quæ ex lignorum decocto paratur; quæ quamvis in longius tempus curationem protrahat, à tam nefandâ pernitie (ſi recens ſit) nihilominùs pleroſque liberare quotidiana experientia docet.*

1570. LUDOVICUS ISLA, Medicus Luſitanus.

Tractatus De Morbo Gallico.

Laudatur à Zacuto Luſitano, *De Med. princip. Hiſtor. quæſt.* 37. & à Nicolao Antonio *in Biblioth. Hiſpanâ.*

1575. ANDREAS ALCAÇAR, ſive ALCAZAR, Guadalaxarenſis in novâ Caſtiliâ, Medicus ac Chirurgus, & in Academiâ Salmanticenſi primus Chirurgiæ Profeſſor, edidit *in fol.* Salmanticæ anno 1575. *Libros ſex de Chirurgiâ*, quorum Primo, *De Vulneribus capitis*; Secundo, *De Vulneribus nervorum, aliiſque ipſorum affectibus*; Tertio, *De Vulneribus thoracis*; Quarto, *De Vulneribus ventris inferioris*; Quinto, *De Pudendagrâ vel Mentagrâ vel Lichenis, vulgò* Morbo Gallico; Sexto demùm, *De valetudine tuendâ tempore peſtis.*

Liber quintus qui *De Morbo Gallico* inſcribitur Capita 28. complectitur, ſed brevia & quæ in ſummâ paginis 50. comprehenduntur.

Horum *Primo* affirmat morbum hunc antiquum eſſe in Orbe olim co-

gnito, ac teſtes profert 1°. Plinium *Cap.* 1. *Lib.* 26. *Hiſtoriæ Naturalis*, ubi de Mentagrâ, quæ in Italiam olim adventavit *Tiberii Claudii Cæſaris principatu.* 2°. Hugonem Senenſem Conſilio 70. ubi *de juvene quodam viginti annos nato, qui oſtreacoſas teſtaceaſque puſtulas totum corpus ambientes patiebatur, cum intenſis doloribus noctu magis moleſtantibus, diùque lenteſcentibus.* 3°. Avicennam (*a*) *Capite* 2. *Canonis*, ubi legitur; *Thus illitum cum aceto conferre dolori qui nominatur compoſitus, ex quo proveniunt in corpore ſicuti verrucæ, cum quâdam re quæ eſt ſicut ambulatio formicæ.* 4°. Demùm ipſum Hippocratem *Aphor. Sect.* 3. *Aphor.* 20. ubi *de Lichenibus.* At inde liquet non quidem luem veneream olim notam fuiſſe, ſed luem illam ab Auctore cum herpetibus ac Lichenibus, affectibus olim notis perperam confundi.

(*a*) Locus ille ex Avicennâ mendosè adducitur.

Secundò verò contendit novam morbi illius in Europâ, ut ipſe credit, recrudeſcentis invaſionem deducendam eſſe non à navigationibus in Inſulas Indiæ Occidentalis inſtitutis à Chriſtophoro Columbo ante annum 1493. ſed ab uſu humanarum carnium quæ militibus clam exhibitæ fuerunt circa annum 1456. *cùm Joannes filius Renati Andegavenſium Ducis bellaret cum Alphonſo Neapolis Rege*; ac in teſtimonium affert Hiſtoriam ſeu potiùs fabulam à Leonardo Fioravanti ſcriptam, de quâ vide ſuprà *Lib.* 1. *Capite* 8.

Deinde *Cap.* 5. quatuor diſtinguit morbi ſpecies, Primam, *cùm ipſi ægrotanti puſtulæ in pudendo vel ſede, vel excoriatio in gutture apparere cœperint, vel itidem puſtulæ in fronte & capite pullulare*: Alteram, *cùm adeſt articulorum dolor, quem interdùm tubercula comitantur, interdùm verò alopecia*: Tertiam, *cùm non ſolùm puſtulis atque articulorum doloribus, ſed etiam ulceribus corpus afficitur, ſkirrhoſiſve tuberculis, modò dolorificis, modò dolore expertibus*: Quartam demùm, *cùm corpus non ſolùm ulceribus, aliiſque affectionibus dictis affligitur, ſed etiam oſſium corroſione & carie atque febriculâ corpus extenuante.*

I. Credit *Cap.* 7. primam ſpeciem curari poſſe diætâ, levi decocto ligni ſancti, exercitio, uſu ſyrupi ſancti Ambroſii ex milio decocto in aquâ pluviali, addito vino ſub decoctionis finem; topiciſque nonnullis medicamentis ad puſtulas extirpandas.

II. Ad ſecundæ ſpeciei curationem proponit *Cap.* 9. & 10. 1°. Decoctum legitimum Guaiaci ſive ligni ſancti, cujus defectum ſupplere poſſunt çarça-parilla, vel radix Chinæ. 2°. Topica varia cauſtica, in primis *pulverem Joannis de Vigo* ſive præcipitatum rubrum, quem ait Leonardo de Bertapalliâ notum fuiſſe.

III. Ad curationem tertiæ ſpeciei fatetur *Cap.* 11. & *ſeqq.* adhibendas eſſe inunctiones mercuriales, cum topicis aliis medicamentis. Multa itaque præfatus de naturâ, temperaturâ & uſu Mercurii, tandem illitionis methodum explicat *Cap.* 19. Nempe 1°. Jubet partes ante illitionem foveri calidè decocto aromatico *florum roriſmarini, chamæmeli, meliloti, foliorumque lauri, ſtœchados, lavendulæ* &c. 2°. Unguentum adhiberi *duos aut tres menſes antè confectum, ut ipſius argenti vivi malitia aliquatenus corrigatur.* 3°. Vetat eo inungi *ventriculum, emunctoria, ſpinalem medullam, atque articulos.* 4°. Cenſet ab illitione abſtinendum eſſe, ſi quod ſymp-

toma accidat, ut animi *deliquium, vel alvi profluvium, ſed factâ aliquâ interpolatione, & naturâ confortatâ, ad linitionem redeundum eſſe.* 5°. Damnat quaſi *infeſtiſſimum quorumdem Medicorum* uſum, *qui diebus illitionis jam fluxis catharticum ſolutivum ægrotis extemplo exhibebant; hinc enim*, inquit ille, *materies morbi, quæ oris exſpuitione præſertim evacuatur, pharmaco exhibito ad interiora retrahitur.* 6°. Dicit, *præſtare à linitionis initio ad finem uſque exſpuitionis, calamum vel annulum auri vel argenti ipſum ægrotum inter dentes retinere ..... ut exhalationes argenti vivi aliquatenus venenoſæ intra os minimè retineantur ſed foras evadant.*

IV. Ait demùm *Cap.* 23. ad curandam quartam morbi ſpeciem opus eſſe poſt univerſaliora remedia, Mercurii *unctionibus, ſuffitibus & vomitoriis*; Unctionibus quidem *fortioribus, quæ plus argenti vivi contineant*; ſuffitibus, qui *cinnabarim præcipitatumque* Mercurium recipiant; vomitoriis *cum cataputiâ minore ad* ʒ j. *& pulvere Joannis de Vigo ſeu præcipitato rubro ad doſim gr.* iv. vel cum *Stibii ſeu antimonii optimè præparati gr.* iv. *quod devoratum vomitionem & alvum ciendo miro modo prodeſſe* dicit; *ſed quo præſidio nonniſi in robuſtis habitudinibus vel atrabiliosâ pituitosâve temperaturâ utendum eſſe* cenſet.

Tandem poſtrema Operis Capita *antidotarium* continent, *in quo*, ut ait Auctor, *varia medicamenta admodum huic morbo utilia atque experta inſcribuntur.*

1575. AMBROSIUS PAREUS, Lavallenſis Cenomanus, natus anno 1510. Chirurgiæ Lutetiæ operam dedit, artiſque tyrocinia poſuit in Noſocomio Pariſienſi. Inde ab anno 1536. caſtra ſequutus Chirurgiam rarâ felicitate & dexteritate mirâ exercuit. Chirurgus fuit quatuor Regum Galliarum, Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III.

Refertur à Mezerai, *Abbrégé Chronologique ad an.* 1560. Pareum veniſſe apud aliquos in ſuſpicionem veneni inſtillati in aurem Franciſci II. quæ fiſtuloſo ulcere malè habebat, unde de medio ſublatus ille fuerit. Sed liquet ſuſpicionem & falſam & temerariam fuiſſe, quandoquidem Pareus primarii Chirurgi munere functus eſt apud Carolum IX. & Henricum III. Franciſci II. fratres germanos.

Exſtant Parei Opera Gallicè primùm edita *in fol.* Pariſiis anno 1575. Latinè dein à Jacobo Guillelmeau reddita & ibidem typis mandata anno 1582. Quartâ editione Gallicâ, quæ prodiit anno 1585. Lutetiæ apud Gabrielem Buon Libri continentur viginti octo, quorum decimus nonus, in quo agitur *de Lue venereâ*, complectitur Capita 40.

Ibi primùm expoſitâ morbi naturâ & ætiologiâ Capitibus quinque, novem ſequentibus curationes generales ſingulatim explicat, *Primam*, quæ Guaiaci decocto; *Alteram*, quæ inunctionibus mercurialibus; *Tertiam*, quæ ceratis & emplaſtris; *Ultimam* demùm, quæ ſuffumigiis obtinetur. Inde proponit ſequentibus capitibus curationes particulares gonorrhœarum virulentarum; hyperſarcoſium ſive caruncularum, quæ in urethrâ excreſcunt; bubonum venereorum, exoſtoſium, herpetum, ſurditatis &c. quæ à latente ſeminio venereo induci ſolent.

Ultrò fatetur ipſe Pareus in Præfatione huic Libro præfixâ, ſe non

modò ſequutum eſſe methodum curatoriam luis venereæ jam antè propoſitam à Theodorico de Hery Chirurgo Pariſienſi, cujus doctrinam laudat impensè, & de quo ſuprà ad annum 1552. ſed integrum ferè illius Tractatum à ſe deſcriptum eſſe, ut á quo, ſi ab ullo umquam alio, morborum venereorum ætiologia & therapeia accuratiſſimè expoſitæ fuiſſent.

(a) *Index funereus Chirurgorum Pariſienſium.*

Deceſſit Pareus Lutetiæ anno (a) 1592. ætatis proinde 82.

LAURENTIUS JOUBERTUS, Valentinus apud Delphinates, natus die 16. Decembris anno 1529. ut ipſe teſtatur *Liv. 4. des Erreurs populaires, Chap. 8.* & non 1539. ut per errorem dicitur (b) à Petro Caſtellano, inter Philiatros nomen dedit in Monſpelienſi Academiâ anno 1550. & Guillelmum Rondeletium Magiſtrum habuit. Ad Doctoris gradum evectus eſt anno 1558. Docendi munus ibidem adiit circa annum 1559. Cancellarius poſt obitum Antonii Saportæ electus eſt anno 1574. Obiit anno 1582. ætatis 53. Lumbariis, non quidem Convenatium, ut (c) vulgò dicitur, quæ *Lombez*; ſed Albigenſium, quæ *Lombers* dicuntur, quâ de re vide Petrum Borellum, *Antiquitez de la Ville de Caſtres, Liv. 2. Chap. 21.* De eo multa in Hiſtoriâ Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ.

1577.

1581.

(b) *In Vitis Illuſtr. Medicorum.*

(c) Teiſſier, *Eloges des Hommes Savans.*

Circiter anno 1577. (d) *in Scholâ Monſpelienſi publicè dictavit magno cum Medicinæ ſtudioſorum applauſu*, Tractatum *de Vairolâ magnâ ſive Craſsâ Gallis dictâ*, qui anno 1581. à Marco de la Croix, Seguſiano, Doctore Medico Monſpelienſi & Jouberti diſcipulo editus eſt. Hoc Opus imperfectum eſt, deeſtque Liber ſecundus *de curatione Vairolæ magnæ.* Liber qui ſupereſt *Capita ſex* complectitur, quibus de nomine, cauſis, contagione & ſignis luis venereæ, tam vulgaria ac ordine tam vulgari exponuntur, ut Liber ille Jouberti nomine parùm dignus eſſe videatur.

(d) In Epiſtolâ nuncupatoriâ Marci de la Croix.

I. Aſſerit *Cap. 3. luem hanc ex Indiâ primùm ad nos veniſſe, Luſitanis, qui illuc patrum noſtrorum memoriâ primi navigarunt, communicatam.* Sed fallitur dùm Luſitanis acceptum refert, quod ad Hiſpanos verè pertinet.

II. Graviùs *ibidem* hallucinatur dùm putat luem veneream ſobolem eſſe *Vairolæ parvæ* (variolarum) *quæ apud Indos in cœlo fervidiore ſævior ſit noſtrâ vulgari*; unde *cùm Luſitani fortè ab Indicis mulieribus eo morbo nuper defunctis vel mox ægrotaturis non abſtinuiſſent, graviſſimum inde malum iſtud reportarunt.* Contrà enim liquet certiſſimis teſtimoniis ab Europæis variolas in Indiam utramque invectas fuiſſe, ubi priùs ignorabantur.

III. Rectiùs videtur ſentire, dùm *ibidem* præſagit *Vairolam hanc magnam ſeu groſſam* (*ut loquuntur Galli*) *ab Indis acceptam, finem aliquando habituram eſſe, Deo volente, etſi contradicat Fernelius, quum per varia corpora tranſitu facto exoticus affectus jam multò mitior evaſerit, ut tandem inclinans & conſeneſcens ſimplicis ſcabiei* (*quæ ſimiliter eſt contagioſa*) *ſpeciem ſit adepturus*; quæ eadem totidem ferè verbis jam antè dixerat *De Erroribus popularibus Lib. 2. Cap. 12.*

JULIUS PALMARIUS, Conſtantienſis Normannus, diſcipulus Joannis Fernelii, quocum ſe decennium familiariſſimè vixiſſe (e) teſta-

1578.

(e) *In Præ-*

fat. prefixâ libris de lue venereâ.

tur, Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis, ſcripſit *Libros ſeptem de Morbis contagioſis*, non ſine ingenii & doctrinæ laude, quorum Primo & Secundo, *de Lue venereâ*; Tertio, *de Hydrargyro*; Quarto, *de Elephantiaſi*; Quinto *de Hydrophobiâ*; Sexto Septimoque, *de Febre peſtilenti.* Primùm editi ſunt Lutetiæ Pariſiorum anno 1578.

In tribus illis Libris, quibus agitur de lue venereâ, multa exſtant egregia de naturâ, causâ, origine morbi; methodiſque curatoriis, 1°. Uſu Guaiaci, Salſæ-parillæ, Chinæ; 2°. Suffumigiis; 3°. Inunctionibus, & 4°. Præparatis mercurialibus, quæ ipſe vel invitus cogitur laudare. Cæteroquin Fernelii Præceptoris ſui veſtigiis inſiſtens in eo ferè totus eſt, ut elevet Mercurii & Mercurialium utilitatem, quorum uſum *crudelem* (*a*), *periculoſum, ac nihilominùs inconſtantem & prorsùs incertum* eſſe ait, cùm è contra curatio luis venereæ, quæ per Guaiacum & Alexipharmacum fit, (*b*) *certiſſima, tutiſſima ac facillima ſit.* Alexipharmacum autem ſive Amuletum vocat opiatam, quam ipſe concinnabat ex famosâ utraque Fernelii opiatâ, *majore* nempe & *minore*, quarum ope Fernelius ab hydrargyri uſu alieniſſimus olim auſus eſt perfectam luis venereæ curationem polliceri ſine Mercurio, ſed quarum inefficacia jam pridem ità explorata fuit, ut dudùm à nemine adhibeantur.

(*a*) *Lib. 2. De lue venereâ cap. 4.*

(*b*) *Ibidem.*

Videtur quidem paulò rectiùs ſentire de Mercurii uſu (*Lib. de Hydrargyro, Capp. 7. & ultimo*) ubi proponit *novam ac ſecuram luis venereæ per hydrargyrum & alexipharmacum curationem.* At verò ſuæ opinionis nimiùm retinens hoc ipſum Caput concludit aſſerendo *curationem, quæ per Guaiacum & amuletum fit, breviorem, tutiorem ac faciliorem exiſtere; quæ verò per argentum vivum, longiorem, periculoſiorem & difficiliorem; ideòque conſultius ſemper eſſe, ſi per ægri facultates licuerit, illo potiùs quàm hoc modo curari.*

In hoc tamen Palmarium laude dignum cenſemus, quòd ingenuè & verè proponat, quæcumque ad luis venereæ curationem efficaciſſima credit. Sanè ipſe ſanctè omnibus pollicetur in Præfatione *nullum à ſe remedium adſcribi ac commendari, cujus ipſe ante annos viginti in ægris multis periculum non fecerit; nihilque ſe polliceri, quod re & eventis non comprobetur, ſi quis deſcripta remedia laborantium corporum naturis prudenter accommodet.*

Id adnotatione dignum videtur, nempè juxta Palmarium. I. Inunctiones mercuriales (*c*) » Duobus tribuſve diluculis repetendas eſſe, deinde » quatriduum ſaltem ab inunctione ſuperſedendum, ne eâ quotidie manè » repetitâ, maxima humorum fuſio ac partium colliquatio ſequatur, quæ » ſputationem aut alvi tormina non facilè cohibenda, fortè etiam repen» tinam mortem accerſat.

(*c*) *Lib. de hydrargyror. cap. 7.*

II. » In ipſo verò tridui vel quatridui intervallo convenire alternis di» luculis ſimplici decocto Guaiaci ſudores ciere; alternis alio decocto pur» gatorio alvum ducere, ut quidquid hydrargyroſis reſolverit, vel in ſu» dores digeratur, vel in alvum id depulſum expurgetur.

III. » Qui facilè in ſputationem prolapſuri putantur, per biduum tan» tùm inungendos eſſe; dein facto quatridui intervallo ad unctionem re» mitti debere, ne continuatâ unctione in moleſtiſſimam illam ſputatio» nem præcipites ruant.

IV.

IV « Itaque eo modo inunctionem, ſudorum profuſionem & pur- «
gationem per alvum viciſſim iteratas continuandas eſſe, dùm morbus «
radicitùs abactus ſit. «

JOANNES SCHENCKIUS A GRAFFENBERG, Friburgenſis apud Briſgoios, natus (*a*) anno 1530. & Doctoratûs gradum Tubingæ adeptus anno 1554. Medicinam feliciſſimè exercuit Friburgi in Briſgaviâ, ubi mortuus eſt anno 1598. ætatis 68. relicto filio Johanne Georgio Schenckio Bibliothecæ Medicæ Auctore. 1580.

(*a*) Mercklinus, *in Linden. renovato.*

Obſervationum Medicarum & Chirurgicarum, rararum, novarum, admirabilium & monſtroſarum Libri VII. ab Auctore conſcripti circa annum 1580. & paulò poſt Friburgi Briſgaviæ ab ipſo editi *in* 8. poſt ejus mortem denuò excuſi ſunt Francofurti anno 1600. ſtudio Joannis Georgii Schenkii ejus filii.

In hoc Opere ſive hac Obſervationum Collectione, Lib. VII. *quo agitur de febribus, morbis epidemicis, peſtilentibus & contagioſis*, Schenckius exſcripſit ex variis Auctoribus, quos appoſito nomine laudat, Obſervationes 36. *de Morbo Gallico*; quarum multæ quidem utiles & indubiæ ſunt; nonnullæ verò pejoris notæ, quæ meritò dubiæ, imò falſæ videntur.

JOANNES CRATO A CRAFFTHEIM, Vratiſlavienſis Sileſius, natus (*b*) anno 1519. per ſexennium Wittebergæ ſub Martino Luthero Theologiæ operam dedit. Inde ad Medicinæ ſtudium converſus, Doctoris gradum Lipſiæ aſſecutus eſt. Medicinam fecit Vratiſlaviæ & Auguſtæ Vindelicorum; unde Vindobonam evocatus Archiatrus fuit per annos 26. trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II. cui ipſe facie ſimilis erat, & Rodolphi II. Obiit Vratiſlaviæ anno 1585. ætatis ſuæ 66. 1580.

(*b*) Mercklinus, *in Linden. renovato.* Et Melchior Adamus, *in Vit. Medicor. Germanor.*

De Morbo Gallico Commentarius, ſtudio & operâ Laurentii Scholzii, Sileſii, in lucem editus Francofurti 1594. *in* 8.

JOANNES ZECCHIUS, Bononienſis, natus anno 1533. in Gymnaſio Bononienſi primus Profeſſor Theoricus, florebat anno 1596. Medicus intimus fuit (*c*) tùm Sixti V. tùm Clementis VIII. ſummorum Pontificum. Patruelem habuit Hieronymum Bovium Epiſcopum Camerti, qui fuit Legatus ſummi Pontificis ad Poloniarum Regem, ut patet ex *Epiſtolâ nuncupatoriâ* Scipionis ex Mercuriis, Romani Medici, ad Stephanum Battorum Poloniæ Regem, præfixâ Tomo primo Operum Joannis Zecchii Bononiæ edito in 4. anno 1586. Obiit Joannes Zecchius anno 1601. (*d*) ætatis ſuæ 68. 1586.

(*c*) Mandoſius, *in vitis Medicor. Pontific.*

(*d*) Mangetus, *in Bibliothec. Medic.*

Proſtat autem ad calcem Tomi primi *Liber Joannis Zecchii De Morbo Gallico, à Scipione Mercurio, Romano Philoſopho & Medico exceptus, & in Capita diviſus, cum additis ejuſdem Mercurii Scholiis.*

In illo Tractatu, qui *Capita* 34. continet, diſſeritur de Morbis venereis in genere & in particulari, circa quos eadem proferuntur quæ in Auctoribus illius ævi paſſim leguntur.

I. Indicat Auctor *Cap.* 1. luem veneream *Scabiem Hiſpanicam* dictam

fuiſſe, *quoniam duce Chriſtophoro Columbo ex Indiis Hiſpani* eam *detulerint.* Aſſerit autem *Cap.* 4. *cœpiſſe anno* 1494. *ſub Carolo octavo Francorum Rege Regnum Neapolitanum invadente, ſedenteque Alexandro VI. Pontifice maximo.*

II. Proponit *Cap.* 6. *& ſeqq.* ſigna diagnoſtica & prognoſtica Morbi Gallici incipientis, confirmati, inveterati; ac deindè ad Luis venereæ therapeiam progreſſus primas defert decoctis ſudorificis Guaiaci, Chinæ, Salſæ-parillæ, quorum præparandorum methodum multis explicat *Cap.* 13. *& ſeqq.*

III. *Quoniam tamen Morbus Gallicus adeò contumax eſt, ut dictis medicamentis ſeu decoctis nullo pacto cedat,* fatetur *Cap.* 18. *aliqua ab Empiricis adinventa fuiſſe præſidia, quæ tuta admodùm licet non ſint, correcta tamen & methodo quâdam tradita feliciter ſuccedunt..... Inter quæ primum locum ſuffitus ſive ſuffumigium obtinet.* Cæterùm admittit *ibidem ſuffumigia duorum generum; alia ex materiâ benignâ,* quæ thus, aloën, myrrham, cinnamomum, nucem Moſchatam, lignum aloës, ſtyracem, ſuccinum &c. at verò Mercurium nullum; *Alia verò ex venenosâ,* quæ non modò cinnabarim & præcipitatum Mercurium, ſed etiam auripigmentum ſive Græcorum ſandaracham recipiunt.

IV. Addit *Cap.* 20. *ſupereſſe modò duo efficaciſſima præſidia etiam ex hydrargyrio confecta, ſed admodùm periculoſa.... Inunctionem ex argento vivo, & uſum Præcipitati per os.... Inunctio adminiſtrari debet* juxta illum, *tribus diebus continuis, & interpoſitis aliis tribus diebus repetatur denuò, quouſque novem vicibus inungatur æger.... Uſus verò Præcipitati per os aſſumpti à quibuſdam ſummis laudibus extollitur in eradicando Morbo Gallico. Sed cùm hoc medicamentum ſit valdè venenoſum, & inter alia incommoda venas thoracis vel pulmonum frequenter diſrumpat, nequaquam illud probat, imò ab ejus uſu ſummoperè diſſuadet quoſcunque.*

(a) Id refert Mercurialis ipſe *in Epiſt. nuncup. ad Maximilianum II. præfixâ editioni 2. Librorum de Arte Gymnaſticâ.*

Porrò de Editore duo notari velim. 1°. Ab illo aſſeri *in Scholio ad Cap.* 4. *Morbum Gallicum ſuo tempore in manifeſtâ declinatione poſitum eſſe.* 2°. Nomen *Gallicum* ab eo unicâ l ſcriptum fuiſſe toto Libello, ut ipſe monet in Præfatione; ſed egregiam rationem mirare! Nempe ut inter hoc nomen *Galicum* & adjectivum *Gallicum* diſcrimen ſtatueretur, *propterèà quòd,* ut ipſe ait, *lues venerea imperitè à Gallis denominationem traxerit, nec magis in Gallos ſæviat, quàm in Hiſpanos & Italos.*

1587. HIERONYMUS MERCURIALIS, Forolivienſis, natus anno 1530. Jam ab anno 1562. (*a*) *Romæ Medicum agebat* Alexandri Farneſii Cardinalis, qui filius erat Petri Ludovici Farneſii, Ducis Parmenſis, nepoſque Pauli III. ſummi Pontificis; (*b*) *quouſque Senatûs Veneti Decreto anno* 1569. *munus ei delatum eſt, ut in Academiâ Patavinâ principem interpretandæ Medicinæ practicæ locum obtineret,* quem Antonii Francantiani obitus vacuum fecerat. Hunc Imperator Maximilianus II. ancipiti morbo implicitus * anno 1573. ob famæ celebritatem ad ſe accerſivit. Redux eodem

(b) Caſtellanus, *in vitis illuſtrium Medicorum.*

* Non verò anno 1583. ut referunt Caſtellanus *in vitis Medicorum*, & Comnenus Papadop *in Hiſtor. Gymnaſii Patavini*: Siquidem conſtat omnium Hiſtoricorum teſtimonio Maximilianum II. Imperatorem die 12. Octobr. anni 1576. deceſſiſſe.

anno publicum Professoris munus in Patavino Gymnasio repetiit, donec anno 1587. in Bononiense, & anno 1599. è Bononiensi in Pisanum evocatus est majoribus stipendiis. Forolivii in patriâ, in quam secesserat, obiit calculi dolore victus (*a*) anno 1604. vel (*b*) 1606. vel (*c*) 1607. ætatis proindè suæ 74. vel 76. vel 77.

(*a*) Thuanus, *in Histor. sui temporis ad an.* 1604.

(*b*) Georg. Abrahamus Merckli-nus, *in Lindenio renov.*

(*c*) Nicolaus Comnenus Papadop, *in Histor. Gymnasii Patavini.*

Mercurialis Libri quatuor de Morbo Gallico.

Laudantur tùm à Joanne Colle, Bellunensi, *Cosmitoris Medicæi Lib.* 2. ubi *de Chynæ radice*, tùm à Zacuto Lusitano, *de Medic. Princip. Historiâ, Lib.* 1. *Quæstione* 43. de quo tamen Opere mentio nulla est apud Bibliographos, si unum Joannem Georgium Schenckium excipias, qui in *Bibliothecâ Medicâ*, inter cætera Mercurialis Opera, Tractatum *De Morbo Gallico* videtur recensere.

LUCAS GHINUS, Bononiensis.

Morbi Neapolitani curandi ratio perbrevis. Spiræ Nemetum, anno 1589. *in* 8. 1589.

Ghinus in hac perbrevi Dissertatione, *omissis quæ de appellatione hujus morbi ejusque origine scribunt Auctores, rem ipsam aggreditur. Et primùm Morbi Neapolitani naturam seu essentiam explicat, deinde causas, posteà signa, denique curationem.*

Multus, imò verò nimius est in tradendâ morbi curatione methodicâ, ad quam proponit remediorum farraginem; quæ singula, ut nullius prorsùs utilitatis, jam pridem obsoleta sunt. Fatetur ipse, *si his decenter peractis, æger nondùm sanitati fuerit restitutus, ad fortiora remedia confugiendum esse, qualia varia à Medicis sunt excogitata & experientiâ comprobata.... Novo*, inquit, *& in doloroso morbo smilacis asperæ decoctum competere experientiâ constat.... Similiter & radicis Chinæ decoctum.... In morbo verò antiquato, Guaiaci decocto utendum esse censet, propter majorem ipsius caliditatem, quâ calor hepatis jam exolutus indiget, & quâ in crassis humoribus incidendis & abstergendis opus est.... At si morbus intensissimos dolores copulatos habeat, inungendus erit æger argento vivo: Nam nihil æquè ac tàm citò*, ait ille, *dolores mitigat; quibus mitigatis, deinceps aliquo prædictorum auxilio erit curandus æger.*

Circa inunctionum usum præcipit 1°. Ut æger *inungatur Lunâ decrescente, ut scilicet minor fiat affluxus humorum ad os*; quasi verò Lunæ influxus, qui tot aliis rebus præesse creditur, salivationem quoque regeret.... 2°. *Ut quotidie quidem semel inungatur, si vires constent; alioqui* per intervalla, *permittendo ut æger identidem quiescat, & rursùs inungatur, idque tandiù donec symptomata cessent.... 3°. Ut alvus, si non respondeat, clystere eluatur, aut æger horâ dimidiâ ante cœnam* ℥ ij. *florum cassiæ assumat; Ea enim materias acres à faucibus avertit.... Talibus inunctionibus curari* credit *non solùm Gallicum, sed multos alios morbos difficiles, si opportunus earum sit usus.*

Demùm juxta Ghinum *suffitus* mercuriales *longè efficaciores sunt inunctionibus, ideoque difficillimo & inveterato admodùm morbo, talique qui aliis præsidiis non cedit, competunt: Minimè tamen, si æger sit bilioſus, aut resolubilis, aut ex Morbo Gallico tabidus, aut asthmaticus, aut si virtus sit debilis.*

1590. HIERONYMUS CAPIVACCIUS, *seu* CAPO DI VACCA, *seu* (*a*) CAPITAURUS, Patavinus, *Medicinam* (*b*) *practicam Patavii docere cœpit anno* 1552. *Anno verò* 1561. *ad Medicinam theoricam extraordinariam secundo loco traductus est. Anno* 1587. *à Magno Etruriæ Duce Franciſco Medicæo per litteras invitatus ad principem in Gymnaſio Piſano locum Medicinæ practicæ interpretandæ maximo propoſito præmio*, annuere recuſavit. *Mortuus eſt anno* 1589. *Ingentes divitias arte ſuâ conſecutus erat, adeò ut cùm magnificentiſſimas ædes extruxiſſet, inſanâ ſubſtructione montes quoque muro circumdederit.*

(*a*) Iſrael Spachius, *in nomenclaturâ Scriptorum Medicorum.*

(*b*) Petr. Caſtellanus, *in vitis illuſtrium Medicorum.*

Habitus eſt ſummus artifex Morbi Gallici curandi, ita ut ipſe (*c*) *citra jactantiam dicat, ſe lucratum fuiſſe ultra octodecim millia coronatorum ex hoc morbo.* Creditus (*d*) eſt in curationibus ejuſmodi arcano aliquo uti. Verùm hoc ipſe conſtanter inficiatus, Polono cuidam diſcipulo ſuo ut arcanum ipſum ſibi proderet impensè roganti reſpondit: *Lege methodum meam & habebis mea ſecreta.*

(*c*) *In fine ſectionis* 2. *Lib.* 5. *methodi Pract. Medicin.*

(*d*) *In Hiſtoriâ Gymnaſii Patavini, Tom.* I.

Hieronymi Capivaccii Academiæ Patavinæ Profeſſoris ordinarii de Lue Venereâ Acroaſes, operâ Philippi Schopfii editæ Spiræ Nemetum in 8°. 1590.

Auctor in illo Tractatu de Morbis Venereis ſigillatim diſſerit, ſed eo ordine & eo rerum delectu quem in erudito Viro vix probes. Circa Theoriam inutilia multa tractat, ex Peripateticorum commentis: Circa Therapeiam verò remedia quidem multa, ſed parùm probata, nec cum rectâ methodo curatoriâ ſatis convenientia congerit.

I. Capivaccius parùm ſatagit primæ originis Luis Venereæ; » Neque » eſt, *inquit*, ut quis ita furioſè perſcrutetur, quiſnam primus auctor fue» rit illius primæ luis, quia dubio procul nova eſt hæc materia. Hæc cau» ſa quomodocumque fuerit genita, perinde eſſet ac ſi quis quæreret » quodnam priùs genitum eſſet, ovum an gallina.

II. Diſtinguit Luem veneream in hæreditariam & adventitiam. Hæreditaria poteſt à patre vel à matre produci. Credit verò adventitiam contrahi *concubitu, lactatione, ſuctione lactis, oſculo & dormitione cum infectis, ſi linteamina ſint ſordida ſudore vel ſanie.*

III. Quadruplicem admittit curatoriam methodum 1°. Uſu decoctorum Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ, Saſſafras. 2°. Inunctionibus mercurialibus. 3°. Suffumigiis. 4°. Ope Antimonii.

IV. Multis quidem deſcribit & modum & tempus exhibendi decocta ſudorifica; ſed in quibus tamen ne lato quidem ungue diſcedit à vulgari methodo. Hanc curatoriam methodum cæteris credit præferendam eſſe, ceu minùs periculoſam.

V. Fatetur tamen *hydrargyrum efficacius eſſe ad debellandam luem veneream*; ideoque *quotieſcumque lues venerea ad ſummum eſt contumax, & corporis conditio ſeu virtus permittit, non improbat ſi quis hydrargyro utatur.* Cæterùm Auctor eſt ut inunctio mercurialis *fiat fricando Chirothecis, non nudis manibus, à partibus inferioribus ad ſuperiores, non à ſuperioribus ad inferiores, ut vis unguenti per poros meliùs ingrediatur.....* & ut non repetatur *ultra ſeptem vices, quia ſi æger non exſpuit in ſeptem vicibus, nulla ſpes.*

VI. Circa usum suffumigiorum asserit *tutius esse & minùs periculosum uti inunctione*, quàm suffumigio: *Nam*, inquit ille, *suffumigium petit partes spiritales. Si tamen patiens sit robustus secundùm thoracem & pulmonem, credit licere ad suffumigium etiam ascendere, eâ ratione quia suffumigium*, ut putat, *efficacius est inunctione.*

VII. *Quoad Antimonium*, ait *hoc in se habere, ut vehementer solvat per vomitum & secessum; sed quantùm ipse experientiâ potuit colligere ac deprehendere, rarissimè luem superare*; ita ut Auctoris *ea sit sententia in lue venereâ desistendum esse ab Antimonio, & in reliquis fidendum.*

Cæterùm Tractatûs illius summa prostat in sectione posteriore *Lib.* 5. *Methodi Practicæ Medicinæ* Hieronymi Capivaccii, quæ primùm edita est à Joanne Hartmanno Beyero, Francofurti, anno 1594.

FELICIANUS BETERA, Brixianus.

De cunctis humani corporis affectibus: Magnâ scilicet & deleteriâ qualitate. De febribus malignis & pestilentibus, De Morbo Gallico, Venefico, Malignitate, Feritate, Cacurgiâ, Veneno, Corruptione, Putredine, Fermentatione. De putredinis pestilentis formâ, morbisque fulminantibus, & vulgaribus pro tertii Libri Aphorismorum ordine præsagiendis, desumptâ occasione ex Peste Brixianâ anni 1577. *exactissima Tractatio, quæ in duodecim Libris resolvitur. Ubi tota ferè ars Medica ad summum causarum, signorum, curationumque maximo cum ejusdem quotidiano fructu, per divinum veluti quoddam sublimata est.* Brixiæ 1591. *in fol.* 1591.

PETRUS FORESTUS, Alcmarianus, natus (*a*) anno 1522. Doctoralem Lauream Bononiæ adeptus est. Parisiis, Pythureis, Alcmariæ, Delphis Medicinam fecit. Anno 1575. Lugduni Batavorum in Academiâ primùm conditâ Medicinam profiteri cœpit. Mortuus est Alcmariæ anno 1597. ætatis suæ 75. 1596.

(*a*) Joann. Meursius, *in Athen. Batav. Lib.* 2.

Observationum & Curationum Medicinalium & Chirurgicarum Libri XXXII. qui singuli diversis annis successivè excusi sunt Lugduni Batavorum *in* 8°. ab anno 1591. ad annum usque 1606.

Liber ultimus, excusus anno 1606. Observationes continet XXVI. de Lue venereâ, cum Scholiis pro eâ ætate nequaquam inficetis. Observationes videntur institutæ ab anno 1548. ad annum 1570. Ad curationem nullo discrimine adhibentur inunctiones mercuriales; decocta ligni Guaiaci, Salsæ-parillæ, Radicis Chynæ; quæ eo tempore usu perinde vigebant.

WILLELMUS CLOWES, Anglus, Chirurgus Regius, scripsit Anglicè anno 1596. & omnium Anglorum, quos noverim, primus, Tractatum de Lue venereâ cum Inscriptione sequente. 1596.

A Brief and necessary Treatise touching the cure of the disease now usually called Lues venerea, qui tertiùm Londini edebatur anno 1637. *in* 4.

Ibi Auctor ille *Capitibus* 13. differit de origine, contagione, signis Luis venereæ, sed brevi; multò fusiùs verò de curatione, quam ait obtineri

poſſe quadruplici viâ. 1°. Suffumigiis. 2°. Unctionibus mercurialibus. 3°. Decoctis ſudorificis. 4°. Præparatis mercurialibus internè adhibitis, inter quæ laudat Turpethum minerale, & Mercurium quemdam, quem diaphoreticum dicit, & cujus proceſſum ipſe refert.

Notatu dignum videtur hunc Chirurgum ægrotantibus Auctorem eſſe in ſingulis ferè Tractatûs Capitibus, ut peritos Medicos de morbis venereis conſulant, ſi quis nodus inciderit difficilior; quam modeſtiam in pleriſque Chirurgis nunc meritò requiras.

1596. AURELIUS MINADOÜS, Rhodiginus, patrem habuit Joannem Baptiſtam, Philoſophum & Medicum præſtantiſſimum; fratrem verò Joannem Thomam Minadoüm, qui apud Ducem Mantuæ Medici officio functus aliquot annos, poſteà anno 1596. primarius fuit Medicinæ Profeſſor in Academâ Patavinâ.

Aurelius Medicinæ ſtuduit Patavii, ubi Hieronymo Capivaccio Profeſſore uſus eſt, ut ipſe (*a*) teſtatur. Deinde Medicinam Venetiis fecit, ac ibi edidit *Tractatum de Virulentiâ venereâ anno* 1596. *in* 4. ad Laurentium Priolum S. R. E. Cardinalem & Patriarcham Venetiarum ſcriptum, & *Capitibus* 47. comprehenſum.

(*a*) *Cap.* 43. *Libri ſui de virulentiâ venereâ.*

Primis 29. *Capitibus* fusè & ad nauſeam diſſerit de definitione luis venereæ, ac expendit ſigillatim refutatque definitiones ab aliis propoſitas.

Incipit in morbi originem inquirere *Capite* 30. cenſetque » ortum hu» jus virulentiæ fuiſſe ex corruptione diverſorum ſeminum in utero im» pudicarum mulierum adjuvante ſorditie, per quas fœminas ſolùm Indi» cas *intelligit.* Illæ enim mediantibus cœlo, aëre, aquis & locis illis ex » peculiari victûs formâ & actionum ſuarum ſordidâ atque impurâ ma» nerie contrahunt, vel rectiùs ſibi adgenerant hoc venenum, quod dein» de ad nos delatum eſt tempore Columbi, & mediantibus exercitibus » Hiſpanis & Gallis per contagium ſerpſit.

Expoſitis in ſequentibus Capitibus contagionis viis; ac differentiis, ſigniſque diagnoſticis & prognoſticis luis venereæ, ad curationem progreditur, circa quam

(*b*) *Cap.* 38. I. » *Aſſerit* (*b*) Experimento probatum eſſe fonticulorum uſum Gal» licâ lue vexatis opportuniſſimum eſſe ..... Unde ferè neminem repe» rire licet ab hac lue detentum, qui cauteria maximo beneficio & ju» vamento expertus non fuerit..... Tamen pro comperto haberi non » tantùm poſſe cauteria, ut ipſa ſola valeant integrè corpora infecta ab » omni labe expurgare, niſi pariter tantum præſidium aut præceſſerint, » aut concomitentur, aut etiam ſubſequantur idoneæ Antidotorum ad» miniſtrationes.

(*c*) *Cap.* 40. II. » *Statuit* (*c*) rationem curandi per ſuffumigia omninò debilem & » inefficacem ac prorsùs vanam eſſe, cùm morbum integrè demoliri & » vincere pollicentur; ſed in uno caſu maximè probari..... cùm ni» mirùm alicujus partis ſuffumigabilis dolores lenire decrevimus, cujus » utilitatis exempla multa ipſe vidit.

(*d*) *Cap.* 41. III. Damnat (*d*) externum hydrargyri uſum, quo *obſervavit ipſe non paucos pejora ſymptomata expertos eſſe ..... & ita exagitatos, ut fermè*

numquam priorem corporis ſtatum, nedum integrum ſanitatis habitum, recuperaverint . . . . . Neque internum hydrargyri uſum magis probat; licet enim *ipſe periculum numquam fecerit*, teſtatur à ſe *viſos fuiſſe nonnullos, qui licet per multos dies devoraverint quoſdam bolos*, qui argentum vivum receperant, ... *nec ſanati ab ipsâ lue, nec in meliorem ſtatum permutati fuerunt.*

IV. Univerſam (*a*) morbi curationem à ſudatione expectandam eſſe credit, quam movet ope æſtuarii & decoctorum ſudorificorum ex Guaiaco, quod *Regem*; ſalsâ-parillâ, quam *Reginam* (*b*) dicit; ex Chinâ & ex ſaſſafras, vel ut ille ſcribit, *Saxifras* &c. quorum adminiſtrandorum methodum multis deſcribit *Capp.* 43. & 44.

(*a*) *Cap.* 42.

(*b*) *Cap.* 41.

V. Inter (*c*) Antidota luis venereæ recenſet *Theriacam Andromachi, confectionem Cyphoidem ejuſdem* à Galeno deſcriptam *Lib.* 8. *De compoſitione Medicamentorum ſecundùm locos. Cap.* 7. *Uvas paſſas, hepar lupi, mechoacannum*, & alia hujus generis, quæ tanquam planè inefficacia dudùm ab omnibus exploſa ſunt.

(*c*) *Capp.* 43. & 44.

VI. Mirari ſubit probandum ſuſcipi à Minadoo (*d*) *Gallicum Morbum non eſſe Chimericum aut fictitium; ſed verum atque realem.* Aderant nempe ejus ætate, qui objicerent hanc luis venereæ opinionem inventam eſſe à Medicis, qui *lucri cupidi aut ægritudinis ignari* antiquo, ſed malè cognito Morbo Gallici nomen imponerent, ut tegerent ignorantiam vel pecuniam ab ægris extorquerent. Et quidem facilè crediderim olim non defuiſſe Medicos, qui luem veneream ſatis temerè aliquando cauſarentur quaſi fomitem morborum difficiliorum quorum cauſa latebat, quamquam à lue venereâ non dependerent, quâ ſanè culpâ nec ætas noſtra ſatis vacat. Sed hæc qualiacumque ſupponantur, non opinionem de luis venereæ exiſtentiâ, ſed Medicorum quorumdam fidem elevant.

(*d*) *Cap.* 47.

HERCULES SAXONIA, Patavinus, natus anno 1551. (*e*) patrem habuit Ludovicum, avum Hieronymum, & patruum Victorem Medicos aut artis medicæ Profeſſores eximios. Doctor in patriâ renuntiatus Medicinam per annum publicè docuit; ſed (*f*) *profeſſione*, quâ fungebatur, *Senatûs Veneti Decreto ſublatâ, Venetias ſe recepit, ibique Medicinam factitando ad ſummam famæ gloriam graſſatus eſt. Per hæc abſumptis octo annis, ſucceſſor Hieronymo Capivaccio deſignatur anno* 1590. in Academiâ Patavinâ. Anno 1573. Hieronymum quidem Mercurialem, quem Maximilianus II. Imperator ancipiti morbo implicitus ad ſe accerſebat, in Germaniam comitatus eſt; ſed in errore verſantur (*g*) qui Saxoniam ipſum à Maximiliano accitum fuiſſe narrant; cùm enim tunc annum vix attigiſſet viceſimum ſecundum, nondùm eam adipiſci potuerat famam, quæ Maximiliano ſui deſiderium moveret. Deceſſit Saxonia anno 1607. ætatis 56.

1597.

(*e*) Petrus Caſtellanus, *in vitis illuſtrium Medicorum.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) Ut Mercklinus, *in Linden. renov.*

Luis venereæ perfectiſſimus Tractatus ex ore Herculis Saxoniæ, Patavini, Medici clariſſimi, in Academiâ Patavinâ ordinario loco Profeſſoris exceptus &c. & luci datus operâ Andreghetti Andreghettii Medici & Philoſophi Patavini. Patavii in 4. 1597.

Quæcumque ad luem veneream pertinent, in illo Tractatu *Capitibus* 41. enucleatè explicantur, ut ferebat temporum illorum ratio.

I. Cenſet *Cap.* 2. primam morbi originem non repetendam eſſe *ab in-*

fluxu ſyderum, aut Saturni, Martis & Veneris conjunctione, ſed ab Indicarum congreſſu mulierum, quæ ex Indiis primùm in Hiſpaniam, mox Neapolim navigarunt, & Caroli VIII. Gallorum Regis exercitum infecerunt. In hoc tamen videtur errare, cùm mulieres nullas ab Indiis in Hiſpaniam devectas eſſe noverim.

II. Contagionem admittit multiplicem *Cap.* 2. nempè *uſu veneris, lactatione, ſimplici vulvæ fricatione, profuſo oſculo ex muliere circa oris partes laborante, dormitione in ſtragulis vel linteaminibus venefico hoc ſudore repletis.* Cæterùm ſubdubitat an lues contagioſa eſſe poſſit 1°. *Dormitione cum infecto, abſque ullo contactu, ſi linteamina munda fuerint.* 2°. *Uſu eorumdem poculorum, & accubitu ad eamdem menſam, ut voluit Rondeletius.* 3°. Obſtetricationis miniſterio, *ut exiſtimavit Fernelius.* Jure quidem de duobus primis, at de tertio contagionis modo ambigit immeritò.

III. Statuit *Cap.* 5. luem veneream *ſuo tempore multò ſæviorem eſſe quàm ab initio: Nam*, pergit ille, *tria tantùm obſervarunt priores Medici, qui de hac lue ſcripſerunt, Aquilanus, Leonicenus, Natalis Monteſaurus &c. Affectus ſcilicet cutaneos ſub formâ impetiginis & puſtularum, Dolores & Tumores contingere. Paucis poſt annis alia quinque his tribus connexa ſunt, defluvium capillorum, unguium, dentium, oculorum; & gonorrhœa... Hoc tempore lues venerea eſt omnium malorum principium, ut ideò potiùs innumeræ quàm innumerabiles ſint differentiæ.* Sed de his vid. ſuprà *Lib.* 1. *Capp.* 12. & 13. ex quibus liquet luem veneream, etſi paucioribus ſymptomatis forſan ſtiparetur, initio crudeliorem fuiſſe quàm aliquanto poſt intervallo.

IV. Tres admittit methodos curatorias, nempe *Unam* uſu decoctorum ſudorificorum ex Guaiaco, Chinâ & Salsâ-parillâ; *Alteram* inunctione mercuriali; *Tertiam* ope ſuffumigiorum. Quamvis ad uſum decoctorum plurimùm propendeat, fatetur tamen *Cap.* 39. *affectus venereos eſſe uſque adeò contumaces, qui decocto ligni Indici uſque ad dies etiam quinquaginta ſemel, bis, & ter ritè adminiſtrato numquam ceſſarunt, in deterius lapſi ſunt. ..... In his* credit *ſatius eſſe medicamento uti alioquin periculoſo, quàm inſanabile malum relinquere.* Porrò Mercurii uſum tam parùm periculoſum eſſe putat, ut ibidem *Leonardi Botalli lubens ſequatur conſilium*, ſtatuatque cum eodem, *pueros ac mulieres blando linimento inungi poſſe*, addatque *ſe hac æſtate menſe Julio mulierem inunxiſſe, quæ integrè eſt curata.* Videtur tamen Auctor ille credidiſſe *hydrargyrum non eſſe luis Alexipharmacum, ſed copiam tantùm humorum viſcidorum expurgare; quibus expurgatis, Alexipharmacum promptè & fortiter operatur.*

V. Uſum præparatorum Mercurialium internè exhibendorum parùm probat, excepto præcipitato quodam rubro cum auro, cujus proceſſum ipſe explicat, cujus proceſſum jam antè ab Antonio *Gallo Cap.* 2. & Gabriele Fallopio *Cap.* 79. explicatum fuiſſe fatetur; cujus proceſſus, ſed in nonnullis emendatus, nunc nullibi non proſtat.

VI. Obſervationes duas refert *Cap.* 37. *de gonorrhœâ*, certè falſas; Uſque adeò de Medicis etiam verum eſt, quod de Philoſophis Cicero olim dixit; *nihil ſcilicet tam abſurdè dictum, quod à Philoſophorum quodam dictum non ſit. Sciendum eſt*, inquit Saxonia, *quòd habui à quibuſdam expertis Venetis. Dicunt ſe à gonorrhœâ ſtatim curatos uſu veneris cum muliere Æthiope.*

Experimentum

Experimentum eſt verum. . . . . Hæc quoque ſcio, ſi tamen litteris conſignare licet, antiquâ gonorrhœâ plures fuiſſe liberatos, qui cum uxore virgine rem habuerunt, ſed tunc mulier inficitur.

Cæterùm Tractatus ille ab Andreghetto Andreghettio editus anno 1597. conſtituit Lib. 9. *Panthei Medicinæ Selecti Herculis Saxoniæ*, à Petro Uffenbachio ejus diſcipulo editi anno 1603. qui Liber totus eſt *de Lue venereâ ſeu Morbo Gallico.*

FRANCISCUS DE VILLALOBOS, Hiſpanus, « Doctor (*a*) « Medicus, Caroli Cæſaris Aulæ domeſticus, ac Philippi Principis, ſcrip- « ſit patrio ſermone, ſi D. Thomæ Tamajo fides habenda ſit. « 1598.

(*a*) Nicol. Antonio, *in Bibliothec. Scriptor. Hiſpan.*

Tratado de la Enfermedad de las Bubas, quem Salmanticæ prodiiſſe ait *in folio*, anno 1598. ſed quem nec ipſe uſurpavi, nec ab ullis Bibliographis memorari memini.

EDITIO altera VENETA COLLECTIONIS LUISININÆ. 1599.

Refert Petrus Bonnet Bourdelot, de quo ſuprà pag. 454. in Annotationibus deſtinatis ad amplificandum Mercklini Opus *De Scriptis Medicis* & in Bibliothecâ Regiâ exſtantibus Collectionem Venetam poſteriorem, quæ ſtudio & operâ Aloyſii Luiſini, Utinenſis Medici, Venetiis prodierat annis 1566. & 1567. ex Officinâ Ziletti, ibidem iterùm recuſam fuiſſe anno 1599. apud Baretium, cum ſequente inſcriptione.

Aphrodiſiacus ſive de Lue venereâ in duo volumina bipartitus, continens omnia quæcumque hactenus de hac re ſunt ab omnibus Medicis conſcripta, ubi de ligno Indico, Salſâ-parillâ, Radice Chinæ, Mercurio, cæteriſque rebus omnibus ad hujus luis profligationem inventis diffuſiſſimè tractatio habetur, ab excellente Aloyſio Luiſino Utinenſi Medico celeberrimo noviſſimè collectus, in fol. 2. *volum. Venetiis, apud Baretium* 1599.

De hac alterâ Collectionis Luiſininæ Editione intelligendus eſt procul dubio Vir clariſſimus Hermannus Boerhaave, dum in Præfatione Editioni Lugduno-Batavæ ejuſdem Operis præfixâ, *de Editionibus Italicis* hujuſce Collectionis verba facit plurali numero, unde manifeſtè arguitur Collectionem illam Luiſininam in Italiâ ſemel atque iterùm recuſam fuiſſe.

DE MORBIS VENEREIS.

LIBER SEXTUS.

Index Chronologicus Auctorum, qui de Lue venereâ ſcripſerunt ab ineunte ſeculo decimo ſeptimo ad hanc uſque diem, cum brevi plerorumque Operum Analyſi & Epicriſi.

PROGREDIMUR ſenſim ad noſtra tempora, ideoque quæcumque ad Luem veneream ſpectant, longo rerum uſu certiora fiunt, & ad Theoriam atque Therapeiam, quales nunc vulgò receptæ ſunt, paulatim comparari videntur.

I. Vix ampliùs ambigitur de primâ morbi origine ex inſulis Americanis, niſi forſan apud illos quibus Medica morborum hiſtoria planè inaudita eſt, & qui anno ipſo 1701. *cenſebant ante ſe neminem extitiſſe, qui venereorum morborum cauſas, differentias, ſigna, & curationem tradidiſſet.*

II. Una omnium confeſſio eſt morbum ex ſe & ſolo rerum non-naturalium vitio numquam generari, ſed contagione tantùm contrahi aut hæreditate venire: Quin imò, etſi conſtet à parentibus ſyphiliticis plures morbos à lue venereâ degeneres jure quaſi hæreditario in liberos manare, ut Strumas, Rachitidem, Tineam, Lichenes, Impetiginem &c. negant tamen Medicorum non pauci luem veneream legitimam eâ ratione traduci unquam poſſe.

III. Liquet ipsâ rei evidentiâ venenum, ſeu ut vulgò dicunt, virus venereum coagulatorium, corroſivum, phlogiſticum eſſe, ſeu coagulandi, corrodendi & inflammandi facultate pollere, quod medicinæ mor-

bo faciendæ ſufficit. Quæcumque viſum eſt ſuperiore ſeculo Medicis Carteſianis, Gaſſendiſtis, Chemicis & Hypotheticis, quibus *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*, ultrà comminiſci de indole arſenicali, de acidâ aut ſalſo-acidâ naturâ, de acuminatâ aut hiſpidâ figurâ primigeniarum molecularum illius veneni, hæc omnia dies jam pridem delevit: Quo exemplo moniti velim ut Medici tandem diſcant non tàm cauſarum ſatagere, quæ plerumque inacceſſæ ſunt, quàm effectuum, qui ſunt conſpicui, & quos noſſe Medicorum potiſſimùm intereſt.

IV. Obſolevit ſenſim, ceu inefficax, hidrotica ſive ſudatoria luis venereæ curandæ therapeia ex decoctis lignorum Guaiaci & Saſſafras, radicumque Chinæ & Sarſæ-parillæ; ac in locum ſucceſſit omnium ſuffragio uſus Mercurii, qui jam à cunctis habetur certiſſimum luis venereæ Rhizotomum & unicum alexicacum.

V. Rariùs in dies uſurpantur ac in deſuetudinem paulatim abeunt præparata Mercurialia, non quòd ea quæ nunc in honore habentur, nocua ſint, ſed quòd omnia perinde vana & irrita fruſtrà ſint in curandâ lue venereâ, præſertim ſi confirmata fuerit. Quamobrem uſu receptum eſt uti tantùm illitionibus mercurialibus, quæ ſi legitimè adminiſtrentur, neque ægrotorum, neque medentium ſpem unquam fallunt.

VI. Tandem abrogatis largioribus & quotidianis illitionibus, quæ ſi à periculo fortè, ab infortunio ſaltem numquam tutæ erant, jam ſolemne eſt, quod olim fuit in votis plerorumque Medicorum, unguentum mercuriale & parciore doſi & longiore intervallo ægris illinere, unde tutiſſima medendi ratio. Utinam liceat aliquando unguenti doſibus, & inunctionum intervallis ita modum adhibere, ut ea medendi methodus, non cæco caſu, ut plerumque ſolet, ſed certo conſilio regatur, & cùm jam tutiſſima ſit, efficaciſſima quoque tandem fiat.

SECULUM DECIMUM SEPTIMUM.

JOANNES SAPORTA, Monſpelienſis, Antonii filius, in Academiâ Monſpeſſulanâ profeſſorium munus adiit anno 1597. In locum abſentis Andreæ Laurentii Cancellarii Vicecancellarius electus eſt anno 1603. mortemque obiit anno 1605. Plura de illo in Hiſtoriâ Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ. 1600.

Tractatus de Lue venereâ ab Henrico Gras Doctore Medico Monſpelienſi editus ad calcem Librorum Antonii Saportæ de Tumoribus præter naturam.

Brevis ille Tractatus *Capita quindecim* complectitur, quorum primo ſtatuit Auctor *lucm ex Indiâ * Calicut in Europam fuiſſe advectam anno* 1494. . . . *Carolo V. imperante* (ut ille, ſed manifeſto anachroniſmo credit.) *Mox fœdo militum Gallorum & Italorum concubitu cum Scortis ab Indis & Hiſpanis corruptis totam Galliam & Italiam pervaſiſſe. . . . Prioribus annis immitem apud nos & ferociſſimam fuiſſe, nunc poſterioribus hiſce* (ſcilicet deſinente ſæculo decimo ſexto) *faciliorem tolerantiâ & curatione evaſiſſe.*

* Ignarus ille Geographiæ Orientales Indias cum Occidentalibus turpi errore confundit.

Explicatis in ſequentibus Capitibus naturâ, cauſis ſigniſque morbi, ex legibus Peripateticæ & Galenicæ Theoriæ, qualis tunc temporis vigebat in Scholis, ad curationem demùm accedit *Capite* 12. Præmittenda cenſet venæ ſectionem, purgationem, alterantium uſum multiplicem, quibus leviorem luem profligari poſſe putat. *Quòd ſi lues altiores infixit radices, tunc puris utendum eſſe alexipharmacis* cenſet. . . . *Talia ſunt Guaiacum, ejus cortex, Sarſa-parilla, Saſſafras & Chinna*, quorum adminiſtrandorum methodum deſcribit.

Verùm ſi lues venerea, ut non rarò contingit, tantæ ſit activitatis, ut iis non ſuperetur, experientiâ compertum eſt *ad uſum hydrargyri* recurrendum eſſe. . . . . Ipſe enim, inquit ille, *animadverti in praxi plurimos diuturniori tempore Guaiaci decocto fruſtrà fuiſſe uſos, qui ſtatim hydrargyro fuere ſanati. Quare ut gravia affert ſymptomata pravè adminiſtratum, ſic poſt univerſales purgationes . . . . plurimùm mihi commendatur in lue venereâ contumaci.*

Tribus autem modis adminiſtratur, in unctione, in ſuffumigio, & in pilulis. Duos primos ſigillatim explicat, ut ſuo tempore ſolebant adminiſtrari. Circa tertium verò refert *frequentiſſimum apud Noſtrates* (Monſpelienſes) *exhibendi hydrargyrum modum eſſe per os in pilulis, quæ ipſum vel præcipitatum recipiunt, quibus etiam aliqua purgantia miſcentur. Quod conſilium*, addit ille, *ſi methodicè fiat, plurimùm mihi probatur.*

Demùm tribus poſtremis Capitibus agitur paucis *de Therapeiâ particulari ſymptomatum venereorum, de congruâ ſex rerum non-naturalium adminiſtratione in lue venereâ, & de prophylaxi à lue venereâ.* Sed in illis nec novum, nec ſingulare quidquam occurrit.

1600. PETRUS DE TORREZ, Darocenſis in Aragoniâ, Medicus fuit & Chirurgus Mariæ Auſtriacæ Imperatricis, ſcripſitque Hiſpanicè ſequentem Tractatum

Libro, que trata de la enfermedad de las bubas. En Madrid. Anno 1600. *in* 4.

Auctor *Capitibus* 33. ſigillatim agit de luis venereæ origine, differentiis, ſignis, ulcuſculis venereis, phimoſi & paraphimoſi, porris, gonorrhœâ, abſceſſibus venereis, alopeciâ, gummatis, puſtulis, doloribus venereis, ac demùm de morbi curatione, ad quam proponit triplicem therapeiam, nempè unctiones mercuriales, ſuffumigia ex Mercurialibus præparatis, & uſum decoctorum Guaiaci, Chinæ & Sarſæ-parillæ. Adjectum eſt ad Operis calcem Antidotarium, ubi proferuntur ſyrupi, apozemata, unguenta, emplaſtra, pulveres, conſervæ & vina varia, quæ Auctoris ætate in uſu habebantur in Hiſpaniâ; ſed quæ jam pridem obſoleta ſunt.

Aſſerit autem inunctiones mercuriales cæteris methodis curatoriis plurimùm præſtare; ſingulo tantùm die adhibendas eſſe, imò in debilibus non niſi tertio quoque die; demùm doſim unguenti ad frictiones ſingulas adhibendi eſſe poſſe in robuſtioribus duarum vel trium unciarum, ſed in debilioribus unius tantùm unciæ cum ſemiſſe: circa quod advertatur velim, unguentis quæ ab illo ad hydrargyroſim proponuntur, aliis vix ſextam, fortiſſimis quintam tantùm Mercurii partem contineri; unde liquet quantâ cum prudentiâ inunctiones ab illo adhibitæ fuerint.

ALEXANDER MASSARIAS, Vicentinus, » in (*a*) patriâ annos viginti quinque artem feliciter exercuit.... Anno 1578. Venetias se « contulit, ubi ſpatio novem annorum tantùm famæ conſecutus eſt.... ut « Senatus Venetus Mercuriali *non vitâ functo*, ut ait Caſtellanus parùm memor eorum quæ ipſe dixerat in vitâ Hieronymi Mercurialis, ſed Bononiam majoribus ſtipendiis evocato, eum aptiſſimum eſſe cenſuerit, quem « in principem profitendi locum illi ſucceſſorem daret, anno 1587. De- « ceſſit Patavii ſenio confectus, anno 1598. 1598. 1601.

(*a*) Petrus Caſtellanus, *in vitis illuſtrium Medicorum*.

Practica Medica ſeu Prælectiones Academicæ continentes methodum ac rationem cognoſcendi ac curandi totius humani corporis morbos, ad nativam genuinamque Hippocratis & Galeni mentem verè optimèque inſtitutam, in antiquiſſimo & celeberrimo Patavino Gymnaſio habitæ. Cum Libro de Morbo Gallico. Francofurti in 4. 1601.

ANDREAS LAURENTIUS, Arelatenſis, Doctoralem Lauream adeptus in Academiâ Monſpeſſulanâ anno 1583. profeſſorium munus ibidem ſuſcepit anno 1590. Cancellarius electus eſt anno 1603. Fuit Archiatros Mariæ Medicææ anno 1603. & ipſius Henrici IV. anno 1606. Mortem obiit anno 1609. Plura de eo in Hiſtoriâ Scholæ Monſpeſſulanæ. 1062.

Operum Tomus alter continens Scripta therapeutica, ubi agitur *Libro ſingulari in Capita* 20. *diſtributo de lue venereâ*. Francofurti 1621. in fol.

Auctor ille nihil quidquam affert quod ſit notatu dignum. Docet quidem (*b*) luem veneream eſſe morbum novum, Veteribus ignotum, ab elephantiaſi ſive leprâ, mentagrâ Plinii, lichenibus ſeu impetigine Antiquorum, albitim Avicennæ, demùm à Græcorum pſorâ diverſum; ex Americâ in Europam ab Hiſpanis delatum; curari verò (*c*) therapeiâ methodicâ, quæ diætâ, pharmaciâ & Chirurgiâ perficitur, ſed rarò perfectè eradicari niſi antidotis ſpecificis, qualia ſunt decocta ligni Guaiaci, ſalſæ-parillæ, radicis Chinæ; inunctiones & ſuffumigia ex Mercurio.

(*b*) *Capp.* 1. & 2.

(*c*) *Capp.* 8. 9. & *ſeqq.*

Cæterùm miris laudibus (*d*) extollit Guaiacum quaſi certiſſimum luis venereæ antidotum. Ait (*e*) verò radices ſalſæ-parillæ & Chinæ utilitate ſuâ non deſtitui, ſed Guaiaco virtute inferiores eſſe. Cenſet (*f*) Mercurium, licet à multis reprobetur, (unum laudat Fernelium) poſſe tamen, modò priùs axungiis temperetur, & corrigatur oleis quæ cerebrum & nervos corroborent, extùs adhiberi, ſi opus fuerit, morbuſque cæteris auxiliis repugnaverit, ſed tamen cautè. Denique (*g*) ſtatuit uſum ſuffituum mercurialium ſummè periculoſum eſſe.

(*d*) *Cap.* 11.

(*e*) *Cap.* 13.

(*f*) *Cap.* 14.

(*g*) *Cap.* 15.

Conſtat Tractatum *de lue venereâ* à Laurentio ſcriptum fuiſſe anno 1602. cùm aſſerat (*h*) luem veneream in Europâ primùm apparuiſſe anno 1495. referatque *ibidem* eamdem jam ab annis 107. per totam Europam ſævire.

(*h*) *Cap.* 1.

JOSEPHUS QUERCETANUS, Armeniacus, id eſt DU CHESNE *d'Armagnac*, in Germaniâ diù commoratus eſt, ubi Chemiæ operam dedit ſedulam, ac plurium celeberrimorum Medicorum amicitiam ſibi comparavit, ut ipſe teſtatur *Hermeticæ Medicinæ defenſionis Cap.* 1. Ad Lau- 1603.

ream Medicinalem promotus fuit in Academiâ Baſileenſi circa annum 1573. cùm in *Conſilio* 30. typis edito anno 1603. ipſe referat, *ſe jam per triginta annos remedia, quæ adversùs Luem venereàm efficaciſſimè valent, comprobaſſe.* Lutetiam deinde venit, & inter Medicos Regios ordinarios Henrici IV. cooptatus eſt, ac Medicinam in hac urbe fecit non ſine aliquo nomine, ſed cum ſummâ Medicorum Pariſienſium invidiâ, à quibus malè habitus eſt, tanquam Chemicus, Aretalogus, Circulator. Obiit ibidem (*a*) anno 1609. ætatis jam provectæ, ut liquet ex ipſius Conſilio *de Archritide & calculo*, ubi ſe *ſenem* dicit.

(*a*) Gui Patin, *Lettre* 31.

Inter alia non pauca Auctoris illius Opera exſtat *Liber de priſcorum Philoſophorum veræ Medicinæ materiâ, præparationis modo, atque in curandis morbis præſtantiâ*, Genevæ primùm editus *in* 8. anno 1603. ad cujus calcem adjuncta ſunt Conſilia Medica quatuor, quorum tertium agit de *Lue venereâ*.

Docet ibi Quercetanus I. Luem venereàm morbum in Europâ novum eſſe; ex Indiâ ab Hiſpanis importatum; qui in Galliâ primùm apparuerit poſt reditum Caroli VIII. ab expeditione Neapolitanâ.

II. Huic morbo Medicinam plerumque fieri uſu hidroticorum, decocti ſcilicet Guaiacini, cujus adminiſtrandi methodum ſatis fusè deſcribit. Attamen *liberè fatetur quod res eſt, nempe remedium illud ſolum à ſe inſufficiens eſſe deprehenſum* in lue inveteratâ.

III. » Primas *ergo* in hoc morbo tribuendas eſſe Mercurio, qui uni» cum, verum, ſolum ſpecificum ſit luis remedium etiam inveteratæ & » deploratæ, quidquid in contrarium ſcripſerit Fernelius, ... quo re» medii genere in Galliâ ditiſſimi, delicatiſſimi, magnæque exiſtimatio» nis homines hac lue infecti feliciter tractari ſolent; » unde fit ut Auctor ſat multis agat de Mercurii electione, probatione, præparatione, mixtione & adminiſtratione.

IV. Demùm non paucas eſſe tum Guaiaci, tum Mercurii præparationes, quas Auctor ad morbum utiliter valere cenſet ex præjudicio quod apud Chemicos novum non eſt; Guaiaci quidem aquam ſubacidam, ſpiritum acidum, oleum &c. ex Guaiaci ſcobe affusâ aquâ deſtillata ex arte; Mercurii verò præcipitata varia, Turpethum minerale, Mercurium vitæ &c. quæ ſingula jam ante 25. annos in pharmacopœâ ſuâ ſpagyricâ à ſe propoſita fuiſſe gloriatur.

(*b*) *De Scriptis Medicis.*

1604. EUSTACHIUS RUDIUS, Bellunenſis, & non Utinenſis, ut à (*b*) Lindenio & (*c*) Merklino dicitur, Amicus & Concivis Joannis Colle, ut teſtantur ipſius Colle Opera, fuit (*d*) in Gymnaſio Patavino primarius practicæ Medicinæ Profeſſor ab anno 1599. ad annum 1611. quo mortuus eſt. Succeſſerat Alexandro Maſſariæ.

(*c*) *In Lindenio renovato.*

(*d*) *Hiſtoria Gymnaſii Patavini, Tom. I.*

De Morbo Gallico Libri quinque à Mundino Mundinio è privatim domi legentis ore excepti, atque ita diviſi, in Capitaque diſtributi, Venetiis 1604.

1604. 1608. FABIUS PACIUS, Vicetinus, Alexandri Maſſariæ concivis, nepoſque ex conjuge, ut ipſe Maſſarias refert, *Diſſertationis de Scopis mitten-*

di sanguinis, parte 2. natus anno 1547. Doctoralem Lauream accepit anno 1575. sed jam antè cœperat Medicinam Vicetiæ factitare ab anno 1568. cùm ipse *in Appendice ad Lib.* 7. *methodi Medendi*, quam constat ex præfixâ Præfatione ante annum 1608. scriptam fuisse, referat *se quadraginta jam annos in Medicinâ faciendâ in civitate numerosissimâ cum optimis Medicis non otiosè versari.* Denatus dicitur anno 1614. ætatis 67.

Vicetiæ excudi curaverat *in folio* anno 1598. *Commentarium in sex priores Libros Galeni Methodi medendi.* Anno 1608. edidit ibidem eâdem formâ *Commentarium in septimum Galeni Librum*, cum adjecto ad calcem *Tractatu de Morbo Gallico per Methodum curando*, quem circa annum 1604. scriptum fuisse ex eo palam est, quòd Fabius referat Morbum Gallicum 110. *ante annis in Italiâ, Gallicâ expeditione ad Neapolim se exeruisse.*

Postquam multis disputavit in illo Tractatu juxta Peripateticorum dogmata, de naturâ, definitione, subjecto & contagione Morbi Gallici, ac de putredine, à quâ ortum habeat; inquirit in ejusdem originem, ac contra vulgarem opinionem contendit morbum illum novum non esse; quod ut evincat 1°. Ait nullum symptoma in Morbo Gallico evenire, quod antiquam appellationem & naturam non habeat. Quasi verò ex eo quòd singula symptomata seorsim olim nota fuerint, liceret inde colligere peculiarem eorumdem symptomatum syndromen à contagione venereâ oriundam, quæ nunc *Lues venerea* appellatur & de quâ quæstio est, antiquitùs cognitam fuisse. 2°. Adducit aliquot Martialis loca, ut *Epigram. 66. Lib.* 1. de Cæciliani ficis, & 70. *Lib.* 7. de familiâ ficosâ. 3°. Profert locum illum Juvenalis in *Satyra* 2. ubi Poëta acriter insectatur vanum probitatis simulatorem, qui cum hispidis membris & atroci animo muliebria pati solebat, unde *Mariscas* contraxerat. Sed hæc argumenta planè futilia sunt, neque opinioni de antiquitate luis venereæ *dare pondus idonea*, ut suprà probatum est *Lib.* 1. *Cap.* 2.

Quòd ad curationem, tres distinguit Morbi Gallici species, *Incipientis, confirmati, & inveterati.* 1°. Ad incipientem adhibet tantùm diætam, universalia medicamenta, ac topica multigena, quæ levioribus morbis venereis, ulcusculis pudendorum, gonorrhœæ, bubonibus &c. medeantur. 2°. Ad confirmatum, præter remedia eadem, laudat usum Guaiaci, Salsæ-parillæ, Radicis Chinæ, imò ligni Juniperini, quo *Franciscum Anzolellum avum suum maternum, & Victorem Trincavellium feliciter olim usos esse* refert.

3°. Jubet ad curandum Morbum Gallicum inveteratum *decocta sudorifica intendi, victumque siccantiorem adhiberi.* Suffumigia quidem tunc non reprobat, si ex aromatis componantur; Damnat verò quæcumque *ex metallicis parantur, cinnabari præsertim, adjectis aromatis, quæ usque adeò suspecta illi sunt, ut miretur fuisse aliquem, qui vel ea præscribere, vel præscriptis uti ausus sit.*

Circa *inunctionem ex hydrargyro*, fatetur eam *nescio quid habere securius ac probabilius* quàm suffimigia, & se *tametsi nemini unquam suaserit, aliquibus tamen qui eam usurpandam deliberassent, præsto fuisse, componendi rationem edixisse Chirurgo, inungenti adstitisse, ægrum debitâ purgatione para-*

visse, membra principalia antidotis præmunivisse, symptomata supervenientia correxisse, mitigavisse, reliquias veneni hebetavisse atque discussisse.

» De eventu quod dicam hoc habeo, *pergit ille*; ex decem inunctis » hominibus vix unum sanitatem, incertam tamen ac veluti fucatam esse » consecutum; reliquos partim nihil profeciisse, partim & deteriùs ha- » buisse, ut qui appendicem malorum reportaverint, dolorem articulo- » rum, oris ulcera, fœtorem, perpetuum salivæ fluxum, tinnitum au- » rium, visûs obscuritatem, & alia fortasse.

Confitetur tamen, *qui gummatis tophisque scaterent, iis magno inunctionem subsidio fuisse, ut quæ duritiem ac tumorem omnem aut prorsus abolevisset, aut magnâ ex parte mollisset ac minuisset.*

Cæterùm videtur Auctor ille potiùs Cathedrarius Professor fuisse, quàm Medicus Practicus.

1605. Ludovicus Mercatus, sive de Mercado, Hispanus, ex urbe Pinciâ, hoc est urbe Vallesoletanâ in Vetere Castiliâ, vulgò *Valladolid*, patriam Academiam (*a*) plurium annorum professione nobilitavit. Inde accersitus ad Regiam à Philippo II. totos viginti annos ejus valetudinem felicissimè rexit; quo defuncto eidem officio vacavit apud Philippum III. ejusdem filium. Demùm (*b*) annum agens 86. suppressâ ex calculo urinâ per dies 18. in acerbissimis cruciatibus obivit.

(*a*) Nicolaus Antonio, *in Bibliothecâ Hispanâ.*

(*b*) Petr. Castellanus, *in vitis illustrium Medic.*

Opera omnia quinque Tomis comprehensa, & in viginti Tractatus divisa, quorum *septimus*, qui prostat in Tomo 2. agit *de Morbo Gallico.* Tomus autem ille secundus primùm prodiit Vallesoleti *in fol.* anno 1605. Deinde cum cæteris Tomis simul editus est Francofurti anno 1620.

Hujusce Tractatûs de Morbo Gallico Libri duo sunt, quorum *Primus continet omnia quæ ad ejus naturam, & curationem generalem pertinent; Secundus peculiarem quorumcunque accidentium medelam.*

(*c*) *In Præfatione.*

In primo Libro legere est 1°. (*c*) Morbum Gallicum *novum esse & ortum non multis annis..... Monstra proinde fingi ab iis qui asserunt non esse novum affectum, sed reducibilem ad veteres.*

(*d*) *Cap.* 2.

2°. Morbum illum (*d*) contagione contrahi, *congressu, basiatione, adhæsione cutis ad cutim, communione lecti, indumentis, vasis.*

(*e*) *Capp.* 4. 5. 6. 7. & 8.

3°. Hunc morbum (*e*) præmissâ præparatione methodicâ curari posse (*f*) 1°. *Decoctis Guaiaci, Sparsæ-parellæ, & radicis Chinæ.* 2°. Inunctionibus mercurialibus, quibus ait (*g*) *Medicos omnes suâ ætate frequentiùs uti, quantumvis timidi aut cautiores sint, quia experimento didicerunt ferè omnibus profuisse, etiam illis quibus nullum aliud auxilium præstiterat.* Eas tamen inunctiones cæteris *tutiores esse docet, quæ parùm argenti recipiant, modò ad* 15. *aut* 20. *dies continuentur, ne quæ supersunt fermenti veteris vestigia reversionem morbi iterum efficiant.* 3°. (*h*) *Suffumigiis*, quæ dicit *aliquando plurimùm invaluisse, sed suo tempore sponte ab usu recessisse..... quia tam sæva & periculo plena existunt, ut vix prudens & cordatus Medicus eis uti tutò possit.*

(*f*) *Cap.* 10.

(*g*) *Cap.* 11.

(*h*) *Cap.* 12.

4°. Demùm *Cap.* 13. proponit *pro conterendis morbi reliquiis varia auxilia, quæ sibi ratione & experimento probata esse* asserit, ut *apozemata, syrupos, aquas stillatitias, pilulas, pulveres, condita &c.* sed quæ singula planè inefficacia sunt.

In

In ſecundo Libro ſigillatim explicat *Capitibus* 10. methodum medendi variis affectibus venereis, ut *maciei, doloribus, buboni, tumoribus, ulceribus, puſtulis & gonorrhœa*; ac multa proponit medicamentorum genera, quæ ſuâ ætate uſu recepta erant, ſed pleraque ex Galenicâ Pharmaciâ deprompta.

ANDREAS DE LEON. *Dubium* (*a*) *eſt an Granata ortus fuerit, an incola? Certè Medicam & Chirurgicam artem Granata exercuit, imò & in ipsâ Aulâ Regis Hiſpaniarum Philippi II. expeditionis Luſitanæ tempore*, anno ſcilicet 1580. 1605.

(*a*) Nicol. Antonio, *Bibliothec. Hiſpanic.*

Exſtat Tractatus hiſpanicè ſcriptus, cujus titulus eſt:

Practica de Morbo Gallico, en el qual ſe contiene el origen, y conoſcimiento deſta enfermedad, y el mejor modo di curarla. Pinciæ 1605. *in* 4.

BARTHOLOMÆUS PERDULCIS, Helvius ſeu Vivarienſis, natus (*b*) Bouilleuci, in Oppidulo Pagi Helviorum anno 1545. Doctoralem Lauream Lutetiæ obtinuit anno 1572. Ibidem Medicinam majori celebritate docuit quàm fecit. Fato functus eſt ex apoplexiâ anno 1611. ætatis ſuæ 66. 1605.

(*b*) Ex ejus vitâ à Renato Moreau *ſcriptâ & Operibus Barth. Perdulcis præfixâ.*

Univerſa Medicina ex Medicorum principum ſententiis conſiliiſque collecta. Opus editum à Renato Charterio Pariſienſi Medico, Pariſiis anno 1630. in 4.

Perdulcis duodecimo hujus Operis Libro, qui *de contagioſis & cutaneis* affectibus inſcribitur, agit *Capite IX.* de lue venereâ, ac quæ jam millies dicta erant repetit, morbum novum eſſe, & ab Indiâ Occidentali in Europam deductum; curari, ſi recens ſit, decocto ligni ſancti, radicis Chynæ, ſarzæ-parillæ; ſi difficilior fuerit, opus eſſe inunctionibus, ſuffitibus, catapotiis ex Mercurio.

JOANNES VARANDÆUS, Nemauſenſis, ad Doctoralem gradum promotus anno 1587. in Academiâ Monſpeſſulanâ, Profeſſor Regius ibidem renuntiatus eſt anno 1597. Ad Decanatum pervenit anno 1609. Obiit anno 1617. Plura de eo in Hiſtoriâ Scholæ Monſpelienſis. 1610.

Tractatus de Elephantiaſi ſeu Leprâ; item de Lue Venereâ & hepatitide ſeu hepatis atoniâ. Genevæ 1620. in 8. qui Tractatus proſtat *pag.* 294. in Collectione Operum omnium Varandæi, ſtudio Henrici Gras typis editâ Lugduni anno 1658. ſub inſcriptione *De Morbis hepatis & lienis.*

Ibi diſſerit Varandæus de lue venereâ *Capite unico*, nec quidquam affert quod antè vulgatum non fuerit. Morbi originem ab Indiâ arceſſit, & luem illam ab elephantiaſi diverſam eſſe ſtatuit probatque.

Putat morbum eò magis ſævire, quò frigidior eſt Regio in quam irrepſit, unde *frigida & craſſa magis retinentur*; ideoque *apud Lutetiam Pariſiorum & (c) Rothomagum & ſimiles urbes ferociorem eſſe hunc affectum, quàm in Occitaniâ aut Hiſpaniâ.*

(*c*) Vid. quæ de lue venereâ Rothomagenſi diximus ſuprà *pag.* 451.

Quòd ad curationem præmiſſis præparantibus remediis, quæ ſunt ex purgantium & alterantium familiâ, deinde refert *allata eſſe ad nos duo & ligna totidem radices ex Indiis, quæ ad hoc peculiarem habent energiam,*

lignum ſcilicet Guaiacum & lignum Saſſafras, radicem Salſæ-parillæ & radicem Chinæ.

Eſſe princeps & veluti regium medicamentum in hoc affectu Guaiacum ſeu lignum Sanctum, ita ut meritò verum iſtius luis Alexipharmacum ſeu Bezoarticum appellari debeat, quia ad certam, citam & tutam luis venereæ curationem omnibus aliis præpollet.

Saſſafras, Salſam-parillam & Chinam virtute cedere Guaiaco, ſed Saſſafras *valdè eſſe commodum omnibus iis, qui ex lue venereâ diutiùs ſæviente in apepſiam, cachexiam, aquam intercutem & alias paſſiones hydropicas inciderunt, aut qui tumores frigidiores patiuntur.* Salſam-parillam *habere proprietatem quamdam ad dolores artuum ſedandos.* Radicem Chinæ *credi atrophiæ ex morbo iſto comparatæ, fluxionibus acribus & aſthmati convenire.*

Hydrargyrum *medicamentum eſſe malignum & deleterium, ſi per ſe ſpectetur..... attamen non eſſe rejiciendum in hoc affectu, cùm & in ſcabie & leprâ jam olim feliciter fuerit uſurpatum; ſed eo utendum in rebelli conſtitutione, aut malignorum ulcerum & dolorum feritate, quæ aliis remediis priùs commemoratis cedere non potuit: Summâ tamen cautione, ut neque puerulis, neque ſenioribus, nec gravidis mulieribus, aut paralyſi, nervorum imbecillitati vel anginæ obnoxiis exhibeatur, neque febricitantibus, aut valdè macilentis.*

Demùm balnea naturalia aquarum thermalium *magis nocere quàm prodeſſe, ut compertum eſt ex balneis Belilucanis* (de Baleruc) *quamvis generoſiſſimis, ex quorum uſu lue venereâ affecti graviùs ſe ſe habere conſueverunt.*

Expoſitâ generali luis curatione, proponit deinde therapeiam particularem ſingulorum affectuum, *qui luem veneream velut aſſeclæ præcedunt, vel comitantur*; ſed de his jam ſatis.

1610. HENNINGUS ARNISÆUS, Halberſtadienſis, in Academiâ Helmſtadienſi fuit Medicinæ Profeſſor, unde in Daniam advocatus eſt ad Archiatri munus. Sanè eo fungebatur officio apud Chriſtiernum IV. Regem Daniæ anno 1630. quo Antonius Guntherus Billichius Epiſtolam dedicatoriam ad illum ſcripſit, quæ præfixa eſt Libris duobus *Obſervationum ac Paradoxorum Chimiatricorum.* Fato functus eſt anno 1635.

Scripſit *Diſputationem de Lue venereâ cognoſcendâ & curandâ*, editam Oppenheimii 1610. *in* 4°.

1611. TANEQUINUS GUILLAUMET, Chirurgus Nemauſenſis.

Traité de la Maladie nouvellement apellée Cryſtalline, par T. Guillaumet, Chirurgien du Roi, Doien & Maître Juré en la Cité de Niſmes. Lyon 1611. *in* 12.

Hic Auctor videtur non ſemel in hoc libello *Cryſtallinæ* nomine Inflammatorios vel Oedematodes tumores Præputii aut Balani in viris, Caduridorum aut Nympharum in mulieribus intelligere. Ut plurimùm tamen Cryſtallinam cum Lue venereâ perfectiſſimè confundit.

Capitibus decem ſatis brevibus, quibus Liber abſolvitur, multa effutit de Luis venereæ naturâ, causâ, ſymptomatis, ſigniſque diagnoſticis atque prognoſticis, ſed nullo ordine atque judicio. Ad therapeiam, prout ſua ferebant tempora, proponit decocta è Guaiaco, ſuffumigia & cerata

Mercurialia, vel varia Mercurii præparata internè exhibenda.

HORATIUS GUARGANTUS, Soncinenſis. 1613.

Reſponſa varia ad varias ægritudines, & in primis tres Tractatus, unus de Dyſenteriâ, alter de Morbo Gallico, tertius de Febre peſtilentiali & de Peſte. Venetiis 1613. *in* 4°.

JOANNES MACOLLO, Scotus, typis mandavit Florentiæ *in* 12. anno 1616. dùm Profeſſor erat Medicinæ Chymicæ in Univerſitate Piſanâ, 1616. 1622.

Theoriam Chymicam luis venereæ, quæ Hermeticæ Medicinæ Elementa pandit.

Ac deinde *in* 8. Londini anno 1622 dùm inter Medicos ordinarios Jacobi I. Magnæ Britanniæ Regis adſcriptus erat,

Iatriam Chymicam exemplo Therapeiæ Luis venereæ illuſtratam.

Uterque libellus ejuſdem planè farinæ eſt, & ſtilo putido, inſulſo & metaphorico ſcriptus, qualis Chymicorum eſſe ſolet, ut vel ex luis venereæ definitione patet, quam *Theoriæ Chymicæ Cap.* 5. proponit. « Lues venerea, *inquit*, impuritas eſt ſalis & Mercurii ſpecifica & contagioſa, « prognata è ſeminibus, quæ priùs in ſuperiore orbe deliteſcentia, poſ- « teaque germinantia, quædam corpora humana parata ad ea ſuſcipienda « primò invaſere & ad alios contage vel hæreditario jure propagata ſunt. «

In priore Tractatu *Capitibus quinque*, quæ Theorica ſunt ita genericè tractantur, ut nihil ferè ſit quod ad luis venereæ Theoriam pertineat. Nec diſpari methodo in poſteriore, qui *Capita ſex* continet, poſt ineptias multas ita ſuccinctè agitur de Therapeiâ luis venereæ ſex poſtremis Libri paginis, ut nomine tantùm proferantur ſequentia remedia, nempè Mercurius Vitæ ex Butyro antimoniali; Pulvis ex ſolutione ejuſdem Butyri in ſpiritu nitri, & ſolutione duodecimæ partis auri in aquâ Regiâ, quæ igne lentè primùm exſiccante, deinde violento in pulverem calcinantur; Extracta, Olea, Salia Guaiaci, Salſæ-parillæ, Chinæ &c. Mercurius ſublimatus dulcis; Inunctiones mercuriales; Emplaſtra & Suffumigia mercurialia. Iis autem curſim indicatis Auctor ſequenti Epiphonemate Librum audacter concludit: *Interim Vos, ô fumoſi Chymici, Antiquarii Hippocratiſtæ, Nugigeri Galenibiles, Barbari Avicennates, in mediis ægrorum planctibus utimini foro. Valete & Plaudite.*

EITEL JOACHIMUS KRUPPELIUS. 1616.

De Morbo Gallico 1616. in 8.

FRANCISCUS RANCHINUS, Monſpelienſis, Medicinæ nomen dedit in Facultate patriâ anno 1587. Doctoris gradum conſecutus eſt anno 1592. Profeſſorium munus adiit anno 1605. ſucceſſitque mortuo Joanni Saportæ. Cancellarius electus eſt anno 1612. in locum Andreæ Laurentii jam à tribus annis fato functi, ac demùm mortem obiit anno 1641. Plura de illo in Hiſtoriâ Facultatis Medicæ Monſpeſſulanæ propediem edendâ. 1605. 1620.

Ranchinus, cùm profeſſorium munus nondùm adeptus Andreæ Laurentii abſentis nomine Medicinam doceret, Chirurgis publicè prælegit

Quæſtiones Chirurgicas, ut in Facultate Monſpeſſulanâ tunc ex uſu fuit; quas ante annum 1605. publici juris fecit cum inſcriptione ſequente.

Queſtions Françoiſes ſur toute la Chirurgie de Gui de Chauliac, diviſées en trois Parties.

Ibi *Partis* 2. *Sectione* 3. *Lib.* 7. ex occaſione Lepræ nonnulla quærit de Lue venereâ.

Nempe I. *An lues illa ſit morbus novus, & qui Antiquis ignotus fuerit?* Reſpondet affirmativè ac oppoſita argumenta paucis diluit, ſed ſatis eruditè.

II. *An lues eadem morbus calidus ſit frigiduſve?* Reſpondet naturâ frigidum, ex accidente calidum eſſe.

III. *An hepar ſit in lue venereâ pars vitio affecta?* Reſpondet affirmativè ex præjudicio, quod ipſius ætate adhuc valebat.

IV. *An lues venerea contactu contagioſa ſit?* Reſpondet affirmativè.

V. *An Guaiacum ad curandam luem veneream faciat?* Reſpondet affirmativè.

VI. *An liceat argentum vivum adhibere ad luis curationem?* Reſpondet argentum vivum adhiberi poſſe, ſi cætera remedia blandiora priùs adhibita fruſtrà fuerint.

Scripſit idem de eodem argumento Tractatum alterum ex præcedente quidem concinnatum, ut ipſe confitetur in Præfatione, ſed duplo auctiorem & in duas partes diſtributum, *Alteram* de Morbi Ætiologiâ, quæ Capita 10. *Alteram* de ejuſdem Therapeiâ, quæ Capita 32. continet. Huic autem ſequentem inſcriptionem præfixit.

Traité de l'origine, nature, cauſes, ſignes, curation & préſervation de la Vérole, qui Tractatus proſtat inter illius Auctoris Opuſcula, Lugduni edita *in* 8. anno 1640.

Docet ibi ut in priore Tractatu, ſed paulò fuſiùs.

(*a*) *Partie* 1. *chapp.* 1. & 2.

I. Luem veneream (*a*) morbum eſſe novum, Veteribus ignotum, qui in Europâ ſæviat circiter ab annis 120. unde colligere facile eſt Tractatum hunc circa annum 1620. ſcriptum fuiſſe.

(*b*) *Ibid. chap.* 7. Et Traité de la Lépre, *chap.* 8.

II. Luem veneream (*b*) à leprâ diverſam eſſe naturâ, causâ, ſymptomatis, curatione.

(*c*) *Part.* 2. *chapp.* 7. 8. 9. 10. & 11.

III. Therapeiam ſudorificam, (*c*) qualem præſtant decocta Guaiaci, Saſſafras, Chinæ, Salſæ-parillæ, utilem eſſe ad recentiorem & leviorem luem.

(*d*) *Ibid. chap.* 13.

IV. Sed Mercurio (*d*) utendum eſſe ad curandam luem veneream, quæ confirmata & difficilis eſt, & quæ ſudorificorum efficaciam fruſtrata fuit.

(*e*) *Ibid. chapp.* 15. 16. & 17.

V. Uſum quidem (*e*) inunctionum mercurialium, & ceratorum vel emplaſtrorum, quæ Mercurium recipiunt, tutum eſſe : Suffumigiorum verò Mercurialium periculi plenum.

(*f*) *Ibid. chap.* 18.

VI. Argentum vivum (*f*) crudum ſed terebinthinâ extinctum ore tutò exhiberi poſſe in pilulis; at verò non ita Mercurium præcipitatum rubrum, ut qui acrimoniâ ſeu potiùs deleteriâ vi damna cieat aliquandò graviſſima.

(*g*) *Ibid. chap.* 19.

VII. Symptomatis variis, (*g*) quæ illitionibus, emplaſtris vel ſuffumigiis Mercurialibus inducuntur, arte variâ medendum eſſe, quam ipſe explicat.

VIII. Cætera luis venereæ (*a*) ſymptomata, gonorrhœam, tumores teſtium, urethræ caruncolas, bubones, virgæ ulcera, cryſtallinas, verrucas, puſtulas, alopeciam, venereos dolores, oſſium cariem, gummata nodoſque peculiaribus remediis curanda eſſe, qualia ille recenſet.

(*a*) *Ibid. Chapp. 20. & ſuiv.*

IX. Denique (*b*) nullâ certâ methodo poſſe quemquam, qui venere vulgivagâ utatur, à lue venereâ tutum ſe præſtare. Cenſet tamen ad hunc finem profutura eſſe remedia à Fallopio olim propoſita, aliaque nonnulla, quæ ipſe proponit, quæ tamen ambo remediorum genera conſtat nullius efficacitatis eſſe.

(*b*) *Ibid. Chap. 32.*

Cæterùm illi duo Ranchini Tractatus, tum re, tum ſtilo inter mediocres numerandi ſunt, ut & pleraque alia ejuſdem Auctoris Opera.

DANIEL SENNERTUS, Vratiſlavienſis in Sileſiâ, natus anno 1572. patrem (*c*) habuit Nicolaum Sennertum Calcearium. Doctoris gradum Wittebergæ aſſecutus eſt anno 1601. Ibidem profeſſorium munus ſuſcepit anno ſequente 1602. In numerum Medicorum cubiculariorum à Joanne Georgio I. Electore Saxoniæ adſcitus anno 1628. Obiit Wittebergæ anno 1637. ætatis anno 65. 1620.

(*c*) *Oratio Panegyric. Daniel. Sennerti ab Auguſto Buchnero dicta in Academiâ Vittebergenſi, anno 1638.*

Opera omnia in tres Tomos diviſa, in fol. Ibi *Libro 6. De Morbis occultarum qualitatum, Parte* 4. Sennertus diſſerit de lue venereâ. Nihil quidem in eâ diatribâ neque novum, neque rarum eſt, ſed omnia ita ad nitorem, ordinem, elegantiam, perſpicuitatem concinnata, ut in hac ſolâ lucubratione paucis contracta & digeſta videas, quæ in immenſis voluminibus nullo ordine ſparſa ſunt: Quod de cæteris omnibus Sennerti Tractatibus dictum volo.

VICTOR MANGGUS, (*d*) Schattenchalenſis, (*e*) vel Schrattenchalenſis. 1620.

(*d*) Mangetus *in Biblioth. Medic.*

De Lue venereâ Diſputatio. Exſtat Decade IV. Diſputationum, quas collegit & edidit Baſileæ Joannes Jacobus Genathius 1620. *in* 4°.

MATTHIAS UNTZERUS, Hallenſis in Saxoniâ, natus eſt (*f*) anno 1581. Medicinæ operam dedit Lipſiæ, Tubingæ, Patavii, ac demùm Baſileæ, ubi Doctoris titulo inſignitus eſt. Medicinam fecit in urbe patriâ, ubi mortem ex acuto morbo oppetiit anno 1624. ætatis 43. 1620.

(*e*) Merklinus, *in Linden. renovat.*

Anatomia Mercurii ſpagirica, ſeu de hydrargyri naturâ, proprietate, viribus & uſu, Libri duo. Hallæ Saxonum, 1620. *in* 4°.

(*f*) Ex illius Epitaphio commentationi ejuſdem *De Sale* præfixo.

In priore quidem Libro continentur Capita 23. quibus Untzerus multa refert de naturâ, indole & uſu Mercurii, tùm Chimico, tùm Medico, tùm Mechanico; & quod ad inſtitutum noſtrum propiùs ſpectat, ſedulò inquirit *Capite* 18. *nùm hydrargyri inunctio conveniat in lue venereâ*, ac penſitatis rationum momentis in utramque partem, affirmativè concludit, ſed reſtrictè, *Hydrargyroſin peritè circumſpectèque à prudenti Chirurgo inſtitutam, aliis tamen non neglectis convenientibus remediis, non eſſe ſemper rejicientam, aut tanquam peſtiferum aliquod Medicamentum angue caneque pejus fugiendam, ſed potiùs pro ſummo veneni Gallici alexicaco habendam*, quod multis probat argumentis, & quod iterùm affirmat *Cap.* 22. *ubi de uſu Mercurii in Morbi Gallici curatione.*

In Libro posteriore disserit Capitibus 17. *De variis Mercurii præparationibus cùm Medicum, tùm Chimicum usum concernentibus*, ubi reperire est præparationes mercuriales ferè omnes, quas tanquam arcana seu mysteria maxima nunc silentio à quibusdam tegi videmus.

Cæterùm fatendum quidem est potissima, quæ ab Untzero proferuntur, ex variis Auctoribus excerpta & corrasa esse; at verò fatendum simul pleraque non sine judicio delecta fuisse.

1621. 1628. JOANNES COLLE, Bellunensis, natus anno 1558. Doctoris titulum Patavii impetravit anno 1584. ubi Professores audivit Hieronymum Capivaccium, Albertium Bottonum, & Æmilium Campolongum, quos passim suos Præceptores vocat. Venetiis Medicinam fecit annos 15. Electus fuit anno 1600. Archiatros Francisci Mariæ II. Ducis Urbini, & eo munere functus est usque ad annum 1623. quo tempore Patavium ad primariam Cathedram Medicinæ vocatus fuit morte Roderici Fonsecæ vacuam, ibique obiit anno 1631. ætatis suæ 72.

In luem emisit anno 1621. *in folio* Venetiis Opus Medicum in tres Libros distributum, cui titulum sequentem fecit, ut ad nomen Cosmi II. Medicæi, Magni Etruriæ Ducis, cui nuncupabatur, satis frigidè alluderet.

Cosmitor (hoc est Græcè *Ordinator*) *Medicæus triplex, in quo exercitatio totius artis Medicæ, loca dilucidata, & quæsita varia decisa, ac Consultationes medicinales, & quæstiones practicæ enucleatæ proponuntur.*

Hujus Operis *Libro secundo* exstat brevis Dissertatio *de radice Chinæ*, ubi ait, *radicem illam à Lusitanis primùm delatam anno* 1535. *& tunc variè appellatam fuisse, Chinam, Cinam, Echinam & Arlinam, à* * *Chinensibus verò Lampatam.* Cætera quæ de temperamento, colore, figurâ, dosi & usu radicis illius affert, nihil habent singulare & ubique obvia sunt.

Exstat ejusdem Liber alter Venetiis excusus *in* 4°. anno 1628. cum sequenti inscriptione: *Methodus facilè parandi jucunda, tuta & nova Medicamenta, & ejus applicatio adversùs Chymicos; ubi de antiquâ Morbi Gallici naturâ, ejusque symptomatibus, notitiâ & medelâ singulari*; sed quem nondum usurpare mihi contigit.

1623. DAVID DE PLANIS CAMPY, Chirurgus Galenicus & Spagyricus, Tractatum Gallicè scripsit de lue venereâ cum inscriptione sequente,

La Vérole reconnuë, combattuë, & abbatuë sans suer & sans tenir chambre, avec tous ses accidens,

quem Lutetiæ Parisiorum excudendum curavit in 8. anno 1623. & quo octo tantùm Capita continentur, cum adjecto ad calcem *Antidotario venereo.*

* Radix quidem Chinæ in Sinensi Imperio copiosè colligitur: Verùm non *Lampatam*, sed *Tou fou lin* ibidem appellatur. *Description de l'Empire de la Chine.* Par le P. du Halde, *Tom. III. pag.* 521.

Capitibus 1. & 2. affirmat luem veneream in orbe noſtro perpetuam fuiſſe; ſed ideò magis viguiſſe circa annum 1493. tempore belli Neapolitani, tùm quòd Hiſpani admiſto leproſorum ſanguine vina infeciſſent, quæ Gallis derelicta permittebant; tùm quòd Præbitores annonarii humanam carnem exercitibus in cibum ſubminiſtraſſent; quæ duo commenta jam ſuprà refutavimus *Lib.* 1. *Cap.* 8.

Sequentibus Capitibus diſſerit pro ingenii modo, ſeu potiùs deblaterat de naturâ, causâ, effectis, diagnoſi & prognoſi luis venereæ; ac demùm *Capp.* 6. & 8. multa proponit remedia, multaque præparata Mercurialia, quibus internè adhibitis luem profligatum iri pollicetur.

In adjecto Antidotario, ubi proſtat remediorum farrago, duo præ cæteris notatione digna viſa ſunt.

I. Uſum Arſenici præparati ad luem veneream ab Auctore laudari, tùm externum, tùm internum; externum quidem, ſi Arſenico cum aquâ vitæ confuſo plantæ pedum manuumque palmæ confricentur, quo ſudores moveri; internum verò, ſi Arſenicum pulveratum internè exhibeatur ad grana v. vj. vel vij. quo alvum blandè ſolvi ait. Sed nemini auctor eſſe velim ut alterutri therapeiæ, ſed præſertim poſteriori umquam confidat.

II. Miris laudibus ab eodem extolli Mercurium fixum & diaphoreticum ſequenti methodo præparatum, qui cum præcipitato ſolari fermè convenit.

℞. *Mercurii crudi probè depurati* lib. j.
Reguli Antimonii ʒ j.
Auri purificati ʒ j.
Solvantur ſingula ſeorſim menſtruis propriis ut artis eſt. Solutiones [illegible]ſce in cucurbitâ vitreâ: Diſtilla ad ſiccitatem: Cohoba ſepties: Demùm pulverem reſiduum lava tepidâ & exſicca donec rubeſcat.

Tunc ℞. *Phlegmat. alumin. & Vitriol.* ana lib. j.
Aceti diſtillati lib. iij.
Albuminum ovorum coctorum ad duritiem lib. viij.
F. ex arte diſtillatio ex cucurbitâ & iterata cohobatio.
Hæc aqua ſupra dictum pulverem bis vel ter diſtilletur.

PETRUS ROSTINIUS, Doctor Medicus. 1623.

Trattato di mal Franceſe, nel quale ſi diſcorre di ducento è trenta quattro ſorti de eſſo male; & à quanti modi ſi può prendere è cauſare è guarire: In Vicenza 1623. *in* 8.

Fatetur quidem Auctor ille Diſſertationem ſuam ex antiquioribus Medicis, qui de morbis venereis ſcripſere, potiſſimùm verò ex Antonio Musâ Braſſavolo excerptam eſſe: Sed veriùs dixiſſet, ſi ingenuè faſſus fuiſſet Diſſertationem ſuam ipſummet eſſe Antonii Muſæ Braſſavoli Tractatum de Morbo Gallico, Italicè verſum cum Reſponſis à Braſſavolo datis quæſtionibus Alexandri Fontanæ Mutinenſis, & Tractatu de Radicis Chinæ uſu.

TOBIAS KNOBLOCHIUS, Marcobretanus, Philoſophiæ & Medi- 1624.

cinæ Doctor, Phyſicus Onolsbacenſis ſcripſit *Tractatum de Lue venereâ*; quem memini laudari à Joanne Rodolpho Camerario in *Memorabilibus Medicinæ & naturæ Arcanis*, ſed quem nondùm uſurpavi. Conſtat Tractatum illum ante annum 1624. ſcriptum fuiſſe, cùm laudetur in Opere edito hoc anno: Auctor autem florebat hoc eodem tempore, cùm carmina in laudem Camerarii ſcripſerit, quæ in fronte Operis laudati leguntur.

1629. ZACUTUS, Luſitanus, natus (*a*) Ulyſſipone anno 1575. Philoſophiæ ac Medicinæ ſtuduit in Academiis Salmanticenſi & Conimbricenſi, ac anno 1594. Doctoratûs gradum aſſecutus eſt Saguntiæ, quæ celeberrima eſt apud Hiſpanos Academia.

(*a*) Ludovicus Lemoſius, *in vitâ Zacuti, ejuſdem Operibus præfixâ.*

Inde per annos triginta continuos Medicinam cum laude fecit Ulyſſipone; at circa annum 1624. (*b*) *cum Regis* (*c*) *Edicto, qui tunc Luſitaniam ditione premebat, Hebræorum quotquot aderant ſtirpes incolatu regni fuerint interdictæ*, Zacutus, qui Judæus erat, in Belgium concedere coactus fuit, ubi Praxim Medicam exercuit, maximè Amſtelædami & Hagæ Comitum.

(*b*) *Idem. ibidem.*

Obiit Amſtelædami anno 1642. ætatis 67. Scripſit Opus minimè contemnendum *De Medicorum Principum Hiſtoriâ*, duobus Voluminibus *in folio* comprehenſum, & in Libros XI. diſtributum, qui diverſis annis in lucem prodiere.

(*c*) Philippi IV. Regis Hiſpaniarum.

Hujus Operis *Libro primo*, qui Amſtelædami primùm editus eſt anno 1629. agitur *Hiſtoriâ* 73. *de Morbo Gallico*, dùm explicatur locus Galeni depromptus ex *Lib.* 3. *Epidemior. Section.* 3. *Comment.* 25. ubi quæſtio eſt *de menti & capitis glabritie.*

Ibi Zacutus datâ occaſione probare contendit. I. *Quæſtione* 35. *Quòd Morbus Gallicus vetuſtiſſimum ſit morbi genus.* Sed in probationem nihil adducit præter quædam teſtimonia ex Hippocrate, Galeno, Saliceto, Gordonio, Valeſco &c. quæ ſuprà abundè diſcuſſa ſunt & enucleata *Lib. I. Cap.* 5.

II. *Quæſtione* 36. *Quòd Morbus Gallicus ab immodico veneris uſu oriri poſſit.* Sed probat tantùm, & egregiè quidem ab immoderatâ venere noxas graves inferri; neutiquam verò luem veneream inde generari.

III. *Quæſtione* 37. *Quòd ante auxilia ſudorifica calor nativus ſit attemperandus.*

IV. *Quæſtione* 38. *Quòd bubo Gallicus non ſolùm in inguinibus, ſed retrò aures aut ſub alis apparere poſſit*; quod obſervationibus confirmat.

V. *Quæſtione* 39. *Quòd initio bubonis Gallici non ſolùm è talo, ſed è brachio mittendus ſit ſanguis*; in quo totus Medicorum chorus cum Zacuto nunc conſentit.

VI. *Quæſtione* 40. *Quòd unguenta mercurialia pro Morbi Gallici curatione ſint admittenda.*

VII. *Quæſtione* 41. *Quòd hydrargyrium in potum ſit aſſumendum.*

VIII. *Quæſtione* 42. *Quòd unguenta mercurialia recenter confecta ſint applicanda.*

Denique *Quæſtione* 43. *Quòd Morbus Gallicus ſit contagioſus ad diſtans*; ſed id nullomodò videtur evincere.

Cæterùm quæcumque hactenus indicavimus, Theoreticè tantùm à Zacuto

cuto pronuntur, vel potiùs perſtringuntur. *Cætera*, ut ipſe ait, *quæ de curatione hujus morbi ab Auctoribus fusè dicta ſunt, ea omnia in compendium redacta inveniuntur Lib. 2. Praxis Hiſtoriarum, Cap. 1.*

Ibi docet Morbum Gallicum curari 1°. *Viâ Regiâ*, hoc eſt uſu lignorum ſudorificorum Guaiaci & ſaſſafras, radicumque ſalſæ-parillæ & Chinæ.

2°. *Per vomitum*, ad quem excitandum adhibet pulverem Vigonis, ſive præcipitatum rubrum ad gr. iv. vel v. Stibium ſive Antimonium præparatum ad gr. iij. vel iv. Infuſum ʒ ß. ſeminis cataputiæ minoris in aquâ roſarum &c.

3°. *Per unguenta ex argento vivo parata*, quæ ab eo habentur *ſaluberrima, atque pro hac extirpandâ lue præſentiſſima, fremant licet plures*, ut ille ait, *& non infimæ notæ Medici.*

4°. Per ſuffumigia parata ex ſulfure, cinabrio, auripigmento, ſublimato, pulvere Joannis Vigonis &c. Fatetur quidem ipſe ea remedia *ſuſpecta eſſe & in actuali eorum applicatione plures eſſe emortuos*, ſed iis tamen *utendum eſſe* cenſet, *cùm cætera non proſunt, quoniam in conclamato morbo melius eſt uti aliquo remedio, quàm nullo.*

5°. Demùm *per mitiſſima medicamenta alexipharmaca*, quæ parari ait ex lignis aut radicibus ſudorificis.

JOANNES ANTONIDES VANDER LINDEN, Enchuſanus. 1630.

Centuria inauguralis poſitionum Medico-practicarum de virulentiâ venereâ, in illuſtri Friſiorum Academiâ propoſita & defenſa ad diem 18. *Octobris* 1630. Franekeræ 1630. *in* 4°.

Vander Linden natus anno 1609. has Theſes pro Doctoratu Franekeræ propugnavit anno 1630. Inde anno 1639. Profeſſorium munus Franekeræ, & anno 1651. Lugduni Batavorum obtinuit, ubi fato functus eſt anno 1664. ætatis ſuæ 55.

JOANNES HARTMANNUS, Ambergenſis, (*a*) » Marpurgi in « Haſſiâ, anno 1591. Philoſophiæ & mox Matheſeos Profeſſor declaratus, « tandem etiam anno 1606. ibidem Medicinæ Doctor renuntiatus, Chy- « miam vix nomine tenùs antehac illic locorum notam primus in eâ Aca- « demiâ publicè docere cœpit *tanquam Chymiatriæ Profeſſor*. Factus poſtre- « mò ſimul Archiatros in Aulâ Caſſellanâ. » Conſtat illum fato functum fuiſſe ante annum 1633. cùm prodierit hoc anno Lipſiæ *in* 4°. ejuſdem *Praxis Chymiatrica*, à Joanne Michaele & Georgio Everhardo ejuſdem filiis. 1630.

(*a*) Mercklinus, *in Linden. renovato.*

Ibi *primò* refert Hartmannus Luem veneream * *à Fratre Baſilio Valentino qui vixit tempore Maximiliani, appellatam eſſe* die newe Krieger Kranckheit, hoc eſt *Novus militum morbus*, in quo tamen hallucinatus eſt multis modis.

1°. Quòd exiſtimaverit fratrem Baſilium Valentinum reverâ exſtitiſſe, cùm non deſint (*b*) eruditi Viri, quibus Auctor ille adumbratus, *nomenque utrumque*, quo appellatur, *fictum ex Græco & Latino* videatur.

(*b*) Hermann. Boerhaave, *Elem. Chem. Part. I.*

2°. Quòd crediderit *Fratrem Baſilium Valentinum vixiſſe tempore Maxi-*

* Nec Librum nec Libri locum profert: Piguit verò Opera Baſilii vel Baſilio adſcripta excutere, ut locum ſcrutarer.

(a) *Ibid.* *miliani*, ſcilicet I. quem tamen Baſilium (*a*) conſtat, ſi exſtiterit unquam, toto ſeculo ante Maximilianum I. exſtitiſſe.

3°. Quòd opinatus ſit Luem venereamfratri Baſilio Valentino notam olim fuiſſe, quæ ſcilicet in Europâ non apparuit niſi tempore Maximiliani I. atque adeò integro ſeculo poſt Valentinum.

Secundò. Expoſitâ deinde morbi diagnoſi multa profert præparata Mercurialia, quæ credit ille tum ad luem venereamconfirmatam, tum ad morbos venereos locales egregiè facere. Sed hæc, ſi cui probentur, repetantur velim ex Hartmanni Practicâ; piguit enim præparata hujuſcemodi exſcribere, quòd pleraque jam pridem obſolefacta ſint nec immeritò; cætera verò quæ ſunt adhuc in honore nullibi non proſtent.

Tertiò. Videtur ad hodiernam methodum curatoriam paulò magis accedere, cùm hydrargyroſim proponit, *quam probatiſſimum curationis modum* eſſe affirmat, quam ſatis fusè deſcribit, quam putat cum purgantium exhibitione ſemper conjungendam eſſe, in eo tantùm caſtigandus quòd ex præjudicio ætate ſuâ ſatis vulgari velit totâ hydrargyroſi ſudores moveri tum potu decocti Guaiaci, tum ope æſtuarii.

Quartò. Notatione peculiari digna viſa ſunt ſequentia.

I. Juxta Hartmannum *recentiſſimum luis venereæ ſymptoma eſſe Cryſtallinam, quam vocant, veſiculam nempe ad glandem membri virilis adnaſcentem, tranſlucidam*, quâ de re vide quæ ſuprà dicta ſunt *Lib. I. cap.* 12. *pag.* 68. ſed quæ ex allato Hartmanni teſtimonio videntur emendanda.

(b) In articulo, qui inſcribitur, *Studia Auctoris, pag. m.* 11. *col.* 1.

II. Veſiculam illam *lethalem eſſe, ſi remediis exquiſitè factis non curetur. Ferrum non pati, nec leviter coaleſcere locum affectum..... Solum ſpiritum Tabaci laudem hic invenire..... Tangatur*, inquit, *veſicula cum ſpiritu Tabaci quinquies ad ſummum & ſponte evaneſcit, ſed fiat id jacente patiente, alioquin ad levem tactum ſpiritûs Tabaci ſtans procumbit humi bos, hoc eſt ſyderatus cadit & convellitur*, quæ remedium malè tutum eſſe abundè arguunt.

Utor autem editione Lugdunenſi in fol. ann. 1655.

III. » Si adeſt gonorrhœa, utile eſſe exhibere præcipitatum viridem, » (Lacertam viridem quibuſdam dictum) aut gummi Guaiaci, quibus ex» hibitis propinetur Terebinthina, quæ abluta aquâ violarum cum ovi » vitello teratur ac cum decocto ſarſæ-parillæ potabilis fiat.

(c) *Ibid.*

(d) In tumulo Peſtis artic. I. *Cujus generis ſit peſtis? pag. m.* 147. *col.* 1.

IV. » Bubonem maturandum eſſe cum emplaſtro Diachyli, vel bubone » (lege *buffone*) aceto madefacto & buboni impoſito, quo intumeſcen» te remoto alius applicetur..... ut tandem emolleſcat: Tunc ſcalpel» lo aperiendum eſſe & ſaniem cum pure & cruore exprimendam: Poſteà » Opodeldoch (*Emplaſtrum nempe cum gummatibus, quod ab ipſo inferiùs* » *deſcribitur*) applicandum, quod numquam coaleſcere ſinit ulcus, priuſ» quam omnia fundamentaliter fuerint ſanata.

1641. CYPRIANUS MAROXA, Hiſpanus.

De febribus & Lue venereâ. Valliſoleti 1641. *in fol.*

1644. JOANNES BAPTISTA VAN HELMONT, ſive HELMONTIUS, Bruxellenſis, natus anno 1577. cùm ipſe (*b*) teſtetur *ſe curſum ſuum Philoſophiæ abſolviſſe anno* 1594. *qui erat ſibi decimus ſeptimus.* Patrem amiſit (*c*) *anno* 1580. *totius Belgii calamitoſiſſimo. Invitâ* (*d*) *matre, & inſciis*

agnatis primus in suâ familiâ, quæ nobilis erat, *se Medicinæ nuncupavit.* (*a*) *Anno* 17. *suæ adolescentiæ* (N. B. vixdum absoluto cursu suo philosophico) *prælegebat Lectiones Chirurgicas in Collegio Medicorum Lovanii à Professoribus Thoma Fyeno, Gerardo de Villeers, & * Stornio constitutus*; sed ut ipse fatetur, *præsumebat docere, quod ipse nesciebat, Hollerium, Tagaultium, Guidonem, Vigonem, Æginetam, totamque Arabum turmam adaptans, qui sanè omnes simul*, pergit ille, *apicem Chirurgiæ non intellexerunt.* (*b*) *Legit ibidem Institutiones* Leonardi *Fuchsii*, & Joannis *Fernelii*, *bis Opera Galeni, semel Hippocratem, cujus Aphorismos penè memoriter didicit; totum Avicennam, & tam Græcos, Arabes, quàm modernos fortè sexcentos seriò & attentè perlegit, per locos communes annotans quidquid singulare ipsi in iis & calamo dignum videretur.*

Promotus (*c*) fuit ad Doctoratum *in arte medendi Lovanii anno* 1599. sed tunc (*d*) *nec veritatem nec scientiam in putatitiâ doctrinâ suâ reperiit, ratus imprimis crudele ex alienis miseriis nummos accumulare . . . . . Hæreditatem suam viduæ sorori inscripsit, & dono inter vivos transtulit, eò quòd opportunè illâ carere vix poterat. Ipse juvenis* peregrè profectus est, *cum intentione Medicinam deserendi, atque in patriam redeundi numquam. . . . . Idiota se illi associavit, qui Pyrothecniæ manualia saltem noverat. Mox ille ut penetrale quorumdam corporum per ignem inspexit, comprehendit multorum separationes tum Libris nondum traditas, ac hodie aliquot incognitas. Dein in dies crevit sciendi & operandi aviditas . . . . . Uxorem duxit piam atque nobilem, cum quâ* (*e*) *anno* 1609. post decennalem peregrinationem *Vilvordiam* (non longè à Bruxellis) *se subduxit*, (*f*) *per septennium Pyrothecniæ se immolavit, ac pauperum calamitatibus subvenit, . . . Ex effluente charitatis Dei bonitate auctæ sunt uxoris hæreditates, & ampla suæ familiæ devenere patrimonia, ... Quin imò depressit* (Deus) *præpotentes, qui illum ad infamiam & occultam necem sub pietatis involucro persequebantur*, quibus verbis puto intelligi quæstionem quam de ejus fide Inquisitores habuerunt, à quibus aiunt diem illi dictum fuisse, quasi de religione malè sentiret. (*g*) *Interim* gloriatur *se quotannis aliquot myriades infirmorum sanare suis remediis non destitisse.*

Sed Thaumaturgus ille sanare non potuit 1°. Duos suos filios, qui peste periere, at verò ut sese excuset (*h*) ait *Moniales* apud quas ambo decesserunt, *sua remedia tanquam aliena recusasse.* 2°. (*i*) *Primogenitam suam filiam, quæ quinquennis leprosa evasit magis magisque, ac tandem ulcera livida, corneæque squamæ albæ per totum corpus subnatæ sunt*, sed quæ tandem septennis per miraculum sanata fuit ope *D. Virginis, cujus imago Bruxellis celebris est in Hospitali D. Jacobi.* 3°. (*k*) Uxorem suam, quæ jam ab aliquot *mensibus dolore lacerti dexiri premebatur, sic ut nec manum attollere posset, & atroci œdemate* artuum inferiorum *languebat*, quæ tandem à Butlero sanata est cum oleo olivarum, cui lapis suus intinctus fuerat. 4°. Demùm (*l*) *Ancillam suam, cui in tibiâ dextrâ ter erysipelas malè curatum passæ crus erat plumbeum atque tumidum à genu*

(*a*) Ibid. *pag.* 146. *col.* 2.

(*b*) In articulo, qui inscribitur, *Studia Auctoris*, *pag. m.* 12. *col.* 2.

(*c*) In articulo, qui inscribitur, *Columna* 3. *pag. m.* 9. *col* 1.

(*d*) Tumulus pestis, articulo, *quo suprà*, *pag. m.* 147. *col.* 1.

(*e*) In articulo, qui inscribitur, *columna* 3. *pag.* 9. *col.* 1.

(*f*) Tumulus pestis, *ubi suprà*, *pag. m.* 148. *col.* 1.

(*g*) *Ibid.*

(*h*) Tumulus pestis, in articulo, qui inscribitur *Proprietas pestis*, *pag. m.* 176. *col.* 2.

(*i*) De Lithiasi, *cap.* 9. §. 27. *p. m.* 53. *col* 1.

(*k*) In articulo, qui inscribitur, *Butler*, *pag. m.* 360. *col.* 1.

(*l*) Ibid. *col.* 2.

* Legi debet *Sturmius*, & intelligi de Joanne Sturmio. Vid. Valer. Andream *in Bibliothecâ Belgicâ*, in verbo *Thomas Fienus.*

usque in digitos pedum, & quæ eodem oleo perfectè intra noctem unam convaluit.

(a) *In Præfatione Operibus Helmontii præfixâ*, & scriptâ ab Auctoris filio, Francisco Mercurio Vanhelmont, qui se dicit *Philosophum per unum, in quo omnia, Eremitam peregrinantem.*

Mortem (*a*) obiit Helmontius *die* 30. *Decembris anno* 1644. ætatis 67. ex asthmate, unde *respiratio illi in tantum deficiebat, ut exsurgere cogeretur & per fenestram proximam spiritum haurire, quo binis diversis vicibus pleuriſis ipsi accersebatur*, à quâ *dum se incolumem restitutum esse putabat* obortâ denuò febre, ex internâ, ut puto, suppuratione vitam cum morte commutavit, postquam per septimanas septem ægrotavisset.

Hæc plusquam satis de ipsius vitâ; nunc pauca de ejusdem naturâ, indole, ingenio proferenda. Ut liberè dicam videtur Helmontius fuisse Religiosus, probus, minimè malus; at verò simul credulus, superstitiosus, anilibus fabulis addictus, Chimicus, Chimicorum ineptiis plenus, Paracelsi laudator, sectator, imitator, sed tamen judicio, ingenio, doctrinâ, Paracelso potior, suorum arcanorum venditator & amplificator maximus, qui plerumque ceu lymphaticus quidpiam supra mortale sonans & divino veluti instinctu proloquens ampullas projiceret & sesquipedalia verba, quibus nequàquam miror non paucos, animo leves futilesque, bonis litteris destitutos, qui amant magnificis pollicitationibus lactari, aliosque lactare, quibus nova & inaudita placent, quos arcana delectant mysteria, aliquandiù dementatos fuisse: At reverâ qui in arte Medicâ novus & inexpertus, nec ætiologiæ & therapeiæ morborum satis gnarus, cùm naturâ vel consuetudine asper, mordax, maledicus esset, Medicos sui temporis obtrectare, Scholasque Medicas infectari nunquam destitit, ut veterem Medicinam rescinderet & antiquaret, quam putabat (*b*) *meram* esse *impostu̇ram à Græcis introductam*, novamque monstrosis verbis magis quàm dogmatis divitem conderet, in quo ducem Paracelsum sequutus parem cum eo successum habuit.

(*b*) In articulo, qui inscribitur, *Columna* 3. *pag. m.* 8. *col.* 2.

Nihil scripsit Helmontius ex professo *de Lue venereâ*, sed (*c*) *in pestis tumulo* quæsitâ potiùs quàm datâ occasione sequentia docet.

(*c*) In articulo, qui inscribitur, *Peregrina Lues nova*, *pag. m.* 154. *col.* 2.

I. *Luem illam eatenùs incognitam primùm visam fuisse in obsidione Neapolis anno* 1494. (quæ tamen reverâ non fuit obsessa)

II. *Placuisse quibusdam Orientalem plagam accusare*, (quos sanè ipse non novi) quasi inde morbi origo accersenda foret, sed falsitatis inde argui, quòd *nemo unquam Lusitanum accusavit, ac per consequens Indiæ Orientales immunes esse* debeant, quas *solus Lusitanus cum exclusione Hispanorum lustravit ac sibi subegit.*

III. Neque *à Sinensibus ad nos delatam videri*, quamvis *ab olim lues Sinensibus sit assueta*, cùm *inde nemo ad bellum Neapolim advenerit, & introitus in Chinam omnibus externis sub pœnâ capitis vetitus fuerit.* Adde Guaiacum, *cujus usus apud Europæos* 80. *annis senior est quàm radicis Chinæ*, (errat, nam Guaiacum anno 1517. Radix Chinæ anno 1535. innotuit) *ab Occiduis terris venisse.*

IV. Neque meliori jure *tribui Indiis Occiduis*, quasi *ibidem foret vernacula atque solita*, siquidem *occasûs Indias immunes fuisse testatur ipse* * *Fer-*

* Scriptas tantùm novi à Ferdinando Cortesio Epistolas IV. quibus narrabat ordine quæcumque à se in Hispaniâ novâ gerebantur. Interiit prima: Exstant tres aliæ in Collectione

dinandus Corteſius earumdem expugnator, quòdque poſt adventum ſuum nondum ibidem enotuiſſet, ſed eò advectam luem cum Æthiope, mancipio Pamphili de Narvaez, qui fortè recens ab obſeſſu Neapolis eò appulerat, ſecumque attulerat.

At verò Helmontius in errore verſatur maximo, neque uno dumtaxat nomine : Nam 1°. Demus luem veneream, ut ille putat, ante Æthiopis illius adventum, qui mancipium erat Pamphili de Narvaez juſſu & auſpiciis Jacobi de Velaſquez arma in Corteſium moventis anno 1519. viſam nondùm fuiſſe in Mexicano regno ſive Hiſpaniâ novâ, (de eâ enim Americæ regione hic quæſtio eſt.) Quid inde porro? An ideò falſum futurum eſt luem veneream in Inſulâ Haiti ſive Hiſpaniolâ, quæ nunc Sancti Dominici dicitur, antiquitùs endemiam, & ibidem ab Hiſpanis uſu rei venereæ cum indigenis mulieribus conceptam fuiſſe anno 1492. primo Chriſtophori Columbi appulſu, à quibus in Hiſpaniam traducta anno 1493. ubi certa ſui dedit indicia, & cum Neapolitanis Galliſque communicata fuerit anno 1494? Neutiquam. Etenim horumce omnium certos, idoneos, oculatos teſtes, omnique exceptione majores ſuprà adduximus, *Lib.* 1. *Capp.* 9. & 10. Sed ſi ea vera ſint, ut veriſſima eſſe palam eſt, inde conſtare debet de primâ luis venereæ origine ab *Indiis Occiduis* repetendâ, non quidem ab Hiſpaniâ novâ, à quâ neminem ſcio qui illam arceſſat, ſed ab Inſulâ Haiti ſive Hiſpaniolâ, cui omnes uno ore eamdem acceptam referunt. Proinde conceſsâ etiam Helmontii ſumptione, nempe luem veneream anno tantùm 1519. primùm in Hiſpaniâ novâ viſam fuiſſe, & illuc ab Æthiope quodam, Pamphili de Narvaez mancipio, alibi ubivis videbitur infecto delatam, ruit tamen ejuſdem aſſumptio, ſcilicet luem illam ab Inſulâ Haiti ſive Hiſpaniolâ longè antè, ac anno 1493. in Europam non admiſſam fuiſſe.

2°. Verùm enim verò concidit certiùs eadem conſecutio, ſi ſumptio ipſa, quâ nititur, falſa ſit, ut falſam eſſe manifeſtè liquet. Conſtat enim Æthiopem illum, Pamphili de Narvaez mancipium, non venereâ lue, ſed variolis laboraviſſe, atque adeò non veneream luem ſed variolas in Zempoalanos, ubi Narvaez caſtra metabatur, & hinc in cæteros Hiſpaniæ novæ incolas transfudiſſe. Quod poteſt facilè argui ex morbi ipſius deſcriptione apud Hiſtoricos (*a*) coætaneos obviâ, ut nempe qui celeri propagatione ſerperet atque adeò in diſtans; qui periculoſus, gravis, acutus, mortifer eſſet; quo plurimi conſumpti ſint brevi temporis ſpatio; qui febrilem æſtum accenderet, cujus impatientiâ ſeſe in fluvios Indi demittebant temperandi nimii fervoris causâ; à quo perfuncti fœdis cicatricibus deturparentur, propterea quòd incauti prurientes puſtulas deraſiſſent unguibus; quæ ſingula in variolas quidem optimè, in luem veneream verò minimè, conveniunt.

(*a*) Vid. *infrà.*

Sed porrò quid opus eſt conjicere in re manifeſtâ & apertiſſimâ, cùm

Ramuſii Italicè redditæ. Narrat Ille in primâ earum quæ ſuperſunt, quæ ordine ſecunda erat, exitus civilis belli quo à Pamphilo de Narvaez laceſſitus fuit, ſed nec de Æthiope illo, qui Pamphili mancipium fuit, nec de contagione quam hic in Zempoalanos induxiſſe dicitur, nec de novâ ullâ lue quæ ab Hiſpanis in Indigenas novæ Hiſpaniæ manaverit verbum ullum ibidem facit. Reliquæ verò ejuſdem Epiſtolæ ad alia pertinent negotia.

Hiſtorici Hiſpani, * qui coætanei erant, diſertiſſimis verbis teſtentur Æthiopem illum variolis, quas Hiſpanicè *las Viruelas* vocant, affectum fuiſſe, quæ à lue venereâ *las Bubas* Hiſpanicè dictâ longiſſimè abſunt re & nomine; atque adeò certo certius ſit ab Æthiope illo non *luem veneream* in Hiſpaniam novam, ut temerè credidit Helmontius primus omnium & ferè unus, ſed *Variolas* traductas fuiſſe, quas ab Europâ in Americam manaviſſe, & cum lue venereâ quæ inde accepta fuit, commutatas eſſe vulgaris eſt opinio, & certè nec Auctore nec auctoritate deſtituta.

Mirari tantùm ſubit, quæ fuerit Helmontio errandi cauſa: Neque enim facilè induci poſſum ut arbitrer ab illo, qui minimè malus fuiſſe videtur, propoſitam Hiſtoriam dolo malo depravatam fuiſſe. Conjecerim potiùs, neque fortè temerè in manus illius caſu veniſſe Hiſtoricum quemdam, ex Hiſpanis quidem, ſed Gallicè verſum, ubi legerit Æthiopem illum, de quo tam ſæpè, laboraviſſe *de la Vérole*, unde factum ſit ut vocis ambiguitate deluſus reputaverit de lue venereâ ſeu craſsâ variolâ, Gallicè *groſſe Vérole*, debere intelligi, quæ reverâ & germano vocis Hiſpanicæ ſenſu de variolis ſeu variolâ parvâ, Gallicè *petite Vérole*, intelligenda erant.

V. Addit Helmontius *alios contendere hanc luxuriæ luem incœpiſſe, eò quòd annonæ caritas mactatorum carnes cadaverum & ſuffurari & clanculum coctas divendi ſuaſiſſet, ſed cùm Anthropophagis Indis hæc lues ante adventum Pamphili fuiſſet ignota, non recipitur horum allegatum.*

VI. *Aſtrologos ..... aſſerere peregrinum ſtellarum ſitum, dumtaxat deſuper Neapolim influxiſſe, quem multâ anxietate quærentes nondum invenerunt; Quaſi idem aſtrorum ſitus numquam fuiſſet anteà.*

VII. *Tandem Paracelſum ..... copulam leproſæ meretricis cum ſcabioſo milite Gallo incuſare ac deteſtari* (Sic nempe Paracelſus depravat Hiſtoriam, quæ à Joanne Manardo narratur (a) *Epiſt. 2. Lib. 7. Epiſtol. Medicinalium.*) *Quaſi verò anteà nulla leproſa Gallo ſordido commiſta fuiſſet.*

(a) Vid. ſuprà *pag.* 43.

Hic ſic exploſis rejectiſque addit Helmontius *ſe ſcire* quomodo Lues venerea *ſui initio fermentum atque radicem repererit.* » Enim verò Laïcus » quidam, *pergit ille*, & vir ſanctus, ad quæſtiones arduas aliquot ſolitus » viſiones ſomniales, ac non rarò quoque per mentis abſtractionem no- » tiones intellectuales ſuſcipere, nimiâ fortè curioſitate has indagavit » quæſtiones. 1°. Cur iſta Lues præterito ſeculo & non anteà erupiſſet, » cùm anteactis Paganorum diebus ſcelerata quælibet ſcurrilitas numquam » defuerit? 2°. Unde, ſi non ab Indis, in Europam venerit? 3°. Quæ » cauſa ſit continuitatis & mitigationis ac mutationis, ſi divinitùs im- » miſſa? Nam miracula rarò per contagium tranſeunt, ac niſi tradito » mandato ſuam in naturâ cauſam nanciſcuntur. Sed neque Deus inſon- » tes punire ſolet, prout innocentes ſæpè lues veneris inficit. Dixit itaque

* Hiſtoria verdadera de la conquiſta de la Nueva Eſpaña, eſcritta *por el Capitan Bernal Diaz del Caſtillo, uno de ſus conquiſtadores, Cap* 221.

La Chronica general de las Indias, Secunda Parte que trata de la conquiſta de Mexico, *por Franciſco Lopez de Gomara, Cap* 102.

Hiſtoria general de los Hechos de los Caſtillanos en las Iſlas y la Tierra firme del mar Oceano, eſcritta *por Antonio de Herrera. Decad. II. Lib. X. cap.* 4.

Laïcus ſibi in viſione intellectuali viſum jumentum, quod penè diffluere ulcere fœtido, qui morbus equinæ ſpeciei proprius, (Noſtrates *den Worm*; Galli verò *le Farcin* vocant) unde ſenſim equi purulentâ carie pereunt. Hoc autem jumentum vidit velut canibus in eſcam deputatum, totum tergus vitiatum habens, etiam circa vas naturæ; nec præter iſtam viſionem aliud reſponſum habuit: Quapropter ſe ſuſpicari dixit, quòd in obſidione Neapolitanâ, (quâ primùm dira hæc lues emerſit) nefando aliquis peccato congreſſum cum ejuſmodi jumento habuiſſet.«

Inde *conjicit* Helmontius luis venereæ *fermentum* eo modo (*permittente Deo vindice*) *in humanam familiam tranſplantatum, ... mixtumque contagium equinum infandæ libidinis actu* (*perinde atque hodie à meretrice ſordidâ uſque in teſtes maris attrahitur ipſa lues*) *tum gonorrhœam, carcinoma*, (ulcuſcula cancroſa) *atque bubones venereos &c. propagans.*

Abſit ut abutar otio in confutandis nugis iſtiuſmodi. Per me licet cuicumque arriſerit, cum Helmontio ineptire circa primam luis originem, neque enim velim cuiquam *voluptatem extorquere, & demere per vim mentis gratiſſimum errorem.*

Refert (*a*) idem alibi mulierem quamdam, quæ à marito lue venereâ infecta fuerat, & cujus totus corporis habitus ulcere exedebatur, *exhibito Corallato Paracelſi per albumen ovi paratum intra 26. dies convaluiſſe.* Quod ſanè ipſe facilè credo, ut qui ſciam Corallatum Paracelſi præparatum è Mercurio remedium eſſe, cum præcipitato rubro, ſi non idem, planè congener, quod mitius fit inde pluries diſtillando aquam albuminum ovorum.

(*a*) In articulo, qui inſcribitur, *Cauſæ & initia naturalium, pag. m. 24. col. 2.*

THEODORUS TURQUETUS DE MAYERNE, Genevenſis, patrem (*b*) habuit Ludovicum, ſcriptis editis notum; natus anno 1573. inter Philiatros Monſpelienſes nomen dedit anno 1592. & Doctoris gradum in illâ Academiâ aſſecutus eſt anno 1597. Hinc Lutetiam venit, ac Henricum Ducem Rohanienſem, qui à Rege Henrico IV. ad Principes, Ordineſque Germaniæ legabatur, ſequutus eſt anno 1600. tanquam Medicus. Redux inter Medicos Regis ordinarios locum habuit patrocinio N..... Ribbits de la Riviere tunc Archiatri, quo munere functus eſt ab anno 1602. ad annum uſque 1611. Multas cum Facultate Medicâ Pariſienſi rixas habuit, præſertim de Chimicis remediis, quorum ſtrenuus fautor erat. Anno 1611. Litteris Jacobi I. in Angliam vocatus eſt, ut tum ſuus, tum uxoris ſuæ Annæ Archiatrus eſſet, quo eodem munere apud Carolum I. Jacobi filium functus eſt. Mortem oppetiit anno 1655. ætatis 82. Fuſiùs de illo in *Hiſtoriâ Facultatis Medicæ Monſpelienſis.* 1650. 1695.

(*b*) Bayle, *Dictionn. Critique.*

Prodiere Londini longo poſt mortem Auctoris intervallo *Syntagmata duo Praxis Mayerniane ex adverſariis, conſiliis, ac Epiſtolis Theodori de Mayerne ſummâ curâ ac diligentiâ concinnata:* Alterum anno 1690. *De Morbis internis, præcipuè gravioribus & chronicis:* Alterum anno 1695. *quatuor Tractatus continens*, 1. *De febribus*, 2. *De Morbis externis*, 3. *De arthritide*, 4. *De Lue venereâ.* Utrumque acceptum referendum eſt diligentiæ Theodori Devaux, qui Theodori Turqueti amanuenſis apographa à ſe deſcripta ſubminiſtravit, maximè verò ſtudio atque operæ Gualteri Charletoni, qui ſingula digeſſit & edenda curavit.

Tractatus ultimus posterioris Syntagmatis, in quo agitur de Lue venereâ Capita 6. complectitur, cum proœmio, in quo præmittuntur Prolegomena quædam, *De Mercurio ejusque præparatis & de salivatione.*

Nempe 1°. Mercurium exhiberi posse *vel crudum vel præparatum, hoc est reductum in pulverem aut per sublimationem aut per præcipitationem.*

2°. Auctori *notas & millesimâ experientiâ felicissimè comprobatas Mercurii præparationes esse Aquilam rubram, Pulverem Calomelanicum, Mercurium Lunarem, Præcipitatum album*, & quod Auctor *inventum suum esse* gloriatur, *Clyssum metallorum, quorum singulorum processus* explicat.

3°. *Cathartica* cum exhibitis *Mercurialibus addenda esse, eaque valida ..... quæ quidquid illa moverint, cum ipsis..... quàm citissimè educant & averruncent; neque enim tutam esse Mercurii quantumvis correcti diuturnam in corpore moram.*

4°. Demùm *sequentes modos salivationis provocandæ bonos esse*, modò *lentè festinetur.* 1°. *Per pilulas vel bolos Mercuriales.* 2°. *Per frictionem cum unguento Mercuriali.* 3°. *Per emplastra Mercurialia.* 4°. *Per suffumigia ex Mercurio.* 5°. *Per soleas ex Mercurio crudo pastâ aliquâ excepto* plantis pedum suppositas. 6°. *Per oleum Mercuriale carpis affrictum.* 7°. *Per pedilavium in solutione Mercuriali.*

His in hunc modum præmissis, exponuntur *Cap.* 1. *Luis venereæ recèns conceptæ symptomata*, quæ *tria præcipuè* recensentur, *gonorrhœa seu potiùs πυῤῥοια, virulenta caries pudendi, & Bubo inguina occupans.*

Cap. 2. *generalis* explicatur *curatio Luis venereæ*, sed illa tantùm quæ sudatione obtinetur, ad quam promovendam proponitur multa quidem sed incondita farrago remediorum, quæ jam dudùm apud Medicos nullo in numero habentur.

Capite 3. jubet Auctor ad gonorrhœam adhiberi diluentia & temperantia, quandiù urit ardor urinæ, deinde præparata mercurialia, ac demùm injectiones astringentes, aut boli vel pilulæ paris similisque energiæ. Inter cætera multùm laudat bolum sequentem, quo solo *curari* ait *gonorrhœam intra paucos dies*, sed qui meritò suspectæ virtutis esse videtur.

℞. *Camphor.* ℈ ß.
Sal. Saturnin. ℈ j.
Sal. Tartar. gr. xij.
Cass. Fistular. ʒ ß.
Terebinth. Venet. ʒ j.
M. F. Bolus.

Quòd si gonorrhœa contumacior in habituale stillicidium abeat, tùm *aquam menthæ Quercetani*, tùm maximè sequentem pulverem approbat. *Caro bubula per fumum indurata, ab externâ nigredine mundata discerpatur in filamenta, quæ multiplici ablutione aquæ calentis liberentur à salsedine: Postèà mantili optimè detersa post exemptum è furno panem iteratâ immissione exsiccentur, dum possint reduci in pulverem, de quo cape partes* ij. *baccarum matura rum hederæ arboreæ partem* j. *misceantur exactè. Hujus pulveris* ʒ j. *pluribus matutinis consequentibus exhibeatur superhausto cyatho hydromelitis simplicis, vel decocti radicis Eryngii. Sufficit autem ad corpora pituitosa carnem siccare sine ablutione ullâ.*

Capite

Capite 4. laudat Auctor ad *ulcera ſive cariem & excoriationem pudendi ſuffitum è cinnabari, & unguentum Diapompholygos cum Mercurio crudo mixtum:* Ad bubones verò *emplaſtrum ex Radicibus Bryoniæ, Althææ, Liliorum alborum, cum farinâ triticeâ, terebinthinâ & axungiâ ſuillâ.*

Cap. 5. Ad *Hyperſarcoſes ſive carunculas in urethrâ* multis therapeiam illam proponit, quæ obtinetur uſu cathæreticorum fiſtulâ in urethram immiſſorum, ſed quæ jam pridem obſolevit, ceu periculoſa & inefficax.

Denique *Capite* 6. recenſet *ſymptomata graviora luis inveteratæ, ut ozænas, faucium aut palati ulcera, oſſium palati cariem, nodos, tinnitus aurium, ſurditatem &c.* & ad ſingulorum curationem remedia proponit, multa quidem, ſed quæ præcedentibus probatiora non ſunt. Sic inter alia laudat ad *nodos venereos cataplaſma ex æqualibus partibus radicis Sigilli Mariæ & axungiæ porcinæ cum addito croco, quo vernaculo & euporiſto cataplaſmate nihil efficacius inveniri poſſe* putat *in venereis & aliis frigidis tumoribus.* Sic proponit ad *tinnitum aurium fumum caryophyllorum per infundibulum in aures excipiendum, unde fiet,* ait ille, *ut multa aqua per nares manet.*

Cæterùm, ut liberè dicam, videtur Auctor ille, qui famâ tamen valuit ætate ſuâ, polypharmaciæ æquo amantior fuiſſe, quod in Medico peccatum numquam leve eſt, & anilibus fabellis nimiùm confidens, atque remediorum undique conquiſitorum approbator nimis credulus, quæ graviora peccata eſſe puto. Sed venia danda eſt Operibus poſthumis, quæ dubio procul emaculatiora proditura fuiſſent, ſi ab ipſo Auctore eſſent edita.

ANTONIUS EVERHARDUS, Medioburgenſis. 1661.

Collatio antiqui Morbi recrudeſcentis cum Gallico vel Indico. Medioburgi 1661. *in* 12.

JOANNES WINELL, Anglus. 1670.

Lues venerea, wherein the Names, Nature, Subject, Cauſes, Signes, and Cure are handled, By John Winell M. D. London. 1670. *in* 8.

Libellus ille Anglicè ſcriptus continet tantùm *Capita undecim*, quibus breviter diſſeritur de origine, nomine, definitione, ſubjecto, cauſis, ſignis diagnoſticis & prognoſticis, ac curatione luis venereæ, tum communi, tum particulari; atque variæ pro Auctoris modulo reſolvuntur quæſtiones, quæ circa propagationis rationem ac diverſos morbi illius effectus moveri ſolent. Quæcumque ibi legiſſe memini, jam priùs dicta fuerant; quamobrem Tractatus ille aliorum Tractatuum, qui de re eâdem ſcripti fuerant, mera eſt Epitome, nec ſatis ordinatè digeſta. Hæc tamen animadverſione digna viſa ſunt.

I. Credi ab Auctore luem veneream olim, cùm primùm apparuit in Europâ, multò ſæviorem fuiſſe; nunc verò (ſuo ſcilicet tempore, circa annum 1670.) mitiorem eſſe & minùs lethiferam, in cujus mutationis cauſas inquirit *Cap.* 7. *Quæſtione* 9.

II. Videri eidem luem veneream in Orbe noſtro quondam ceſſaturam eſſe, ut in Italiâ Mentagra & Gemurſa, & in Angliâ Peſtis ſudatoria pridem ceſſavere, cujus futuri phænomeni cauſas rimatur *Capit.* 10. *Quæſtione* 3.

III. Circa ſpecialem morbi curationem nihil prorſus afferri *Capite* II. niſi methodos curatorias diſtinguendas eſſe in *reprobatas*, quibus abſtinendum; *probataſque* quibus utendum eſt: Inter reprobatas quidem recenſet Uſum 1°. *Remediorum vulgarium.* 2°. *Fonticulorum.* 3°. *Unguentorum mercurialium.* 4°. *Suffumigiorum*, quorum duo poſtrema plurimùm improbat. Eas verò tanquam probatiſſimas commendat, quæ curationem moliuntur ope 1°. *Theriacæ & Alexipharmacorum Indicorum.* 2°. *Magnetis cujuſdam anti-venerei.* 3°. Remedii cujuſdam quod *ſympatheticum* vocat. Hæc ultima duo remediorum genera multis extollit laudibus, ſed eadem tanquam arcana reticet, unde manifeſtum eſt hunc Tractatulum eo tantùm fine ab Auctore conſarcinatum fuiſſe, ut remediis ſuis famam verbis faceret, quam non poterat effectis.

1672.

(a) *Ex Oratione Funebri habitâ à Luca Schact, D. M. & ad calcem Operum Sylvii adjectâ.*

FRANCISCUS DE LE BOE SYLVIUS, Hanovienſis, natus (*a*) anno 1614. Doctoratûs gradum Baſileæ adeptus eſt anno 1637. Hanoviæ & Amſtelodami Medicinam feliciter fecit. Lugdunum Batavorum vocatus eſt anno 1658. ad profeſſorium munus in locum defuncti Alberti Kyperi, ibique deceſſit anno 1672. ætatis anno 59.

Tractatus de Lue venereâ inter cætera ejuſdem Opera eodem volumine comprehenſus eſt in *Appendice Praxeos Medicæ*, quæ poſt Auctoris mortem curâ Juſti Schraderi primùm prodiit.

Sylvius pro more ſuo quæcumque ad luem veneream tùm univerſalem, tùm particularem ſpectant, in illo Tractatu breviter explicat 397. articulis, quibus aut in Theoriâ, aut in Praxi continetur nihil, quod novum ſit aut à vulgari opinione abludat.

Docet Auctor *Articulo 36. Venenum venereum in acido, ſed ſuo modo peccante conſiſtere.*

Articulo 144. *Luem veneream produci ab humoribus acidis & acrimoniâ ſuâ tùm ſanguinem ipſum, cæteroſque ex ipſo humores ortos, tùm pilos, tùm glandulas, parteſque glanduloſas omnes, tùm cutim, tùm oſſa ipſa corrumpentibus ac rodentibus.*

Articulo 147. *Primaria luis hujus remedia eſſe aut mercurialia, aut ex lignis radicibuſque gummoſis atque ſudores moventibus petita.*

Articulo 148. *Optimum certè atque tutiſſimum luis venereæ remedium eſſe Mercurium crudum cum porcinâ axungiâ vel aliis unguentis oleiſque mixtum & forinſecùs illitum, ... Sed prudentiâ opus eſſe ſi & dorſi ſpina eo ſit illinenda, quod ipſe ſaltem fieri nollet, niſi quando fruſtrà illitæ fuerunt articulationes aliæ:* Sed quod tamen nunc quotidie ab omnibus fieri conſtat ſine damno ullo.

Articulo 150. *In eumdem finem exhiberi ſæpenumerò varia medicamenta ex Mercurio, tùm ſublimato, tùm præcipitato parata; .....* Præſertim *Præcipitatum corallinum*, de quo *Artic.* 283.

Articulo 192. *Ad venereæ luis curationem in frequentiori uſu eſſe decocta ex binis radicibus, totidemque lignis parari ſolita; radicibus puta Chinæ atque ſalſæ-parillæ; lignis verò Guaiaci & Saſſafras.*

Articulo 213. *Satius certè fore ſudoriferis, diureticis, ac per alvum purgantibus abſolvi curam luis venereæ, ſi ſemper iſtis abſolvi poſſet, licet plus tem-*

poris desideret, quoniam tutiùs procedit, quàm ejusdem per ptyalismum & vomitum institutâ curâ, in quâ major vis corpori infertur: Adde quòd si minùs prudens fuerit Medicus aut æger, facilè in vitæ periculum incidat æger.

Articulo 216. *Quoniam verò semper obtineri non potest luis venereæ curatio per sola sudorifica, diuretica, & purgantia deorsùm, idcircò recurrendum esse nonnumquam, imò sæpiùs ad salivationem, tùm solam, tùm aliis junctam.*

Demùm Articulo 304. *Curationem luis venereæ per salivationem institutam cæteris præferendam esse, utpote talem, quæ non facilè ullum recidivæ metum post se relinquat, nisi in lue inveteratâ & cum ossium carie conjunctâ.*

EDUARDUS MAYNWARINGE, Anglus, 1673.

The history and mystery of the Venereal Lues, By E. Maynwaringe, Doctor in Physick. London. in 8. 1673.

Differit hic Auctor *Capitibus sexdecim* de nomine, origine, propagatione, naturâ, symptomatis, sede, contagione & therapeiâ luis venereæ, circa quæ antiquiorum Auctorum non opiniones modò, sed plerumque verba ipsamet sigillatim refert.

Potissimùm vero singularem illius diligentiam mirari subit in recensendis methodis curatoriis, quæ apud diversas Europæ Nationes usu receptæ erant suo tempore.

1°. Apud Italos *Cap.* 12. quam exscribit à Sebastiano Aquilano, Gaspare Torellâ, & Antonio Musâ Brassavolo.

2°. Apud Germanos *Cap.* 13. quam mutuatur ab Ulrico de Hutten & Joanne Benedicto.

3°. Apud Hispanos *Cap.* 14. in quo duces sequitur Joannem Almenar, Aloysium Loberam & potissimùm Ludovicum Mercatum.

4°. Apud Gallos *Cap.* 15. quam excerpit à Guillelmo Rondeletio Monspeliensi Occitano, & Josepho Quercetano Armeniaco, hoc est *d'Armagnac* in Aquitaniâ tertiâ, quem Auctor iste Geographiæ parùm gnarus credit Armenum origine, sed quem tamen dicit in Galliis vitam duxisse & inter Regios Medicos locum habuisse.

Demùm 5°. Apud Batavos *Cap.* 16. qualis prostat apud Petrum Forestum.

Cæterùm Auctor curatoriis illis methodis nec hilum quidem de suo addit, sed in Operis calce Lectores tantùm monet in genere, ne remediis remediorumve formulis, quæ ex variis illis Scriptoribus verbis iisdem exscripta sunt, imprudentiùs confidant, cùm inter illa medicamina non pauca sint inania, fallacia & inefficacia, imò verò nonnulla periculi plena: quâ de re verè quidem & rectè monet; sed eum tamen ab omni culpâ ideò vacare non puto. Præstitisset enim remedia hæc dubia, incerta, periculosa corrigere, supprimere, vel obelo saltem notare, præsertim in Libro linguâ vernaculâ scripto, quàm in negotio tanti momenti Lectoribus plerumque imperitis judicium de illis permittere.

NICOLAUS DE BLEGNY, Parisiensis, vir sine litteris, initio Her- 1673.
niarius Chirurgus & subligaculorum artifex; Deinde anno 1678. Reginæ Chirurgus ordinarius; anno 1683. Chirurgus ordinarius Serenissimi Prin-

cipis Philippi, Ducis Aurelianenſis; anno 1687. Regis ac Sereniſſimi Aurelianenſis Ducis Medicus ordinarius, & Director Academiæ cujuſdam, quæ Lutetiæ Pariſiorum circa eadem tempora nomen ſibi arrogabat *Academiæ recèns exploratorum in re Medicâ*; Demùm anno 1693. Regis ac Ducis Aurelianenſis Fratris Regis Medicus, Eques Commendator ac Adminiſtrator Generalis Ordinis Hoſpitalis Sancti Spiritûs Monſpelienſis, ut ſeipſum dicit in fronte *Tentaminis cujuſdam Hiſtoriæ Generalis Ordinum Militarium Religioſorum*, quod Lutetiæ edidit Gallicè anno 1693. ſed cum ſuis titulis ſive legitimis ſive fictis magnus ſemper ardelio & veterator egregiè impudens.

In carcerem conjectus fuit anno 1693. die 4. Junii reus non uno nomine. Arguebatur enim de Religione malè ſentire ac opiniones erroneas in vulgus ſpargere: Noſocomium ſuo jure nec impetratâ priùs à Rege licentiâ inſtituiſſe, quod privato non licet: Equitis nomen ſibi arrogare ſine titulo & ſine genere: Maximè verò velle ſe antiquum (*a*) Sanctæ Spiritûs Monſpelienſis Ordinem inſtaurare & regere ſuo arbitratu contrà quàm Regiâ auctoritate ſancitum fuerat. Dicitur aliquantò poſt è carcere traductus eſſe Pictavium, unde clam aufugit Avenionem, ubi Medicinam fecit non ſine nomine, & ubi vitam variè jactatam cum morte commutavit, ſed quo anno nondùm teneo.

(*a*) Vid. de illo ordine *l'Hiſtoire des Ordres Monaſtiques, Religieux & Militaires, par le P. Helyot. Tome II. Chapp. 30. & 31.*

Ediderat Gallicè Lutetiæ Pariſiorum anno 1673. Tractatum de Morbis Venereis, cui titulus eſt.

L'Art de guérir les Maladies Vénériennes, expliqué par les principes de la Nature, & de la Méchanique, cujus proſtant aliæ editiones.

Ibi reperire eſt congeſta cumulataque, quæcumque Blegnyus ex variis Auctoribus, qui Gallicè ſcripſerant, corradere potuit, aut ex Diſceptationibus Medico-Phyſicis compilare, quæ in ædibus Abbatis Bourdelot ſtato ſeptimanæ cujuſvis die tunc haberi ſolebant; ſed quæ pro Auctoris modulo tractantur & explicantur.

Quatuor ſunt Tractatûs hujuſce partes, in quarum *Primâ* agitur *Capitibus undecim* de naturâ, origine, causâ, differentiis, diagnoſi, prognoſi & therapeiâ Luis venereæ in genere: *In Alterâ, Capitibus tredecim* de Therapeiâ ſingulorum affectuum venereorum, ut cariei pudendi, phimoſeos, paraphimoſeos, veſiculæ cryſtallinæ, tumoris teſtium, bubonis, gonorrhœæ, carunculæ in urethrâ: *In Tertiâ, Capitibus totidem* de methodo medendi lui venereæ ſine Mercurio, uſu ſolo diaphoreticorum & diureticorum, qualia Guaiaco, ſaſſafras, radicibuſque Chinæ & ſalſæ-parillæ ſuppeditantur: Denique *in Quartâ, Capitibus ſeptem* de naturâ hydrargyri, methodoque debellandæ luis venereæ adhibitis illitionibus mercurialibus.

(*b*) *Part. 2. chap. 2.*

I. Cenſet (*b*) Auctor ille, ſi tamen ejus opinio aliquo loco numerari debeat, luem veneream antiquitùs notam fuiſſe, quod probare conatur, tùm adductis ſeu potiùs laudatis locis aliquot ex Hippocrate, Tacito, Suetonio, imò & ex Deuteronomio, quæ ab illo ne quidem intellecta ſunt, & quæ alibi jam explicavimus: Tùm maximè Hiſtoriâ, ſeu potiùs fabellâ, quam narrat de juvenculâ quâdam, quæ ſana, ſed à ſex viris qui & ipſi ſani erant, ſæpiùs intra pauciſſimos dies compreſſa luem ſpon-

te contraxit, ex putredine, ut credit ille, ſeminum, quæ aliena & intra uterum copioſiùs admiſſa fuerant. Quaſi verò ſcortillo, aut ſex Ganeonibus, quorum mentiri proprium eſt, fides adhibenda foret, ſe priùs ab omni venereâ labe immunes fuiſſe aſſeverantibus.

II. Uſum (*a*) decocti ſudorifici ex lignis Guaiaci & Saſſafras, radicibuſque Chinæ & Salſæ-parillæ, uſui mercurialium inunctionum, ſi non præfert, ſaltem æquiparat, in quo ab opinione temerè diſſentire videtur, quæ jam ſuâ ætate vulgaris & pervagata erat, & quæ Mercurio primas deferebat in curandâ lue venereâ confirmatâ. (*a*) *Part. III. & IV.*

JOANNES CASPARUS SPARR, Philiatros. 1673.

Diſſertationes duæ Medicæ de Lue venereâ, quibus additur Diſputatio inauguralis Joannis Conradi Matthis, *De Maniâ*, Alteraque Marci Laurentii Donneri, *De Apoplexiâ*. Argentorati 1673. *in* 4°.

Opinor Diſſertationes illas Theſes eſſe, quales in Academiis propugnandæ proponi ſolent.

RICHARDUS WISEMAN, Anglus, Chirurgus Regius, ſcripſit Anglicè Tractatus octo Chirurgicos, nempe de tumoribus, de ulceribus, de affectibus ani, de ſtrumis, de vulneribus, de vulneribus ab ictu ſclopetorum, de fracturis ac luxationibus, ac demùm de Lue venereâ, quos edendos curavit *in fol.* Londini, anno 1676. cum inſcriptione ſequente. 1676.

Several Chirurgical Treatiſes, By Richard Wiſeman, Serjeant Chirurgeon. London. 1676. *in fol.*

Horum Tractatuum poſtremus, ubi agitur *de Lue venereâ*, Capita 6. complectitur, I. De naturâ & contagione Luis venereæ. II. De remediis, quæ vulgò adhibentur ad ejus curationem. III. De remediis, quæ adversùs hunc morbum ſpecificè valere creduntur. IV. De curâ ſymptomatum Luis venereæ. V. De gonorrhœâ. VI. Denique de infortuniis quæ gonorrhœæ ſolent ſuccedere.

Nihil quidem occurrit in eâ Diſſertatione, quod in præcedentium ſcriptorum Libris obvium non ſit: At verò haud negandum eſt ſingula ordinatè diſtribui, & paucis ſed enucleatè exponi.

I. Silet (*b*) Auctor de morbi origine; ſed varias recenſet contagionis vias, quibus contrahi ſolet, inter quas vix ac ne vix quidem admittit uſum earumdem veſtium aut eorumdem lecti linteorum. (*b*) *Cap. 1.*

II. Ad curationem præmiſsâ purgatione, (*c*) jubet adhiberi ſalivationem, quæ interno Mercurialium uſu, ſi morbus levis ſit & recens: quæ externo unguenti mercurialis illitu procuretur, ſi morbus gravis fuerit aut inveteratus. Poſt ſalivationem cenſet utiles eſſe ſudationes ad exhauriendas morbi reliquias. (*c*) *Capp. 2. & 3.*

III. Annumerat (*d*) inter remedia ad curandam luem veneream uſu recepta Mercurium ſublimatum corroſivum, diſſolutum in aquâ fontanâ & ore exhibitum, cujus doſi congruâ ait cieri tùm vomitionem, tùm ſalivationem; additque id remedii genus à Practicis quibuſdam multùm commendari, ac deinde concludit frigidiſſimè ſe tamen illo numquam uſum eſſe; in quo certè officio defuit ſuo, quòd pernicioſum hunc uſum nullâ (*d*) *Cap. 2.*

graviore notâ inuſſerit, quem tamen debuiſſet apertiſſimè improbare ceu lethiferum.

IV. In explicandâ Therapeiâ variorum ſymptomatum, quæ à Lue venereâ inducuntur, (*a*) affert Hiſtorias 69. ægrotantium à ſe curatorum, qui diverſis morbis venereis afficiebantur.

(*a*) Cap. 4.

(*b*) Cap. 5.

V. Nec diſpari (*b*) methodo, propoſitâ breviter gonorrhœæ ætiologiâ, ut ſua ferebant tempora, ad explicandam ejuſdem Therapeiam profert Hiſtorias 12. diverſarum gonorrhœarum, quas à ſe curatas dicit.

(*c*) Cap. 6.

VI. Demùm (*c*) inter infortunia, quæ ſolent gonorrhœæ ſuccedere, quæſtio eſt de urethræ carunculis, ac datâ occaſione referuntur Hiſtoriæ 16. infirmorum, qui eâ morbi ſpecie ægrotabant.

1676. BERNHARDINUS CHRISTINUS A JUVELLINA, Cyrnæus, hoc eſt, ut opinor, Corſicenſis.

Inſtitutiones Medicæ & regulæ, conſultationes & obſervationes; quibus acceſſerunt Centuriæ quinque curationum morborum. Tractatus de Lue ſeu morbo venereo, de febre peſtilentiali, cum brevi Romæ contagii narratione; & Aſtrologicus ad Medicinam pertinens. Venetiis 1676. *in* 4°.

Liber hic in manus meas nondùm pervenit. Auctor, cujus nomen præfert, Religioſus erat Obſervantiæ Fratrum Minorum ſancti Franciſci, ſed qui antequam Religioſam vitam iniret, Lazari Riverii in Academiâ Monſpeſſulanâ Profeſſoris diſcipulus & Medicinæ Doctor fuerat. Hic ille eſt qui primus edidit Arcana Lazari Riverii, ſi tamen hæc Arcana Riverii ſint; de quo plura in vitâ Riverii, in Hiſtoriâ Scholæ Monſpeſſulanæ.

1677. ANTONIUS MENJOTIUS, Pariſinus, Doctoratûs gradum conſecutus eſt in Facultate Monſpeſſulanâ anno (*d*) 1636. ac deinde Medicinam Lutetiæ fecit, ubi mortem oppetiit (*e*) ante annum 1697. octogenario major.

(*d*) *Regiſtres de la Faculté de Montpellier.*

Scripſit *Diſſertationes Pathologicas* plurimas, quarum pleræque ſeorſim & diverſis annis primùm prodiere, ſed quæ unà ſimul collectæ & in quatuor partes diſtributæ Lutetiæ Pariſiorum editæ ſunt *in* 4°.

(*e*) Oeuvres poſthumes de M Menjot. *Amſterdam in* 4. 1697.

Proſtat ibi in *Parte ultimâ*, quæ typis excuſa fuit anno 1677. *Diſſertatio de Lue venereâ pagg.* 40. comprehenſa, ubi Auctor probat I. Luem illam antiquitùs ignotam *apud Europæos duo ſecula nondum impleviſſe, ſed vertente anno Epochæ Chriſtianæ* 1495. *Oris Auſoniis primùm incubuiſſe.*

II. *In Indiis Occidentalibus vernaculam eſſe..... & ab Hiſpanis unà cum expilatis Americanorum opibus convectam eſſe.*

III. In tres gradus diſtinguendam eſſe pro intenſione, Primum, in quo *eroſis capillorum radiculis* glabrities inducitur; Alterum, in quo cutem exaſperant *puſtulæ parvulæ, rubicundæ, duriuſculæ, ac rotundæ*; Tertium, in quo *malum ad membra ſolida, ut membranas, tendones, imò verò oſſa ipſamet permeat.*

IV. Jam varias fuiſſe morbi facies, nempe 1°. *Uſque ad annum circiter ſexageſimum à notâ lue fœdam gonorrhœam à morbo venereo abfuiſſe.* 2°. *Ægrotantes nonniſi quadrageſimo anno Æræ venereæ pilorum defluvio cœpiſſe dedecorari.* 3°. *In primâ luis origine cutem ægrotorum puſtulis ac ulceribus fuiſſe ſpurciſſimam, artuum verò dolores vel nullos extitiſſe vel mitiores; ſed inſe-*

quentium annorum ſerie cutem ægrotantium fuiſſe minùs immundam, cruciatus autem membrorum σπέρχνας ac intolerabiles ſupervenisse. 4°. Tandem *morbum venereum* ætate ſuâ *modeſtiorem eſſe* quàm initio, *multùmque deſæviſſe ejus inclementiam.*

V. Redarguendos eſſe, qui *Elephantiaſim à lue venereâ non ſejungunt, cùm*

(*a*) *Sydera terrâ*
Ut diſtant & flumina mari

(*a*) Lucan. 8. *Pharſal.*

Sic ambæ iſtæ affectiones cùm cauſis, tùm ſignis immensùm diſſideant, quod ille multis confirmat.

Expoſitâ eo modo morbi ætiologiâ Auctor de Therapeiâ ſilet, de quâ verbum ne unum quidem adjicit, quod ſanè mirari ſubit in Medico, quem ceu opiferum non tam in deſcribendo morbo, quàm in proponendâ ejuſdem curandi methodo verſari decet. Haud equidem neſcius ſum Menjotium liberationem culpæ omiſſæ in Diſſertationibus ſuis Therapeiæ quantâcumque potuit arte impetrare conatum fuiſſe in *Monitione ad Lectorem* Parti 3. præfixâ, ſed vix puto excuſationem ullam ab illo adductam fuiſſe, quæ ſit legitima.

Cæterùm Diſſertatio illa de Lue venereâ, ſicut & cætera ejuſdem Auctoris Opera, licet eruditione multiplici referta ſit, lociſque undequaque corraſis aptè condita, in nimio orationis ſtudio peccare videtur, quæ modò vocibus ad oſtentationem quæſitis vel Græcis, vel Latinis priſcis & inſolentibus aſpera, modò verò *per mellitos verborum globulos, dictaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa* exaggerata Philologum vel Rethora magis ſapit quam Medicum.

THEOPHILUS BONETUS, Genevenſis, natus anno 1620. ad Doctoratûs gradum promotus eſt anno 1643. Medicus fuit Henrici ab Aureliano Ducis Longavillæi. Obiit anno 1689. ætatis 69. 1679.

Sepulchretum, ſive Anatomia practica ex Cadaveribus morbo denatis, proponens Hiſtorias & Obſervationes omnium penè humani corporis affectuum, ipſorumque cauſas reconditas revelans. Genevæ 1679. *in folio.*

Bonetus in hoc Opere *Lib.* 4. *parte* 9. ex variis Auctoribus exſcripſit Obſervationes aliquot in Cadaveribus ſyphiliticorum inſtitutas, quas ſuis adornavit ſcholiis.

STEPHANUS BLANCARDUS, Medicus Batavus, ſcripſit ſi fides habeatur (*b*) Joanni Devaux, Tractatum ſpecialem *De Lue venereâ*, ſed quo anno neſcio, in quo Helmontio aſſenſus ſtatuit venereos morbos, non ex Indiis Occidentalibus in Europam ab Hiſpanis advectos fuiſſe, ſed contrà ex Europâ in Indias Occidentales devectos ab Æthiope quodam, qui Pamphili de Narvaez in Corteſium civile bellum ſuſcipientis mancipium erat, luemque in obſidione Neapolitanâ jam antè contraxerat; cui commento ut fidem conetur facere, Auctores profert tùm Antonium Herreram egregium rerum Indicarum Hiſtoricum, tùm ipſum Ferdinandum Corteſium celebrem Novæ Hiſpaniæ victorem, utrumque tamen 1679.

(*b*) Traité de la Maladie Vénérienne de Charles Muſitan, nouvellement traduit. *Tom. I. pag.* 51.

temerè ut videtur. Sed de his diffusè jam ſuprà ad annum 1644. ubi *de Helmontio, pag.* 525.

1680. THOMAS SYDENHAM, Anglus, *anno* (a) 1642. *Collegii Magdalenæ Oxonii Socius creatus eſt, ac in Univerſitate anno* 1648. *Baccalaureatu Medico condecoratus eſt, poſteà Cantabrigiæ Doctor Medicus* renuntiatus fuit. Practicus experientiſſimus & celeberrimus, naturæ, ſucceſſionis & viciſſitudinis morborum Obſervator diligens, Londini Medicinam cum laude fecit per annos 25. nempe ab anno 1661. ad annum uſque 1686. Defunctus dicitur anno 1689.

(a) Joannes Jacobus Mangetus, *in Biblioth. Script. Medicorum.*

Exſtat inter illius Opera Epiſtola ad Henricum Paman, Doctorem Medicum & in Collegio Greshamenſi apud Londinenſes Medicinæ Profeſſorem ſcripta anno 1680. *De Luis Venereæ Hiſtoriâ & Curatione*, in quâ pauciſſimis quidem verbis, ſed ſatis enucleatè de principio, progreſſu & curatione tùm gonorrhœæ, tùm luis venereæ diſſeritur.

Inter cætera tria ibi leguntur, quæ potiſſimùm digna ſunt ut annotentur.

1°. Luem quidem veneream in Europâ novam eſſe, ſed non ex Americanis Inſulis, ut vulgò creditur, originem traxiſſe, verùm *è regione aliquâ Nigritarum Guineæ conterminorum*, quandoquidem *mancipia recèns è Guineâ allata ad Inſulas Caribas dictas, etiam antequam in terram deſcenderint, ... hoc morbo ſæpe tentantur.*

2°. *Nullum experimentum*, quod ille ſciat, *afferri poſſe extirpatæ hujuſce luis niſi per ſalivationem ab hydrargyro excitatam, quidquid tàm Doctorum nonnulli quàm indoctorum de aliis ſanandi modis ſatis temerè & audacter effutiverint.*

3°. *Nonnullos hoc morbo malè mulctatos in Galliam commigrare cogi, ut ab eo liberentur, cujus rei rationem non eſſe credit, quòd Practici ibidem degentes, utut docti quidem, methodum quâ hic morbus devinci poſſit meliùs calleant quàm Medici in Angliâ, ſed quòd aër Galliæ, utpote qui ſalubrior ac magis ſerenus, ſpiritus corporis ac vires deperditas inſtaurare aptior ſit.*

Doleo potuiſſe Viro cæteroqui docto duo excidere, quæ errore non vacant.

1°. *Experientiam teſtari nullis evacuationibus aut alio modo infirmatos* ante hydrargyroſim, *ſalivationis impetum multò meliùs ſuſtinere quàm eos quorum quaſi ante prælium inciſi ſunt nervi* venæ ſectionibus & purgationibus præparatoriis, unde concludit *æquum rerum æſtimatorem haud dubiè ſatius eſſe ductrum nihil agere, quàm ita importunè ſatagendo nocere.*

2°. *Periculoſum eſſe ptyaliſmi jam abiturientis & mox evanituri reliquias catharſi . . . . . deducere; à quâ praxi, quæ vulgò obtinet ſpecie vel Mercurii è corpore eliminandi, vel corrigendæ ejus malignitatis, naſci* credit *frequentes illas recidivas, quæ miſeris accidunt.*

1680. PAULUS DE SORBAIT, Hiſpano-Belga, Medicinam in Univerſitate Viennenſi in Auſtriâ docuit annos 24. circiter ab anno 1655. ad annum uſque 1679. ac eodem tempore Medicus fuit Imperatricis Eleonoræ de Gonzaga, viduæ Imperatoris Ferdinandi III. Videtur ibidem deceſſiſſe circa annum 1680.

Scripſit

Scripſit *Praxim Medicam* Tractatibus ſeptem comprehenſam quæ Viennæ ter typis excuſa eſt *in folio*, ſcilicet annis 1678. 1682. 1701. Tractatus ſecundus *De Morbo Gallico & Gonorrhœâ, reliquiſque ſymptomatibus ei ſupervenientibus*, in Paragraphos 17. dividitur, ubi de Morbi Gallici naturâ, cauſis, ſignis & curatoriis methodis, atque de gonorrhœâ, bubone, carie pudendi, nodiſque & exoſtoſibus diſſeritur *paginis* 15. adeòque breviùs quàm pro materiæ dignitate.

Pauca occurrunt in illo Tractatu digna quæ excerpantur. Sequentia tamen notare viſum eſt, quæ Lectorum judicio permittimus.

I. Morbum Gallicum (*a*) non differre nec à Mentagrâ, quam Plinius narrat, *Hiſtor. Naturalis Lib.* 25. *Cap.* 1. in Italiâ ſæviiſſe *medio Tiberii Claudii principatu*, nec à Lichenibus aut impetigine, quæ ab Hippocrate deſcribuntur, *Libro de Morbis mulierum, & Lib.* 2. *Prædictor. ſub finem.* (*a*) §. 1.

II. Morbum illum (*b*) *ſub Rege Francorum Carolo VIII. circa annum* 1496. *& in caſtris Gallicis, occaſione obſidionis Neapolitanæ . . . . . furere cœpiſſe . . . . .* Et tunc (*c*) *factum fuiſſe à conſtellatione malâ, quæ fuit anno* 1483. (*b*) *Ibid.* (*c*) *Ibid.* & §. 17.

III. Ad hujus morbi curationem (*d*) internum Mercurialium uſum inunctionibus præſtare; cæteriſque Mercurii præparatis Mercurium illum palmam præripere, quem ipſe *ſuum* vocat, *cujus* præparandi *deſcriptionem ſibi hactenus reſervaverat*, quem tamen exponit ideò, quòd *eum poſteritati negare vetet charitas.* Ille autem Mercurius tam effusè laudatus nihil eſt præter ipſummet Mercurium præcipitatum rubrum, iteratâ ſpiritûs vini affuſione, deſtillatione, accenſione mitigatum donec *è rubeo palleſcat*, quem exhiberi jubet primâ die ad gr. iv. doſim augendo quotidie grano uno, dùm optata prodeat ſalivatio. (*d*) §. 6.

IV. *Morbum* (*e*) eumdem *curari* etiam *poſſe per Mercurium abſque ſalivatione, ſi ſalivatio divertatur, mixtis cum Mercurio purgantibus, vel ſumpto pridie Mercurio & poſtridie inſtitutâ purgatione*, ut ſe feliciſſimo ſucceſſu non ſemel expertum fuiſſe teſtatur. (*e*) §. 17.

V. *Morbum* (*f*) *Gallicum ampliùs tam ſævum non eſſe quàm fuit in principio, quòd ipſius venenum per multa adhibita pharmaca & diætas plurimùm fuerit hactenus debilitatum.* (*f*) *Ibid.*

VI. Demùm (*g*) *hanc luem per frequentem coitum citra aliud contagium generari poſſe*, in quo ille à rectâ veri ratione non parùm aberrare videtur. (*g*) *Ibid.*

Cæterùm hic Auctor de plagio vix purgari poteſt, cùm pleraque, quæ in ſuo Tractatu profert, ab antiquioribus Scriptoribus compilaverit; imò quod excuſationem difficiliùs admittit, paragraphos ſuos 16. & 17. verbis ferè iiſdem tranſcripſerit ex *Capitibus* 5. & 6. Tractatûs, quem *de Morbo Gallico* Joannes Almenar, Hiſpanus Medicus, olim publici juris fecit.

JOANNES MICHAUT. 1682.

Les Diſcours de Chirurgie pour l'explication des nouvelles Machines pour les os & pour la Vérole ou Maladie Vénérienne, lorſqu'elle y fait des Nodus & Exoſtoſes & des Anchyloſes aux jointures, avec

l'art de la guérir méthodiquement par la ſeule application du Mercure. Paris 1682. *in* 8°.

Neque Librum neque Auctorem Libri novi.

1684. DAVID ABERCROMBYUS, Anglus, Doctor Medicus.

Tuta ac efficax Luis venereæ, ſæpè abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione mercuriali curandæ Methodus. Londini 1684. *in* 12.

Brevis ea Diſſertatio *Capitibus tredecim* abſolvitur. In primo dicit eſſe *quoſdam qui Luem veneream, ut Athanaſius Kircherus olim Romæ pronuntiaſſe fertur de Peſte, nihil aliud eſſe velint quàm innumeram quamdam vermiculorum inconſpicuorum multitudinem*, quâ opinione rejectâ ipſe ſtatuit, *cauſam luis venereæ eſſe frigidum quemdam, humidumque vaporem à partibus generationis propulſum in corpus, vel attractum.*

Inde poſt explicatam ſuo modo Luis venereæ propagationem & hydrargyri naturam, concludit *Cap.* 4. *hydrargyrum non eſſe Luis venereæ alexipharmacum*, ut qui cùm naturâ frigidus ſit frigido veneno mederi nequeat; ſed veram illius morbi medicinam ex calidioribus remediis petendam eſſe.

Sic ergo *Capite* 5. proponit *facilem & tutam*, ut ipſe putat, *Luis curandæ rationem abſque omni Mercurio*, per cathartica, infuſum Guaiaci in vino albo, & opiatam quamdam, quam *Veneream* vocat, compoſitam ex calidioribus remediis, & opiatæ Fernelianæ, de quâ (*a*) alibi, ita ſimilem, ut vix ovum ovo ſimilius ſit.

(*a*) Suprà pag. 116. & 478.

Quòd ſi contumacior morbus eâ therapeiâ non extirpetur, alteram affert *Capite 6. Methodum probatam curandæ Luis, abſque mercuriali inunctione & ſalivatione, non tamen abſque omni Mercurio*, uſu ſcilicet decocti Guaiaci, Chinæ, Salſæ-parillæ &c; Vini albi cum infuſo Mercurio vivo per horas 24. decocti ad medias; demùm pilularum mercurialium ex Mercurio dulci, Scammonio præparato, Trochiſcis Alhaandal, Aloë & Rhabarbaro.

De cæteris ſilere viſum eſt, quæ nullius ferè momenti ſunt. Quæ diximus ſatis ſunt, ut liceat inde colligere Luem veneream ab Abercrombyo curatam numquam fuiſſe; vel ad ſummum curatam tantùm in primo intenſionis gradu. Nemo enim, cui curandæ Luis venereæ difficultas nota fuerit, crediderit unquam alterutrâ Therapeiarum, quæ ab illo proferuntur, Luem venereamam inveteratam & confirmatam potuiſſe eradicari.

1687. *Davidis Abercrombyi Opuſcula hactenus edita.* Londini 1687. *in* 12.

Proſtat ibi ſecundus ordine Tractatus *De modo curandi Bubones venereos & tutiore ſalivationis methodo.* Circa prius præmiſsâ Bubonis definitione & causâ » brevem (*b*) methodum medendi exhibet. Poſtmodùm » perſtringit eos qui venæ ſectionem pro curâ rejiciunt: In Bubone enim » candicante admodùm proficuam illam eſſe, juxta ac cathartica exhi- » bita refert. Deinde diſſerit quibus cautelis & quomodo emollientia, » attrahentia & digerentia externè ſint adhibenda. Hæc de Bubonum » curâ.

(*b*) *Ex Actis Lipſienſibus anni 1687.*

» De tutiore ſalivationis methodo primò inquirit quænam ex ſubjectis » Lue venereâ infectis apta ſint ad ſuſtinendam Salivationem, rejectiſ-

que phthiſicis & humidioris ac frigidioris temperamenti, ſolùm calidioris ac ſiccioris conſtitutionis diſpoſita docet. Quæ deinde de modo ſalivationem excitandi annectit, nova non ſunt; Mercurii namque dulcis ope omnium optimè negotium hocce peragi poſſe tradit. » Cæterùm notari velim in hoc Tractatu Abercrombyum ipſum ea revocare, quæ in præcedenti adversùs ſalivationis Mercurialis uſum protulerat.

CAROLUS THUILLIER, Rothomagenſis, primùm Rothomagi, ac deinde Lutetiæ Medicinam fecit, ubi Doctoralem Lauream adeptus eſt. Scripſit gallicè Tractatum cum ſequenti inſcriptione : *Obſervations ſur les Maladies Vénériennes, avec leur Cure ſure & facile*, qui Rothomagi primùm editus fuit anno 1684. *in* 12. at novis Obſervationibus auctus recuſus eſt Lutetiæ anno 1707. Hæc altera editio continet Obſervationes 35. & tres Epiſtolas. 1684. 1707.

Fatendum eſt nec ingenium nec eruditionem in illo Auctore deſiderari. Egregiè probat Luem veneream in Europâ novam eſſe, multiſque eos refellit qui contrà ſentiunt. At verò in eo meritò culpandus eſt quòd de uſu hydrargyroſeos ad curandam Luem veneream detrahat quàm maximè, quaſi de medicinâ incertâ, difficili, periculosâ; quòd inunctionum mercurialium loco laudet & extollat arcanum quoddam, quod *Anti-venereum ſuum* vocat, quaſi certum, efficax, facile, præſentiſſimum remedium; quòd anti-venerei illius præparationem de induſtriâ celet; & quod peſſimum eſt, quòd in hunc finem Opus ſuum vulgaſſe videatur, ut arcano illi quo ſuperbit, quod tam impensè venditat, popularem auram conciliaret quæſtûs gratiâ.

Non equidem facilè condono Medico Chriſtiano, ut remedium, ſi quod in promptu habeat quod tutum & efficax ſit, per avaritiam ſilentio ſupprimat in ægrotantium quamplurimorum damnum. At numquam conceſſerim, ut remedio ſuo quiſquam publicam exiſtimationem, quam eventis non poteſt, conetur magnificis promiſſis comparare. Nonne hoc eſt *verboſis ſtrophis famam aucupari*, miſerorum mortalium *animas negotiari*, fraudulentis circulatorum artibus abuti? Quæ ſingula nec probum virum, nec ingenuum Medicum decent.

Si quid autem conjecturâ valeo, opinor anti-venereum illud arcanum à Carolo Thuillier tantoperè venditatum ex Mercurio & Antimonio componi; quod ex multis Obſervationum locis videtur poſſe erui, ſed præſertim ex 4. & 29. Itaque cùm ille hac ipsâ Obſervatione 29. utatur anti-venereo ſuo cum pulvere viperino admixto, ut infrà dicetur (*a*) de Gervaſio Ucay; forſan illius anti-venereum idem quoque fuit cum hujus anti-venereo, nempe Pulvis ex duabus partibus præcipitati Mercurii rubri per ſe, vel præcipitati rubri Solaris, cum additâ parte unâ ſulphuris aurati Antimonialis.

(*a*) *Infrà*, pag. 542.

Forſan quoque adhibuit Cinnabarim antimonialem ſequenti (*b*) modo paratam.

(*b*) Tauvri, Traité des Médicamens. *Tom. II. pag.* 260.

℞. *Mercurii præcipitati rubri per ſe parati ſine additamento & ſpiritu vini correcti* ℥ ß
Sulfuris ex Cinnabari antimoniali educti ℥ j.

Miſceantur ſimul & ex arte ſublimentur.

Cinnabaris eâ ratione parata ad morbos venereos exhibetur doſi xx. granorum.

Forſan demùm uſus eſt panaceâ mercuriali vulgari cum addito antimonio illo diaphoretico, qui vulgò dicitur (*a*) *pulvis liquans de Rotrou*; aut forſan floribus mercurialibus & antimonialibus cum ſale Ammoniaco paratis. Sed de his omnibus judicium illis permitto, qui etiamnùm putant reclamante rerum experientiâ poſſe umquam præparata ulla Mercurialia hydrargyroſi cautè adhibitæ præponi; quos inter ipſe numerari nolo.

(*a*) Vid. ſuprà *pag.* 416.

1689. L..... LE MONNIER.

Nouveau Traité de la Maladie Vénérienne & de tous les accidens qui la précédent & qui l'accompagnent, avec la plus sûre & la plus facile méthode de les guérir. Paris 1689. in 12.

Exiguus quidem Libellus, ſed apto ſatis ordine digeſtus, & in quo ſi nihil quidquam novi, at certè nihil quidquam abſurdi reperire eſt: Neque enim culpæ dari poſſe arbitror quòd ſuadeat (*b*) ut inunctiones mercuriales ſuper univerſum ferè corpus adminiſtrarentur, & ad ſingulas unguentum in validioribus temperaturis ad ℥ viij, in infirmioribus ad ℥ v. adhiberetur. Tunc enim ita ferebat uſus Medicorum plerorumque, etiam cautiſſimorum; unde minimè mirum eſt, ſi tam frequentia olim fuerint ex hydrargyroſi infortunia.

(*b*) *Chap.* 13.

1690. G. B. DE SAINT ROMAIN, Doctor Medicus.

Méthode aſſurée & efficace pour guérir la Maladie Vénérienne ſans ſalivation mercurielle, composée en Latin par un célébre Médecin d'Angleterre, & nouvellement miſe en lumiere. Paris 1690. in 12.

Auctor ille, qualiſcumque ſit, Gallicum fecit Tractatum Davidis Abercrombyi, qui inſcribitur, *Tuta ac efficax luis venereæ ſapè abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione mercuriali curandæ Methodus*, de quo ſuprà ad annum 1684.

1694. MARTINUS LISTER, Eboracenſis, Societatis Regiæ Londinenſis Socius & ex Medicis Domeſticis Reginæ Annæ, inter alia Opera numero ſatis multa ſcripſit *Exercitationes* aliquot *Medicinales*, quæ primùm numero ſex Londini 1694. *in* 8. mox octo numero prodiere Amſtelodami *in* 8. 1698.

In quartâ agitur *de lue venereâ*, ſed breviſſimè, & quod perpetuum eſt illius Auctoris vitium, ſatis incompoſitè. Quinimò nec Obſervationes omnes, quas refert numero quindecim, videntur ſatis certè ad luem veneream pertinere.

1°. Affirmat luem veneream *ab Inſulis Americanis per Hiſpanos in Europam allatam eſſe*; ſed quam in illis Inſulis primitùs ortam fuiſſe credit eſu Lacertorum quorumdam majorum, qui in illis locis occurrunt, & *Iguanæ* ſive *Ivanæ* appellantur.

2°. Vult totam luis *curandæ methodum includi hodie in purgatione, medicamentis ex hydrargyro confectis, præcipuèque numquam ſatis laudando illo*

Mercurio dulci dicto, & Guaiaci decocto, ita ut *hydrargyrus quidem veneni in lue antidotum ſit, ſed Guaiacum hydrargyri.*

3°. Audet infuſum cantharidum internè præſcribere; nam ad ulcus venereum proſtatarum ſequens remedium proponit *Obſervatione XI.*

℞. *Spir. vini rectificat.* lib. ß.
Gummi Guaiacini ℥ ß.
Cantharidum ʒ j.
Cocheineil. ℥ ij.
Succi hypocyſtid. ʒ ij.
Spiritûs Sulphur. ϑ j.

Digerantur cinere calido ad 12. horas: Filtrentur per chartam bibulam. Hujus Medicinæ gutt. XL. ex cereviſiâ tepidâ manè & ſerò quotidie propinentur.

4°. Monet in Præfatione Diſſertationibus præfixâ *medicamentum* quoddam à ſe *ſine invidiâ edendum eſſe ad comprimendam gonorrhœam, quo ab aliquot annis cum ſucceſſu uſus ſit.* Videtur autem illud remedium, quod nullibi diſertè prodit, nihil eſſe præter Cochenilliam, quam ſæpiùs commendat. Hac enim utitur in *Obſervatione XI.* ut modò dictum eſt, ad ulcus proſtatarum, & in Obſervatione ſequente *quæ XII. eſt*, ad gonorrhœam virulentam ſub ſequenti formulâ.

℞. *Cocheineil.* ℥ iij.
Cantharid. ʒ j.
Vini Rhenani lib. j.
M. Digerantur per diem B. M.

Infuſi Cochleare unum è decocti Guaiaci ℥ iiij. ſume bis in die, Gonorrhœa curabitur.

Demùm eâdem utitur ad veſiculam ſeu Bullam cryſtallinam Balani *in Obſervatione XIV.* decoctâ ad ℥ iij. in decocto valentiſſimo Guaiaci, quod ægrotanti propinandum exhibet.

5°. Denique minimè abſtinet ab injectionibus in urethram in gonorrhœâ incipiente, non anodynis modò, ſed etiam aſtringentibus. Sequentem enim ipſe præſcribit *in Obſervatione XIII.*

℞. *Aquæ Plantag. Et Papav. Rhœad.* ana ℥ iij.
Opii benè uſtulati ʒ j.
Mellis roſati ℥ j.
Trochiſcorum ex minio puro metallico ʒ ij.

Unde ait intra paucos dies *& urinæ punctiones & gonorrhœam ex toto deſinere.* Sed in hujus veſtigiis inſiſtendum eſſe vix puto.

CAROLUS MUSITANUS, Calaber, natus anno 1635. Apruſti (*a*) in Calabriâ, haud longè à Crotonâ, in oppido quod (*b*) nunc *Caſtravillarium* appellatur, patrem habuit Scipionem Muſitanum, & matrem Lauram Puglieſſe. Humanioribus Litteris & Philoſophiæ ſtuduit in urbe patriâ, ſed Neapolim petiit Medicinæ diſcendæ causâ. Ibi Sacris addictus Sacerdotium iniit, imò confeſſionibus audiendis vacavit; Medicinam tamen fecit cum laude, ac famam potiſſimùm dicitur ſibi comparaſſe morborum venereorum therapeiâ. Defunctus eſt Neapoli anno 1714. ætatis 79. 1698.

(*a*) *Ex Præfatione Operi præfixâ.*

(*b*) Mangetus, *in Bibliotheca Medic.*

Edendam curavit Genevæ anno 1698. *Trutinam ſuam Chirurgico-Phyſicam* in quatuor Partes diſtributam. *I. De Tumoribus. II De Ulceribus. III. De Vulneribus. IV. De Lue Venereâ*; quæ pars ultima in quatuor Libros ſubdividitur, ubi ordine exponit morbos ſingulos venereos, & peculiarem ſingulorum therapeiam explicat, ſed ubi non deſunt quæ meritò offendant.

I. Deridet acriùs antiquiores Medicos, quos *Vulgares* appellat, neque ſemper ſatis rectè.

II. Nimiùm elevat remedia conſueta, quorum pleraque ſuâ laude non deſtituuntur.

III. Dicendo nimis amplificat utilitatem remediorum quorumdam, quæ quaſi nova proponit, quibus impensè ſuperbit, quæ tamen conceptæ exiſtimationi nullomodo ſatisfaciunt; uno verbo non Medici ingenui, ſed Empirici perſonam plerumque ſuſtinere videtur.

Hunc Muſitani Tractatum Gallicè redditum edi curavit Trivoltii anno 1711. Joannes Devaux Chirurgus Pariſienſis, ſuiſque adnotationibus haud indoctis ita auxit, ut ea editio editioni Latinæ multùm præſtet. Ex quibus noluerim tamen judicium duci de cæteris Scriptis Medicis non paucis, quæ ab eodem Devaux Gallicè verſa ſunt, quippe minimè neſcius eumdem pleraque contaminaſſe, & *malè vertendo ex Latinis bonis Gallica ſæpiùs feciſſe non bona.*

1699. GERVASIUS UCAY, Doctor Medicus Toloſanus, Toloſæ edidit anno ..... Tractatum de morbo venereo *in* 12. cum ſequente inſcriptione.

Traité de la Maladie Vénérienne, où l'on donne les moyens de la connoître dans tous ſes degrez, avec une méthode de la traiter plus ſûre & plus facile que la commune, & la réſolution d'un grand nombre de Problêmes très-curieux ſur ces matieres.

Qui Tractatus iterùm recuſus eſt Amſtelodami anno 1699. ac tertiùm Lutetiæ anno 1702.

Hujus Tractatûs partes duæ ſunt. Priore, novem primis Capitibus luis venereæ, tribuſque ultimis cariei pudendi, gonorrhœæ & bubonis venerei naturam, cauſas & therapeiam exponit: Poſteriore, Problemata 35. circa luis venereæ originem, contagionem, curationem &c. diſtinctis totidem articulis reſolvit.

(a) *Part. I. Chap. 1.*

I. Credit (*a*) Auctor ille luem veneream non minùs antiquam eſſe in Europâ, cæteroque orbe antiquitùs cognito, quàm venerem ipſam vulgivagam, cujus ſemper certiſſima ſoboles fuit, & huic (*b*) ſententiæ credit ſuffragari auctoritates quaſdam ex Saliceto & Gordonio deſumptas, ſed quibus jam ſæpiùs ſatisfactum eſt.

(b) *Part. II. Probl. 13. & 14.*

(c) *Part. I. chap. 8. & 9.*

(d) *Part. I. chap. 9.*

(e) *Part. II. Probl. 22.*

II. Fatetur (*c*) quidem Mercurium unicum eſſe luis venereæ rhizotomum, ſed vetat illum inunctione unquam admoveri, tum propter tædia, incommoda & pericula, quæ inde ait imminere, & quæ ita (*d*) exaggerat, ut ſi audiatur, è centum ſyphiliticis ne unus quidem futurus ſit, qui ſciens ea ſubire velit; tum (*e*) propter expertam illius methodi inefficaciam, quæ conceptas ſpes non rarò fruſtratur.

III. Præstare censet (*a*) usum præparatorum Mercurialium, quæ blandam, benignam, gradariam salivationem promoveant, ut Mercurii sublimati dulcis cum pulvere viperino, & purgantibus scammoniatis; præcipitati rubri solaris, ex unâ auri & tribus Mercurii è cinnabari redivivi partibus, amalgamatis & lento igne in pulverem fusco-rubrum excoctis; præcipitati rubri per se & ex solo Mercurio lentâ ignitione confecti &c. (*a*) *Part. I. chap. 8.*

IV. Præfert (*b*) tamen cæteris omnibus pilulas sequentes, (*b*) *Ibid. chap. 9.*

℞. *Præcipitati Mercurii carnei coloris, qui ex solutione Mercurii in aquâ forti paratur affuso volatili urinæ spiritu,*
Et Præcipitati rubri solaris, aut illius loco si desit, Præcipitati rubri per se vel sine additione confecti, ana *q. s.*
Adde sulfuris aurati antimonialis partem tertiam. Tere in mortario marmoreo & additâ mellis q. s. f. massa pilularum.

V. Jubet ex illâ massâ intra sex dies tres doses exhiberi, quarum unaquæque sit XXIV. vel XXX. granorum. Eliminatâ semel humorum saburrâ ἄνω καὶ κάτω, ptyalismum deinde movet, motumque fovet, si opus fuerit, pilulis iisdem, sed minore dosi administratis, ad duo nempe vel tria grana, ter in die, manè, sub meridiem, & vesperi per dies aliquot.

VI. Contendit (*c*) sudorem à se in ægrotante quovis sympathicè excitari posse pro lubitu, si cum duabus tribusve unciis sanguinis recèns extracti admisceatur unguentum quoddam, quod confici ait ex mumiâ, adipe humanâ, humano cruore calore solis exsiccato, & tribus vitriolorum generibus solis ardore in calcem redactis tempore Caniculæ, ac nonnulla recenset experimenta hac de re coram testibus ut ipse ait, ac in diversis ægrotantibus instituta, sed quorum fides sit penes Auctorem. (*c*) *Part. II. Probl. 22.*

VIII. Haud negat (*d*) sibi olim visum fuisse eâdem methodo ipsam quoque luem veneream curari posse sudoribus, sed fatetur periculo à se facto rem ex voto non successisse; ægrosque levamen quidem inde qualecunque expertos, sed perfectæ valetudini numquam restitutos fuisse, quamquam cum unguento illo sympathico modò descripto Mercurium crudum unà extinctum, præcipitatum ex soluto in aquâ forti Mercurio paratum affuso spiritu urinæ, aliaque non pauca præparata Mercurialia de industriâ miscuisset, ut unguenti vis adversùs virus syphiliticum illorum facultate dirigeretur. (*d*) *Ibid.*

PETRUS GARNIER, Lugdunensis, Doctor Medicus Facultatis Monspeliensis, Collegio Medicorum Lugdunensium Aggregatus, secundæ Editioni *Novarum Formularum*, quas in usum Nosocomii majoris Lugdunensis concinnaverat, adjunxit anno 1699. Tractatum Gallicè scriptum cum hac inscriptione: *Traité pratique de la Vérole* in 12. *trilus Capitibus* comprehensum, quorum primo *de naturâ & causâ*, altero *de signis diagnosticis*, & tertio *de Methodo Curatoriâ Luis venereæ* agitur. 1699.

Hic Auctor, omissis quæ dubia sunt ac incerta, explorata tantùm & comperta profert, atque curationi luis venereæ unicè intentus, quæcumque ad illum scopum facere videntur, ingenuo animi candore enucleat. Duo tamen desiderari videntur; *Alterum* ut non de lue tantùm venereâ, sed de singulis morbis venereis pari diligentiâ verba feciisset, *Alterum* ut sin-

gula paulò fusiùs atque adeò enucleatiùs explicavisset. Adde ab illo proponi tantùm ad luis curationem hydrargyrosim plenam & quotidianam, à quâ ptyalismus cietur nimius, tumultuarius, periculi plenus, nullâ mentione factâ hydrargyroseos intercalaris & paucioris, quæ morbo salivatione facili, paucâ, moderatâ medetur.

Petrus Garnier in Villâfrancâ Segusianorum, quò advocatus fuerat ut febri pestilentiali & epidemicæ opitularetur, ex contracto contagio extremum diem obivit, circa annnm 1710. ni fallor, nondùm ætate provectus.

SECULUM DECIMUM OCTAVUM.

1702. N..... Boirel, Doctor Medicus.

Nouvelles Observations sur les Maladies Vénériennes. A Paris 1702. *in* 12.

Libellus exiguus, in quo *Capitibus duodecim* brevissimè agitur de morbis venereis, & in quo neque novi, neque observatione digni quidquam occurrit.

1710. Adrianus Helvetius, Batavus, Medicinam Parisiis exercuit cum laude, famamque sibi fecit usu radicis Hipecacuanhæ, quam fors bona illi casu obtulerat, quâ de re vide *Le Dictionnaire des Drogues de Nicolas Lemery*, in verbo *Ipecacuanha.* Locum habuit inter Medicos ordinarios Philippi Ducis Aurelianensis, Fratris Ludovici Magni.

Méthode pour traiter la Vérole par les frictions & par les sueurs. 1710. in 12.

Auctor præmissâ præparatione parùm methodicâ, jubet ægrum inungi unguento mercuriali, primâ quidem frictione à summis pedibus usque ad genua, & à pugnis usque ad cubita. Altero vel tertio die inunctionem iterari, & si nulla inde appareant instantis ptyalismi indicia, tertiùm repeti, ita ut tribus frictionibus res tota conficiatur. Deinde Auctor est ut finitis frictionibus & salivâ probè effluente sudor excitetur semel vel bis in die per dies 10. vel 12. Quæ singulæ cautiones à methodo quæ nunc usu recepta est, non parùm abludunt.

1711. Joannes Devaux, Chirurgus Parisiensis, natus Lutetiæ Parisiorum (*a*) anno 1649. Chirurgiæ operam dedit ac præcipuos Corporis sui honores adeptus est. Vir fuit nec sine ingenio nec sine litteris, sed qui fuisset laudabilior, si sese novisset ipse melius, nec unquam viribus majora ausus esset. Obiit Lutetiæ anno 1729. plusquàm octogenarius.

(*a*) Mémoires de Littérature & d'Histoire. *Tom. VII. Part. I.*

De Chirurgiâ, imò etiam de Medicinâ Libros aliquot scripsit, sed multò plures translatos edidit, ex quibus hìc eos tantùm commemorare par est, qui ad præsentem de Morbis venereis quæstionem spectant.

Primò. Librum IV. *Trutinæ Chirurgicæ* Caroli Musitani, ubi de Lue venereâ agitur, gallicè reddidit, egregiis adnotationibus auxit & illustravit, ac Trivultii typis excudendum curavit anno 1711. *in* 12. Tomis duobus cum inscriptione sequente.

Traité

Traité de la Maladie Vénérienne & des remedes qui conviennent à sa guériſon, de Charles Muſitan Médecin de Naples, nouvellement traduit avec des Remarques, par Monſieur D. V..... Maître Chirurgien Juré de Paris.

Ille quidem in adnotationibus ſuis Muſitani errores emendat non ſemel nec indoctè, vitiaque therapeiæ, quam Muſitanus proponit, ſæpè corrigit & plerumque rectè : At verò ipſemet ibidem in errorem geminum incidit ſuapte culpâ.

I. Videtur (*a*) aſſentiri opinioni ſeu potiùs fabulæ ab Helmontio propoſitæ de Æthiope illo, Pamphili de Narvaez mancipio, à quo venerea lues in Zempoalanos ac inde in cæteros novæ Hiſpaniæ populos traducta dicitur anno 1519. Jam quidem abundè probatum eſt ſuprà (*b*) ea de Lue venereâ numquam dicta fuiſſe, ſed de Variolis tantùm, in cujus rei fidem adduximus apertiſſima teſtimonia ex Hiſtoricis Libris *Bernardi Diaz del Caſtillo*, Scriptoris coætanei & Ferdinandi Corteſii Commilitonis, *Franciſci Lopez de Gomara*, & *Antonii Herreræ*. At verò quod primâ fronte admirationem moturum eſt, hunc eumdem Herreræ locum ultimò laudatum affert ipſe Devaux in contrariam partem, quaſi velit inde arguere Luem veneream in Hiſpaniam novam ab illo Æthiope devectam fuiſſe. Verùm facilè cognoſcitur quid ſit quamobrem tàm turpiter erraverit : Nempe cùm Hiſpanici ſermonis ignarus eſſet Gallicam Herreræ interpretationem uſurpavit, ut ipſe quidem confitetur, quæ olim prodierat operâ cujuſdam Joannis de la Coſte, ubi vox illa Hiſpanica *Las Viruelas*, quam Herrera in enarrandâ illâ Hiſtoriâ adhibuit, quæ *Variolas* tantùm ſignificat, quâ conſtat ab Herrerâ *Variolas* tantùm intellectas eſſe, gallicè redditur *la Vérole*, quo vocabulo non luem veneream ſed variolas olim ſignificari (*c*) ſuprà dictum eſt. Sed cùm antiqua vocis illius *la Vérole* acceptio à Joanne Devaux ignoraretur, inde factum eſt ut fidenti quidem animo ſed temerè crediderit hanc Herreræ hiſtoriam de lue venereâ accipiendam eſſe; quâ de re vide quæ de Helmontio alibi monuimus.

(*a*) In Adnotation. 5. *ad Cap.* 3. *Lib.* 1. *pag.* 49. *Tom.* I.

(*b*) Ad arn. 1644. *pag.* 525. 526.

(*c*) *Lib.* I. *Cap.* 7. *pag.* 39.

II. Objicit idem, (*d*) ut contra communem opinionem pugnet, venereamluem nec Indigenis Inſulæ Hiſpaniolæ, nec Hiſpanis advenis priùs innotuiſſe quàm anno 1503. auctore ipſo, ut ille putat, Antonio Herrera, diligente rerum Indicarum Scriptore, unde colligit luem hanc ab Inſulâ Hiſpaniolâ, ubi nondùm nota erat, Neapolim in Gallorum exercitum traduci non potuiſſe anno 1494. ut vulgaris fert opinio.

(*d*) Ibid. *in Adnotat.* 4. & 5. *p.* 42. & 46. *Tom.* I.

Locus autem Antonii Herreræ, quem adducit, depromptus eſt ex *Capite II. Lib. V. Hiſtoriæ generalis Indiarum*, ut ille quidem ait, ſed debuiſſet addere ex *Decade I.* cùm ea Herreræ Hiſtoria in Decades I V. diſtributa ſit. Cæterùm laudato illo loco Herrera brevem quatuor primorum Operis Librorum velut anacephalæoſin inſtituit, multaque ſummatim refert de moribus Indigenarum Inſulæ Haiti, quæ licet negotiis quibuſdam ad annum 1503. referendis ordine poſtponantur, tempore tamen multo priora fuerant.

Nempe 1°. (*e*) Cùm Indi in advenarum odium ſementem nullam feciſſent, Hiſpanos inediâ eò redactos eſſe, ut eſcas inſalubres & ſtomacho planè alienas ad cibos admiſerint, quod arquatum morbum tam intenſum illis attulit ut crocei viderentur.

(*e*) Vid. locum ipſum Herreræ, qui adducitur paginâ ſequente.

2°. * Simul etiam uſu rei venereæ cum indigenis mulieribus morbum alterum ab iiſdem contractum fuiſſe difficiliorem, graviorem, diuturniorem, contagioſum, notiſque remediis majorem, uno verbo luem veneream, quæ inter Indos quidem familiaris, ſed Caſtellanis ad illud tempus ignota erat: Suborta eſſe ſcilicet in corporis habitu tubercula dura, renitentia, cum doloribus atrocibus, ex quo factum ut ſpe futuri ad bonam valetudinem recurſûs in cœlo natali multi in patriam reverſi ſint, in quam morbum eumdem unà ſecum importavere.

3°. Sed tandem divino beneficio conceſſum eſſe, ut aliquanto poſt intervallo remedium ibidem reperiretur, ubi morbus repertus fuerat, mulieris Indæ Caſtellani cujuſdam uxoris indicio, quæ uſum ligni Sancti ab incolis *Guaiacan* dicti patefecit adversùs id morbi genus efficacem, unde non levis acceſſit remiſſio.

Sed horum omnium nihil quidquam eſt, quod ad annum 1503. referendum ſit. 1°. Non fames, quæ inter Hiſpanos morbos vulgavit; conſtat enim illam eveniſſe anno 1495. 2°. Non deprehenſio ignoratæ efficaciæ, quâ pollebat lignum Sanctum adversùs morbos venereos; conſtat enim lignum hoc ab Hiſpanis in Inſulâ Hiſpaniolâ in uſum priùs vocatum non fuiſſe quàm anno 1514. aut 1515. 3°. Denique non ingreſſus Luis venereæ inter Hiſpanos; conſtat enim certâ Hiſtoricorum fide id morbi genus primo Chriſtophori Columbi ad Hiſpaniolam appulſu, atque adeò anno 1492. cum Hiſpanis uſu veneris communicatum fuiſſe ab indigenis mulieribus, apud quas antiquitùs endemia erat; quâ de re vide ſuprà, *Lib. I. Capp.* 9. & 10.

Sed nec Herrera hac de re diſſentit ullomodo, ut qui contrà expreſsè *ibidem* teſtetur † Luem veneream in Inſulâ Hiſpaniolâ antiquitùs FAMILIAREM fuiſſe; in Caſtellanos, quibus IGNOTA erat, manaviſſe CONTUBERNIO cum mulieribus indigenis; ac demùm ab iis qui in Caſtiliam rediere, TRADUCTAM fuiſſe in Hiſpaniam; quæ ſingula fictam & commentitiam Joannis Devaux fabulam funditùs convellunt, cauſamque nobis adjudicant apertiſſimè.

* La falta de vitualla, que huvo en la Eſpañola, el comer los Caſtellanos muchas baſcoſidades, y lo que padecioron los Indios por cauſa de no ſembrar como atras queda referido, causò en todos nuevas enfermedades: Puſieronſe primero tam amarillos, que parecian açafranados: y eſto que les durò muchos dias, con la CONVERSACION de las mugueres ſe les vino à pegar un mal ORDINARIO entre los Indios, y entre los Caſtellanos no CONOCIDO, que les dava mucho trabajo. Eran unos granos, que nacian per el cuerpo con dolores intenſos, y era contagioſo, y ſin remedio ninguno, de que morian rabiando: y por eſto ſe bolvieron muchos à Caſtilla penſando ſanar cum mudança del ayre natural, y PEGARON el mal. Pero quiſo Dios que adonde ſe hallò el mal, ſe hallaſſe el remedio, porque alcun tiempo deſpues una India muguer de un Caſtellano moſtrò el palo Sancto, que llaman *Guayacan*, con que començaron à tener algun deſcanſo. *Hiſtoria general de los Hechos de los Caſtellanos en las Iſlas y Tierra firme del mar Oceano. Eſcrita por el Antonio Herrera, Coroniſta mayor de las Indias. Decada I. Lib. V. Capit. XI.*

† Hæc omnia omiſſa ſunt in interpretatione loci illius Herreræ, quam Joannes Devaux adducit *laudati Tractatûs pag.* 42. Sed omiſſionis culpa refundenda videtur non tàm in illum, quàm in Joannem de la Coſte, à quo Herreræ Opus gallicè redditum fuerat, & cujus interpretatio à Joanne Devaux optimâ fide profertur.

Secundò. Gallicè vertit idem Devaux aliquot alia diverſorum Auctorum Opera *De Morbis Venereis*, ſed pleraque multis modis contaminavit ac *malè vertendo ex latinis bonis fecit Gallica non bona*, ut

1°. *Diſſertationem de Morbis Venereis* Antonii Deidier celebris Profeſſoris in Facultate Medicâ Monſpeſſulanâ, de quo *infrà ad annum* 1723. quæ Gallicè reddita prodiit Lutetiæ *anno* 1725.

2°. *Tetrabiblion de pudendorum Morbis & Lue venereâ* Jacobi Vercelloni Pedemontani, de quo *infrà ad annum* 1716. quod Gallicè tranſlatum editum eſt Lutetiæ *anno* 1730. poſt mortem Joannis Devaux.

3°. *Tractatum de virulentæ gonorrhœæ ſymptomatis, naturâ, cauſis & curatione* Guillelmi Cockburne Angli, de quo *infrà ad annum* 1717. qui Gallicè verſus typis excuſus eſt Lutetiæ *anno eodem* 1730.

RICHARDUS BOULTON, Anglus. 1714.

Phiſico-Chirurgical Threatiſ of the gout, the king evils, and the lues venerea. London. 1714. *in* 8°.

Præter ea quæ de Arthritide & Strumis proferuntur, & quæ ab inſtituto noſtro ſunt aliena, pauca ſunt in hoc Tractatu, quæ ad Luem veneream ipſam pertineant, nec ea nova ſunt. Auctor de ſalivatione, quam probat, agit quidem, ſed profunctoriè; ac in eo totus eſſe videtur, ut exponat uſum venæ ſectionis, purgationis, vomitionis, enematum diaphoreticorum &c. quæ auxilia præſtantia ſunt, ſed ex ſe debellandæ lui venereæ planè imparia.

GUALTERUS HARRIS, Anglus, Collegii Medicorum Londinenſium Socius, Medicinam Londini faciebat cum laude ante annum 1689. in quem incidit Thomæ Sydenhamii interitus, cùm profiteatur (*a*) Tractatum ſuum *de morbis acutis Infantum* à ſe ſcriptum fuiſſe hortante Sydenhamio. In vivis etiamnum erat anno 1701. ut conſtat ex 1. & 3. Obſervationum, quæ in *Lib.* 2. exſtant in Editione ſecundâ. 1715. 1689.

(*a*) *In Tractatûs Proœmio.*

Teſtatur ipſe (*b*) ſe Medicum fuiſſe Guillelmi Principis Arauſiaci & Regis Magnæ Britanniæ, ac illi (*c*) *anno* 1693. *ad imperandas fœderatas in Belgio copias proficiſcenti primùm ſerviiſſe.*

(*b*) *Lib.* 2. *Obſerv.* 7.

(*c*) *Ibid. Obſerv.* 2.

Videtur Auctor ille aniliter ſuperſtitioſus, cùm putat (*d*) *infantulum ſex tantùm menſes natum*, qui *paulò poſt obitum Caroli II. Hiſpaniarum Regis, veſperâ Feſtum Chriſti Natalitium præcedente* anni 1700. *à paroxyſmo convulſivo liberatus per quartam horæ partem nunc ô Deus, nunc ô Jeſus, clarè ac diſtinctè exclamavit, miſerias cladeſque fortè præſenſiſſe impendentes* à bello internecino, cui Regis illius interitu locus datus eſt.

(*d*) *In Præfat.*

Scripſit Librum *de Morbis acutis Infantum*, cui acceſſere in Editione ſecundâ, quæ prodiit Amſtelodami anno 1715. *Obſervationes Medicæ de morbis aliquot gravioribus; & quædam de luis venereæ origine, naturâ & curatione.*

In hac ultimâ Diſſertatione, quæ 25. paginis *in* 12. comprehenditur, Auctor obiter docet,

I. Morbum à *promiſcuâ & vagâ ſcortatione* ortum habere, unde colligit in orbe noſtro antiquum eſſe, in cujus rei fidem adducit varia Hippo-

cratis loca ex 3°. Epidemiorum, de quibus ſuprà *Lib. I. Cap. 2.*

II. *Morbi naturam eſſe aliam atque aliam . . . . ſecundùm regiones magis ad Septemtrionem aut Meridiem poſitas. . . . . Et morbum, qui in Hiſpaniâ & Luſitaniâ mitis eſt, ... ferocem & immanem tyrannidem exercere* in Angliâ.

III. Hallucinari qui arbitrantur luem fractis & attritis ſenio viribus tyrannidem ſuam fermè omnem jam depoſuiſſe *& ad interitum ſuum cum ſenectâ demùm vergere :* Sed contrà conſtare experientiâ, ut ipſe quidem putat, crudeliſſimè etiamnum ſævire, dubiumque eſſe *utrùm Mars, an Venus plures ex numero viventium tollat.*

IV. *Salivationem*, cujus moleſtias tamen verbis amplificat, *eſſe omnium methodorum, quas hactenus excogitavit peritia Medica, maximè expeditam atque efficacem ad virus illud venereum valdè obtundendum, & malignitatem ejus pernicioſam abundè frangendam, ſi minus ea valeat non rarò ad venenum iſtud penitus delendum.* Videtur enim Auctor in eam inclinare opinionem, nempe luem veneream radicitùs extirpari vix unquam poſſe.

V. *Ligna exſiccantia, gummi, corticem & lignum Guaiaci, lignum ſaſſafras, atque radices Salſæ-parillæ & Chinæ . . . . . ex ſe numquam apud Anglos ſcopum attingere hydrargyro prætermiſſo, venenumque venereum non poſſe penitùs delere & extinguere : Tamen robur nativum erigere & fovere, palloremque huic morbo congenitum in vividum ac ſanum colorem certo certiùs immutare . . . . . unde tantùm ferè emolumenti naturæ humanæ conferunt, & debilitatæ ſuppetias ſalutares præbent, quantùm damni & nocumenti hydrargyrum corpori infligit*, ut illi videtur.

VI. *Impoſtores illos imperitos, turpiſſimos lucriones ac nebulones vulgares, qui ſine Mercurio, ſine quâcunque moleſtiâ, & neſcio quibus Arcanis inſulſis curationem breviſſimam necnon infallibilem omnibus lue infectis cum inſigni impudentiâ publicè pollicentur, argumento bacillino quàm Medico digniores eſſe, & faſcibus Magiſtratuum aut colliſtrigio, prout veteratores perfidos, potiùs caſtigandos eſſe, quàm diſceptationibus aut ullis rationum momentis accipiendos.*

VII. Demùm in Angliâ *ab ignaro vulgo* credi *lue infectos, ſi cum ſanâ muliere mutuis amplexibus ſeſe commiſcuerint, à labe omni venereâ confeſtim fore immunes, ex quo ſtupido & pernicioſo errore virgines innocuæ quamplurimæ periere.* Idem quoque & in Italiâ olim creditum fuiſſe ſuprà notavimus *pag.* 505. ubi de Hercule Saxonia.

1716. JACOBUS VERCELLONUS, Pedemontanus, natus anno 1676. Sordevoli (*a*) apud (*b*) Bugellas, Medicinæ operam dedit Monſpelii deſinente præterito ſæculo. Inde Romam petiit anno 1699. *ubi in Archihoſpitali Sancti Jacobi incurabilium praxim Medicam exercuit ;* unde in patriam redux Medicinam fecit Aſtæ, in urbe Epiſcopali Pedemontii, in quâ commorabatur ipſo anno 1724.

(*a*) Mangetus, *in Bibliothec. Medic.*

(*b*) In Provinciâ Bugellenſi, Gallicè *de Biele.*

Primam manum Operi ſuo de lue venereâ admovit anno 1701. (*c*) *ætate paulò junior, & annorum circiter viginti quinque*, ſed, ut ipſe ait, *ſuarum partium eſſe duxit, ut incredibili fermè ſyphiliticorum numero opitularetur, qui opem ſuam imploratum veniebant.*

(*c*) *In Præfatione.*

Fidem omnem penè ſuperat id quod ipſe ultrò confitetur, ſe nempè

tunc temporis ita *ignarum fuiſſe eorum, quæ in Medicâ Republicâ hactenus geſta fuerant, ut cenſeret ante ſe neminem extitiſſe, qui venereorum morborum cauſas, differentias, ſigna & curationem denique tradidiſſet*; ac ideò ſibi potiſſimo jure Operis ſui editionem urgendam tunc viſam eſſe. Eam tamen aliquot annos ſuppreſſit conſilio Bartholomæi Torini Archiatri Pedemontani, & Joannis Fantoni Profeſſoris Taurinenſis. In lucem tandem prodiit Aſtæ anno 1716. in 8°. cum ſequenti inſcriptione, *De pudendorum morbis & lue venereâ Tetrabiblion.*

Conſtat Tractatus ille Vercelloni *Capitibus quatuor*, quorum unumquodque in plures articulos & paragraphos ſubdividitur.

Primò conatur probare ex purâ venere etiam impuram naſci, ſi peccetur in exceſſu, ac fœmina nimio concubitu exagitetur, præſertim ſi cum multis miſceatur, quorum confuſa ſemina corrumpantur. Sed infirma ſunt ea, quæ profert argumenta, & jam à nobis in hoc Opere abundè convulſa ſuprà *Lib. I.*

Capite altero diſſerit *de Pudendagrâ muliebri*, hoc eſt de gonorrhœâ virulentâ mulierum, cujus cauſas, differentias, ſymptomata, diagnoſim & prognoſim diſtinctis paragraphis explicat.

Tertio Capite agit *de Mentulagrâ*, hoc eſt de porris, verrucis, ulceribus cancroſis, bullis cryſtallinis, phimoſi & paraphimoſi, quæ balano, fræno, præputio, mentulæ in viris accidunt, ſicut etiam de gonorrhœâ virulentâ virorum.

Demùm *Capite quarto* verba facit de bubone inguinali ſeu pano venereo, de rhagadiis & verrucis coxarum præſertim in mulieribus, de ani criſtis & condylomatis, ac demùm de lue venereâ, quam *ſi recens & in primo aut ſecundo gradu fuerit*, Guaiaci aut Salſæ-parillæ decocto *curari* ait; minimè verò, *ſi vetus ſit & ad tertium gradum pervenerit*, quo tempore *Mercurio tantùm cedit.*

Multa quidem ſunt in hoc Opere, quæ laudi, ut jam dicta ſatis indicant; ſed non pauca etiam, quæ vitio vertenda ſunt. Nam 1°. Multa falſa, omiſſa, perperam explicata, aut negligenter tractata ſunt. 2°. Declamatorius eſt ſtyli tumor, qualis materiei minimè convenit, quæ ornari negat contenta doceri. 3°. Abeſt lucidus ille rerum ordo, qui in dogmaticâ Diſſertatione in primis requiritur. 4°. Demùm, quod potiſſimum eſt, curatoriæ methodi nec eâ quâ par eſſet diligentiâ expoſitæ ſunt, nec remedia complectuntur tutiſſima, efficaciſſima, uſu maximè comprobata.

GUILLELMUS COCKBURNE, Anglus, Doctor Medicus & Societatis Regiæ Londinenſis Socius edendum curavit Lugduni Batavorum in 12. anno 1717. Tractatum in duas partes diſtributum, cui titulum fecit *Virulentæ gonorrhœæ ſymptomata, natura, cauſæ & curatio.* Cùm libellus ille, qui Gallicè redditus Lutetiæ recuſus fuit anno 1730. paſſim obvius ſit, haud opus eſt ſumma illius capita ſigillatim explicare: Satis eſt annotaſſe circa duo potiſſimùm Auctorem laborare; nempe I. Ut (*a*) ſtatuat in viris gonorrhœæ ſedem numquam in proſtatis, nec in veſiculis ſeminariis eſſe, ſed in ipſis ſemper glandulis ſive lacunis urethræ. 1717.

(*a*) *Cap. 4. Part. prioris.*

(a) *Cap. 1. Part. posterioris.*

II. Ut (*a*) approbet usum cujusdam injectionis, quâ fluentis materiæ acrimoniam citissimè mitigari, atque adeò gonorrhœæ virulentiam tutissimè, ac sine ullo periculo compesci asserit.

Verùm cùm præparationem hujusce injectionis, quam tot tantisque laudibus extollit ceu efficacissimam & maximè præsentaneam, nullibi explicet, meritò culpandus esse videtur, ut qui per avaritiam de industriâ silentio supprimat remedium, quod ipse ait non gonorrhœæ modò virulentæ, sed etiam fluori albo utiliter conducere, atque adeò pessimo consilio humano generi invideat salutiferum auxilium; quod & virum probum & ingenuum Medicum dedecet.

(*b*) *Part. 2. Cap. 1.*

Neque audiendus est, dùm (*b*) silentii sui odium conatur deprecari, quasi remedium illud ideò celet, ne vulgus perditorum hominum illius usu quasi certo prophylactico à futuræ gonorrhœæ periculo jam securum libidini se effrænatiùs dedat: Quasi verò, ut à (*c*) Seneca egregiè dici memini, *Medicina & sceleratis opem non ministraret, & compositiones remediorum suppressisset ullus* umquam, *ne sanarentur indigni.*

(c) De Beneficiis, *Lib. IV. Cap. 28.*

1717.

GHERARDUS (*d*) GORIS, Medicinæ Doctor.

(d) Ex Actis Lipsiensibus, *anni* 1717. *pag.* 254.

Mercurius triumphator, continens argenti vivi historiam, indolem, prærogativam & noxas in morborum chronicorum, præsertim luis venereæ curatione. Annectitur de curationibus sympatheticis Tractatus. Lugduni Batavorum 1717. in 8°.

Auctor ille varia proponit de origine, naturâ, purgatione, variisque præparationibus Mercurii, quæ singula non sunt hujus loci. Quòd ad luem veneream attinet.

1°. Contendit *non habuisse sua incunabula* annis 1493. & 1494. licet tunc temporis plurimùm sævierit; quandoquidem Guillelmus Salicetus, & Valescus Tarantanus, qui diù antè vixerunt, plurima luis venereæ symptomata commemoraverunt.

2°. Statuit luem illam nulli adulto supervenire, nisi qui contagio sese polluerit.

3°. Posthabitis omnibus aliis medicamentis, Auctor Mercurium tantùm probat, dicitque à se novum modum purgandi Mercurii repertum esse, (*quem tamen non prodit*) unde Mercurius ingenitâ virulentiâ exutus absque ullâ salivatione virus debellat, atque ex corpore per sudores, urinam, insensibilem transpirationem &c. tam placidè eliminat, ut ejus energia, etiamsi valdè efficax sit, vix ab assumentibus sentiatur.

4°. Ipse tamen salivationem non penitùs rejicit, sed existimat illam haud temerè instituendam esse, & nisi cùm morbus jam nimis inveteratus & pertinax aliis remediis non ampliùs cedit.

5°. Affirmat tamen Mercurium, qualis vulgò adhibetur, non esse verum & specificum luis venereæ antidotum, cùm ptyalismum excitando utiles pariter ac inutiles humores evacuet.

6°. Sed contendit Mercurium è metallis extractum salivationem inducere nullam, atque ita præstantissimum & tutissimum esse medicamentum & in morbis venereis polychrestum.

Horum pleraque parùm comperta sunt, vel temerè dicta, ac proinde

credulum Auctoris animum arguunt, qui aliorum fide multa proferre non dubitet; quod sanè manifestiùs liquet ex adjuncto Tractatu *De curationibus sympatheticis*, ubi conatur ille probare curationes, quas vulgò *Magneticas* dicunt, veras esse.

N..... BOUEZ DE SIGOGNE. 1722.

Méthode nouvelle pour guérir les Maladies Vénériennes, beaucoup plus sûre & plus aisée qu'aucune de celles qui ont été en usage jusqu'ici, avec une réfutation des anciennes hypotheses touchant les mêmes Maladies. A Paris 1722. in 12.

(*a*) *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*

Vanam tantùm declamationem, in quâ Auctor, qualiscumque sit,

(*b*) *Id sibi negotî credidit solùm dari,*
Populo ut placerent quas fecisset fabulas,

Et ut arcano cuidam, quod ambitiosè venditat,

(*c*) *Verbosis acquireret suis famam strophis.*

(*a*) Horat. *in arte Poëticâ.*

(*b*) Terent. *in Prologo Andriæ.*

(*c*) Phædrus, *Fab.* 14. *Lib.* 1.

Cæterùm hujus Operis Auctor ad curationem luis venereæ, cæterorumque morborum quorumvis, duobus tantùm remedis utitur, atque adeò ægrotis omnibus eamdem methodum adhibet, quo nihil potest fingi ineptius. 1°. Exhauriri jubet quotidie manè jejuno ventriculo duas libras aquæ, in quâ admistum latet sal quoddam catharticum Martiale, fortè sal Martis purgans vulgò notum, quo alvus per diem blandè solvitur. 2°. Bis in die manè & vesperi exhibet in infuso calido Theæ guttas aliquot *Elixirii* ut ille vocat rubicundi, quod ipse conjicio esse solutionem cinnabaris Mercurialis vel præcipitati rubri in aquâ forti edulcoratâ, qualis adhibetur ad Tincturam, quæ non ita pridem magnificè jactabatur Lutetiæ nomine *Les Gouttes du Général la Motthe.*

ROGERUS DIBON, Chirurgus Parisiensis. 1724.

Description de la nature, des causes des Maladies Vénériennes, & de plusieurs remedes propres à les guérir. A Paris in 12. 1724. *Tome* 2.

Sub modestiore titulo vana subest declamatio præcedenti compar & eodem fine conscripta, nempe ut arcano cuidam auctoritas conciliaretur. Prostant ad Operis calcem aliquot remediorum formulæ ex diversis Auctoribus conquisitæ, sed neque satis diligenter selectæ, nec ut plurimùm satis tutæ, & in quibus proinde periculum est ne juniores Chirurgi rectæ morborum venereorum curationis nondum gnari offendant.

Dicunt à Chirurgo illo ad curationem luis venereæ exhiberi manè jejuno ventriculo bolum ex præcipitato Mercurio albo multiplici lotione mitigato, cum addito grani semisse pulveris de Algarot, ac superbibendas præscribi libras duas ptisanæ ex levi decocto salsæ-parillæ & folliculorum sennæ. Hinc primis diebus nausea, vomituritio, imò verò vomitio laboriosa proritatur, sed deinceps usu iterato ptisanæ purgantis omnia per inferiora ita deturbantur, ut nullus vel levis tantùm ptyalismus superveniat, quo tamen confidit ille luem veneream radicitùs extirpatum iri.

Verumtamen, cùm numquam satis certa sit arcanorum exploratio, ut

quæ deditâ operâ mille modis fucari ſoleant, ne quid in Chirurgum illum peccemus imprudentes, demus arcanum, quo gloriatur, à propoſito remedio omninò diverſum alterius qualiſcumque naturæ eſſe. At certè aliquod unum eſt è præparatis mercurialibus. Demus *iterùm* è numero blandiorum eſſe, quorum tuta eſt efficacia: Demus etiam *tertiùm* ritè confectum præparatumque facultatis rodendi omninò expers eſſe. Ea quidem maxima ſunt, necdùm tamen ſatis. Demus ergo *quartùm* arcanum illud tempeſtivè ſemper & cautè adhiberi, eâque doſi quæ ægrotantium viribus, ætati, temperamento, ſexui, morbo conveniat. Ille ſanè æquiorem animum à nemine poſſet expoſcere. Quid inde porro? An ideò futurum eſt ut curatoria methodus, quam ille adhibet, legitimæ hydrargyroſi præferenda ſit? Nullo modo prorsùs: Sed methodus illa, ut de uſu præparatorum mercurialium ſuprà dictum eſt, *Lib.* II. *Cap.* 9. in curandâ lue venereâ inveteratâ atque difficili plerumque inefficax erit, & ſi quando ſatis efficax ſit, quod rarum futurum eſt, nihilominus tamen etiamtùm longo concedet intervallo legitimæ inunctionum mercurialium adminiſtrationi, ut *ibidem* probatum fuit.

1724. ANTONIUS DEIDIER, Monſpeſſulanus, Profeſſor Medicus in Facultate Monſpeſſulanâ, ſcripſit *Diſſertationem de morbis venereis*, quæ Monſpelii anno 1723. *in* 8°. primùm edita, Londini iterùm recuſa eſt anno 1724. cum adjunctâ Diſſertatione Medico-Chirurgicâ *de Tumoribus*.

In illâ Diſſertatione præcipua rerum capita methodique curatoriæ paucis ſed enucleatè explicantur. Contendit Auctor morbos venereos referendos eſſe in animalcula numeroſa, minima, agillima, maximè prolifera, quæ ab infectis in ſanos celeri contagione propagentur; quæ loca ubi hærent morſiunculis impetant, imò etiam depaſcantur; atque eâ ratione ſymptomata omnia, quæ morborum venereorum propria ſunt, inducant. Sed hæc quantumvis ſingularia videantur, nova tamen non erant, ut quæ à Davide (*a*) Abercrombyo indicata anno 1684. & à Nicolao Hartſoëkero jam dicta eſſent anno 1699. in (*b*) *Epiſtolâ ad V. C. Nicolaüm Andry* datâ.

(*a*) *Tuta ac efficax luis curandæ methodus, cap.* 1.

Sanè longè priùs ſimilia quoque de Peſte commenti fuerant R. P. Athanaſius Kircherus Societatis Jeſu in *Scrutinio Phyſico-Medico Luis, quæ dicitur Peſtis &c.* edito Romæ anno 1658. & R. P. Joannes Saguens Ordinis Minimorum in *Syſtemate Peſtis Phyſico* Toloſæ anno 1721. typis edito. Profectò ut liberè dicam, mirum eſt (*c*) *Hominem ingenioſum dixiſſe id quod ſi neges probare non poſſit*: Ut enim illa nullo fundamento proferuntur, ſic nullo quoque argumento opus eſt ut refellantur, quemadmodùm jam egregiè animadverſum eſt à laudato Nicolao Andry. *Génération des Vers, Chap.* 4. *Artic.* 1.

(*b*) *Traité de la génération des Vers.*

(*c*) Lactant. *Inſtitutionum divinar. Lib.* 3. *cap.* 28.

1724. ANTONIUS BENEVOLUS, Chirurgus Florentinus.

Nuova propoſizione intorno alla Caruncula dell' urethra, detta Carnoſità. Fiorenza. 1724.

Auctor ille refellit eos qui putant carunculas urethræ eſſe excreſcentias

centias in urethrâ ſubortas. Nititur potiſſimùm obſervationibus tùm ab aliis, tum à ſe inſtitutis in cadaveribus eorum, qui dùm viverent, ſtranguriæ obnoxii erant, & in quibus tamen poſt mortem contendit nullam excreſcentiam unquam repertam fuiſſe.

Statuit ipſe carunculas illas nihil eſſe præter caput gallinaginis, ſeu ut ille dicit, granum hordeaceum tumefactum, inflammatum, ſuppuratum, exulceratum; quod etſi ſæpè verum eſſe concedam, inde tamen non ſequitur ut perpetuum ſit, cùm certis liqueat obſervationibus dari aliquandò veras excreſcentias; cùm præterea certum ſit duriorem urethræ cicatricem, aut skirrhodem proſtatarum tumorem ſtranguriæ habituali locum dare aliquando ſine ullâ labe capitis gallinaginis, de quo vide *Lib. III. Cap. IV.* §. 4.

Ad curationem proponit Benevolus, ut in urethram immittatur candela cerea, vel ſtylus plumbeus ter vel quater in die per 15. aut 20. dies, cujus apex ultimis curationis diebus cerato diapalmæ obducendus eſt.

PETRUS VIOLETTE DU BOIS, Chirurgus Pariſienſis. 1725.

Nouveau Traité des Maladies Vénériennes, par P. V. du Bois, Maître Chirurgien de Paris, ancien Prevôt & Garde de ſa Communauté. A Paris 1725. *in* 12.

In hoc brevi Tractatu, tùm modus uſu vulgò receptus curandi gonorrhœam virulentam, cariem pudendorum, bubones venereos, tùm methodus adminiſtrandæ hydrargyroſeos in lue confirmatâ ita proponuntur, ut Liber utilis quidem eſſe poſſit, quoties omnia ex voto ſuccedunt; ſi verò morbi difficultate, medentium incuriâ, vel ægrotantium culpâ infortunia quædam accidant, qualia non rarò, usûs planè nullius, cùm de illis in toto Libello ne verbum quidem ullum fiat. Præterea non deſunt alia, quæ Auctori jure poſſint vitio verti.

Nempe 1°. Vana eruditionis oſtentatio, ut cùm Lectorem docet *pag.* 79. *Cancer* vocem eſſe æquivocam, quæ accipiatur aliquandò *pro animali aquatico*, aliquandò *pro ſigno Zodiaci*, aliquandò demùm *pro morbo quodam.*

2°. Temeraria inconſiderantia, quâ *pag.* 199. ſibi plaudit de invento arcano quodam remedio, cujus efficaciam certam eſſe dicit ad variolarum prophylaxim; quaſi verò vel morbi illius naturam & cauſas, vel remediorum, quæ ad illum valent, utilitatem perſpectas ipſe haberet.

3°. Demùm circulatoria arcani cujuſdam anti-venerei venditatio, cujus uſum hydrargyroſeos uſui multùm præferendum eſſe ait, ceu tutiorem, certiorem, efficaciorem; cui ut famam comparet, de hydrargyroſeos utilitate temerè & falsò detrahit; denique cujus gratiâ Libellus iſte confictus eſſe videtur, quò popularem favorem illi aucuparetur.

POINTET, Chirurgus, ut ipſe gloriatur, Noſocomiorum Regiorum. 1725.

Remarques & Obſervations très-utiles ſur les Maladies Vénériennes, Scorbutiques, & ſur les Dartres, (a) à un petit Livre intitulé, Remede très-particulier, commode & prompt, dont l'action eſt douce & les effets aſſurez &c. Paris. 1725. *in* 12.

(a) Ita ſcribit Auctor.

I. Chirurgus ille ſeſe intolerantiùs jactat arcano quodam anti-venereo, de cujus utilitate mira prædicat ſed fide ſuâ. At verò qualecunque ſit arcanum illud certo certiùs liquet nihil eſſe præter Mercuriale quoddam præparatum, neque ſatis peritâ manu confectum, neque ſatis tutâ methodo adminiſtratum.

II. Ut arcano ſuo velificetur, conatur omni ope atque operâ inunctionum mercurialium uſum ſuſpectum & inviſum facere, ceu inefficacem, laborioſum, periculi plenum, in quo non ſine impudentiæ notâ audet ille non modò communi Medicorum judicio, ſed quod majus eſt certæ rei veritati apertè contradicere.

III. Acriter invehitur in Rogerum Dibon, Chirurgum, de quo ſuprà, qui & ipſe de ſuo gloriatur arcano, quocum acerbè litigat utrum utri præſtet remedium, an ſuum illius remedio, an remedium illius ſuo? Cæcos duos videre videor, qui de cumulo carbonum effoſſo ſuperbiunt quaſi de invento theſauro, & ad utrum potiore jure pertineat inter ſe decertant.

IV. Doleo equidem ex animo credulum ægrotantium vulgus in hunc modum ludificari; mirorque eos ad quos pertinet harumce rerum curatio & adminiſtratio, in reprimendis ineptiis vel potiùs coercendis maleficiis iſtiuſmodi indormire, quæ neglecta in magnum tùm rei medicæ, tùm rei publicæ detrimentum recidunt.

1728. EDITIO tertia LUGDUNO-BATAVA Collectionis Luiſininæ. Utilitas ſumma Collectionis Venetæ ab Aloyſio Luiſino procuratæ, quâ in unum volumen cogebantur Opera Auctorum plerorumque, qui de lue venereâ ſcripſerant ante annum 1567. Virum clariſſimum Hermannum Boerhaave, Profeſſorem Medicum Lugduno-Batavum, minimè latuit, ideòque cùm veterum Editionum exemplaria rariora eſſent, Typographis Batavis, ut *novam Editionem molirentur auctor fuit*, quæ prodiit Lugduni-Batavorum *in folio* an. 1728. & cui titulum fecit *Aloyſii Luiſini Aphrodiſiacum, ſive de Lue venereâ.*

(a) Boerhaave, *in Præfatione.* Dedit ipſe in hac tertiâ Editione ſedulam operam, 1°. Ut (*a*) *Impreſſionum vitia, quibus Italicæ Editiones fœdabantur, emendarentur.* 2°. Ut *ex ipſis allegatis Scriptoribus loca reſtituerentur propria.* 3°. Ut *remediorum formulæ, quæque eò faciunt, alio excuderentur charactere.* 4°. Ut *locupletiſſimus index & uſu verè pulcher ingenti Operi ſubnecteretur.* Imò Operi præfixit egregiam & eruditam Præfationem, de quâ in *articulo ſequente*, ubi multis explicat quid ipſe de veneni venerei naturâ, propagatione, ſede & effectibus ſentiat.

Sed utinam Illi ſatis otii fuiſſet, ut ſuſceptam hanc utiliſſimi Operis Editionem perfectè adornare potuiſſet, atque in hunc finem,

1°. Auctores, qui in Collectione Venetâ exſtant, ordine chronologico diſponere, pro tempore quo ſingulorum Opera ſcripta, vel ſaltem edita ſunt. Quid enim inordinatius, quàm omnia ita promiſcua eſſe, ut Nicolaus Leonicenus ſecundum tantùm locum occupet, Coradinus Gilinus decimum quartum, imò Gaſpar Torella viceſimum tertium; cùm certum ſit Auctores illos ſcripſiſſe anno 1497. anno ſcilicet tertio poſt ingreſſum morbi, adeòque omnium primos.

2°. Auctorum Opera, quorum pleraque pro illorum temporum more uno orationis contextu ſcripta ſunt, in capita, capitaque ipſa in membra partiri, majoris perſpicuitatis gratiâ.

3°. Loca ex Auctoribus antiquioribus laudata alio charactere diſtinguere, ut nunc eſt ex uſu, eo ſcilicet fine ut ſi opportunum videatur, prætermiſſis inter legendum iis locis, orationis ſeriei preſſiùs inſtare liceret.

4°. Peculiari indice, vel appoſitis notulis edocere qui qualeſve fuerint Auctores qui laudantur. Hac enim ætate noſtrâ Medicorum plurimi Hiſtoriæ Medicæ ſatis gnari non ſunt, atque adeò ne nomine quidem pleriique norunt Abolai, Aly Abbatem, Viatium & Zoar, Azarninum, Iſaacum Ebenaram, Pandectarium, Conciliatorem magnum, Jacobum de Forlivio, Arculanum, Franciſcum de Pedemontio, Baverium de Baveriis, & alios ejuſdem farinæ ſexcentos, qui in Collectione illâ paſſim laudantur.

5°. Demùm Collectionem Luiſininam amplificare additione Auctorum, quotcumque de morbis venereis ante annum 1567. ſcripſere, & qui à priore Collectore omiſſi vel ignorati fuerunt, inter quos ipſe numero Joannem Salicetum, dictum Weidman & Meichinger, qui anno 1497. Simonem Piſtorem, qui annis 1498. & 1500. Martinum Polichium, qui anno 1500. Conradum Schelling, qui anno eodem 1500. Joſephum Grundbeckium, qui anno 1503. Bartholomæum Sileber qui anno 1525. Jacobum Abethencourt, qui anno 1527. Auguſtinum Niphum Philotheum, qui anno 1534. Joannem Antonium Roverellum & Joannem Vochs, qui anno 1537. Thomam Philologum, qui anno 1538. Michaëlem Angelum Blondum, qui anno 1542. Rodericum Diaz de Iſla, qui anno 1555. ac tandem Hieronymum Montuum, qui anno 1558. ſcripſit.

HERMANNUS BOERHAAVE, Vianenſis Batavus, Vir de re Medicâ optimè meritus ac Scriptis ſuis egregiis orbi litterario notiſſimus, maximam famam in Academiâ Lugduno-Batavâ ſuſtinet, famâ tamen ipſe major. 1727. 1728.

Scripſit anno 1727. Diatribam de lue venereâ, quæ Præfationis loco præfixa fuit Editioni Lugduno-Batavæ Collectionis Luiſininæ anno 1728. & quæ Gallicè verſa Lutetiæ prodiit hoc anno. Multa quidem ibi reperire eſt acutè cogitata, graphicè deſcripta, uno verbo Auctore ſuo digniſſima, quibus recenſendis ideò ſuperſedeo, quòd ſit hoc Opuſculum in omnium manibus. At verò ut liberè & ingenuè dicam, duo quoque occurrunt ibidem, quæ dicta nollem, alterum in Theoriâ, in Therapeiâ alterum.

Primò. Quod ad prius attinet, exiſtimat Boerhaavius veneni venerei ſedem * eſſe *in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in benè ſa-*

* Conſtat quidem à Boerhaavio ſedem veneni venerei in adiposâ membranâ conſtitui, dùm ulcera cancroſa molitur. At verò dubitatur utrùm velit membranam illam ſedem eſſe perpetuam veneni venerei atque adeò perennem luis confirmatæ fomitem. Sanè in totâ ejus Diatribâ nihil legiſſe memini, quod huic concluſioni apertè faveat. Quapropter ab errore forſan non vacat nuperus Interpres, qui Diatribam illam gallicè vertit, cùm *Diſcours préliminaire, pag.* 3. firmiſſimè aſſeverat *veneream contagionem juxta Boerhaavium ſedem habere perennem & jugem in adiposâ membranâ.*

nis replet eam partem, quam adipoſum panniculum Veteres, Hodierni & celluloſam membranam vocant. . . . . Ita ut ſi contagioſa labes per poros epidermidis ingreſſa trans cutis vaſcula uſque ad cellulas membranæ adipoſæ pervenerit, ibidemque occurrenti pingui permiſcuerit ſe, ... calore, motu, morâ, aſſiduò magis magiſque incendatur, cutim & cuticulam ſuperpoſitas rodat, corrumpat, interimque ſub his circumfuſas per ambitum cellulas oleoſas contaminet, unde ſemper latior plaga in panniculo adipoſo corrupta reperitur, quàm ſuprà in cute ſuperpoſitâ perdita & exeſa eſt.

Sed ea opinio contra notam veneni ſeu ſeminii venerei indolem, facultatem, invadendi & progrediendi rationem videtur repugnare.

Nam I. In ipsâ veneni venerei ingreſſione, quo tempore ſi unquam aliàs, facillimum eſt dignoſcere quaſnam potiſſimum ſedes affectet, obſervantur plerumque ceu prima invadentis morbi indicia, gonorrhœa, Panus ſive Bubo, Porri & Verrucæ, quorum nullum in adiposâ membranâ inſidet. Cognitum enim compertumque eſt ſedem eſſe. 1°. (*a*) Gonorrhœæ in conceptaculis, quæ ſemini vel ſeminali fluido ſecernendo vel continendo vacant, nimirùm in Viris quidem in proſtatis, veſiculis ſeminariis, glandulis Cowperianis, & urethræ cellulis; in fœminis verò in proſtatis, glandulis Cowperianis, & botryformibus vaginæ glandulis: 2°. (*b*) Pani ſeu Bubonis in conglobatis ſive limphaticis inguinum glandulis: 3°. (*c*) Porrorum & Verrucarum in papillis nerveis, quæ in Viris Balanum, Frænum, Præputium; quæ in fœminis labia Pudendi, vulvam, nymphas, Clitoridem numerosè obſident.

(*a*) Suprà, *Lib. III. Cap.* 1. §. 2.

(*b*) Suprà, *Lib III. Cap.* 5. §. 1. & 2.

(*c* Suprà, *Lib. III. Cap.* 9. §. 1. & 2.

II. Neque diſpar eſſe videtur conditio ipſorummet ulcuſculorum venereorum, vulgò *Chancres*. Ea quidem Boerhaavius ab eroſis adipoſis cellulis deducenda putat diſertiſſimis verbis. *Hoc mali genus*, inquit, (*cancrum ſuo idiotiſmo Chirurgi vocare ſolent*) *ſemper inveni ſedere in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in benè ſanis replet eam partem quam adipoſum Panniculum Veteres, Hodierni & celluloſam membranam vocant.* Sed multa concurrunt veriſimilia, quæ in contrarium pugnent & quæ ſuadeant ulcuſcula iſtiuſmodi non ſubter tegumentum quod cutis loco eſt & in adiposâ membranâ, quæ ſanè nulla proſtat in iis partibus quæ ab ulcuſculis venereis maximè infeſtantur; ſed in ipſo integumento, quod cutem ſupplet, ſedem habere, nimirùm in vaſculis illis ſebaceis, quibus in Viris Balanus, Balani corona, Præputium & Frænum; in mulieribus verò Cadurda, Vulva, Pterygia, Clitoris, & vaginæ oſtium conſita ſunt. Et ſanè, ut cætera omittam quæ (*d*) alibi dicta ſunt, id opinor abundè argui ex ipſo ulcuſculorum ſitu, ut quibus ea tantùm loca obſideantur, in quibus vaſcula iſtiuſmodi obvia ſunt; ex orbiculari eorumdem formâ, quæ cum vaſculorum figurâ apprimè congruit; ac tandem ex cicatrice nullâ poſt curata ulcera ſuperſtite, vel tenuiſſimâ tantùm & fermè inconſpicuâ, quod proinde cutaneum integumentum ſuperficiariè ad ſummum, funditùs verò minimè eroſum fuiſſe demonſtrat. Quæ de puſtulis venereis debent quoque intelligi, quarum ſedes eſt in ſebaceis vaſculis ſive lacunis per cutem ſparſis.

(*d*) *Lib. III. Cap.* 7. §. 8. & 2.

III. Neque ſuam indolem deponit virus venereum, dùm inveteraſcit. Tunc quidem contaminato ſanguine humores, qui à ſanguine ſcatu-

fiunt, contaminari neceſſum eſt, non promiſcuè tamen & indiſcriminatim, ſed ordine certo, & plerumque ſecundùm ſcalam affinitatum ſuprà (*a*) propoſitam : Nempe commiſcetur 1°. Cum humoribus ſeminalibus; unde pudendorum morbi, Tumor teſtium, Bubo, Porri & Verrucæ, Ulcuſcula. 2°. Cum humoribus cutis tùm ſebaceo tùm mucoſo; unde vitia cutis, herpes, maculæ, rhagades, alopecia, puſtulæ. 3°. Cum humoribus mucoſis oris, faucium, & narium; unde ulcera gingivarum, palati, faucium nariumque. 4°. Cùm ſynoviâ tùm articulari tùm muſculari; unde dolores Arthritici, Rheumatici, Iſchidiaci. 5°. Cum medullari oſſium adipe; unde oſſium Exoſtoſis, Hyperoſtoſis, Caries, Oſteoſarcoſis. 6°. Cum limphâ, unde tumores glanduloſi, aut Kyſtici, ut Meliceridès, Atheromata, Steatomata. 7°. Demùm cum humoribus, qui oculorum auriumve proprii ſunt, unde multiplices earumdem partium affectiones, ſed in iis omnibus conſtat experimento nec adipoſam membranam, nec ullas membranæ illius lacinias affici, lædi, peſſumdari, neque adeò adipoſam pinguedinem, quâ turgent illius cellulæ, ullo modo vitiari.

(*a*) *Lib. IV. cap. 2.*

IV. Verumtamen non nego labem membranæ eidem aliquoties inferri, ſi puſtulæ venereæ, vel quod pejus eſt, ulcera ejuſdem moris cutem depaſcentia ſibi diutiùs permittantur & per media ſuffoſſæ cutis ſtamina ad ſubjectum adipem agant cuniculos; ſi tubercula aut ganglia ſuppurata ſubcutaneos abſceſſus generent; imò verò ſi virus venereum cum adiposâ pinguedine ſpontè commiſceatur, quam ejus virulentiæ (*b*) inacceſſam eſſe nequaquam puto. Sed hæc nedùm quotidiana ſint, inter inſolentia luis ſymptomata referenda ſunt, in ſyphiliticis, ſi unquam, certè tardè & rarò obvia, unde videtur egregiè refelli opinio de ſede morbi in adiposâ membranâ.

(*b*) Vid. ſuprà *pag.* 298.

V. Fateor cum Boerhaavio, dùm adipoſa membrana caſu quocumque computreſcit in hunc modum, *muſculos nudatos vividiſſimos pulcherrimoſque apparere, ulceraque ſolam tantùm pinguem tunicam depaſci, nec cuti nocere, niſi quatenus conſumptis vaſis cuti ſuppoſitis, ſubducto pabulo, hæc ipſa quoque tandem perit.* Sed id commune habet ſuppuratio, quàm lues venerea in adiposâ membranâ poteſt aliquando efficere, cum ſuppuratione, putrefactione, gangrænâ quâcumque membranæ ejuſdem à causâ quâvis aliâ; neque adeò id inde repetendum videtur, quòd venereum virus adipoſam membranam affectet ſingulari modo, ſedemque in illâ propriam habeat; ſed potiùs quòd peculiaris adipoſæ membranæ conditio locum det mali incrementis opportuniorem. Nempe mollis eſt & laxi contextûs, tenuiſſimis ac præteneris cellulis tota conſtat, perpetuò turget congeſto ſucco adipoſo, qui tardiſſimè circulatur, ac in loco eodem idem hæret diutiſſimè : Inde fit ergo, ut conſociatâ cauſarum efficaciâ ab adipe, ſi vitio qualicumque corrumpatur, facilè labem ſentiat celerem ac longè & latè diffuſam, ſentiatque ſola intactis & illæſis tùm ſubjectis muſculis tùm cute ſuperjectâ, quòd partes illæ, cùm denſiore & firmiore texturâ polleant, impetentium cauſarum energiæ minùs pateant, hærentes humores fortiùs expellant elaterio inſito, noxioſque faciliùs renovent, ac proinde multiplici nomine ab imminentibus injuriis ſeſe diutiùs & efficaciùs immunes tutentur.

VI. Cæterùm hæc opinio de ſede luis venereæ in adiposâ membranâ; cujuſcunque pretii eſſe videatur, ſi non perfectè expreſſa, at ſaltem non obſcurè olim adumbrata fuit, quod ſcio ne Boerhaavio quidem ſuboluiſſe cæteroquin eruditiſſimo, cùm ipſe prior & ultrò non indicaverit. Conſtat tamen temporibus Antonii Saportæ, quondam in Academiâ Monſpeſſulanâ Medicinæ Profeſſoris, hoc eſt ante annum 1570. exſtitiſſe nonnullos, qui non adipoſum, ut Boerhaavio viſum eſt, ſed *carnoſum panniculum in univerſo corpore diffuſum, illudque tegentem conſtituerent, à quo perniciosæ hujus labis* (venereæ) *ſcaturiginem emanare* crederent, quos refellendos ſuſcepit Saporta (*a*) *Tractatus de Tumoribus præter naturam Lib. III. Cap.* 50. Uſque adeò & de opinionibus quoque verè dici poteſt, quod de vocibus ab Horatio dictum eſt, *multas* nempe *renaſci, quæ ceciderant*, & multas *caſuras eſſe, quæ nunc in honore vigent.*

(*a*) Vid. ſuprà *pag.* 492.

Secundò. Circa poſterius, quod ad Therapeiam pertinet, haud diffitetur quidem Boerhaavius *Mercurium ad expugnandum hoc malum efficacem* meritò haberi. At verò contendit ſimul *medicatam ejus poteſtatem haud valere corrigere venereum tabum, quando ille ſigitur in locis, ad quæ actio cordis & arteriarum vix pertingit: Hinc* Mercurio *cariem diploës cranii non ſanari: .... Inde & oſſium medullam inquinatam hoc malo vix repurgari: Gonorrhœas in ſolâ cellulosâ penis fabricâ hærentes .... numquam ſanari: .... Oſſicula tenerrima, ſolis tenuibus tecta membranis ..... ſervari non poſſe ne excidant .....* Unde concludit ille tunc *ubi deficit Mercurius, juvare* decoctum Guaiaci Huttenianâ methodo exhibitum, quod cùm argumentis tùm obſervationibus conatur confirmare. Sed de his jam diffusè ſuprà (*b*) diximus *Lib. II. Cap.* 9. quod adiri poteſt.

(*b*) *Pag.* 143. & *ſeqq.*

1731. 1698. CAROLUS BARBEIRAC, Cæſariſtenſis apud Gallo-Provinciales, natus anno 1629. Medicinæ operam dedit in Academiâ Monſpeſſulanâ, ubi Doctoris Medici gradum aſſecutus eſt (*c*) anno 1649. Medicinam cum ſummâ laude exercuit in eadem urbe, ubi vitam cum morte commutavit anno 1699. ætatis 70.

(*c*) *Ex Actis Facultatis Medic. Monſpeſſul.*

Prodiit nuper Amſtelodami Liber Gallicè ſcriptus cum ſequente inſcriptione:

Diſſertations nouvelles ſur les Maladies de la Poitrine, du Cœur, de l'Eſtomach, des Femmes, Vénériennes, & quelques Maladies particulieres, par M. Barbeirac, Docteur en Médecine de Montpelier, in 12. 1731.

In Tractatu, qui *de Morbis venereis* inſcribitur, *paginis* 50. *Capitibus* 7. diſſeritur. 1°. De Lue venereâ. 2°. De Gonorrhœâ virulentâ. 3°. De Bubone venereo. 4°. De Ulcuſculis cancroſis. 5°. De Porris & Verrucis. 6°. De Phimoſi & Paraphimoſi. 7°. De Hyperſarcoſi in urethrâ.

Cæterùm in hoc toto Libro tùm de venereis, tùm de cæteris morbis nihil legitur, quod non ſit non modò vulgare, ſed etiam ita mutilum, vitioſum & miſerè deturpatum, ut pro certo teneam hoc Opus non Caroli Barbeirac, ſed junioris cujuſdam Scholaſtici fœtum eſſe rerum medicarum planè ignari. Doleo ſanè nomen Practici ſuâ ætate celeberrimi ab Anonymo Editore tam turpiter traduci, mirorque maleficia iſtiuſmodi

tam altè dissimulari ab iis, quorum interest Caroli Barbeirac gloriam sartam tueri.

Interim caveant Lectores ne Barbeiracii auctoritate putent ad curandam luem veneream posse turò frictiones quotidie adhiberi, & ad frictionem quamlibet uncias quinque vel sex unguenti præscribi, ut in hoc Libello proponitur *Cap. I.* Hac enim temerariâ therapeiâ ægrotos in manifestum capitis discrimen adducerent. Fateor equidem id olim ex usu fuisse Barbeiracii ævo; sed novi quoque pericula summa, quibus id remedii genus tunc infamabatur. Itaque prudentis Editoris fuisset praxim jam dudùm antiquatam supprimere, vel saltem non evulgare hac ætate nostrâ sine notâ censoriâ.

DANIEL TURNER, Anglus, è Collegio Medicorum Londinensium, Anglicè scripsit nuperrimè Tractatum de Morbis Venereis, cui sequentem inscriptionem præfixit. 1732.

(a) *Siphylis. A practical Dissertation on the venereal Disease, in two parts, London*, 1732. *in* 8°. Hoc est *Syphilis, sive Dissertatio practica de Morbo Venereo, in duas partes distributa.* Londini, 1732. *in* 8°. (a) Ita scribit Auctor.

Agitur in priore Tractatûs illius parte potissimùm de gonorrhœâ; in posteriore verò de Lue venereâ. In utrâque de morborum singulorum ætiologiâ & therapeiâ satis copiosè differitur, sed ordine parùm composito, saltem non eâ methodo quæ lucem afferat & quam in Anglorum Medicorum Operibus plerumque desiderari dolemus.

I. Statuit hic Auctor cum Guillelmo Becketto *à pag.* 12. *ad pag.* 18. Gonorrhœam virulentam & Luem veneream ante annum 1494. in Europâ, nedùm ignotas, sed vulgò grassatas fuisse; cui opinioni ut fidem faciat, eadem profert testimonia, vel pleraque saltem, quæ à Becketto adducta suprà recensuimus *Lib. I. Cap.* 6. Nempe 1°. Loca quædam deprompta ex Opere manuscripto Joannis Ardern, Chirurgi Angli, qui exeunte decimo quarto seculo vixisse creditur; & ex collectaneis quibusdam Medicis, quæ scripta dicuntur circa annos 1390. & 1440. ubi *de arsurâ* sive *incendio*, Anglicè *burning* sive *brenning* mentio est, quod morbi genus venere olim contrahebatur, & quod ideò volunt idem fuisse cum gonorrhœâ virulentâ, quæ hodie impurâ venere concipitur. 2°. Integra statuta Lupanaris Londinensis in suburbio *Southwark* dicto olim prostantis, quæ anno 1430. sancita creduntur, & ex quibus articulos aliquot ubi *de nefandâ scortorum infirmitate & de prostibulis arsurâ infectis* quæstio est, à Becketto in opinionis suæ confirmationem adduci suprà vidimus.

Sed cùm his abundè satisfactum fuerit loco suprà laudato, dùm testimonia eadem à Becketto adducta diluimus, ne cramben recoquamus argumento eodem denuò tractando supersedere visum est.

II. Circa propagationis modum Auctor confitetur quidem *pag.* 54. se quondam sensisse luem veneream contrahi non posse, nisi in genitalibus locis morbi quidam locales præluserint: At verò ait *à pag.* 55. *ad pag.* 58. sibi jam secùs videri, quam opinionem ut probet, subjicit *ibidem* unam, alteramque *pag.* 297. observationem, quas ipse egregias, firmasque esse

putat, ſed quæ meo quidem judicio rem evincunt nullomodò.

III. In curanda lue venereâ ſalivationem adhibet *à pag.* 180. *ad pag.* 190. quam movet interno præparatorum mercurialium uſu, ſi morbus levis & recens; externo unguenti mercurialis illitu, ſi morbus gravis ſit aut inveteratus. Laudat verò ſuffumigia ex cinnabari ad cariem pudendi, ulcera narium, nodos, gummata, dolores fixos, cæteroſque morbos topicos.

IV. Nimius eſſe videtur in agitandis iis, quæ ad ſe tantùm ſpectant & in ſui defenſionem ſcripta ſunt. Iis etenim, etiam ſi vera forent ac legitima, cùm ad rem plerumque non pertineant, conſtat Lectoribus nauſeam moveri, atque adeò Operis pretium non parùm inde elevari.

V. In Circulatores, qui ad curandos morbos venereos audent temerè aggredi, paſſim ſtomachatur, nec ſine causâ, cùm id hominum genus, quod & vetabitur ſemper & ſemper retinebitur, cordatis Medicis, artiſque ſuæ amantibus meritò inviſum ſit & odioſum. Sed quid tamen opus eſt cum iis ratione tam ſæpè agere, qui carent omni ratione, qui nullis innituntur principiis, quorum varia eſt ac mutabilis praxis, notaque temeritas?

VI. Narrat ille *pag.* 99. ab Agyrta quodam Londinenſi ad gonorrhœæ curationem diebus ſingulis in decocto avenaceo exhibitas fuiſſe guttas x. xij. vel xv. ſolutionis ʒ j. ſublimati corroſivi in alcoholis ſive ſpiritûs vini ℥ j. cujus peſſimum facinus, atque gravi pœnâ animadvertendum exhorreſco quidem, ſed miror nullomodò, ut qui dudùm pro comperto habeam Circulatorum imprudentiam cum impudentiâ parem eſſe.

VII. Ad hujuſce Libri calcem proſtant 1°. Hiſtoriæ triginta ægrotantium totidem, morbis venereis diverſimodè infectorum, quos curandos Auctor habuit.

2°. *Remarcs upon Dr. Willougby's Tranſlation of M. Chicoynneau's method of cure by the Mercurial friction*; Et *M. Palmer's Letter to the Author about the ſame*: Id eſt *Animadverſiones in methodum curandæ luis venereæ uſu inunctionum mercurialium, quæ à D. Chicoynneau ſcripta, & à Doctore Willougby è Latinâ Linguâ in Anglicam verſa eſt*, cum *Epiſtolâ D. Palmer ad Auctorem datâ de eodem argumento.*

3°. *A Diſcourſe of gleets, inſcrib'd to the ſurgeons*, id eſt *Diſſertatio de Ichoribus ad Chirurgos ſcripta.*

1733. PETRUS DESAULT, Burdigalenſis, Doctor Medicus & Collegio Medicorum Burdigalenſium adſcriptus, typis edendum curavit Burdigalæ anno 1733. Tractatum ſequentem *in* 12.

Diſſertation ſur les Maladies Vénériennes, contenant une méthode de les guérir ſans flux de bouche, ſans riſque & ſans dépenſe.

Adjectæ ſunt ad calcem duæ aliæ Diſſertationes, altera *de Rabie*, altera *de Phthiſi.*

Hic Auctor, qui certè valet ingenio, nec indiligens eſt rerum Medicarum ſcrutator, videtur tamen in Medicinæ Hiſtoriâ nimiùm hoſpes.

(a) Partie 1. chap. 3.

1°. (*a*) Contendit luem veneream antiquitùs cognitam fuiſſe, & veneri vulgivagæ coævam eſſe, contrà quàm à plurimis demonſtratum fuit.

2°.

2°. (*a*) Conatur aſtruere luem veneream à vermiculis venereis produci, qui partes, in quibus hoſpitantur, rodant & depaſcantur; quâ in re vidimus ſuprà Virum eruditum Antonium Deidier jam illi præluſiſſe, ut Deidierio Abercrombyum. (*a*) *Part.* 2. *chap.* 2.

3°. Demùm (*b*) tanquam novam proponit methodum curandorum morborum venereorum hydrargyroſi intercalatâ, adhibendo ſcilicet inunctiones mercuriales per intervalla, & ptyaliſmum, ſi quis cieatur, cathartico identidem ſupprimendo; quæ tamen methodus à primis morbi venerei temporibus nota fuit. Quâ de re vide hujuſce Operis *Libri II. Caput* 7. (*b*) *Part.* 2. *chap.* 1. *& ſuivans.*

HENRICUS HAGUENOT, Monſpelienſis, in Academiâ patriâ Profeſſor Medicus publici juris fecit nuperrimè Schedulam ſeu Diſſertatiunculam de methodo novâ curandæ luis venereæ cum ſequente inſcriptione. 1734.

Mémoire contenant une nouvelle méthode de traiter la Vérole. in 8. *Montpelier* 1734. 20. *pages.*

Hùc redit methodus illa nova, ut balneatio in aquâ leviter calidâ, qualis vulgò ante inunctiones, eadem per ipſam inunctionum adminiſtrationem uſurpetur. Scilicet præmiſsâ tantùm venæ ſectione & purgatione ad hydrargyroſim properandum eſt; & primâ ſtatim die, poſtquam æger è balneo, in quo ſederit per horam integram, egreſſus & exſiccatus fuerit, deſtinata corporis loca more ſolito unguento mercuriali inungenda, quæ ambo alterâ vel tertiâ quâque die pari ordine iteranda ſunt per menſem unum & ampliùs, niſi imminens ſalivatio vel gravior quidam caſus prohibuerit.

Inde ait Auctor utilitates non leves manare, 1°. Sanguinem dilui & temperari, laxatoque partium ſolidarum tono immodicos erethiſmos præcaveri, nimiamque Mercurii vim retundi.

2°. Perſpirationem per inconſpicua cutis ſpiracula intendi, ut liquet ex *Aphoriſmo* 25. *Medicin. Static. Britannic. Joann. Keill*, unde fit ut non deſint, qui in ipsâ variolarum eruptione difficiliore balnei calidi uſum impensè laudent.

3°. Utroque illo nomine uſu balnei ptyaliſmum efficaciſſimè declinari; quin imò ſi jam illatus eſſet, celerrimè reprimi; atque adeò propoſitam illam methodum novam antiquiori plurimùm præſtare, ut quæ pari ſucceſſu minorique noxâ morbo medeatur.

I. At verò dubitari poteſt an ea methodus nova ſit. Certè conſtat uſum balnei tepidi in ipſo hydrargyroſeos ſtadio ab antiquioribus quibuſdam Scriptoribus pridem indicatum fuiſſe, non modò à Joanne Almenar, Hiſpano, qui in *Tractat. De Morbo Gallico*, *Cap.* 4. auctor eſt ut die quâlibet loca corporis Mercurio illita decocto radicum althææ tepidè foveantur, ſed expreſſiùs à Jacobo Cataneo de Lacu Marcino, qui *Tractat. De Morbo Gallico*, *Cap.* 6. *Balneum quantùm propoſito ſuo conducit tripliciter diſtinguit, Unum præparativum. . . . . Aliud prohibitivum, ut in horâ operationis pharmaci . . . . . & in tempore quo frictiones exercentur; Tertio modo ſumitur balneum ut perficiens, ... cùm adminiſtratur poſtquam ceſſavit operatio pharmaci.* Demùm omnium diſertiſſimè à Joanne Benedic-

to, qui *Libell. De Morbo Gallico, Capite* 4. jubet ægrum per ſex dies ſyrupum alterantem, ut de fumo terræ, de bugloſſo, de epithymo &c. quotidie *ſumere : tertiâ die* inungi ; ſextâ purgari *ſolutivâ Medicinâ eâ intentione, ut materia quæ deberet pelli ad os, ne fiat nocumentum in ore, per loca inferiora ducatur*. Deinde interpoſitis nonnullis quæ non ſunt hujus loci, ſic pergit. *Intentio quinta, quæ die ſequenti poſt purgationem, omnibus videlicet ſex diebus reiteranda eſt, fiat cum balneatione aquæ dulcis, in quâ bulliant herbæ infrà poſitæ aut ſimiles, fumus terræ, lapatium acutum, biſmalva, camomilla, melilotum, roſæ, violæ : Ad hoc ſequetur humectatio, quæ maximè in hoc morbo requiſita eſt.*

II. Sed quid opus eſt in hujuſce methodi antiquitatem anxiè inquirere ? Si olim uſu recepta fuit, certè jam dudùm in deſuetudinem abierat. Profuit ergo eam renovari, ac experimentis iterùm confirmari, cùm utilitatem minimè ſpernendam afferre quandoque poſſit ad curandos ægrotantes illos, qui exſucci, emaciati, bilioſi, melancholici, hypochondriaci ſunt, & in quibus periculum eſt ne humorum acrimoniâ ſtaminumve tendineorum ariditate immoderati partium erethiſmi, ſanguinis in circulando ataxiæ, aut abnormes humorum decubitus inferantur.

III. Porrò tamen cavendum ne Mercurii vis funditùs perdatur, dùm refrænari creditur. Scilicet hac ætate plerorumque Medicorum conſilia in id conſpirare videntur, ut modis omnibus caſtrent Mercurii energiam, quam pavidi reformidant, ne dicam horrent ; quaſi verò nulli darentur limites, quos infrà remedii illius efficacia curandæ lui venereæ impar fieret. Jam minima unguenti mercurialis doſis ad inunctionem unamquamque adhibetur ; jam inunctio tertiâ vel quartâ tantùm die iteratur ; jam datâ operâ extergitur unguentum illitum, quod poſt frictionem in cute ſupereſt ; jam admiſſi Mercurii pars interjectis identidem catharticis præproperè eliminatur. Necdùm tamen ſatis ; Nunc proponitur iterati balnei uſus, quo illiti Mercurii pars maxima à cute detergitur, quo pacato ſanguinis orgaſmo ejuſdem efficacia notabiliter infringitur. Expecto dùm accedat alius, à quo narcotica præſcribantur, in quæ ſentio nonnullorum vota inclinare, & quibus conſtat vim Mercurii magis magiſque debilitandam eſſe. Quid inde porrò futurum ? Nempe ut operosè nihil agatur, & ut Mercurius, remedium naturâ efficaciſſimum & potentiſſimum, tot vinculis atque repagulis coercitus, iners tandem fiat ac debellandæ lui venereæ planè ineptus.

IV. Profectò mirari ſubit Medicorum inconſtantiam, & ſi cum Quintiliano loqui liceat, *inconſequentiam*. Norunt illi nec pituitam à ventriculi parietibus emetico extundi poſſe ſine nauſeâ & cardialgiâ ; nec cacochyliam ab inteſtinis cathartico deradi ſine torminibus. Putantne virus venereum, quod naturâ tam ferum eſt, quod univerſis corporis partibus altiſſimè inſedit, quod omnes humores penitiſſimè contaminavit, ſine dolore, ſine labore, ſine noxâ corrigi, deſtrui, exterminari poſſe ?

V. Sunt præterea in eâdem Diſſertatione alia quædam, quæ videntur haud ſatis rectè dicta.

1°. Credit Auctor *pag.* 2. Inunctiones *quotidianas* ſed *partiales* à Carolo Barbeirac, celebri ætatis ſuæ practico ; Et *diſcretas* ac interpoſitis

aliquot dierum induciis iterandas à D. Franciſco Chicoyneau, Archiatrorum comite, in uſum Medicum primò inductas fuiſſe; cùm tamen certò conſtet utramque illinendi Mercurii methodum jam à ducentis annis, atque adeò à primo natæ luis venereæ tempore & notam & uſurpatam fuiſſe, quâ de re vide ſuprà *Lib. II. Caput* 7.

2°. Ait *pag.* 7. ſalivationem maximum curationi luis venereæ impedimentum afferre, unde in Diſſertatione ſuâ totus in eo eſt, ut ſalivationi obviam eat. Contrà verò ſuprà probatum fuit nullâ operâ certiùs quàm ſalivationis motu cognoſci poſſe an Mercurius in ſanguinem agat, agatque eâ vi quâ opus eſt ad morbi curationem, unde liquet ſalivationem unicam eſſe hydrargyroſeos cynoſuram, quâ duce ad optatum portum appellere valeamus, quâ de re vide ſuprà *Lib. II. Cap.* 9. *pag.* 149.

3°. Concedit ægrotantibus, *pagg.* 10. *&* 11. ut in ipſo hydrargyroſeos ſtadio ſuis fungantur officiis, ac liberè divagentur. Haud nego equidem in regionibus calidioribus id aliquoties ſine damno tentatum, at verò nego tentatum unquam ſine periculo. Quocirca nollem abuſum, qui vix unquam diſſimulari debet, in communem normam & præſcriptionem proponi, quâ de re vide ſuprà *Lib. IV. Cap.* 9. §. 1.

4°. Denique putat nec carnium, nec vini uſum ex toto ægrotis circumcidendum eſſe, ne illo quidem tempore, dùm alternis diebus inunguntur Mercurio, & lavantur balneo; imò quod maximum eſt dùm utuntur lacte quotidiano. Sanè haud inficias ivero hæc omnia ſimul ſine noxâ aliquando ab iis tolerari, qui ſtomacho feliciſſimè valent: Sed cùm rara non ſint artis, facilitatem illam ceu nimiam improbo, ac ſalutarem ſeveritatem deſidero, à quâ decet ſedulum Medicum numquam deſciſcere.

Cæterùm exaggeratam illius methodi utilitatem non parùm elevat ſequens obſervatio, quam à D. Morand, Chirurgo peritiſſimo nuperrimè accepi. Ille enim experiundi gratiâ, ut artis ſuæ ſtudioſiſſimus eſt, militibus ſex lue venereâ infectis in Regio invalidorum Militum Hoſpitio hydrargyroſim hoc ipſo vere adhibuit, tribus quidem methodo recentiore quæ ab Haguenotio proponitur, tribus aliis verò antiquiore methodo; ſed ſingulis eodem tempore, eodem unguento mercuriali, eâdem unguenti doſi, eodem frictionum numero, eodem temporis intervallo, ut omnia utrimque paria eſſent. Quid tum? Speras forſan ptyaliſmum iis defuiſſe, qui recentiore; adfuiſſe contrà iis, qui antiquiore methodo inungebantur, ſed falleris. Ex tribus, qui balneationes cum frictionibus alternabant, duo ptyaliſmum & gravem & diuturnum experti ſunt. Ex totidem verò, qui à balneis abſtinebant, unus tantùm ptyaliſmum ſed levem ſenſit. Cæteroquin omnes perinde convaluere utrâque methodo. Adeò verum eſt quod jam centies, necdùm tamen ſatis dictum puto, in tam multiplici variarum cauſarum ſyndrome, quæ ſingulæ in diverſis ſuo quæque modo ad ptyaliſmum inducendum efficacitatem conferunt, unum id certum eſſe *omnia* ſcilicet *eſſe incerta*, atque adeò nulli methodo unquam nimiùm confidendum eſſe, ſed ut in re ſemper dubiâ & periculoſæ plenâ aleæ, Medico qui πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων eſſe cupit, diligentiſſimè cavendum atque providendum *Ne quid nimis.*

1735. De la Mettrie, Doctor Medicus, Latinam Hermanni Boerhaavii Præfationem *de Morbis venereis*, quæ *Aphrodisiaco* præfixa est, in Gallicum vertit; huic Diatribam de eodem argumento à se conscriptam, ac diatribæ suæ Antelogium præposuit, atque tria illa schediasmata in unum collecta excudenda curavit cum inscriptione sequente

Système de Monsieur Herman Boerhaave sur les Maladies Vénériennes, traduit en François par Monsieur de la Mettrie, Docteur en Medecine, avec des Notes & une Dissertation du Traducteur sur l'origine, la nature & la cure de ces Maladies. Paris, *in* 12. 1735. *pagg.* 213.

Hîc quidem omittimus ex toto Præfationem Boerhaavii, cujus mentio suprà facta est *pag.* 555. De Diatribâ verò ab ipso de la Mettrie scriptâ, & in *Cap. IV.* distributâ afferemus perpauca. In illâ sanè occurrunt plurima non inscitè dicta, quorum pleraque tamen sibi neque constant neque cohærent, sed inconsequentia & quasi fortuita esse videntur.

Statuit *Cap. I.* ubi de origine morbi inquirit, luem in Europâ non priùs observatam fuisse quàm (*a*) exeunte *seculo XIV.* seu ut veriùs diceret, seculo XV: Primùm infeciisse Hispanos, quod verum est, & (*b*) *Lusitanos*, quod falsum: In Africâ (*c*) *endemiam* esse, quod verisimile videtur, & inde in Americam, unde in Europam dimanavit, (*d*) *mancipiorum deportatione* traductam fuisse; quod in apertam rei veritatem pugnat, cùm certum sit ex Africâ mancipia nulla in Americam devecta fuisse, nisi longo post vulgatam in Europâ luem veneream intervallo: Valentiæ in Hispaniâ primùm generatam fuisse (*e*) *usu veneris Leprosi cum Scorto*, quod quidem à Joanne Manardo olim narratum fuit, sed quod falsum esse (*f*) suprà probatum est; certè quod cum iis manifestè pugnat quæ ab Auctore ipso modò referebantur: Demùm (*g*) *Van-Helmontium* huic opinioni de Origine luis venereæ ex coitu Leprosi cum Meretrice *assentiri*, quod forsitan de (*h*) Paracelso dici potest, at de Helmontio minimè, quem vidimus (*i*) suprà opinionem non minùs quidem commentitiam, sed planè diversam secutum fuisse.

Demùm *Cap. IV.* ubi de gonorrhœâ virulentâ in viris, 1°. Rejicit circa illius therapeiam (*k*) remedia *temperantia*, *refrigerantia*, *anodyna*; admittit verò tantùm purgantia (*l*) *mochlica*, *drastica*, *hydragoga* sæpiùs iterata, ut Diagridium, Jalappium, Resinam Jalappii ac in primis (*m*) *Turpethum minerale ad gr.* iv. in quibus peccat ex utrâque parte.

2°. Injectiones in urethram à Guillelmo Cockburne decantatas parùm ipse (*n*) approbat, & à Boerhaavio parùm approbari ait, cui affirmat observatione compertum esse ægros illarum usu perfectè non convalescere.

3°. Quod spectat ad curationem luis venereæ confirmatæ, existimat ille (*o*) Decoctum Guaiaci Mercurio efficaciâ non rarò præstare: Internum Mercurialium usum (*p*) semper utilem, tutum, efficacem esse: Contrà verò (*q*) Hydrargyrosim numquam non periculosam & fallacem, ut in quâ vix liceat admissi Mercurii copiam certò æstimare: Mercurii (*r*) virtutem in curandâ lue à ptyalismo totam dependere: Motum (*f*) ptyalismum versùs inferiora cathartico deduci non posse sine damno; quæ singula à nobis sæpiùs impugnata sunt (*t*) suprà.

FINIS.

(*a*) *Pag.* 11.
(*b*) *Pag.* 33.
(*c*) *Pagg.* 36. & 37.
(*d*) *Pag.* 34.
(*e*) *Pag.* 39.
(*f*) Vide suprà, *pagg.* 43. & 44.
(*g*) *Pag.* 39.
(*h*) Vide suprà, *pag.* 526.
(*i*) Vide suprà, *pagg.* 47. & 526.
(*k*) *Pag.* 69.
(*l*) *Pag.* 67.
(*m*) *Pag.* 84.
(*n*) *Pag.* 77.
(*o*) Discours prélim. *pagg.* 5. & 6. Dissertat. *pag.* 108.
(*p*) *Pagg.* 100 & 101.
(*q*) *Pag.* 107.
(*r*) *Pagg.* 98. & 99.
(*f*) *Pag.* 99.
(*t*) Vide suprà, *Lib. II. cap.* 9. & alibi passim.

INDEX ALPHABETICUS AUCTORUM,

Qui de Morbis venereis ſpeciales Libros ſcripſerunt.

A

David Abercrombyus, *Anglus.* pag. 538
Jacobus Abethencourt, *Rothomagenſis.* 450
Petrus Angelus Agathus, *Matheras*, cum Fallopio. 481
Andreas Alcaçar, *Guadalaxarenſis.* 492
Joannes Almenar, *Hiſpanus.* 441
Amatus, *Luſitanus.* 470
Andreghettus Andreghettius cum Saxoniâ. 503
Sebaſtianus Aquilanus. 432
Henningus Arniſæus, *Halberſtadienſis.* 514

B

Carolus Barbeirac, *Cæſariſtenſis.* 558
Collectio Baſileenſis. 457
Editio Lugduno- Batava Luiſini. 554
Petrus de Bayro, *Taurinenſis.* 479
Joannes Benedictus, *Germanus.* 472
Antonius Benevolus, *Florentinus.* 552
Antonius Benivenius, *Florentinus.* 439
Felicianus Beterra, *Brixianus.* 501
Jacobus à Bethencourt, *Rothomagenſis.* 450
Stephanus Blancardus, *Batavus.* 535
Nicolaus de Blegny, *Pariſinus.* 531
Michael Angelus Blondus, *Italus.* 468
Franciſcus Sylvius de le Boë, *Hanovienſis.* 530
Hermannus Boerhaave, *Vianenſis Batavus.* 555
N. . . . Boirel. 544
Petrus Violette du Bois. 553
Phil. Aur. Theoph. Para. Bombaſt, *Eremita.* 458
Theophilus Bonetus, *Genevenſis.* 535
Proſper Borgarutius. 487
Leonardus Botallus, *Aſtenſis.* 484
N. . . . Bouez de Sigogne. 551
Richardus Boulton, *Anglus.* 547
Wendelinus Hock de Brackenau. 439

Antonius Muſa Marinus	Braſſavolus, *Ferrarienſis.*	pag. 473
	Brocardus, *Venetus.*	485
	C	
Hieronymus	Capivaccius, *ſive* Capitaurus, *Patavinus.*	500
Hieronymus	Cardanus, *Mediolanenſis.*	470
Joannes Rodericus de	Caſtello Bianco, *Luſitanus.*	470
Jacobus	Cataneus à Lacumarcino, *Genuenſis.*	440
Antonius	Chalmeteus, *Vergeſacus apud Anicienſes.*	483
Willelmus	Clowes, *Anglus.*	501
Guillelmus	Cockburne, *Anglus.*	549
Joannes	Colle, *Bellunenſis.*	518
	Collectio Papienſis, quæ *prima.*	442
	—— Veneta prima, quæ *ſecunda.*	454
	—— Baſileenſis, quæ *tertia.*	457
	—— Veneta altera, quæ *quarta.*	488
Joannes	Crato à Craffthеim, *Vratiſlavienſis.*	497
Marcellus	Cumanus.	425
	D	
Antonius	Deidier, *Monſpeſſulanus.*	552
Joannes	Devaux, *Pariſinus.*	544
Petrus	Deſault, *Burdigalenſis.*	560
Rodericus	Diaz de Iſla.	478
Rogerus	Dibon.	551
Georgius	Dordonus, *Placentinus.*	490
	E	
	Editio prima Veneta Collectionis Luiſininæ.	488
	—— Altera Veneta.	505
	—— Tertia Lugduno-Batava.	554
Deſiderius	Eraſmus, *Roterodamus.*	448
Antonius	Everhardus, *Mediobургenſis.*	529
	F	
Gabriel	Fallopius, *Mutinenſis.*	480
Gundiſalvus	Fernandez, *Matritenſis.*	453
Joannes	Fernelius, *Ambianus.*	478
Augerius	Ferrerius, *Toloſas.*	484
Alfonſus	Ferrus, *Neapolitanus.*	462
Dionyſius	Fontanonus, *Monſpeſſulanus.*	464
Petrus	Foreſtus, *Alcmarianus.*	501
Antonius	Fracantianus, *Vicentinus.*	483
Hieronymus	Fracaſtorius, *Veronenſis.*	451
Franciſcus	Frigimelica, *Patavinus.*	479
Laurentius	Friſius.	452
Leonardus	Fuchſius, *Rhætus.*	468
Remaclus	Fuchſius, *Limburgus.*	465
	G	
Antonius	Gallus, *Pariſinus.*	464
Petrus	Garnier, *Lugdunenſis.*	543

Lucas	Ghinus, *Bononienſis.*	*pag.* 499
Coraſ.us	Gilinus.	428
Gherardus	Goris.	550
Joſephus	Grundbeckius.	437
Horatius	Guargantus, *Soncinenſis.*	515
Tannequinus	Guilhaumet, *Nemauſenſis.*	514
	H	
Henricus	Haguenot, *Monſpeſſulanus.*	561
Gualterus	Harris, *Anglus.*	547
Joannes	Hartmannus, *Ambergenſis.*	521
Petrus	Haſſardus, *Inſulanus vel Armenterius Flander.*	477
Joannes Baptiſta van	Helmont, *Bruxellenſis.*	522
Adrianus	Helvetius, *Batavus.*	544
Gundiſalvus	Hernandez, *Matritenſis.*	453
Theodoricus de	Hery, *Pariſinus.*	475
Wendelinus	Hock de Brackenau.	439
Phil. Aur. Th. Par. B. ab	Hoenheim, *Eremita.*	458
Ulricus de	Hutten, *Eques Germanus.*	443
	I	
Laurentius	Joubertus, *Valentinus apud Delphinates.*	495
Ludovicus de	Iſla, *Luſitanus.*	492
Rodericus Diaz de	Iſla.	478
Bernardinus Chriſtinus à	Juvellina, *Cyrnæus.*	534
	K	
Tobias	Knoblochius, *Marcobrettanus.*	519
Eitel Joachimus	Kruppelius.	515
	L	
Jacobus Cataneus à	Lacu-Marcino, *Genuenſis.*	440
Joannes	Langius, *Lembergius.*	476
Andreas	Laurentius, *Arelatenſis.*	509
Petrus	Laurus, *Italus.*	479
Dominicus	Leo, *Lunenſis.*	483
Andreas de	Leon, *Hiſpanus.*	513
Nicolaus	Leonicenus, *Vicentinus.*	426
Joannes Antonid. Vander	Linden, *Enchuſanus.*	521
Martinus	Liſter, *Eboracenſis.*	540
Aloyſius	Lobera, *Abulanus.*	469
Editio	Lugduno-Batava Luiſini.	554
Aloyſius	Luiſinus, *Utinenſis.*	488
Amatus	Luſitanus.	470
Zacutus	Luſitanus, *Olyſipponenſis.*	520
	M	
Nicolaus	Macchellus, *Mutinenſis.*	477
Joannes	Macollo, *Scotus.*	515
Bartholomæus	Maggius, *Bononienſis.*	471
Joannes le	Maire, *Bagacenſis.*	447
Joannes	Manardus, *Ferrarienſis.*	445

Victor	Manggus, *Schattencalenſis.*	*agg.* 517
Cyprianus	Maroxa, *Hiſpanus.*	522
Nicolaus	Maſſa, *Venetus.*	455
Alexander	Maſſarias, *Vicentinus.*	509
Petrus Andreas	Matthiolus, *Senenſis.*	456
Theodorus Turquetus de	Mayerne, *Genevenſis.*	527
Petrus	Maynardus, *Veronenſis.*	442
Eduardus	Maynwaringe, *Anglus.*	531
Joannes	Meichinger.	429
Martinus	Mellerſtadius.	437
Antonius	Menjotius, *Pariſinus.*	534
Ludovicus	Mercatus, *Valliſoletanus.*	512
Hieronymus	Mercurialis, *Forolivienſis.*	498
Scipio ex	Mercuriis, cum Zecchio.	497
de la	Mettrie.	564
Joannes	Michaut.	537
Aurelius	Minadoüis, *Rhodiginus.*	502
L. . . . le	Monnier.	540
Bartholomæus	Montagnana, *Patavinus.*	466
Joannes Baptiſta	Montanus, *Veronenſis.*	471
Natalis	Monteſaurus, *Veronenſis.*	430
Hieronymus	Montuus.	480
Carolus	Muſitanus, *Calaber.*	541
	N	
Auguſtinus	Niphus, *Sueſſanus.*	453
	O	
Gonçales Hernandez de	Oviedo, *Matritenſis.*	453
	P	
Fabius	Pacius, *Vicentinus.*	510
Julius	Palmarius, *Conſtantienſis Normannus.*	495
Collectio	Papienſis.	442
Philip. Aureol. Theophr.	Paracelſus, *Eremita.*	458
Ambroſius	Paræus, *Lavallenſis apud Cenomanos.*	494
Joannes	Paſchalis, *Sueſſanus.*	453
Michael Joannes	Paſchalis, *Valentinus Caſtellonenſis.*	487
Bartholomæus	Perdulcis, *Helvius ſive Vivarienſis.*	513
Alexander Trajanus	Petronius, *Cittacaſtellanus.*	484
Thomas Rangonus	Philologus, *Ravennas.*	463
Auguſtinus Niphus	Philotheus, *Sueſſanus.*	453
Laurentius	Phriſius.	452
Simon	Piſtor, *Lipſienſis.*	431
David de	Planis Campy	518
Martinus	Polichius, *Merleſtadius.*	437
Nicolaus	Poll.	455
	Pointet.	553
	Q	
Joſephus	Quercetanus, *Armeniacus.*	509

R

Franciſcus	Ranchinus, *Monſpeſſulanus.*	pag. 515
Thomas	Rangonus, *Ravennas.*	463
Benedictus	Rinius, *Venetus.*	447
Joannes	Rodericus de Caſtello-Bianco, *Luſitanus.*	470
G... B... de Saint	Romain.	540
Guillelmus	Rondeletius, *Monſpeſſulanus.*	482
Petrus	Roſtinius.	519
Joannes Antonius	Roverellus, *Bologninus.*	462
Euſtachius	Rudius, *Bellunenſis.*	510

S

G... B... de	Saint Romain.	540
Joannes	Salicetus.	429
Antonius	Saporta, *Monſpelienſis.*	491
Joannes	Saporta, *Monſpelienſis.*	507
Hercules	Saxonia, *Patavinus.*	503
Antonius	Scanarolus, *Mutinenſis.*	431
Conradus	Schelling, *Heidelbergenſis.*	437
Joannes	Schenckius, *Friburgenſis.*	497
Leonardus	Schmai, *Saliſburgenſis.*	443
Philippus	Schopfius cum Capivaccio.	500
Daniel	Sennertus, *Vratiſlavienſis.*	517
N.... Bouez de	Sigogne.	551
Bartholomæus	Sileber.	450
Paulus de	Sorbait, *Hiſpano-Belga.*	536
Joannes Caſparus	Sparr.	533
Joſephus	Struthius, *Polonus Poſnanienſis.*	464
Franciſcus	Sylvius de la Boë, *Hanovienſis.*	530
Joannes	Sylvius, *Inſulanus in Flandriâ.*	479
Thomas	Sydenham, *Anglus.*	536

T

Philippus Aureolus	Theophraſtus Paracelſus, *Eremita.*	458
Carolus	Thuillier, *Rothomagenſis.*	539
Bernardinus	Tomitanus, *Patavinus.*	486
Gaſpar	Torella, *Valentinus apud Hiſpanos.*	432
Petrus de	Torrez, *Darocenſis in Arragoniâ.*	508
Petrus	Trapolinus, *Patavinus.*	485
Victor	Trincavellius, *Venetus.*	490
Daniel	Turner, *Anglus.*	559
Theodorus	Turquet de Mayerne, *Genevenſis.*	527

V

Joannes Antonius	Vander Linden, *Enchuſanus.*	521
Joannes Baptiſta	Vanhelmont, *Bruxellenſis.*	522
Joannes	Varandæus, *Nemauſenſis.*	513
Gervaſius	Ucay, *Toloſas.*	542
Georgius	Vella, *Brixienſis.*	442
Collectio	Veneta, *primæ*	454

Collectio	Veneta Aloysii Luisini, quæ *secunda. pag.*	488
Jacobus	Vercellonus, *Pedemontanus.*	548
Andreas	Vesalius, *Bruxellensis.*	465
Benedictus	Victorius, *Faventinus.*	474
Joannes de	Vigo, *Genuensis.*	438
Franciscus de	Villalobos, *Hispanus.*	505
Petrus	Violette du Bois.	553
Matthias	Untzerus, *Hallensis,*	517
Joannes	Vochs, *Colonienſis.*	462
	W	
Joannes	Weidman.	429
Joannes	Winell, *Anglus,*	529
Richardus	Wiseman, *Anglus.*	533
	Z	
	Zacutus, *Lusitanus, Olysipponensis.*	520
Joannes	Zecchius, *Bononiensis.*	497

INDEX RERUM.

A

Abortus frequens à causâ venereâ, *pagin.* 296. & 321
tempore hydrargyroseos. 370
Abscessus venereus Perinei, 196
Adiposa membrana sedes est seminii venerei juxta Boerhaavium, vel saltem ulcusculorum cancrosorum in viris & in mulieribus, 555. 556. & 557
Quod utrumque refellitur, *ibidem.*
Administratio unguenti seu linimenti mercurialis, 354
Vid. *Hydrargyrosim*
Admissio veneni venerei, quibus viis fiat? 94
Unde æstimanda veniat? 96. & 97
Aeris intemperies luem veneream non adduxit, 42. & 43
Ægilops venereus, 295. & 314
Æthiops, Pamphili de Narvaez mancipium, an luem veneream variolasne in novam Hispaniam invexerit? 525. 535. & 545
Æthiops mineralis vulgaris cum sulfure, 128
alii numero multi pro naturâ corporum gummosorum aut resinosorum quibuscum Mercurius subigitur, 128. & 412
Vid. *Mercurialia.*
Affectiones cutis venereæ, 293
Affectus post hydrargyrosim superstites sed qui sanabiles sunt, 383. & *seqq.*
Penè desperati, qui post hydrargyrosim aliquando supersunt, 398
Affinitatum scala, juxta quam humores à seminio venereo solent ut plurimùm inficì, 298 & 299
quotuplici causâ perverti possit? 300
Africa; an luem veneream endemium habeat, & qua de causâ? 57. 536. & 564
An inde in Americam traducta fuerit? 536. & 564
Agrypnia venerea, 296. & 318
Agyrta quomodo excipiendi juxta Borgarutium? 488
juxta Gualterum Harris, 548
Agyrtarum imperitia & impudentia retegenda est, *Præf.* x
Albugines in corneâ, *pagin.* 295. & 314
Algarot. Pulvis de Algarot, 551
Alopecia, in tertiâ luis venereæ periodo primùm apparuit, 67. & 69
Alopecia venerea, 293. 304. & 409
Altar Caravalgii, 464
Alumni lactentes quibusnam morbis venereis obnoxii sint? 229. & 243
Ambra grisea tinctura cum aquâ Rabelii, 419
Ambrosius (Sanctus) syrupus Sancti Ambrosii laudatur ad curationem luis venereæ, 116
paratur ex decoctis milio & ficubus, *ibidem.*
America devicta victores suos corrupit morbo pessimo, nempe lue venereâ. *Præf.* iij
Andron, species oscheo-hydroceles Malabaris peculiaris, 60
Angli luem veneream maritimo cum Burdigalensibus commercio contraxere, quam ideo olim appellavere morbum Burdigalensem, 55
Anglica febris, Vid. *Sudatoriam febrem.*
Ankylosis venerea, 294
Animalcula. Non desunt qui opinentur luem veneream produci ab animalculis minutissimis & mordacibus, 92. 538. 552. 561 & *in adden.* xiij
Historia Circulatoris cujusdam, qui aiebat morbos omnes ab animalculis produci, 92
Anorexia à lue venerea, 296. & 318
Anthropophagi non erant indigenæ Insulæ Hispaniolæ, 61
Anti-chærædica Medicamina *de Rotrou*, 416
quâ ratione administranda? 418
Antidota quædam luis venereæ planè inefficacia, 503
Antilla à Christophoro Columbo detectæ anno 1492. 47
Antimonium emeticum ad curationem luis venereæ à quibusdam adhibitum fuit, 494. 500. & 521.
Apolinarius scripsit morbum Jobi fuisse Elephantiasim, *Præf.* 7

Aqua Rabelii, 419. & *in addend. pagin.* xij
menthæ Quercetani, 420
Aqua argenti vivi Vid. *Mercurium* vel *Hydrargyrum.*
Aqua Mercuriales exitiales, 129. & 130
Arabes. Medici Arabes cur primi & ſæpè diſſeruerint de puſtulis & ulceribus virgæ o iundis ex coitu cum fœdâ vel impurâ, hoc eſt menſtruatâ muliere, 63
Primi omnium auſi ſunt Mercurium exteriùs adhibere, 118
Arcanum Corallinum, 129. 527. & 530
anti-venereum Caroli Thuillier, quale fuiſſe videatur? 539. & 540
Arcanum Liſteri ad gonorrhœam, 541
Ad variolarum prophylaxim, quo ſatis temerè gloriatur Petrus V. du Bois, 553
Arcana. An liceat Medico arcana utilia celare? 539. *Præf.* ij
An liceat remedia futilia pro arcanis efficaciſſimis venditare? 539. 551. 552. 553. & 554. *Præf.* ij
Ardentium morbus ſive ignis ſacer Sancti Antonii jam pridem evanuit, 12
Ardern (Joannes) Chirurgus Anglus de arſurâ ſive incendio locutus eſt, 25. & 559
Sed hæc de gonorrhœâ non debent intelligi, *ibid.*
Ardor. Vid. *Arſuram.*
Argelata (Petrus) an venereas virgæ puſtulas notas habuerit? 21. & *ſeq.*
Argentum vivum. Vid. *Mercurium* vel *Hydrargyrum.*
Argumentum quod pro ſtabiliendâ luis venereæ antiquitate deducitur ex eo quòd lues venerea Gallicè dicatur *la Vérole*, Variolæ verò *la petite Vérole*, diluitur. *pagin.* 39
Arlina eadem cum radice Chinæ, 518
Arſenici uſus tum internus tum externus ad luis venereæ curationem approbatur à Davide de Planiſcampy, ſed errore peſſimo, 519
Arſura. Quid eo nomine Medici Chirurgique olim intellexerint? 25. & *ſeq.* 559
concubitu cum leproſis inductam fuiſſe, 26 & 559
à gonorrhœâ virulentâ abfuiſſe ex toto, 28. & 559
Artuum tremor à causâ venereâ, ſi hydrargyroſeos efficaciam eludat, quâ ratione curandus? 408
Aſtrorum influxu lues venerea inducta non fuit, 41
Aſthma venereum, 296. & 318
Atheromata venerea, 295. & 313
Atrophia & marcor à causâ venereâ, 296. & 319
Avenionenſis Lupanaris ſtatuta antiqua, 33. & *ſeq.*
Avenionis pons. Quid acciderit ſuper pontem illum, 479
Auguſtus. An Imperator Auguſtus laboraverit lue venereâ? *in addend.* xj
Aulicæ ægritudines quales ſint? 469
Aurifica tinctura, 416
Aurificum elixirium, 416
Aurium tinnitus venereus primùm à Fallopio obſervatus circa annum 1562. 68. & 69
Aurium morbi venerei, 295. & 315
Auſonii locus à Domno Calmet objectus explicatur, *in addend.* xj

B

Baco (Franciſcus Baco de Veralumio) conſentit cum Leonardo Fioravanti de primâ luis venereæ causâ, 46
Balani (Tumoris) Deſcriptio, 254
Cauſæ, 255
Symptomata, 256
Diagnoſis, 258
Prognoſis, 259
Curatio, 259
Balſamum, quod chalybis dicitur, 421
Barbaroſſæ pilulæ ex Mercurio crudo & remediis purgantibus componebantur, 127
Deſcribuntur à Petro Bayro, *ibid.* 479
Laudantur à Rondeletio, 482
Barbeirac (Carolus) Editur illius nomine Opus Medicum, quod mihi non videtur genuinus eſſe Barbeiracii fœtus, 558
Bardanæ radix decocta in aquâ. An utilis ſit ad luis venereæ curationem? 117
An à Petro Pena adhibita fuerit curando Henrico III. lue venereâ laboranti, *ibid.*
Bartholinus (Thomas) approbat uſum internum Cantharidum ad curationem gonorrhœæ, 175
Baryecoia venerea, 295. & 316
Baſiatione poteſt lues venerea traduci, 88
Baſilius Valentinus an unquam extiterit? 521
an de lue venerea ſcripſerit? 521
quo tempore vixerit? 522
Bateana pharmacopœa proponit Syrupum ſancti Ambroſii ſeu Decoctum Ambroſianum tanquam Diaphoreticum nobile, 116

Becketius (Guillelmus) Chirurgus Londinenſis, multa teſtimonia nuper produxit pro antiquitate luis venereæ & gonorrhœæ, quæ explicantur & diluuntur, 25. & *ſeq.*
Belgæ ab Hiſpanis luem veneream contraxere, quam ideò vocant morbum Hiſpanicum, 54
Bethencourt (Jacobus à Bethencourt,) veneream gonorrhœam accuratè deſcripſit anno 1527. 86
Blancardus (Stephanus) Medicus Batavus dicitur ſcripſiſſe luem veneream ab Europâ in Americam traductam fuiſſe ab Æthiope quodam, qui Pamphili de Narvaez mancipium erat, quod tamen falſum, 535. & 536
Blegny (Nicolaus de) quis qualiſve fuerit, & quâ de causâ in carcerem conjectus? 532
Bocheta ſudorifica, 115
Boerhaave (Hermannus) quid ſentiat de efficacitate decocti Guaiaci ad curationem luis venereæ? 143
An ſatis rectè ſentiat? 144. 145. & 558
Scripſit Diatribam de lue venereâ, quæ Præfationis loco præfixa eſt Editioni Lugduno Batavæ Aphrodiſiaci, 555
An exiſtimaverit panniculum adipoſum ſedem eſſe perpetuam venerei ſeminii? 555
At certè opinatur panniculum illum ſedem eſſe uſculorum cancroſorum, 556
Boile, Circulator hoc nomine dictus, contendebat non ita pridem Lutetiæ morbos omnes ab animalculis inferri, 92
Bolducius (Jacobus) Capucinus, exiſtimabat morbum Jobi eumdem fuiſſe cum lue venereâ, *Præf.* iv
Borgarutius (Proſper) refert in civitatibus quibuſdam nebulones ſe Medicos eſſe mentientes in aſinum ſtrigoſum rapi, 488
In quo Jacobum Sylvium expilavit ſed ſuppreſſo illius nomine, *in addend.* xij
Borgia (Alphonſus) Alexandri VI. ex fratre nepos, moritur ex therapeiâ Mercuriali, 107
Brackenavv. (Wendelinus Hock) Vid. *Hock.*
Braſſavolus (Antonius Muſa) putavit luis venereæ originem deducendam eſſe à ſcorto vulgari, cujus in utero abſceſſus latebat, 44
Confitetur luem veneream in Hiſpaniolâ endemiam olim fuiſſe, 49
Deſcripſit gonorrhœam veneream anno 1551. 68
ſævitia luis venereæ jam remiſſa erat illius ætate, 71
Admittit, 234. Species luis venereæ, 473
Broncocele, frequens & communis morbus in regionibus ſubalpinis, *pagin.* 60
Bruhezius (Petrus) Quid ille in ſuo *Almanach* ſtatuerit de tempore tonſuræ? 477
Bubas (las) ſic lues venerea Hiſpanicè dicitur, 39. 526
Bubonis venerei deſcriptio & differentiæ, 218
Cauſæ, 218
Symptomata, 220
Diagnoſis, 222
Prognoſis, 224
Curatio 1°. Reſolutione, 224
2°. Suppuratione, 227. 529
Problemata aliquot circa bubones, 229
Bubo venereus poteſt apparere pone aures aut ſub alis, 229. & 520
Bubonis fiſtuloſi definitio & differentiæ, 230
Cauſæ, 231
Symptomata, 231
Diagnoſis & Prognoſis, 232
Curatio, 232
Bubonis ſkirrhodis deſcriptio & differentiæ, 234
Cauſæ, 234
Symptomata, 235
Diagnoſis & Prognoſis, 235
Curatio, 235
Bubonis carcinomatodis deſcriptio & differentiæ, 237
Cauſæ, 237
Symptomata, 238
Diagnoſis & Prognoſis, 239
Therapeia Curatoria, 239
palliativa, 240
Bubo inguinum in lue venerea obſervatus non fuit niſi in tertiâ morbi periodo, 67. & 68
Quid ergo ſentiendum ſit de obſervationibus Bubonum, quæ leguntur inter obſervationes Cumani? 426
quomodo maturandus ſit, 522
Bubula caro per fumum indurata & in pulverem contrita utilis eſt ad gonorrhœam contumaciorem, 528
Bullarum Cryſtallinarum deſcriptio, 254
Cauſæ, 255
Symptomata, 256
Diagnoſis, 258
Prognoſis, 259
Curatio, 259
Burning ſive *Brenning*, quid eâ voce olim apud Anglos ſignificatum fuerit? 25. & *ſeq.* 550

Concubitu cum Leprosis inducebatur, *pagin.* 26. 559
Butios, sic dicti in Hispaniola medicastri, 60
Butleri lapis, *pagin.* 523

C

Cæsalpinus (Andreas) narrat luem primùm inductam fuisse ab epotis vinis, quæ ab Hispanis leprosorum sanguine infecta fuerant, 44. & 45
Calat Chirurgus Parisiensis venditat diù tanquam arcanum panchrestum ptisanam sudorificam, 115
Calmet (Augustinus) è Congregatione SS. Vitoni & Hidulfi morbum Jobi cum hodiernâ lue venereâ eumdem fuisse arbitratur, *Præf.* iv
Opinatur luem veneream olim antiquitùs notam fuisse lepræ nomine, sed refellitur, *in addend.* xj
Contendit lepram, quam cum lue venereâ eamdem fuisse putat, produci à vermiculis inconspicuis, *in addend.* xiij
Campanus morbus, an cum lue venerea idem fuerit? 8. & 9
Cancer vox est æquivoca, si audiatur Petrus V. du Bois, 553
Cancer mammarum venereus, 296. & 320
Canibus familiaris morbus à lue venereâa planè diversus, 14
Canones diagnostici numero octo, 332
generales hydrargyroseos, 362
maximè hydrargyroseos parcioris & intercalatæ, 382. & 383
Cantharidum usus internus commendatur ad gonorrhœam à Bartholino, & aliis, 175. & 541
Sed meritò reprobatur tanquam perniciosus, 176
Capitis tumefactio in hydrargyrosi, 364
Capitis gravitas venerea, 295. & 316
Capistratio oris, 374
Caravalgii altar, 464
Carça-parilla. Vid. *Sarçam-parillam.*
Caries pudendorum, vulgò *Chancres.* Vid. *Ulcuscula cancrosa.*
Caries ossium in secundâ tantùm periodo luis venereæ observata est, 66
Caries ossium venerea, 310
Illius species, 394
& remedia, 395
Caro humana in escam apparata temerè creditur luem veneream induxisse, 45. & 46
Carolus VIII. de regno Neapolitano invadendo cogitat, & ideò pacem componit cum Ferdinando Arragonensium Rege, 52
Regnum Neapolitanum invadit, 55
Ad illius statuam dicitur Chirurgus quidam se provolvisse, ut gratum animum testaretur erga Regem, à quo lues venerea in Gallias invecta fuerat, 475
Carolus V. Imperator laboravit lue venereâ, 2
Usus est radice Chinæ, 113. & 466
Carolus IX. Galliarum Rex ægrotavit carunculâ urethræ, 2
Carpus (Joannes Berengarius) non fuit inventor Mercurii ad curandam luem veneream adhibendi, 120
Caruncula in urethrâ, 206. & 207
quomodo curandæ, 213. 214. 215. & 529
Contendit Benevolus nullas alias reperiri præter granum hordeaceum sive caput gallinaginis tumefactum, 553
Catameniorum eruptio in hydrargyrosi, 370
Cataputia minor laudatur ad curationem luis venereæ, 494. & 521
Cataracta venerea, 295. & 314
Cauliaco (Guido de) an in illius Chirurgiâ mentio occurrat morborum venereorum? 21. & *seq.*
Causa ulcusculorum venereorum, 243
Tumoris præputii & balani, 255
Phimoseos & Paraphimoseos, 255
Bullarum crystallinarum, 255
Phymatum & tuberculorum callosorum, atque chordarum skirrhoidum, 265
Gangrænæ genitalium, 272
Porrorum, verrucarum & condylomatum, 279
Cristarum, mororum, ficorum, mariscarum & rhagadum ani, 285
Luis venereæ confirmatæ, 297
Causa gonorrhœæ virulentæ, 155. & 156
Siccæ, 187
Spuriæ, 191
Tumoris testium venerei, 192
Abscessûs venerei in Perinæo, 196
Stranguriæ venereæ, 206. & 207
Bubonis venerei, 218
Skirrhodis, 234
Carcinomatodis, 237
Cauterium variis in locis syphiliticis olim inurebatur, ut nunc ab Hispanis factitari dicitur, 106. & 429
Cephalæa venerea, 295. 317. & 464

Chairedinus Barbaroſſa dictus, Rex Algerii & Rei maritimæ apud Turcas Præfectus, nomen dedit pilulis mercurialibus, *pagin.* 127. & 469
Chalybis Balſamum, 421
Chapelet, (Le) 293. & 304
Cheſneau (Nicolaus) an utilis ſit methodus compendiaria curandæ gonorrhœæ, quam proponit? 180
China radix, ad quos morbos efficax ſit, 514
China radix Europæ innotuit circa annum 1535. 112
Ejus deſcriptio, *ibid.*
Quomodo decoquatur, & ejuſdem decoctum exhibeatur? 112. & 470
Celerem famam obtinuit, 113. & 464
Sed quam retinuit parùm diù, 113. 470. & 509
Tentiginem in bibentibus excitat, 466
Chirurgorum anno 1494. antiquiorum loca aliquot expenduntur, quæ vulgò creduntur de lue venereâ poſſe intelligi, 20. & *ſeq.*
Chordarum skirrhodum deſcriptio in viris, 264
in fœminis, 265
& in catamitis, 265
Cauſæ, 265
Symptomata, 267
Diagnoſis, 268
Prognoſis, 269
Curatio, 269
Chryſoſtomus (S. Joannes) morbum Jobi à Leprâ non diſtinguit, *Præf.* v
Cina radix. Vid. *China radicem.*
Cinadi, quibuſnam morbis venereis obnoxii ſint? 230. 243. 255. & 285
Cinnabaris antimonialis, 539
Circulatorum imperitia & impudentia retegenda eſt, *Præf.* x
Clavus venereus, 295. & 316
Cochinillia à quibuſdam adhibetur curandæ gonorrhœæ virulentæ, 177. & 541
Sed plerumque fruſtrà, 177
Cockburne (Guillelmus) temerè gloriatur de injectione quâdam in urethram, quam ad gonorrhœam mirabiliter facere contendit & cujus præparationem celat, 550. & 564
Columbus (Chriſtophorus) ad Inſulam Haiti ſive Hiſpaniolam appulit anno 1492. 47
Columella deperditio à lue venereâ, 409
Condylomatum deſcriptio, 279
Cauſæ, 279
Symptomata, 281
Diagnoſis, 281
Prognoſis, 282
Curatio interna, 282
externa, 283
Condylomata & *cryſtæ*, quæ poſt hydrargyroſim ſuperſunt, *pagin.* 389
quomodo curari poſſunt? *ibid.*
Conglutinatio linguæ cum gingivis aut gingivarum cum buccis, 374
Conjectura de cauſis cur lues venerea in Hiſpaniolâ cæteriſque Antillis olim fuerit endemia, 59. & *ſeq.*
Quod repetendum non eſt ex eo quòd Indigenæ veſcerentur humanâ carne, 61
nec quòd vitioſum ducerent aerem, *ibid.*
nec quòd pravis victitarent cibariis, 62
Sed quòd promiſcuâ uterentur venere, nec à menſtruatis mulieribus ſe abſtinerent, quarum catamenia in eâ regione acerrima ſunt, 62. & 63
Quod commune fuit cæteris quoque Americæ, Africæ & Aſiæ locis, ubi lues venerea creditur antiquitùs latuiſſe tanquam in focis peculiaribus, 63. & 64
Affertur ratio cur idem in Europâ locum non habuerit, 64
Conſtantinopolis à lue venereâ immunis falsò creditur à Friderico Hoffmanno, 75
Contagio luis venereæ initio ignorabatur, 84
Suboluit primùm Gaſpari Torellæ, *ibid.*
Diù tamen creditum fuit luem veneream generari interdùm ſolo errore in diætâ, 84. 425. 428. 430. 431. 434. 439. 442. 445. & 452.
Contagio luis venereæ non propagatur in diſtans, 86. & 520
Forſan neque per fomitem, 86. & 520
Sed maximè per contactum, 87. & 472
Nempe uſu rei venereæ, 87. & 472
Lactatione, baſiatione, cubitu ſimplici, contrectatione partium ulceratarum, 88. 440. 472. 492. 500. 504. 512. & 533
Contagium venereum cur ab aliis faciliùs, difficiliùs ab aliis contrahatur? 97
cur aliquando ab iis qui innexiâ jam diù venere utuntur cum infectis, celerrimè concipiatur, ſi cum leviùs infectis rem habeant, 97
cur aliquando contrahatur ex iiſdem infectis, quibuſcum diù antè res habita fuerat ſine noxa? 97
Contagium venereum Vid *Virus venereum.*
Contrectatione partium ulceratarum à vene-

reo veneno lues contrahitur, *pagin* 88
Corteſius (Ferdinandus) novæ Hiſpaniæ ſeu Mexicani Imperii expugnator, à Pamphilo de Narvaez bello laceſſitur, 525
Hujuſce belli exitum narrat *Epiſtolâ II.* ſed nec de mancipio Pamphili Narvaez, nec de morbo quam ille in Zempoolanos induxit, verba facit, *in annot.* 525
Criſtæ genitalium. Vid. *Condylomata.*
Ani, 284. *& ſeqq.*
Crollii Lapis medicamentoſus, 420
Cryſtallinæ veſicula recentiſſimum luis venereæ ſymptoma, 522
Cryſtallinæ bullæ. Vid. *Bullas cryſtallinas.*
Quid cryſtallinæ nomine intellexerit Tanequinus Guillaumet? 514
Cubitu ſimplici lues venerea poteſt concipi, 88
Cutis affectiones venereæ, 293. *&* 303
Curatio ulcuſculorum cancroſorum in pudendis, 249
Tumoris præputii & balani, 259
Phimoſeos & Paraphimoſeos, 259
Bullarum cryſtallinarum, 259
Phymatum & tuberculorum calloſorum, atque chordarum skirrhoidum, 269
Gangrænæ genitalium, 272
Porrorum, verrucarum & condylomatum, *pagin* 282
Criſtarum, Mororum, Ficorum, Mariſcarum & Rhagadum ani, 288
Curatio gonorrhœæ virulentæ in primâ periodo, 167
in ſecundâ periodo, 169
in tertiâ periodo, 171
Quid peccari ſoleat in curandâ gonorrhœâ? 172
Empiricæ methodi curandæ gonorrhœæ, 174
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 189
ſpuriæ, 191
Tumoris teſtium venerei, 194
Abſceſſûs venerei in Perinæo, 199
Gonorrhœæ habitualis, 203. *&* 204
Stranguriæ venereæ, 210. *& ſeqq.*
Bubonis venerei, 224
Bubonis venerei fiſtuloſi, 232
skirrhodis, 235
carcinomatodis, 239
Cypra urbes duæ in Italiâ ſic olim dictæ, 462
Cyprianus Ciſtercienſis, quid de morbo Jobi ſenſerit? *Præf.* iv

D

David. An luem venereamm paſſus fuerit? *Præf.* iij. *&* v
Decretum Senatûs Pariſienſis de Diſciplinâ in curandis ſyphiliticis obſervandâ, 75
Sancitum fuit die 6. Martii anni 1496. hoc eſt juxta computandi rationem, quâ nunc utimur, die 6. Martii anni 1497. 79
Definitio bubonis venerei, 218
fiſtuloſi, 230
Dentativa, ſic appellatur lues venerea à Rangono, 463
Dentium caſus à lue venereâ, 409
Depilativa, ſic à Rangono lues venerea appellatur, 463
Deſcriptio gonorrhœæ virulentæ in viris, 151
in fœminis, 152
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 185. *&* 189
ſpuriæ, 190
Tumoris teſtium venerei, 192
Gonorrhœæ habitualis, 202. *&* 204
Stranguriæ venereæ, 205
Bubonis venerei, 218
Deſcriptio ulcuſculorum venereorum, 242
Tumoris præputii & balani, 254
Phimoſeos & Paraphimoſeos, 254
Bullarum cryſtallinarum, 254
Phimatum & tuberculorum calloſorum, atque chordarum skirrhoidum, 264. *&* 265
Gangrænæ genitalium, 271
Porrorum, verrucarum & condylomatum, 279
Criſtarum, mororum, ficorum, mariſcarum & rhagadum ani, 284
Luis venereæ confirmatæ, 292
Devaux Joannes) obſervat ſymptomata luis venereæ in dies mitiora eſſe, 72
Dieta, qualis præſcribenda ſit in hydrargyroſi? 358. *&* 362
Diagnoſis gonorrhœæ virulentæ in viris, 162
in fœminis, *ibidem.*
Sedis gonorrhœæ, 164
Cauſarum gonorrhœæ, 164
Differentiarum gonorrhœæ, 164
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 187
ſpuriæ, 191
Tumoris teſtium venerei, 194
Abſceſſûs venerei in Perinæo, 198
Gonorrhœæ habitualis, 203
Stranguriæ venereæ, 209

Bubonis venerei, *pagin.* 222
Bubonis venerei fiſtuloſi, 230
skirrhodis, 235
carcinomatodis, 239
Diagnoſis ulcuſculorum cancroſorum, 248
Tumoris præputii & balani, 258
Phimoſeos & Paraphimoſeos, 258
Bullarum cryſtallinarum, 258
Phymatum & tuberculorum calloſorum, atque chordarum skirrhoidum, 268
Gangrænæ genitalium, 273
Porrorum, verrucarum & condylomatum, 281
Criſtarum, mororum, ficorum, mariſcarum & rhagadum ani, 287
Luis venereæ confirmatæ, 321
an adſit? 322
qualis adſit? 334
an adſit ſola? 335
Diarrhœa à causâ venereâ, 296. 319. & 390
Diarrhœa in dyſenteriam degener, quæ accidit in hydrargyroſi, 366. & 376
Differentia gonorrhœæ virulentæ, 155. & 156
Unde proveniant, 157. & 158
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 186
Bubonis venerei, 218
Bubonis venerei fiſtuloſi, 230
skirrhodis, 234
carcinomatodis, 237
Ulcuſculorum venereorum, 242
Dogmata, quibus Medicina aucta eſt experimentis, quæ in ſyphiliticis ex improviſo oblata ſunt, *Præf.* viij. & ix
Dolor oſteocopus contumax cariem oſſis aut medullæ abſceſſum indicat, 403
Quibus ſolâ operatione mederi licet, 403
Dolores venerei variis in locis, 294. & 306
Rheumatici, 294. 306 & 390
Arthritici, 294. 306. & 390
Iſchiadici, 294
Oſteocopi, 306
Dominici (Inſula Sancti.) Vid. *Hiſpaniolam.*
Dracunculus ſive *Vena Medinenſis*, apud Arabes endemius morbus, 60
Dyſuria venerea ſicca. Vid. *Gonorrhœam virulentam ſiccam.*

E

Eccleſiaſtici locus objectus an de lue venerea accipiendus ſit? *Præf.* iij. v. & vj.
Echina eadem cum radice Chinæ, 518
Elephantiaſis Græcorum. Vid. *Lepram Arabum.*
Elephas morbus in Ægypto endemius, 60
Elixirium aurificum, 416
Rubrum N... Bouez de Sigogne, 551
Empiricæ gonorrhœæ therapeiæ, injectionibus mercurialibus in urethram, 174
Uſu interno cantharidum, 175
Exhibitâ cochenilliâ, 177
Mercurio præcipitato viridi, 178
Reſinâ Guaiaci, 178
Saturninis remediis, 179
Methodo compendiariâ Nicolai Cheſneau; 180
Pilulis ex terebinthinâ cum Mercurio dulci, 181
Empiricorum imperitia & impudentia retegenda eſt, *Præf.* x
Quomodo excipiendi ſunt, 488-548
Encanthis venerea, 313
Endemii morbi in multis regionibus, 60
Lues venerea in Inſulis Antillis pari modo endemia fuit, 60. & 61
Conjecturæ de cauſis cur ibi endemia fuerit, *ibid.*
Quæ ad cæteros luis venereæ focos antiquos in Americâ, Africâ & Aſiâ pertinere poſſunt, 64
Ephelides venereæ, 293. & 303
Epilepſia venerea, 317
Superveniens in hydrargyroſi, 369
Epileptici, quomodo ad hydrargyroſim præparandi? 350
Epiphora venerea, 314
Epiſcopus Pariſienſis præerat anno 1497. iis quibus negotium datum erat ut ſyphiliticis providerent Lutetiæ, 75
Europa à morbis venereis olim immunis fuit, 1. & *ſeq.*
Nec eoſdem ſenſit niſi poſt repertas à Columbo Occidentales Indias, unde delati ſunt, 47. & *ſeq.*
Cur venus vulgivaga, etiam fortè cum menſtruatis, veneream luem ibi numquam produxerit, ſicut in pleriſque Americæ, Africæ & Aſiæ locis? 64
Europa, quas periodos lues venerea in Europa habuerit in hunc diem? 65. & *ſeq.*
Euſebius. Locus Euſebii explicatur, unde amant colligere luem veneream antiquitùs cognitam fuiſſe, 6. & 7.
Exoſtoſes cum carie oſſium ſecundâ luis venereæ periodo apparuere ab anno 1516. ad annum 1526. 66
Exoſtoſes venereæ aliquando hydrargyroſi non diſſipantur, 402.
Exoſtoſis venerea, 294. & 307
Oſſiculorum auditioni inſervientium, 315

F

FAbula de origine luis venereæ, *pagin.* 4^r. *& ſeq.* Vid. *Originem luis venereæ.*
Fallopius (Gabriel) refert luem veneream ab Indiis Occidentalibus in orbem noſtrum comportatam, 50
Deſcribit gonorrhœam & tinnitum aurium circa annum 1562. tanquam nova luis venereæ ſymptomata, 68
Affirmat ſuo tempore luem veneream jam mitiorem eſſe, 72
Farcin (le) an lues venerea ortum duxerit à nefando congreſſu viri cum jumento, quod eo morbi genere laboraret? 527
Faucium morbi venerei, 293. & 305
Febres intermittentes à causâ venereâ, 296. & 320
Lentæ, 296. & 320
Febris ſuperveniens hydrargyroſi, 365. & 375
Ferdinandus Arragonenſium Rex malè ſtat conditionibus pacis cum Carolo VIII. ſancitæ, 52
Ac demùm cum eodem aperto marte dimicat, 53
Fernandez (Gonſalvus Fernandez ab Oviedo) affirmat luem veneream in Inſulâ Hiſpaniolâ Chriſtianis primùm cognitam fuiſſe, 51
Fernelius (Joannes) Mercurio diffidens duas opiatas anti-venereas impensè laudat ſed quas non comprobavit exitus, 116
Neſciebat ptyaliſmum moveri ab hydrargyro intrò ſumpto, 130
Quo tempore obierit? 478
Nimiùm confidit antidoto ſuæ Alexipharmacæ in curandâ lue venereâ, 478
Ficorum ani deſcriptio, 284
Cauſæ, 285
Symptomata, 286
Diagnoſis, 287
Prognoſis, 288
Curatio, 288
Fioravanti (Leonardus) refert ſed errore maximo luem veneream in Gallorum & Hiſpanorum caſtris productam fuiſſe carne humanâ ab annonariis præbitoribus in eſcam militibus apparatâ, 45. & 46
Fiſtula ani, 286. & 291
Fiſtula ani curanda poſt hydrargyroſim, 390
Fiſtula lacrymalis, 295. & 314
Quomodo curanda poſt hydrargyroſim? 390
Flores ammoniaco-mercuriales, 415
Focus luis venereæ celeberrimus fuit in Inſulâ Hiſpaniolâ, 49. *& ſeq.*
Huic tamen Inſulæ non peculiaris, ſed cum pleriſque Zonæ Torridæ locis communis in Aſiâ, Africâ & Americâ, 56. *& ſeq.*
Formius (Samuel) Chirurgus Monſpelienſis refert Henricum III. lue venereâ laborantem decocto radicis Bardanæ à Petro Penâ curatum eſſe, 117
Formulæ remediorum quâ methodo componendæ, *Præf.* vij
Fontanonus (Dionyſius) Profeſſor Monſpeſſulanus, quomodo per errorem appellatur in Editione Lugduno-Batava Luiſini, *in addend.* xij
Fonticuli in iis qui Gallicâ lue vexantur, utiles ſunt, 502. & 530
Fracaſtorius (Hieronymus) deſcripſit eleganter ſymptomata luis naſcentis, 65
Primus locutus eſt de alopeciâ venereâ circa annum 1536. 67
Ferocia luis venereæ jam remiſſa at ejus ætate, 71
Fragæ in ano. Vid. *Ficos ani.*
Franciſcus I. Gallorum Rex luem veneream contraxit ab uxore mercatoris ferrarii, 2
De virtute ligni Juniperini rectiùs ſentiebat Rondeletio, 109
Quid de illo dictum fuerit ab Antonio Gallo? 465
Frictiones Vid. *Inunctiones.*
Frizimelica (Franciſcus ano excrevit calculum ad magnitudinem ovi gallinacei, 479
Functionum læſio à causâ venereâ, 295. 296. & 316

G

GAddeſden (Joannes) an venerea virgæ ulcera noverit? 21 *& ſeq.*
Galenus non vidit neque venam medinenſem, neque febrem ſeptenam aut novenam, neque lapidem egredientem ab inteſtinis, 467
Galeottus Picus II. Comes Mirandulæ laboravit lue venereâ, 471
Galli luem ab Hiſpanis & Neapolitanis contrahunt, quam cum cæteris Europæ populis communicant, 52. *& ſeq.*
Gallus (Antonius) bubonem venereum ex-

preſsè deſcribebat circa annum 1540. prolato nomine vulgari Gallico *pulini*, 67
Ganglia venerea contumacia, *pagin.* 402
Gangræna genitalium deſcriptio, 271
Cauſæ, 272
Symptomata, 272
Diagnoſis, 273
Prognoſis, 274
Curatio, 274
Gangrænæ imminentis, 274
incipientis, 275
confirmatæ, 278
Gemarſa, morbus antiquus, qui reſtinctus eſt, etiam obliterato nomine, 12
Generatio. An luis venereæ ſeminium in generatione à parentibus in liberos traduci poſſit, in legitimam luem olim erupturum, 85
Genitalia variis morbis ſemper obnoxia fuerunt, ſed qui à morbis venereis diverſi eſſent ante annum 1494. 7. 30. 31. & 32
Genitalium morbi venerei, 293
Generantur in lue confirmatâ, 301. & 302
Gentilis non vidit lapidem à ſtomacho egreſſum, 467
Gilini (Coradini) ſententia de origine luis venereæ, 41. & 428
Glandularum limphaticarum vitia venerea, 295
Glaucoma venereum, 295. & 314
Gonorrhœa virulenta deſcriptio in viris, 151
in fœminis, 152
Sedes in viris, 152. & 549
in fœminis, 153
Differentiæ in utroque ſexu, 153
Quotupliciter à variis erratum ſit circa ſedem gonorrhœæ? 154
Cauſæ conjunctæ, 155
antecedentes, 156
Symptomata, 158
Diagnoſis, 162
Prognoſis, 165
Curatio methodica, 167
Curationes Empiricæ, 174
Prophylaxis, 181
Gonorrhœa virulentæ ſiccæ deſcriptio, 185. & 189
Species, 186
Symptomata, 186
Cauſæ, 187
Diagnoſis & Prognoſis, 187
Curatio, 189
Gonorrhœa ſpuriæ deſcriptio, 190
Sedes, 190
Cauſæ, 191
Diagnoſis & Prognoſis 191
Curatio, 191
Gonorrhœa habitualis Deſcriptio, *pagin.* 201. & 204
Cauſæ, 202
Symptomata, 202
Diagnoſis & Prognoſis, 203
Curatio, 203. & 204
Gonorrhœa virulenta ex lue venereâ maligna, calloſa, ulceroſa fit, 301
Inde tamen nova numquam generatur, 303
Poſt hydrargyroſim ſuperſtes & quare? 385
Quomodo tunc temporis curanda? 386
Gonorrhœa venerea cum arſurâ ſive *Burning* Anglorum minimè confundenda, 28. & *ſeq.*
Ante annum 1494. prorſus incognita contrà quàm credit Beckettus, 25. & *ſeq.*
Primum apparuit quartâ luis venereæ periodo, 68. & 69
A Bethencourt tamen deſcripta ante annum 1527. 451
Gonorrhœa virulenta an curetur uſu veneris cum muliere Æthiope? 504
An uſu veneris cum virgine? 505
Gonorrhœa virulenta. An ad illius curationem mochlica & draſtica purgantia ſæpiùs repetita præſtent temperantibus, refrigerantibus, anodynis? 564
An injectionibus in urethram à Guillelmo Cockburne laudatis efficaciter curetur? 564
Gordonius (Bernardus) an locus è Lilio Gordonii depromptus debeat intelligi de morbis venereis? 21. & *ſeq.*
Goutes (les) du Général la Motthe, quale ſit remedii genus? 551
Græca nomina, quibus plerique morbi venerei deſignantur, nequaquam arguunt morbos illos antiquos eſſe, 40
Guaiacum in Europam primùm devectum circa annum 1517. 107
Ab indigenis Inſulæ Hiſpaniolæ indicatum fuit, 108
Deſcriptio Guaiaci? 109
Quæ ligna olim habita ſint pro ſuccedaneis Guaiaci? 109
Ratio decoquendi & adminiſtrandi Guaiaci, 110
Virtus & utilitas decocti Guaiaci, 111. 469. & 514
Ejuſdem pericula & incommoda, 112
Guaiaci uſus, utrum præſtet uſui Mercurii? 139. 143. 144. 145. 532. & 564
Olim in Hiſpaniolâ pro præſenti luis

venereæ Medicinâ habitus & quare? *pagin.* 142
Utilis etiamnum ad aliquot caſus, 143
Numquam Mercurii uſui præferendus, 143. 144. & 145
Reſina ſive gummi valet ad curandam gonorrhœam, 178. & 522
Guaiaci virtus ad curandam luem veneream à multis laudatur, 425. 443. 445. 446. 452. 453. 454. 455. 456. 463. 468. 471. & 514
A multis damnatur, 451. 457. 461. 469. & 507
Guaiaci utilitas ad curandos morbos multos à lue venereâ diverſos, *pagin.* 463
Guaiaci decoctum ſalivationem aliquando ciet æquè copioſam ac uſus Mercurii, 476
Guicciardinus (Franciſcus) Scripſit luem veneream allatam fuiſſe ex Inſulis à Columbo detectis, 51
Gummata venerea, quæ hydrargyroſeos efficaciam eludunt, 402
Gutta ſerena à lue venereâ, 314
Gypſum cum farinâ de induſtriâ permixtum morbos venereos non adduxit, 44. & 45

H

Hagioxylum. Vid. *Guaiacum* ſive *lignum ſanctum*.
Hæmalops à venereâ lue, 314
Hæmoptyſis à lue venereâ, 296. & 318
Superveniens hydrargyroſi, 368
Hæmorrhagia ab ulceribus oris, 373
Hæmorrhoides à causâ venereâ, 296. & 319
Hæreditaria. Dubitatur an ulla ſit lues hæreditaria, quæ in infantibus nulla ſui præbeat indicia? 85
Haiti. Vid. *Hiſpaniolam*.
Harris (Gualterus) videtur credulus & ſuperſtitioſus fuiſſe, 547
Cenſet luem veneream ad interitum nullomodo vergere, 588
Haſſardus (Petrus) Aſtrologiæ turpiter addictus, 477
Heddeen, Hebſtedehen, Heſtedeen. Vid. *Hetechen*.
Helmontius. (Joannes Baptiſta) Scripſit anili credulitate luem veneream originem habere à nefando congreſſu hominis cujuſdam nequam & improbi, cum jumento quod ulcere fœtido diffluereret, 47
Medicinæ operam dedit Lovanii, ubi Doctoratûs gradum conſecutus eſt, 523
Idiotam in pyrothecniæ ſtudio magiſtrum habuit, 523
De fide ſuſpectus fuit Inquiſitoribus, 523
Quos ægros curare non potuerit? 523
Quo tempore & quo morbo obierit? 524
Ejuſdem ingenium, mores, indoles, 524
Credit luem ortam eſſe ex nefando congreſſu viri cum jumento ſcabido, 527
Hemicrania venerea, 317
Henricus III. Galliarum Rex gonorrhœam virulentam concepit Venetiis, 2
Convaleſcit ex lue venereâ decocto radicis Bardanæ à Petro Pena exhibito, 117
Hernia venerea, 192. & *ſeq*.
Herodotus. Locus Herodoti explicatur, quem luis venereæ antiquitati favere credunt, 5. & 6
Herpes venereus, 293. & 303
In meatu auditorio, 315
Poſt hydrargyroſim ſuperſtes quomodo curandus? 391
Herrera (Antonius) utrum referat luem veneream indigenis Hiſpaniolæ ſive Inſulæ Haiti primùm innotuiſſe anno 1503? 545
Quod contra rei veritatem pugnare demonſtratur ex ipſis Hiſtorici illius verbis, 446
Hetechen ſive lignum juniperinum olim uſurpabatur ad curationem luis venereæ, 116. 464. & 486
Hiacan, Huiacan, Hoaxacan. Vid. *Guaiacum*.
Hippocrates. Explicantur Hippocratis loca, quæ pro ſtabilienda luis venereæ antiquitate proferri ſolent, 4. & 5.
Hiſpani luem veneream contraxere in Antillis, 47. & *ſeq*.
Quam deinde cum Neapolitanis & Gallis communicavere, ac demùm cum cæteris Europæ, ac pleriſque Africæ & Aſiæ nationibus, 52. & *ſeq*.
Hiſpania nova. An luem veneream, variolaſne ab Æthiope quodam, Pamphili de Narvaez mancipio, acceperit, 525. & *ſeq*. 545
Hiſpaniola. Lues venerea antiquitùs endemia fuit in hac Inſulâ, 48
Quod comprobatur multis & egregiis auctoribus, 47. & *ſeq*.

Conjecturæ de cauſis cur lues in hac Inſulâ cæteriſque Antillis olim endemia fuerit? *pagin.* 59. & *ſeq.*
Hiſtoricorum veterum loca explicantur, quæ pro luis venereæ antiquitate adduci ſolent, 5. & *ſeq.*
Hiſtorici non pauci referunt luem veneream antiquitùs endemiam fuiſſe in Inſulâ Hiſpaniolâ, 50. & *ſeq.*
Hock (Wendelinus) Quid de luis venereæ origine ſenſerit? 41
Horatius. An de lue venereâ intelligenda ſint loca ex Horatio adducta? 8. & 9
Humanâ carne in eſcam apparatâ falſo creditur lues venerea invecta, 45. & 46
Huttenus (Ulricus) accuratiſſimè deſcribit infortunia, hydrargyroſeos, quæ ætate ſuâ uſu recepta erat, 121. 122. & 444.
Hydrargyrus à quo, & quo tempore lui venereæ curandæ adhibitus fuerit, 107
A pleriſque initio damnatus, 107
Non eſt alexipharmacum luis venereæ juxta Abercrombyum, 538. Vid. *Mercurium.*
Hydrargyrus antidotum veneni venerei juxta Liſterum, eget ipſe antidoto, quod Guaiacum præſtat, 540. & 541
Hydrargyroſis intercalata cum interjectâ balneatione. An nova ſit? 361
An utilis? 362
An ad ptyaliſmum declinandum efficax? 363
Hydrargyroſis credebatur in ingreſſu morbi venerei inefficax ab aliis, ab aliis periculoſa, & à pleriſque Medicis damnabatur, 107
Videtur in ipſo luis ingreſſu ſtatim adhibita, 120
Sed parcâ doſi & cautione maximâ, 121
Empericorum imprudentiâ citò infamata fuit, 121
Neque immeritò, ſi audiatur Huttenus, *ibidem.*
Inde factum ut neglecta fuerit aliquandiù, cum uſu maximè valebat adminiſtratio Guaiaci, Chinæ, Sarſæ-parillæ & Saſſafras, 122
Sed compertâ remediorum illorum inefficaciâ, ad uſum revocata fuit, 123
Quibus cautionibus nunc adhibeatur, 125
Quarum pleræque ab ipſo morbi ingreſſu cognitæ ſunt, 125
Hydrargyroſis. Quibuſnam in caſibus ab hydrargyroſi abſtinendum ſit? 346
Quo tempore adhibenda? *pagin.* 347
Qualis præparatio hydragyroſi præmittenda ſit? 348
Præparatio quæ vulgò adhibetur, 349
Præparatio altera operoſior in Pulmonariis, Cachecticis, Ictericis, Epilepticis, Scorbuticis, 350. & 351
Quibuſdam in caſibus præparatio in totum omittenda, 352. & 536
Irritus ſæpe eſt illius ſucceſſus ſi parcior fuerit, 378
Cauſæ cur hydrargyroſis parcior tam ſæpe irrita ſit, 379
Diluuntur argumenta quæ in contrarium objiciuntur, 379. & 380
Hydrargyroſis altera plenior, parcior altera, 354
Plenioris tria ſunt ſtadia, 354
Primum, in quo ptyaliſmus movetur, 354
Alterum, in quo motus regitur, 355
Tertium, in quo exhauritur, 358
Parcioris ſive intercalatæ leges, 359
Plenioris hydrargyroſeos infortunia, 363. & *ſeq.*
Hydrargyroſis à multis laudatur, 425. 439. 441. 447. 451. 453. 456. 457. 461. 463. 469. 472. 473. 476. 480. 483. 484. 486. 493. 500. 504. 507. 508. 509. 512. 517. 520. 522. 530. 533. & 548
A nonnullis improbatur, 432. 436. 452. 471. 483. 485. 486. 502. 511. 538. 539. & 542
An ſterilitatem inducat? 488
Hydrargyroſis intercalata per inunctiones diſcretas ab ingreſſu morbi adhibita fuit, 440. 441. 451. 453. 456. 469. 476. 496. 498. 499. 507. 508. & 561. *in addend.* xiij
Etiam interjectis catharticis ad ptyaliſmum declinandum vel compeſcendum, 440. 441. 451. 456. 473. 482. 496. 499. 522. & 561
Hydrocele venerea, 293. & 302
Hydrocephalus venereus, 296. & 317
Hyperoſtoſis venerea, 294. & 309
Oſſiculorum auditioni inſervientium, 315
Hydrops à cauſâ venereâ, 296. & 319
Hyperſarcoſis in urethrâ Vid. *Caruncula.*
Hypochondriaca affectio, 296. & 319
Ingraveſcens tempore hydrargyroſeos, 371
Hyporyon venereum, 295. & 314
Hyſſan, 464

I

ICterus à causâ venereâ, *pagin.* 296. & 319
Ignis sacer sancti Antonii jam pridem evanuit, 12
Inappetentia à lue venereâ, 296. & 318
Impotentia ad venerem, quæ hydrargyrosi non curatur, 401
Incendium. Vid. *Arsuram* vel *Burning.*
Indicæ mulieres libidinosissimæ, 63
Infortunia hydrargyroseos plenioris, 363
In primo stadio, 364
In secundo, 368
In tertio, 372
Hydrargyroseos parcioris, 375
Quæ communia habet cum præcedente methodo, 375
Quæ habet propria, 378
Injectiones mercuriales in urethram ad curationem gonorrhœæ virulentæ laudantur à Musitano & Mayernio, 174
Sed damnantur tùm ratione tùm experientiâ, 175
Astringentes in urethram, 541. 550. & 564
Insula Antillæ. Vid. *Antillas.*
Insula Hispaniola sive *Haiti.* Vid. *Hispaniolam.*
Insultus Arthritidis vel Rheumatismi hydrargyroseos tempore, 369
Intemperies aëris luem venereamnon intulit, 42. & 43.
Inunctiones mercuriales. Quibus legibus administrandæ? *pagin.* 148. & 354
A multis approbatæ, 425. 439. 440. 441. 447. 451. 453. 456. 457. 461. 463. 469. 472. 473. 476. 480. 483. 484. 486. 493. 500. 504. 507. 508. 509. 512. 517. 520. 522. 530. 533. & 548
A nonnullis improbatæ, 432. 436. 452. 471. 483. 485. 486. 502. 511. 538. 539. & 542
An sterilitatem inducant? 488
Intercalatæ à primo morbi ingressu adhibitæ, 440. 441. 451. 453. 456. 469. 476. 496. 498. 499. 507. 508. & 561 *in addend.* xiij
Etiam interjectis catharticis, 440. 441. 451. 456. 473. 482. 496. 499. 522. & 561
Vid. *Hydrargyrosin.*
Ischuria, quæ stranguriæ supervenit Descriptio, & Curatio, 209. & 210
Isla (Rodericus Diaz de) narrat luem veneream ab Hispaniolâ, ubi endemia antiquitùs erat, in Europam devectam fuisse, 49
Itali morbis venereis abundant & quare juxta Mercurialem? *in addend.* xij
Ivana vel *Iguana*, lacerti species Insulæ Hispaniolæ peculiaris, 62. & 540

J

JAponii luem venereamà Lusitanis contagione acceptam habent, quam ideò dicunt *morbum Lusitanorum*, 56
Joanna I. utriusque Siciliæ Regina & Comes Provinciæ, an sanxerit Statuta de Disciplinâ Lupanaris Avenionensis? 33. & *seq.*
Jobius an lue venereâ olim laboraverit? *Præf.* iij. & iv
Ejus præsidium à siphiliticis olim implorabatur, *Præf.* iv
Morbus quo percussus fuit, erat ipsissima lepra, *ibid.* v
Joubertus (Laurentius) Scripsit luem venereamjam mitiorem evasisse, & finem aliquando esse habituram, 72. & 495
Quâ in urbe fato functus fuerit? 495
Judæis non licebat ingredi in Lupanar Avenionense, 35
Insigni notâ Rotæ de *feutro* discreti erant, 38
Juniperus, lignum Juniperi olim loco Guaiaci ad curationem luis venereæ adhibitum fuit, 109. & 486
Falsa Rondeletii sententia de hujusce ligni virtute, 109
Major baccâ rufescente, sive oxycedrus, utilis ad curationem luis venereæ, 116
Juvenalis. An mentionem fecerit de lue venereâ? 889

K

Κακοχυμία à lue venereâ, 295. & 316
Κεφαλαία venerea, 295. 317. & 464
Kystici tumores, 295. & 313

L

Lacerta viridis. Vid. Mercurium *præcipitatum viridem.*
Læsiones functionum à causâ venereâ, *pagin.* 295. & 316
Animalium, 295. & 316
Vitalium, 296. & 318
Naturalium, 296. & 318
Universalium, 296. & 319
Earum quæ fœminis propriæ sunt, 296. & 320
Lampatam Vid. *Radicem Chinæ.*
Lanfrancus de Mediolano an de morbis venereis locutus sit? 20. & *seq.*
Lapis medicamentosus Crollii, 420
Butleri, 523
Leges in Syphiliticos sancitæ Lutetiæ à Senatu Parisiensi, 75
A Præposito Parisiensi, 81
Tolosæ, 82
Lemnius (Levinus) testatur ætate suâ luem venereamitiorem esse quàm antè, 72
Leonicenus Nicolaus retulit primam luis venereæ causam ad intemperiem aëris, 42
Lepra Arabum à lue venereâ penitùs diversa fuit, 10. & *seq.* 83. 516. & 535
Contrahebatur usu rei venereæ, 26
In arsuram sæpe degener erat, 27
Falsò creditur duplicis generis fuisse, alteram quæ cum lue venereâ eadem esset, alteram quæ differret ab eadem, 32
Cur Alexandriæ frequenter oriretur, 60
Sponte in interitum abiit in Europâ, 70
Lepra Judaïca à Mose descripta an eadem fuerit cum hodiernâ lue venereâ? *Præf.* iij & iv
Vid. *Elephantiasim.*
Leprosi in venerem proni, 27
Arsurâ contaminabant fœminas quibuscum rem habebant, *ibid.*
Leprosus cum scorto concumbens luem venereamnon produxit, 43. & 44
Neque vina leprosorum sanguine infecta, 44
Vid. *Elephantiacos.*
Lesbius morbus, an apud Lucianum luem venereamsignificet? *in addend.* xj
Lichenes post hydrargyrosim superstites quo modo curandi? 391
Lichnis Saponaria dicta laudabatur olim ad curationem luis venereæ, 116
Liebautius (Joannes) refert agyrtas & circulatores in Montepessulano rapi in asinum strigosum, *pagin.* 488
In quo Jacobum Sylvium expilavit suppresso Sylvii nomine, *in addend.* xij
Lignum Guaiaci Vid. *Guaiacum.*
Sassafras Vid. *Sassafras.*
Sanctum Vid. *Guaiacum.*
Fœniculatum Vid. *Sassafras.*
Limphæ vitia venerea, 295
Lister (Martinus) existimat luem venereamin Insulâ Haiti ortam esse esu lacertorum majorum, qui ibidem occurrunt, & *Iguanæ* sive *Ivanæ* appellantur, 540
Laudat ad gonorrhœam usum internum cantharidum, 541
Injectiones astringentes in urethram, 541
Gloriatur de arcano quodam remedio ad gonorrhœam, quod cum cochenillia convenire videtur, 541
Lobera (Aloysius) bubonem venereum descripsit circa annum 1540. expresso *Bubonis* nomine, 67
Luciani locus à Domno Calmet oppositus explicatur, *in addend.* xj
Lues venerea nec Græcis nec Romanis olim nota fuit, 1
Ut probatur silentio Medicorum, 2
Historicorum, 2
Et Poëtarum veterum, 3
A leprâ Arabum planè diversa, 10. & *seq.*
Falsum est ex venere vulgivagâ sponte obortam fuisse, 13. 537. 542. 547. & 549
Ab anno 1494. ad annum 1496. Europæ primùm innotuisse probatur multis & idoneis testibus, 15 & *seq.*
Nec obstant testimonia à Guillelmo Becket allata, 25. & *seq.*
Certè ante annum 1496. in Provinciâ ignota fuit, 38
Initio à Gallis dicta fuit *crassa Variola, la grosse Vérole*, 39
Sed usu tandem invaluit ut *Variolæ* simpliciter diceretur, Gallicè *la Vérole*, 40
Fabulæ de origine luis venereæ, 41 & *seq.*
Nec ab Astrorum influxu, nec à Planetarum coitione inducta fuit, 41
Nec à vitiosâ aëris intemperie, 42 & 43
Nec ab usu veneris leprosi cum scor-

to, *pagin.* 43. & 44
Nec à ſcorto vulgari, cujus in utero abſceſſus lateret, 44. & 45
Nec à puteis venenatis, aut gypſo cum farinâ mixto, *ibidem*
Nec à vinis leproſorum ſanguine infectis, *ibid.*
Nec ab humanâ carne in eſcam apparatâ, 45. & 46
Nec à congreſſu cum jumento ſcabido, 47
Olim endemia fuit in Inſulâ Hiſpaniolâ ſive Haiti & inde in Europam devecta, 48. & *ſeq.*
Ab Hiſpanis in Neapolitanos, ab utriſque in Gallos contagione dimanat, 53
Lues venerea contagione manavit ab Hiſpanis & Neapolitanis ad cæteros noti orbis populos, 54
Apud quos varia nomina ſortitur, 55. & 56
Præter celeberrimum luis venereæ focum in Hiſpaniolâ Inſulâ, extitere alii non pauci in pleriſque Zonæ Torridæ locis, 56. & 57
Conjecturæ de cauſis cur in Inſulâ Hiſpaniolâ olim endemia fuerit, 59 & *ſeq.*
Sicut & in cæteris locis in quibus antiquitùs latuit in Americâ, Africâ & Aſiâ, 64
Quaſnam periodos habuerit hactenus in Europâ? 65. & *ſeq.*
Quaſnam in poſterum habitura videatur? 70. & *ſeq.*
Videtur multis ad interitum tendere, 71. & *ſeq.* 495. & 498
Cauſæ cur ad interitum gradariè tendat, 73
Solvitur objectio quæ in contrarium afferri poteſt, 73. & 74
Non deſunt tamen, qui conjiciant luem veneream in perpetuum duraturam, 71
Lues venerea cùm primùm apparuit, credita fuit ſerpere in diſtans contagione, 74
Numquam generatur errore ullo in uſu rerum non-naturalium, ſed propagatur tantùm ex traduce, 85
Generatione vel contagione, 85. & 506. *in addend.* xj
Contagione, non in diſtans nec per fomitem, 86. & 520
Sed contactu immediato, ut uſu veneris, lactatione, baſiatione, cubitu ſimplici, & contrectatione partium ulceratarum, *pagin.* 88
Numquam contrahitur *perſaltum* & ſine prævià labe in parte, per quam contrahitur, 95
Luis venereæ confirmatæ deſcriptio, 292
Cauſæ, 297
Symptomata, 301
Morbi genitalium, 301
Vitia cutis, 303
Dolores venerei, 306
Morbi oſſium, 307
Tumores glanduloſi & limphatici, 312
Oculorum morbi, 313
Morbi aurium, 315
Læſiones functionum, 316
Lues venerea An morbus regius dicta fuerit? 488
An finem aliquando habitura ſit? 70 & *ſeq.* 462. 495. 498 & 529. *Præf.* iij. *in addend.* xiij
Initio ferocior erat, 72. 495. 498. 507. 529. & 537
A quibuſdam creditum fuit luem veneream curari, ſi infectus rem habeat cum virgine, 505. & 548
Lues venerea confirmata ſemper gravis eſt & difficilis, 337
Ita tamen ut illius gravitas variare poſſit multis de cauſis, 337. & 338
Unde fit ut quædam graviſſimæ ſint, 338. & 339
Nulla eſt quæ curari non poſſit, 341
Sed aliæ curantur difficilius, 341
Aliæ cum majore periculo, 343
Aliæ demùm diligentiſſimâ cautione opus habent, 345
Gemina eſt luis venereæ ſpecies; altera quæ humores tantùm, altera quæ partes ſolidas corrumpit, 384
Lues venerea in Europâ primùm apparuit circa annum 1494. 423. 433. 450. 498. 507. 534. & 537
Primùm in Italiâ palam obſervata eſt, 423. 435. 438. 450. 498. 534. & 537
Deinde in Hiſpaniâ Galliâque, 424
An indigenis Inſulæ Haiti primùm innotuerit anno 1503? 545
Quod falſum eſſe probatur, *ibid.*
Lues venerea juxta quoſdam ab omni ævo cognita fuit, 424. 468. 477. 492. 493. 511. 519. 520. 532. 542. 547. 550. 559. & 560
Atque adeò eadem fuit cum Leprâ ſive Elephantiaſi, 424. 432. & 468
Vel cum lichenibus & impetigine, 424. 430. 468. 493. & 537.

Vel

Vel cum igne Perſico, *pagin.* 428
Juxta plures verò morbus eſt novus Veteribus incognitus, 424. 427. 428. 431. 439. 440. 443. 452. 453. 457. 460. 467. 469. 471. 472 473. 478. 481. 483. 509. 510. 512. 513. 516. 524. & 534. & *in addend.* xij
Luis venereæ cauſa deducebatur ab aliis ab influxu ſyderum, 424. 428. 430. 431. 433. 443. 452. 486. 526. & 537
Ab aliis à pluviosâ aëris conſtitutione, 424. 427. 430. 431. 443. & 474
Ab aliis à carne humanâ in annonam militibus præbitâ, 424. 493. 519. & 526
Ab aliis ab Elephantiacorum ſanguine, quo vinum corruptum fuerat, 424. & 519
Ab aliis à Meretrice, quæ ſui copiam leproſo fecerat, 424. 446. 526. & 564
Ab aliis ab Africâ, unde in Americam devecta fuerit, 536. & 564
Ab aliis ab uſu veneris militum nautarumque Hiſpanorum cum mulieribus indigenis Inſulæ Haiti anno 1492. repertæ, 424. 446. 452. 454. 471. 473. 478. 481. 483. 491. 495. 498. 502. 504. 506. 507. 509. 510. 513. & 534
Lues venerea credebatur initio ſponte concipi, 425. 428. 430. 431. 434. 439. 442. 445. & 452
Deinde credita fuit contagione quidem propagari aliquando, at verò ſponte quoque aliquando generari, 425. 428. 434. 439. 442. 445. 452. 456. & 475
Jam dudùm ab omnibus creditur contagione tantùm traduci, 425. 438. 457. 472. 483. 506. & 550
Lui venereæ curandæ adhibita ſunt initio purgantia & alterantia multigena ſecundùm therapeiam methodicam, 425. 428. 429. 431. 432. 434. 439. 441. 442. 443. 452. 467. & 486
Deinde decocta lignorum & radicum, quæ vi hidroticâ pollent, 425. 443. 445. 446. 452. 453. 454. 455. 456. 463. 468. 471. 474. 475. 478. 481. 482. 486. 491. 503. 509. 511. 516. 530. & 564. *in addend.* xiij
A multis laudatæ illitiones mercuriales, 425. 439. 441. 447. 451. 453. 456. 457. 461. 463. 469. 472. 473. 476. 480. 481. 482. 483. 484. 487. 498. 500. 504. 507. 509. 512. 516. 520. 522. 530. 533. 536. & 548. *in add.* xiij
A nonnullis improbatæ, *pagin.* 432. 436. 452 471. 475. 478. 483. 485. 486. 491. 492. 511. 538. 539. 542. & 564
Suffumigia Mercurialia à pleriſque ſemper damnata, 425. 452. 456. 469. 472. 473. 475. 481. 486. 491. 498. 499 500. & 521
Præparata Mercurialia à paucis uſurpata nec plerumque ſatis feliciter, 425. 456. 457. 481. 486. 498. 507. & 516
Lues venerea poteſt in totum extirpari juxta Torellam, 435. & 436
Ab infecto aliquando non propagatur in ſanum etiam in concubitu, 440
Lues venerea graphicè deſcribitur à Joanne le Maire, 447
Et ab Eraſmo, 449
Lues venerea, ſi ſemel radices egerit in corpore, penitùs tolli non poteſt juxta quoſdam, 471
Lues venerea an prædicta fuerit à Paulo de Medelburgo? 443
An à Joanne de Regio Monte? 460
Lues venerea gravior eſt in regionibus frigidioribus, 451. 513. & 548
An ab immodico veneris uſu oriri poſſit? 520
An ab Orientali plagâ? Negatur ab Helmontio, 524
An à Sinarum regno? Negatur ab eodem, 524
An ab Indiis occiduis? 524
Negatur ab eodem ſed nullo jure, 525. & *ſeq.*
Luiſini (Aloyſii) Collectio nævos ſuos habet, quos dolendum eſt in Editione Lugduno-Batavâ deterſos non eſſe, 554. & 555
Lumbago, 294
Lupanaris Avenionenſis antiqua Statuta, 33
An genuina ſint? 35
Lupanaria in multis Urbibus olim publicè inſtituta fuiſſe, 36
Luſitani à Caſtellanis luem veneream acceptam habuere, quam ideò dicunt *morbum Caſtellanum*, 54
Luxus capitalis Nolanorum. An de lue venereâ apud Auſonium poſſit accipi? *in addend.* xj

M

Macollo (Joannes) quo epiphonemate librum ſuum concludat ? *pagin.* 515
Macula cutis venereæ, 293. & 303
Magnes anti-venereus Joannis Winell, 530
Mahumetani Vid *Turcas.*
Mammarum cancer à causâ venereâ, 296. & 320
Manardus (Joannes) credidit luem veneream ortam fuiſſe à Scorto Valentino, quocum leproſus rem habuit, 43. & 44
Mariſca ani Vid *Ficos* ani.
Martialis. An in ſyphiliticos jocatus ſit nomine ficoſorum ? 8. & 9
Martinus (Bartholomæus) Cardinalis Segobricenſis moritur ob adhibitam therapeiam mercurialem, 107
Martinuſius Epiſcopus Varadienſis & Prorex Hungariæ videtur medicum Montagnanæ conſilium petiiſſe, 467
Maſſa (Nicolaus) de bubone venereo pauca quædam dixit anno 1534. 67
Matthiolus (Petrus Andreas) temerè credidit luem veneream curari poſſe remediis planè inefficacibus, 457
Mauritani luem acceptam habent à Judæis ex Hiſpaniâ exulare juſſis, unde factum eſt ut ab illis *malum Hiſpanicum* dicatur, 55
Mayerne (Theodorus Turquetus de) laudat injectiones mercuriales in urethram ad gonorrhœæ curationem, 174
Item bolum mercurialem, aquam menthæ, & carnem bubulam exſiccatam & pulveratam, 528
Maynardus (Petrus) primus deſcripſit anno circiter 1520. verrucas & porros venereos genitalium, 66
Falsò olim tradidit luem veneream anno 1584. ceſſaturam eſſe, 71
Medicorum veterum loca explicata, unde creditur antiquitas luis venereæ poſſe colligi, 4. & *ſeq.*
Expenduntur loca aliquot Medicorum anno 1494. antiquiorum, 20. & *ſeq*
Medici complures teſtantur luem veneream endemiam olim fuiſſe in Inſulâ Hiſpaniolâ, 49. & *ſeq.*
Initio luis venereæ curationem detrectabant in Italiâ, Hiſpaniâ, Germaniâ & Galliâ, 104
Medici de morbis venereis conſulendi ſunt, 502
Medicamenta anti-chœradica, 416
Eorumdem adminiſtrandi ratio, 418
Medulla oſſium morbi, 309
Melicerides venereæ, *pagin.* 295. & 315
Menjotius (Antonius) meritò culpandus quòd in Diſſertationibus ſuis pathologicis therapeiam omiſerit, 535
Menſtrua mulierum in calidioribus regionibus acerrima ſunt, 62
Ideò lege vetitum erat Judæis ne cum menſtruatis ullum haberent contubernium, 63
Ideòque Arabes Medici, & primi & ſæpè diſſerunt de puſtulis & ulceribus virgæ, oriundis ex coitu cum fœdâ hoc eſt cum menſtruatâ muliere, *ibid.*
Inde videtur repetenda potiſſima cauſa cur lues venerea in Antillis endemia fuerit, *ibid.*
Menſtruorum ſuppreſſio à causâ venereâ, 296. & 320
Fluxus immodicus, *ibidem.*
Eruptio tempore hydrargyroſeos, 370
Mentha aqua Quercetani, 420. & 528
Mentulagra, 437
Mercerus (Joannes) modeſtè filet de naturâ morbi, quo Jobus percuſſus fuit, *Præf.* v
Mercurialis (Hieronymus) an tractatum ſcripſerit de Morbo Gallico ? 498. & 499 *in addend.* xij
Mercurius ante notam luem veneream à Græcis & Latinis damnatus, tanquam deleterius, 118
Ab Arabibus ad uſus medicos ſed exteriores vocatur, 118
Quorum exempla ſequuti ſunt Medici Europæi, 119
Inde factum eſt ut ad curationem luis venereæ accommodatum ſit ex analogiâ, 120
Sed initio doſi parciſſimâ & cautione maximâ, 121
Aliquandiu tamen exolevit poſt detecta Guaiacum, Chinam, Sarſam-parillam & Saſſafras, 122
In uſum revocatur vileſcentibus remediis illis hidroticis, 123
Adhibetur internè vel externè, 123
Uſus externus Mercurii triplex eſt, 1°. Sub formâ unguenti vel linimenti, 123
2°. Sub formâ cerati ſive emplaſtri, 124
3°. Sub formâ ſuffumigii, *ibidem.*
Uſus internus Mercurii olim tantùm duplex erat, 125

1°. Sub formâ præcipitati rubri, & 126
2°. Sub formâ nativâ Mercurii crudi, 127
Nunc verò multiplex eſt, 128
Mercurius ſublimatus dulcis, 128. & 543
Violaceus, *ibid.*
Præcipitatus albus, *ibid.*
Alkaliſatus,
Anti-phthiſicus,
Anti-ſcorbuticus,
Vivus dulcis,
Diureticus,
Catharticus, de quibus omnibus, 128
Præcipitatus ruber per ſe, 129. & 543
Solaris, 129. 504. & 543
Luteus, 129
Viridis ſive venereus, 129. 178. & 522
Vitæ, 515
Effectus Mercurii in humano corpore, 130
Poſtulata de Mercurii proprietatibus, 131
Ratio æſtimandæ quantitatis Mercurii, quæ introducitur per illitionem, 132
Mercurius ſublimatus corroſivus à quibuſdam internè adhibitus curandæ lui venereæ, 533. & 560
Mercurius. Ratio æſtimandæ quantitatis Mercurii, quæ introducitur, cùm ore exhibetur, 133
Mercurium intrò ſumptum parciùs & difficiliùs admitti quam illitum, 133
Lemmata de effectibus primariis Mercurii, 134
Corollaria de effectibus ſecundariis, 135
Sufficit ad curationem luis venereæ ſine ſalivatione, 138
Mercurii uſus ad curationem luis venereæ olim à multis damnatus, 139
Laudatus à pluribus, 140
Præfertur uſui lignorum ſudorificorum duce experientiâ & comite ratione, 141. 550. 558. & 564
Uter potior ſit, an interior exteriorve Mercurii uſus? 146. & 542
Quæ ſit optima Mercurii foris adhibendi ratio, ſuffumigiis, emplaſtris an linimentis? 147
Ratio adhibendi Mercurii illitu cæteris omnibus præſtat, 148
Doſis adhibendi Mercurii in hydrargyroſi parciore difficillimè definiri poteſt, 381
Mercurius corporalis curandæ lui venereæ numquam adhibendus juxta Paraceliſum, *pagin* 461
Sed Mercurius inſtar cibi devoratus, *ibid.*
Vulgaris, qui ſalivationem ciet, improbatur à Gerardo Goris, 550
E metallis extractus unicè laudatur ab eodem, quaſi luem curaret ſine ſalivatione, 550
Mercurius fixus & diaphoreticus Davidis de Planiſcampy, 519
Præcipitatus ruber Pauli de Sorbait, 537
Mercurius violaceus diaphoreticus, 415
Mercurii ſolutio per deliquium, 415
Mercurialia præparata ad quos morborum venereorum caſus valeant? 147
Pleraque deſcribuntur ab Untzero, 518
Multa recenſentur ab Hartmanno, 52
An præſtent Hydrargyroſi? 537. 564
Mercuriale unguentum quomodo præparetur, 353
Meretrices Vid. *Scorta.*
Methodus rationalis ad luis venereæ curationem, 105. & 106
Sed planè inefficax, 107
Mercurialis initiò damnabatur, 107
Mexicanum regnum, an luem veneream, variolaſne acceptas habeat ab Æthiope quodam, quod erat Pamphili de Narvaez mancipium, 525. & ſeq. 535. & 545
Modus ſaturandi præparatis mercurialibus ptiſanam ſudorificam, 414
Montagnana (Bartholomæus) exiſtimat ægritudines quaſdam eſſe, quæ non accidant niſi longis temporum intervallis, 467
Quotuplex fuerit Montagnana? *ibid.*
Montanus (Joannes Baptiſta) refert luem veneream Indiis novis familiarem fuiſſe, 50
Montis Marchiones temerè gloriantur ſe à Regio Borbonio ſanguine originem ducere, 487
Montuus (Hieronymus) an fuerit Archiatros Henrici II. Galliarum Regis? 480
Mora ani Vid. *Fices* ani.
Morbi venerei. Vid. *Luem veneream.*
Morbi ſcortatorum, 7. 30. 31. & 32.
Maximè ſi rem habeant cum menſtruatis, 63. & 64
Potiſſimùm in regionibus calidioribus, 63. & 64
Morbi meretricum, 37. & 38.
Morbi venerei genitalium, 293. & 301
Oris, narium & faucium, 293. & 305
Oſſium, 294. & 307

Oculorum, *pagin.* 295. & 313
Aurium, 296. & 315
Morbi alimigeni. Horum alii brevi ſponte intereunt, ut lepra; alii perennes fiunt, ut variolæ & morbilli, 70
Morbus Regius, quid hoc nomine intelligatur? 438
Novus militum, quid ſit apud Baſilium Valentinum, 521
Leſbius, *in addend.* xj
Campanus, 9
Motthe (les Gouttes du Général la) quales ſint? 551
Multiplicatur virus venereum ſemel admiſſum, 98
Quænam ſint multiplicationis illius conditiones? *pagin.* 99
Cauſæ & effectus? 99. & 100
Munditiæ ſtudium in utroque ſexu utile ad præcavendam luem veneream, 73
Murmur in auribus, 316
Muſa (Antonius) Vid. *Braſſavolum.*
Muſculi quâ de causâ vividiſſimi appareant, cùm ſuppuratione venereâ nudantur, 557
Muſitanus (Carolus) ſe primùm bullarum cryſtallinarum in genitalibus mentionem facere putat, 68
Laudat injectiones mercuriales in urethram ad curationem gonorrhœæ, 174

N

Narcotica ſalivationis tempore non exhibenda, 363
Narium morbi venerei, 293
Narvaez (Pamphili de) mancipium. An luem veneream detulerit in Indias Occiduas? 525. 535. & 545
Quod negatur argumentis graviſſimis, probaturque 1°. Hancce Hiſtoriam ad Hiſpaniam novam pertinere; nequaquam verò ad Inſulam Haiti, 525. 535. & 545
2°. Non luem veneream, ſed variolas ab illo mancipio in Hiſpaniam novam devectas fuiſſe, 525. 526. 535. & 545.
Naſi depreſſio à lue venereâ, 409
Neapolitani luem concipiunt ab Hiſpanis, quam cum Gallis communicant, 52. & *ſeq.*
Neapolitanum bellum Caroli VIII. Gallorum Regis cum Regibus Neapolitanis & Ferdinando Arragonenſium Rege decertantis, cujus tempore lues venerea Europæ primùm innotuit, 52
Neapolitanum unguentum; ex quibus olim componebatur, 123. & 124
Ex quibus & quâ methodo componatur hodie, 353
Nigritæ luem veneream endemiam patiuntur, 57
Fallitur tamen Sydenhamius, dum putat ab illis in Inſulas Antillas devectam fuiſſe, 59
Nodi venerei poſt hydrargyroſim ſuperſtites, 402
Quomodo curandi? 529
Nolanus Luxus. An apud Auſonium de lue venereâ debeat intelligi? *in addend.* xj
Nutrices, quibuſnam morbis venereis obnoxiæ ſint? 229. 243. & 255

O

Obſtetricatione lues venerea ſæpenumerò contracta fuit, 88
Obſtructiones jecinoris, lienis, pancreatis à causâ venereâ, 296. & 319
Oculorum morbi venerei, 295. & 313
Oleum vitrioli dulcificatum ſeu aqua Rabelii, 419
Oleum mercuriale carpis affrictum ſalivationem movet, 528
L'Onglade, 293. & 304
Ophtaſis venerea, 293. & 304
Ophtalmia venerea, 192. & 314
Opiata duæ Fernelii, major minorque, quas ille ad curationem luis venereæ laudabat quaſi efficaciſſimas, nullius virtutis erant, 116
Opiata Palmarii ex illis duabus compoſita haud efficacior erat, *ibid.*
Opiata ad dentes firmandos & gingivas detergendas, 422
Fernelii ad curationem luis venereæ, 478
Palmarii, 493
Venerea Abercrombyi, 538
Opodeldoch, quidnam eo nomine intelligatur? 522
Ora maritima Africæ & Aſiæ luem veneream experta eſt commercio cum Gallis vel Chriſtianis, quæ ideò vocatur ibi *morbus Gallicus* vel *morbus Francorum*, 55
Origenes refert morbum Jobi ad Elephantiaſim, *Præf.* v
Origo luis venereæ nec ab Aſtrorum influxu, aut Planetarum coitione repetenda eſt, 41. & 42
Nec ab aëris intemperie, 42. & 43

Nec ab uſu rei venereæ ſcorti cum leproſo, 43. & 44
Nec à ſcorto, in cujus utero abſceſſus lateret, 44
Nec à puteis Hiſpanorum perfidiâ venenatis, gypſove cum farinâ mixto, 44. & 45
Nec à vinis veneno infectis, 44
Nec ab humanâ carne in eſcam apparatâ, 45. & 46
Nec à nefando concubitu cum jumento ſcabido, 47
Sed à contubernio Hiſpanorum cum mulieribus Inſulæ Hiſpaniolæ, ubi morbus ille antiquitùs endemius, erat, 47. & ſeq.
Oris morbi venerei, 293. & 305
Oris fœtor venereus, 294. & 306
Strictura ſive capiſtratio poſt hydrargyroſim, 374
Oſſium morbi venerei, 291. & 307
Oſſium caries venerea, quotuplex eſt? 394
Plerumque poſt hydrargyroſim ſupereſt, 394
Illius remedia, 394. & 395
Oſſium Palatinorum jactura, 409
Quomodo reparanda? 410
Oſteoſarcoſis venerea, 295. & 311
Ovariorum hydatides, hydrops, abſceſſus à causâ venereâ, 321
Tophi, skirrhi, tumores, 321
Ovum ſive clavus, 295. & 316
Oxycedrus, ſive juniperus major baccâ rufeſcente olim curandæ lui venereæ adhibitus, 116

P

Pabamvve Vid. *Saſſafras.*
Pacius (Fabius) videtur potiùs Cathedrarius Profeſſor fuiſſe quàm Medicus practicus, 512
Palladius. Locus Palladii exponitur, qui creditur pro antiquitate luis venereæ facere, 6. & 7
Palmarius (Julius) ex duabus Fernelii opiatis anti-venereis unicam componit, quæ Fernelianis nihilo efficacior erat, 116
Palpebrarum inflammatio, lippitudo, trachoma, ſycoſis, 295. & 313
Palpitatio cordis, 296. & 318
Panacea Mercurialis, 128
Solaris & Lunaris, 129
De la Vigne, Medici Pariſienſis, 411
De la Brune, 413
Panniculus carnoſus. An ſit ſedes ſeminii venerei? 492
Adipoſus. An ſit ſedes ſeminii venerei? 556
Panus venereus Vid. *Bubonem.*
Paralyſis venerea, 296. & 317
Paraphimoſeos Deſcriptio, 254
Cauſæ, 255
Symptomata, 256
Diagnoſis, 258
Prognoſis, 259
Curatio, 259
Pareus (Ambroſius) an venenum inſtillaverit in aurem Franciſci II? 494
Paracelſus (Theophraſtus) de bubone venereo mentionem fecit anno 1536. 67. & 462
Videtur quoque de gonorrhœâ venereâ mentionem feciſſe anno eodem, 68. & 462
Paracelſi (Theophraſti) genus, ſtudia, remedia, vitia, mores, 458. & 459
Nomina, 460
Quid de lue venereâ ſenſerit, 460. & ſeqq.
Fatetur tractatum ſuum de morbis venereis ſibi vitio datum, 462
Pedilavium in ſolutione Mercuriali ſalivationem movet, 528
La Pelarelle ſive *la Pelade*, 293. & 303
Pena (Petrus) dicitur Henricum III. lue venereâ laborantem curaſſe decocto radicis Bardanæ, 117
Penis diſtortio, 400
Perinæi Abſceſſus venerei Cauſæ, 196
Symptomata, 197
Diagnoſis & Prognoſis, 198
Curatio, 199
Periodi, quas lues venerea in Europâ in hunc diem habuit, 65. & ſeq.
Prima ab anno 1494. ad annum 1516. quæ à Fracaſtorio deſcribitur, 65
Altera ab anno 1516. ad annum 1526. in quâ duo nova acceſſere ſymptomata, exoſtoſis cum carie oſſium, & porri atque verrucæ circa genitalia, 66
Tertia ab anno 1526. ad annum 1540. in quâ primùm apparuere bubo inguinum & alopecia, 67
Quarta ab anno 1540. ad annum 1550. quo temporis intervallo apparuit gonorrhœa venerea, 68
Quinta ab anno 1550. ad annum 1562. novo ſymptomate aucta, nempe tinnitu aurium, 68
Forſan & ſexta circa annum 1676.

quo veſiculæ cryſtallinæ dicuntur à Muſitano primùm apparuiſſe in genitalibus, *pagin.* 68
Futuræ luis venereæ periodi, quas videtur in poſterum habitura, 70. *& ſeq.*
Secundùm Paracelſum, 462
Perſæ luem venereàm à Turcis contagione accepere, quam ideò vocant *Morbum Turcicum*, 56
Peſtis juxta nonnullos producitur à vermiculis inconſpicuis, mordacibus & admodùm proliferis, 92. *&* 551
Petronius (Alexander Trajanus) fatetur luem venereàm *minui* & in dies *mitiorem reddi*, 72
Phimoſeos Deſcriptio in viris & in fœminis, 254
Cauſæ, 255
Symptomata, 256
Diagnoſis, 258
Prognoſis, 259
Curatio, 259
Phimoſis & paraphimoſis habitualis, 388
Quomodo curatur? *ibid.*
Phriſius (Laurentius) quid de origine luis venereæ opinatus ſit? 42
Damnat uſum inunctionum, 452. *&* 453
Phthiſis venerea, 296. *&* 318
Plerumque inſanabilis ſi hydrargyroſi non diſcutiatur, 407
Quomodo tamen idoneis remediis impugnanda, 409
Phymatum calloſorum in pudendis deſcriptio in viris, 264
in fœminis, 265
Cauſæ, 265
Symptomata, 267
Diagnoſis, 268
Prognoſis, 269
Curatio, 269
Phymata indolentia quomodo reſolvenda, 269
Quomodo extirpanda, ſi in carcinoma degeneraverint, 270
Pilula anti-venereæ Gervaſii Ucay, 543
Pilulæ alexiteriæ, ſeu potiùs purgantes de Rotrou, 417
Pineda (Joannes de) è Soc. Jeſu, opinatur morbum Jobi cum hodiernâ lue venereâ conſenſiſſe? *Præf.* iv
Pircal ſeu ***Perical***, ulceroſus tibiarum tumor apud Malabaros endemius, 60
Planetarum coitio luis venereæ cauſa non fuit, 41
Plica morbus capillorum Polonis proprius, 6
Pneumatocele, *pagin.* 293. *&* 302
Poëtarum veterum loca, quæ pro antiquitate luis venereæ facere creduntur, explicata, 8. *& ſeq.*
Polychronius cenſet morbum Jobi fuiſſe ſpeciem Elephantiaſeos, *Præf.* v
Porri genitalium in ſecundâ tantùm periodo luis venereæ primùm apparuere, 66
Porri genitalium Vid. *Condylomata.*
Poſt hydrargyroſim aliquando ſuperſunt, 387
Quomodo tunc extirpantur, 387
Poulain Vid. *Bubonem.*
Præcipitatus ruber deſcribitur à Joanne de Vigo, 126
A quo inter phagedænica numeratur, 126
Deſcribitur quoque à Nicolao Maſſa, *ibidem.*
A Mathiolo primo omnium in internum uſum adducitur ad curationem luis venereæ, 127
Præcipitatus albus, 128. *&* 551
Præcipitatus ruber Solaris & Lunaris, 411
Solaris Gervaſii Ucay, 412
Præparata mercurialia ad quos caſus valeant? 147
Olim frequenter adhibebantur Monſpelii, 508
Præparatio ad hydrargyroſim, 346
Vulgatior, 348
Operoſior in quibuſdam caſibus, 350 *&* 351
Omittenda in totum aliquando, 352
An ſemper omittenda ſit? 353. *&* 536
Præputii (Tumoris) deſcriptio, 254
Cauſæ, 255
Symptomata, 256
Diagnoſis, 258
Prognoſis, 259
Curatio, 259
Problemata aliquot circa bubones venereos ſolvuntur, 229
Problemata aliquot de propagatione contagii venerei, 97
Cur alii difficiliùs, faciliùs alii morbum contrahant? 97
Cur quidam, quibus diù innocuus eſt veneris uſus cum maximè contaminatis, morbum celeriter aliquando concipiant, ſi cum aliis leviùs infectis miſceantur? 97
Cur nonnulli, qui cum infectis rem diù habuere ſine noxâ, deinde abſque ullâ morbi acceſſione, ab eiſdem contaminentur? 97
Cur alii à morbis levioribus venereis

in luem veneream facillimè incidant; alii contrà non incidant ne à graviſſimis quidem? *pagin.* 100
Cur in aliis lues mitior tardiorque, in aliis celerior malignioreque ſit? 100
Cur vir qui ſanus eſſe videtur ſed in quo ſeminium latet, mulierem quâcum rem habet, lue aliquando inficiat, aliquando non inficiat? 103
Cur ex multis liberis qui ab infectis parentibus ſuſcipiuntur, unus aut alter Rachitide vel ſtrumis laboret, non verò alii? 103. & 104
Prognoſis ulcuſculorum venereorum, 248
Tumoris præputii & balani, 259
Phimoſeos, 259
Paraphimoſeos, 259
Bullarum cryſtallinarum, 259
Phymatum & tuberculorum calloſorum & chordarum ſkirroidum, 269
Gangrænæ genitalium, 274
Porrorum, verrucarum & condylomatum, 282
Criſtarum, mororum, ficorum, mariſcarum & rhagadum ani, 288
Luis venereæ confirmatæ, 337
Quæ gravior, quæ graviſſima ſit, 337
Quæ curatu facilior aut difficilior, 341
Prognoſis gonorrhœæ virulentæ, 165
Pro diverſâ ſede, 165
Pro naturâ inflammationis, 166
Pro naturâ ſymptomatum, 166
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 187
Spuriæ, 191
Tumoris venerei teſtium, 194
Abſceſsûs venerei in perinæo, 198
Gonorrhœæ habitualis, 203
Stranguriæ venereæ, 210
Bubonis venerei, 224
Bubonis venerei fiſtuloſi, 232
Skirrhodis, 235
Carcinomatodis, 239
Propagatio ex traduce lui venereæ propria non eſt, ſed cum aliis morbis communis, 89
Prophylaxis luis venereæ obtineri poteſt juxta Theodericum de Hery uſu aquæ diſtillatæ ex Guaiaco, *pagin* 476
Aut pene poſt coitum ſuſpectum immiſſo in diſciſſam & adhuc calentem columbam, 480
Nulla unquam ſatis certa eſt, 517
Prophylaxis gonorrhœæ à multis diligentiſſimè quæſita, 181
A nemine reperta nec reperiunda, 182
Proinde caſtè vivat, qui ſe ſanum eſſe cupit, 183
Videtur tamen poſſe divulgari, ſi qua unquam reperiretur, 184
Pterygium ſive Unguis à lue venereâ, 313
Ptiſana ſudorifica ſive hidrotica, 115. & 128
Præparatis mercurialibus ſaturata, 128
Ptyaliſmus quâ methodo excitandus? 354
Quomodo regendus? 355. 360. & 361
Deficit aliquando in hydrargyroſi, ſed ſine damno, 476
Noxius eſt ſemper juxta Gerardum Goris, 550
Juxta quoſdam ad curationem luis venereæ ſemper requiritur, 564
Pullities animalculorum minutiſſimorum luem veneream non producit, 92
Pulmonarii, quomodo ad hydrargyroſim præparandi, 350
Pulſus qualis ſit in lue venereâ, 464
Pulvis liquans de Rotrou, 416. & 540
Ruber Joannis de Vigo, 439. 456. 493. 494. & 521
Angelicus Nicolai Maſſæ, 456
Joannis Macollonis, 515
De Algarot, 551
Pulvis rubeus Joannis de Vigo Vid. *Præcipitatum rubrum.*
Pulvis Angelicus Nicolai Maſſæ Vid. *Præcipitatum rubrum.*
Pulvis aſtringens de Verny, 421
Puſtulæ venereæ, 293. & 304
A Cumano primo omnium obſervatæ, 426
Putei ab Hiſpanis venenati luem veneream Gallis non intulere, 44. & 45.

Q

Quæſtiones de diverſâ ratione, quâ lues venerea concipitur vel non concipitur, concepta ingraveſcit vel non ingraveſcit &c. explicantur, 97. 100. 101. & 103
Quercetani aqua menthæ, 419

R

Rabel Empiricus, *pagin.* 419
Radix China Vid. *China radicem.*
Radix Salſa-parilla Vid. *Salſam-parillam.*
Remedia rariora, quæ ad luem venereamfaciunt, vel facere creduntur, 410
Rhabarbarum diù ſuſpectum fuit, neque ulli exhibebatur niſi jam deplorato, 476
Rhagadum ani deſcriptio, 284
Cauſæ, 285
Symptomata, 286
Diagnoſis, 287
Prognoſis, 288
Curatio, 288
Rhagades venereæ, 293. & 303
Si ſuperſint poſt hydrargyroſim quomodo curandæ; *pagin.* 392
Rheu Lithuanicum, 472
Riverii (Lazari) arcana, à quo primùm edita fuerint, 534
Rondeletius (Guillelmus) utebatur ſyrupo Sancti Ambroſii ad curandam luem veneream, 116. & 482
Ubinam mortem obierit? 482
Roſtinius (Petrus) Braſſavoli tractatum de morbo gallico Italicum fecit, 519
Rotrou, Empiricus cujus remedia aliquot anti-chœradica laudantur, 416
Rudius (Euſtachius) quo conſilio luem venereamextirpandam eſſe cenſeat, 73

S

Sal catharticum martiale, 551
Salicetus (Guillelmus) an de lue venereâ intelligendus ſit? 20. & *ſeq.*
Salivatio, quomodo à Mercurio moveatur? 136
Quare aliquando non moveatur? 138
Utrùm tutius ſit ſalivationem ſemper, an numquam movere? 149. & 562.
Salivatio ad luis curationem ſemper movenda, 382
Irrita ſunt argumenta, quibus in contrarium aliqui pugnant, 380. & 381
Salivationis defectus in hydrargyroſi, 367 & 476.
Requiritur à Gerardo Goris ad morbi curationem, 550
Salivatio cietur aliquando uſu decocti Guaiaci, 476
Quot modis cieri poſſit uſu mercurialium, 528
Numquam movenda ad curationem luis venereæ, niſi morbus inveteratus fuerit, 550
Vid. *Ptyaliſmum.*
Salſa-parilla Vid. *Sarçam* vel *Sarſam-parillam.*
Saponaria decoctum laudabatur olim ad curationem luis venereæ, 116
Saporta (Joannes) ignarus Geographiæ & Chronologiæ, 507
Saracenicum unguentum, 119
Sarça-parilla in Europam delata eodem circiter tempore quo radix Chinæ, 113. 464. & 466
Guaiaco cedit, ſed Chinâ virtute ſuperior eſt, *ibid.* 509
Deſcribitur, ac ſimul explicatur nominis etymologia, 114
Decoquendi & adminiſtrandi modus, *ibid.*
Ad quos morbos egregiè faciat? 514
Sarcocele, 293. & 302
Saſſafras, Devectum in Europam circa annum 1550. 114
Decoquitur & adminiſtratur eodem modo ac Guaiacum, *ibid.*
Ad quos morbos maximè faciat? 514
Saturnina remedia. An curandæ gonorrhœæ conducant? 179
Saxonia (Hercules) an à Maximiliano II. accerſitus fuerit in Germaniam? 503
Scabies venerea, 293. & 303
Scala affinitatum, ſecundùm quam humores à ſeminio venereo ſolent ut plurimùm inſici, 298. & 299
Quotuplici causâ pervertatur? 300
Scorbutus. Endemius apud accolas maris Balthici, 60
Scorbutus cum lue venereâ conjunctus hydrargyroſi non debellatur, 396
Quibus remediis ſanandus vel mitigandus? *ibidem.*
Scorbutici, quomodo ad hydrargyroſim præparandi? 351
Scorta diobolaria variis affectibus morboſis obnoxia erant, etiam antequam lues venerea orbi noſtro innoteſceret, 37. & 38
Scorti Valentini cum leproſo concubitus prima non fuit cauſa luis venereæ, 43. & 44
Neque effrænata libido militum Gallorum cum Neapolitano ſcorto rem habentium,

habentium, cujus in utero abſceſſus latebat, *pagin.* 44. & 45
Scrofulæ ſive ſtrumæ, quæ cum lue venereâ conjunctæ ſunt, hydrargyroſi non diſſipantur, 397
Sed ſuis propriiſque remediis, *ibid.*
Unguentum ad ſtrumas, 421
Sedes gonorrhœæ in viris, 152. & 549
In fœminis, 153
Gonorrhœæ ſpuriæ, 190
Ulcuſculorum venereorum, 244
Seminii venerei, 492
Seminium venereum Vid. *Virus venereum.*
Serpentum uſus utilis ad curationem luis venereæ, 472
Sibilus aurium à lue venereâ, 316
Signa luis venereæ alia ſunt *demonſtrativa*, alia *commemorativa*, 322
Demonſtrativa rurſus dividuntur in *univoca* & *æquivoca*, 322
Univoca ſunt numero decem, 323. *& ſeq.*
Æquivoca duplicis generis, altera *primæ notæ*, altera *notæ ſecundæ*, 329
Commemorativa numero novem, 330
Singultus à causâ venereâ, 296. & 319
Solea ex Mercurio crudo paſtâ aliquâ excepto plantis pedum admotæ ſalivationem movent, 528
Solutio Mercurii vivi per deliquium, 128
Cinnabaris vel præcipitati rubri in menſtruo acido, 129
Mercurii in ſpiritu nitri cum ptiſanâ ſudorificâ permixta ab agyrtis propinanda exhibetur, 130
Solutio Mercurii per deliquium, 415
Solutio ſublimati corroſi internè ſyphiliticis exhibita, 533. & 560
Sparta-parilla Vid. *Sarſam-parillam.*
Spaſmus venereus, 295. & 317
Spermatocele, 293. & 302
Sphacelus genitalium Vid. *Gangrænam.*
Staphylomata venerea, 295. & 314
Statuta antiqua Lupanaris Avenionenſis, 33. *& ſeq.*
Dubitatur de eorumdem auctoritate, 35
Quartus Statutorum illorum articulus non debet intelligi de morbis venereis, ſed de variis affectibus qui contrahebantur corpus promiſcuè vulgando, 37. & 38
Steatomata venerea, 295. & 313
Sterilitas à lue venereâ, 296. & 321
Stillicidium venereum è balano, 190. & *ſeq.*
Stillicidium ſeminis præternaturale, *pagin.* 201. *& ſeq.*
Stranguria contumacis, quæ frequentioris gonorrhœæ pediſequa eſt, Deſcriptio, 205
Cauſæ, 206. & 207
Symptomata, 207
Diagnoſis, 209
Prognoſis, 210
Curatio præſentis iſchuriæ, 210
Habitualis ſtranguriæ, 213
1°. Uſu cathæreticorum, 213
2°. Sectione urethræ, 214
3°. Introductione Turundarum lintearum, 214
4°. Operâ virgularum plumbearum, quæ omnium optima methodus, 215
Strictura oris poſt hydrargyroſim, 374
Stuffæ adhibebantur initio ad curandam luem venereamdifficiliorem, 106
Stuffarum utilitas ad curationem luis venereæ, 434. 453. & 472
Sublimati corroſivi ſolutio ore exhibita ab agyrtis, 129. & 130
Sudor an moveri poſſit ſympathicè? 543
Sudatoria febris Anglorum jam dudùm evanuit, 12
Suetonii locus explicatur quo antiquitas luis venereæ probari creditur, 5. & 6.
Locus alter à Domno Calmet productus explicatur, *in addend.* xj
Sulfur auratum antimoniale, 416
Sulfuris oleum ſeu potiùs ſpiritus laudatur à Matthiolo ad curationem morbi venerei, 457
Surditas à lue venerea, 295. & 316
Sydenhamius (Thomas) falsò credidit luem venereamin Antillas ex Guineâ deductam fuiſſe, 59. & 536
Cenſet luem venereamlanguere in *dies & mitioribus phænomenis fatiſcere*, 72
Fatetur ſyphiliticos ab Angliâ in Galliam migrare, ut curentur, 536
Damnat therapeiam præparatoriam ad hydrargyroſim, 536
Symptomata gonorrhœæ virulentæ, 158. & *ſeqq.*
Gonorrhœæ virulentæ ſiccæ, 186
Tumoris teſtium venerei, 193
Abſceſſûs venerei in perinæo, 197
Gonorrhœæ habitualis, 202
Stranguriæ venereæ, 207
Bubonis venerei, 220
Bubonis venerei fiſtuloſi, 231
Skirrhodis, 235
Carcinomatodis, 238
Symptomata ulcuſculorum cancroſorum, 246

Tumoris balani & præputii, *pagin.* 256
Phimoſeos & Paraphimoſeos, 256
Bullarum cryſtallinarum, 256
Phymatum & tuberculorum calloſorum, atque chordarum ſkirrhoidum, 267
Symptomata gangrænæ genitalium, 272
Porrorum, verrucarum & condylomatum, 281
Criſtarum, mororum, ficorum, mariſcarum & rhagadum ani, 286
Luis venereæ confirmatæ, 301
Symptomatum luis venereæ quædam jam prorſus evanuere, 69
Acceſſere quædam alia, 70
Nunc in ſummâ quatuor ſunt potiſſima, gonorrhœa, bubo, ulcuſcula cancroſa & porri, 70
Syncope venerea, *pagin.* 296. & 318
Syphilis Vid. *Luem veneream.*
Syphiliticis initio interdictum fuit ab omni cum cæteris conſuetudine, 76. & *ſeq.*
Jubebantur alienigenæ in patriam ocyùs regredi, *ibid.*
Indigenæ domi ſe continere, vel ad deſtinatas domos concedere ubi ſegreges degerent donec convaluiſſent, 77
Haud tamen viſum fuit eoſdem ad noſocomia elephantiacorum, quæ præſto erant deduci, ne leproſos novâ & alienâ lue inficerent, 83
Syrupus Sancti Ambroſii utilis ad curandam luem veneream, 116. 482. & 493
Syrupus Sancti Ambroſii laudatur ad luem veneream, 116

T

Tabaci ſpiritus laudatur ab Hartmanno ad veſiculam cryſtallinam, 522
Qualis effectus inde ſuccedat? 522
Tacitus. Locus Taciti, quem de lue venereâ intelligendum eſſe putant, explicatur, 6. & 7.
Taranta (Valeſcus de) an quidquam ſcripſerit in Philonio ſuo de venereis virgæ ulceribus & puſtulis? 21. & *ſeq.*
Tertre (Joannes Baptiſta du) teſtatur ſe noviſſe certiſſimâ ſcientiâ Hiſpanos Columbum ſequutos primo itinere luem veneream contraxiſſe in Inſulis Antillis, atque inde in Europam traduxiſſe, 51
Teſtium tumoris venerei deſcriptio, 192
Cauſæ, 192
Symptomata, 193
Diagnoſis & Prognoſis, 194
Curatio, 194
Teſtium tumores, qui hydrargyroſi non reſolvuntur, vix curationem admittunt, & quare? 398
Quibus remediis curandi, ſi curari poſſint? 399
Teucrorum Rex. Videtur hoc nomine intelligi Chairaddinus Barbaroſſa, 469
Theoremata, quibus medicina amplificata eſt obſervationibus in ſyphiliticis inſtitutis, *Præf.* viij. & ix
Therapeia nulla à Medicis *initiò* adhibebatur lui venereæ, 104. & 105
Deinde adhibita fuit therapeia methodica ſive rationalis, 105. & 106
Sed quæ propter inefficaciam brevi exolevit, 107
Tertiò Therapeia mercurialis, ſed quæ initio à pleriſque damnabatur, 107
Therapeia Bubonis venerei carcinomatodis curatoria, 239
Mitigatoria, 240
Therma ſatis temerè laudantur à Victorio ad curationem luis venereæ, 475
Improbantur à Varandæo, 514
Thuillier (Carolus) ingenio & eruditione ſatis valuit, ſed in eo culpandus, quòd de utilitate hydrargyroſeos detrahat, & arcanum proponat cujus præparationem de induſtriâ celat, 539
Tinctura aurifica, 416
Ambræ griſeæ cum aquâ Rabelii, 419
Tinnitus aurium venereus à Fallopio primùm obſervatus circa annum 1562. 68. & 69
Tinnitus aurium à lue venereâ, 316. & 529
Tomitanus (Bernardinus) credidit ætate ſuâ luem veneream ad extremum ſenium perveniſſe, 72
Refert à ſe viſos fuiſſe duos treſve ægrotantes lue venereâ infectos ſine prævio morbo ullo venereo locali, 95
Sed illius obſervationes videntur meritò ſuſpectæ, *ibid.*
Torella (Gaſparis) ſententia de origine luis venereæ, 41
Conſilium ad luem veneream extirpandam, 73
Tremor artuum à lue venereâ, 296. 317. & 408
Cordis, 296. & 318.
Tubercula calloſa in pudendis Vid. *Phymata calloſa.*

Post hydrargyrosim aliquando supersunt, pagin. 402
Tumor testium Vid. *Testium tumorem.*
Tumor balani & præputii Vid. *Balani & præputii tumorem.*
Quibus de causis modò balanus citiùs tumeat quàm præputium, modò è contrà præputium citiùs quàm balanus, pagin. 256
Tumores kystici venerei, 295. & 313
Tumores glanduloси, 295. & 312
Turca quo nomine appellent luem veneream, 56
A quibus acceptam habeant, 55
Turpethum minerale, 129
Tussis venerea, 296. & 318

U

Ucai (Gervasius) Ejusdem præcipitatus Solaris, 412
Pulvis ejusdem anti-venereus, 539
Quo anno liber ejus primùm editus fuerit, *in addend.* xiij
Ulcuscula cancrosorum in pudendis descriptio & differentiæ, 242
Causæ, 243
Sedes, 244
Symptomata, 246
Diagnosis & Prognosis, 248
Curatio, 249. & 529
Ulcera venerea faucium, 305
Palati, 305
Gingivarum, 305
Narium, 305
Meatûs auditorii, 315
Ulcera venerea in aure internâ, 315
Ulcera, quæ in ore accidunt salivationis tempore, diligenter observanda & distinguenda, 356
Fovenda, si molesta sint; detergenda & exsiccanda, si inutilia fuerint, 357
Curanda finito ptyalismo, 358
Phagedænica qualia scorbuticis accidunt tempore ptyalismi, 371. & 377
Dysepulota post finitum ptyalismum, 372
Ulcera in diversis partibus plerumque post hydrargyrosim sunt contumacia, & quare? 392
Quâ ratione iis tunc medendum sit? 393
Ulcera venerea genitalium quâ ratione curanda sint juxta Torellam? 436
Juxta Frisium, 453
Numquam negligenda, 472
Ulcus uteri venereum, si hydrargyrosi legitimæ non cedat, plerumque insanabile est, 405
Sed cujus tamen curatio modis omnibus tentanda, 406
Ulcus Jobi an de lue venereâ debeat intelligi? *Præf.* iij. & iv
Minimè verò, sed de Leprâ, *ibid.* v
Unguenta detergentia & exsiccantia lui venereæ initiò adhibebantur sine Mercurio, 106
Unguentum Saracenicum, 119
Ad strumas, 421
Unguentum mercuriale sive Neapolitanum, ex quibus olim componebatur? 123. & 124
Ex quibus & quâ methodo hodie componatur? 353
Unguis sive Pterygium à lue venereâ, 295. & 313
Unguium vitia & casus à lue venereâ, 293 & 304
Unguitiva, sic lues venerea appellatur à Rangono, 463
Uteri inflammatio à causâ venereâ, 296. & 320
Ulcus, 296. 321. 405. & 406
Skirrhus, 296. & 321

V

Vairola magna. Sic apud Gallos lues venerea dicta fuit, 495
An soboles fuerit variolæ parvæ? 495
Vanhelmont (Joannes Baptista) Vid. *Helmontium.*
Varandæus (Joannes) testatur ferocitatem luis venereæ sensim exolescere & minui, 72
Variola crassa Vid. *Luem veneream.*
Variolæ, Gallicè nunc *la petite Vérole*, antiquitùs dicebantur *Variola* simpliciter, Gallicè *la Vérole* ante notam luem veneream, 39. & 526
Neque usus invaluit ut posthinc dicerentur *parva Variola*, Gallicè *la petite Vérole*, nisi ut à lue venereâ distinguerentur, 40
Variolæ in Europâ alienigenæ sunt, sed tamen videntur perennes futuræ, 70
Variola ab Æthiope quodam in Hispaniam novam sive Mexicanum Regnum devectæ

anno 1519. *pagin. 525. & ſeq.*
Varicocele, 302
Vatablus (Franciſcus) quid de morbo Jobi ſenſerit? *Præf.* iv
Velſchius (Georgius Hieronymus) narrat luem veneream in Henrico III. deletam fuiſſe à Petro Penâ decocto radicis Bardanæ, 117
Venena pleraque multiplicantur, poſtquam ſemel admiſſa ſunt, 98
Aliquando tamen latent in corpore ſine noxâ per aliquod tempus, 101
Venus vulgivaga luem veneream non produxit in Europâ, 13
Venus pandemia multarum affectionum cauſa fuit in meretricibus, etiam ante notos morbos venereos, 37. & 38
Videtur potiſſima cauſa fuiſſe luis venereæ in Inſulis Antillis, 62. & 63
Sicut & in cæteris Americæ, Africæ & Aſiæ locis, ubi antiquitùs latuit, 64
Cur parem effectum in Europâ non produxerit, 64
Veneris uſus frequentiſſimus eſt modus, quo lues venerea contagione ſerpit, 87
Vercellonus (Jacobus) ſupinam in Hiſtoriâ Medicâ ignorantiam confitetur, 549
Vermiculi. An lues venerea à vermiculis? 92. 538. 552. 561. *& in addend.* xiij
An peſtis à vermiculis? 552
Vid. *Animalcula.*
Verny Empiricus. Pulvis aſtringens de Verny, 421
Verrucæ genitalium lui venereæ acceſſere in ſecundâ periodo, 65
Verrucarum Deſcriptio, Cauſæ, Symptomata, Diagnoſis, Prognoſis & Curatio, 279. *& ſeq.*
Veſalius (Andreas) Hiſpanum nondum mortuum imprudens diſſecat, 466
Veſiculæ cryſtallinæ Vid. *Bullas cryſtallinas.*
Vertigo venerea, 295. & 317
Vigo (Joannes de Vigo) primus deſcripſit exoſtoſes venereas poſt annum 1519. 66
Vigne (de la) Medicus Pariſienſis. Ejuſdem Panacea, 411
Vina veneno intincta falsò creduntur luem veneream produxiſſe, 44. & 45
Vinache artifex liquandi æris, venditat aliquandiù Lutetiæ tanquam arcanum panchreſtum, ptiſanam ſudorificam, 115
Vipera à multis initio laudabantur ad everrendas morbi venerei reliquias, ut juſcula aut caro viperarum, 106
Virium languor à cauſâ venereâ, 296. & 319
Virus venereum quale ſit? 89
Phlogiſticum eſt ſive inflammatorium, 89. & 506
Corroſivum, 90. & 506
Coagulans, 90. & 506
Fixum, 90. & 506
Inde deducuntur conjecturæ quædam de naturâ illius, 90
Admittitur intra corpus formâ madoris vel halitûs, 94
Partes, per quas admittitur, primas afficit, 94
Accipitur à ſanguine vel limphâ per partem circulantibus, 96
Æſtimatur admiſſi veneni quantitas ex parte infecti, ex parte inficientis, vel ex parte utriuſque, 97
Semel admiſſum multiplicatur intra corpus, 98
Conditiones ad eam multiplicationem requiſitæ, 99
Conjecturæ de cauſa multiplicationis, 99
Ex quotuplici capite multiplicatio illa æſtimanda ſit? 100
Virus venereum latet aliquando in ſanguine diù ſine noxâ, 101
Non quòd recondatur in loculamentis aut in glandulis quibuſdam, 101
Sed quòd intra ſanguinem jugiter renovetur ad eumdem gradum, 102
Unde ſequitur poſſe aliquando retundi & edomari ſine remediis & optimâ tantùm ſanguinis conſtitutione, *ibid.*
Virus venereum cum ſanguine confuſum humores inde ſcaturientes inficit, 298
Quoſdam tamen citiùs faciliùſque quàm alios, 298. & 299
Creditur eſſe acidum à Franc. de le Boë Sylvio, 530
Viruelas (las) ſic vocantur Variolæ ab Hiſpanis, 526
Vitia limphæ & glandularum limphaticarum, 295
Vitrioli oleum dulcificatum Aqua Rabelii dictum, 419
Vomica pulmonum venerea, 296. & 318
Vomitio à cauſâ venereâ, 296. & 319
Vox Naſalis, 305
Vultûs pallor & decoloratio, 96. & 320

W

Vvorm (den) belgicè significat *le Farcin.* An lues venerea ortum duxerit à congressu cum jumento scabido, quod eo morbi genere laboraret? *pagin.* 527

Y

Yaca, condimenti genus apud Indigenas Insulæ Hispaniolæ, 61

Z

Zapata (Joannes Baptista) laudabat decoctum Saponariæ, tanquam specificum ad luem veneream, 116
Zempoalani in Hispania novâ, à quo variolas acceptas habeant? 525. & 545
Zona torrida. Pleraque Zonæ torridæ loca luem veneream experiuntur tanquam endemiam, 56
Conjecturæ de causis quæ luem veneream ibidem producunt, 63. & 64

Finis Indicis Rerum.

APPROBATIO REGII CENSORIS.

ILluſtriſſimi Regiorum ſigillorum Cuſtodis juſſu, Manuſcriptum Codicem, cui titulus eſt *De Morbis Venereis Libri ſex*, accuratè perlegi; eumque non minùs Hiſtoricæ, quàm Ætiologicæ ac Therapeuticæ diſquiſitionis præſtantiâ, Medicis utiliſſimum cenſui, adeòque digniſſimum, qui typis mandetur. Datum Pariſiis, die 20. Februarii anni 1735.

BURETTE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra : SALUT. Notre bien amé GUILLAUME CAVELIER, Libraire à Paris, Adjoint de ſa Communauté ; Nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit continuer à faire réimprimer & donner au Public pluſieurs Ouvrages qui ont pour titre : *De Morbis Venereis Libri ſex, Auctore J. Aſtruc, Hermanni Boerhaave, & J. Freind Opera ; Opérations de Chirurgie de Garengeot* ; s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de continuation de Privilege ſur ce néceſſaires ; offrant pour cet effet de les faire réimprimer en bon papier & beaux caracteres, ſuivant la feüille imprimée & attachée pour modéle ſous le contre-ſcel des Préſentes. A CES CAUSES, voulant traiter favorablement ledit Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire réimprimer leſdits Livres ci-deſſus ſpécifiez, en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, ſur papier & caracteres conformes à ladite feuille imprimée & attachée ſous notredit contreſcel ; & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de dix années conſécutives, à compter du jour de la datte deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéïſſance ; comme auſſi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire leſdits Livres ci-deſſus expoſez, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns Extraits ſous quelque prétexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui ; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dom-

mages & intérêts ; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles ; que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs ; & que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril 1725. & qu'avant que de les expoſer en vente, les Manuſcrits ou Imprimez qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres, ſeront remis dans le même état où les Approbations y auront été données, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France, le Sieur Chauvelin ; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Chauvelin ; le tout à peine de nullité des Préſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant, ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons que la copie deſdites Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée ; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & féaux Conſeillers & Sécretaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, charte Normande, & Lettres à ce contraires : Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris le vingt-uniéme jour du mois de Mai, l'an de grace mil ſept cent trente-cinq ; & de notre Regne le vingtiéme. Par le Roi en ſon Conſeil. SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre IX. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, num. 104. *fol.* 90. *conformément aux anciens Reglemens confirmez par celui du* 28. *Février* 1723. *A Paris, le* 23. *Mai* 1735.

G. MARTIN, Syndic.

E Typis Viduæ PAULUS-DU-MESNIL

CATALOGUE DE LIVRES
DE MEDECINE, CHIRURGIE, &c.
Qui ſe trouvent à Paris, chez CAVELIER, Libraire, ruë Saint Jacques, au Lys d'Or.

ABREGE' de toute la Medecine Pratique, ou Sentimens des plus habiles Medecins ſur la nature des maladies, de leurs cauſes, & des remedes qui leur conviennent, 5. vol. in 12. *ſous preſſe.*

Boerhaave (*Herm.*) Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis Morbis in uſum doctrinæ domeſticæ digeſti. in 12. Pariſiis, 1728.

—— Ejuſd. de Materie Medica & Remediorum Formulis, quæ ſerviunt Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis Morbis. in 12. Pariſiis 1720.

—— Ejuſd. Inſtitutiones Medicæ in uſus Annuæ exercitationis domeſticos. Nova Editio aucta. in 12. Pariſiis, 1735.

—— Ejuſd. Elementa Chemiæ, quæ anniverſario labore docuit in publicis privatiſque Scholis, Editio altera, aucta Opuſculis Auctoris, 2. vol. in 4°. figur. Pariſiis, 1733.

Codex Medicamentarius, ſeu Pharmacopœa Pariſienſis, ex mandato Facultatis Medicinæ Pariſienſis, in lucem edita. in 4°. Pariſiis, 1732.

Le François, Réflexions Critiques ſur la Medecine, où l'on examine ce qu'il y a de vrai ou de faux dans les jugemens qu'on porte au ſujet de cet Art. 2. vol. in 12. Paris, 1723.

—— Du même, Projet de Réformation de la Medecine. in 12. Paris, 1723.

—— Du même, Diſſertation contre l'uſage de ſoutenir des Theſes en Medecine; avec un Mémoire pour la réformation de la Medecine dans la Ville de Paris. in 12. Paris, 1720.

Freind, Opera omnia Medica. Editio altera Londinenſi multò correctior. in 4°. Pariſiis, 1735.

Hecquet. La Medecine Théologique, ſortie des mains de Dieu, & régie par les Loix. Ouvrage où s'explique l'Hygieine, par les principes du Méchaniſme, l'on y découvre ſes cauſes des maladies, & leurs vrais remedes. On y a joint les Theſes de Medecine de l'Auteur. 2. vol. in 12. Paris, 1733.

—— De la Digeſtion, & des maladies de l'Eſtomac, ſuivant le ſyſtême de la *Trituration*. Nouvelle Edition augmentée, avec les Réponſes à Meſſieurs *Aſtruc*, *Sylva*, &c. 2. vol. in 12. Paris, 1730.

La Motte (Guil. Mauqueſt) Traité complet de Chirurgie, contenant des Obſervations & des Réflexions ſur toutes les Maladies Chirurgicales, & ſur la maniere de les traiter. Seconde Edition, revûë, corrigée & augmentée, 4. vol. in 12. Paris, 1732.

Malouin (*Medecin de Paris*) Traité de Chimie, contenant la maniere de préparer les remedes qui ſont le plus en uſage dans la pratique de la Medecine. in 12. Paris, 1734.

Morand, Traité de la Taille au haut appareil, où l'on a raſſemblé tout ce qu'on a écrit de plus intéreſſant ſur cette Opération; avec la Lettre de M. Winſlow ſur cette matiere. in 12. Paris, 1728.

Palfin (Jean) Nouvelle Oſteologie ou Deſcription exacte des Os du Corps Humain, accompagnée de Remarques Chirurgicales ſur le traitement de leurs Maladies. in 12. figur. Paris, 1731.

—— Anatomie Chirurgicale, ou Deſcription exacte des Parties du Corps Humain; avec des Remarques utiles aux Chirurgiens dans la pratique de leur Art. Nouvelle Edition, corrigée & refonduë par M. *Boudon Docteur en Medecine*. On y a joint les Obſervations Anatomiques & Chirurgicales de M. RUYSCH, & celles de M. BRISSEAU, 2. vol. in 8°. avec 58. Planches ou figures en taille douce. Paris, 1734.

Petit (J. Loüis) Traité des Maladies des Os, avec les Machines & Appareils qui ſervent à leur guériſon; nouvelle Edition, corrigée & augmentée. 2. vol. in 12. Paris, 1736.

Queſnay, L'Oeconomie Animale. in 12. Paris, 1736.

—— Art de guérir par la Saignée. in 12. Paris 1736.

